R. P.

IACOBI LOBBETII

LEODIENSIS.

SOCIETATIS JESU

THEOLOGI,

OPERA OMNIA

IN SEX TOMOS

DISTRIBUTA.

Digitized by Google

R. P.


JACOBI LOBBETII LEODIENSIS
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,
OPERA OMNIA
IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

HAC SECUNDA EDITIONE RECOGNITA, ET AUCTA
Tomis duobus: & inſuper, in aliis aptę impreſſis, ſparſim aucta Quæſtionibus novis quàmplurimis, illuſtrata ſelectis Sanctorum Patrum ſententiis, Antiquorum præclarè dictis, & magnarum Virtutum exemplis, atque Hiſtoriis.

OPUS MAXIMA PARTE NOVUM,
& Concionatoribus, Paſtoribus, ac ſpiritualis vitæ Magiſtris atque Religioſis perutile.

TOMUS PRIMUS.

CONTINENS QUÆSTIONES THEOLOGICAS, HISTORICAS & Morales in Evangelia Dominicarum ab Adventu ad Pentecoſten, cum duplici Indice, Quæſtionum & Materiarum.



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPH. JOAN. MATHIÆ HOVII,
Ad inſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LXVIII.
SUPERIORUM PERMISSU.

NAPOLI

REVERENDISSIMO ET GRATIOSO
DOMINO,

D. PHILIPPO DE LA NEVFORGE

IMPERIALIS ATQUE EXEMPTI MONASTERII

DIVI CLEMENTIS WILLIBRORDI

ORDINIS SANCTI BENEDICTI

FELICIBUS AUSPICIIS, COMMUNI PATRIÆ BONO,
OMNIUM GRATULATIONE ATQUE PLAUSU,

ABBATI,

DOMINO EPTERNACENSI

TOPARCHÆ IN DREIS, BOLLENDOFF, WALRE,
WEERDÆ, SCHENGEN, ETTELPONTI, &c.

PATRONO SVO AC MECOENATI

*QVIETEM IN TVRBIS, PACEM IN BELLIS,
SALVTEM IN TERRIS, FELICITATEM IN COELIS.*

HÆ lucubrationes meæ lucem aſpexerunt favore & gratia Reverendiſſimi & Gratioſi Domini penultimi Anteceſſoris Veſtri: Eædem recognitæ, & multis auctæ, è prelo meliore ſurgent ſub auſpicis Reverendiſſimæ, & Gratioſæ Dominationis Veſtræ.

Secundæ ſunt in plurimis cogitationes iſtæ, non inficior; ſed audeo dicere primis fortè meliores: certè auctiores. Evenit enim nobis quod apibus, quæ dum alios atque alios delibant flores, ex iis alvearia copioſiùs replent & cera virgine, & melle ſuaviore: ſic & Authoribus, qui aliquid Poſteris parant, occurrunt alii atque alii Scriptores, quos prius non vide-

viderant, atque ex illis, ceu totidem areolis, dum multa libant, multa & colligunt, quæ transferant in ætates longè conſequentes: quod & ipſe dum hîc facio, ſubit animo memoria illius temporis, quo me vidit Epternacum, & Gratioſiſſima Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ benevolentia excepit, fovit, animavit.

Abiere exinde anni duodecim, eóque amplius, in quibus vacuas à regimine horas ſcriptioni dedi, & Operibus novis, quibus élucubrandis aſpiravit & Tua gratia, & Tuus favor, qui ex eo, quò nunc eminĕs ſacræ dignitatis culmine major erit,atque auctior. Et ea ſpes mihi animos addidit altiores, induxitque ut haſce meas commentationes etiam Nomini Tuo inſcriberem,ſicut & piis manibusReverendiſſimi Deceſſoris Veſtri: nec enim ſejungi oportuit eos, quos una eadémque religioſa familia junxit, & ſimul etiam eadem Infulæ, Pediq́ue dignitas, quam in TE REVERENDISSIME PRÆSUL, dum ſuſpicio ac veneror: ſimul & illud cœlo annuente apprecor.

Tibi, Tuisque diu felix ac fortunatus vive, nec terris vivere deſine, niſi ut cœlis æternùm vivas.

REVERENDISSIMÆ ET GRATIOSÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ.

Leodio 20. Auguſti
Anno 1667.

Humillimus ſervus & Cliens

JACOBUS LOBBETIUS
è Societate IESU.

REVERENDISSIMO ET GRATIOSO

DOMINO,

D. PETRO FISCH

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

IMPERIALIS ATQUE EXEMPTI MONASTERII

DIVI CLEMENTIS WILLIBRORDI

ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ABBATI DIGNISSIMO,

DOMINO EPTERNACENSI,

TOPARCHÆ IN DREIS, BOLLENDOFF, WALRE, WEERDÆ, SCHENGEN, ETTELPONTI, &c.

PATRONO SVO AC MECOENATI

SALVTEM AC FELICITATEM.

DUM huic Operi meo Patronum ac Mecœnatem quæro, ſub cujus nomine ac tutela in lucem evocetur & prodeat: in oculos animumque veniſti REVERENDISSIME & GRATIOSE DOMINE. Ecquis enim potiùs?

Si Epternacum aſpicio (cui cum ſumma authoritate præfectus es) & illud me allicit ſiſtitque ſibi, tum ſua antiquitate (cenſet enim novem & ampliùs ſæcula) tum etiam ſanctitate; tum denique gratiſſimâ ſanctiſſimi P. CLEMENTIS WILLIBRORDI memoriâ, ut qui prima Leodienſis Eccleſiæ lumina, Divosque Præſules, LAMBERTUM & HUBERTUM, in vivis âſpexerit, & cum iis, ceu ſociis ſideribus, in Eccleſiæ Cœlo luxerit; illis ſcilicet junctus quàm proximè. LAMBERTO quidem in agro Tungrenſi, ubi multa ad animarum bonum cum illo contulit: HUBERTO autem tum Romæ ſub SERGIO III. Sum. Pont. tum etiam Trajecti ad Moſam, ubi cum eo aliisque Epiſcopis ſacrum D. LAMBERTI corpus Leodium ſolemni pompa tranſtulit: quod beneficium etiam illi debet & debere vult *Legia Romanæ Eccleſiæ filia.*

Et iſta quidem me meáque opuſcula Epternaco tuo ſiſtunt: at alia tibi, tuóque nomini. Imprimis autem ſingularis in minimam IESU Societatem amor, & voluntas propenſiſſima, quam à teneris annis hauſiſti, dum Treveris ſub illius diſciplina humanioribus litteris vacares, atque etiam Philoſophicâ Magiſterii laureâ donareris, à qua cùm ad ſacrum D. BENEDICTI Inſtitutum animum adjeciſſes; à PRÆNOBILI ac REVERENDISSIMO DOMINO D. PETRO RICHARDOTIO tum Epternacenſi Antiſtite, primus omnium admiſſus es, ipſo Aſ- Anno 1612.
ſumptæ in Cœlum Virginis die ſacro: bono ſcilicet omine, ut qui deinde ab illo primus Abbas, & favente Deipara, & volente Numine eſſes deſignatus: utque is eſſes etiam merito

Tuo

1616. Tuo, per omnia te exercitatum voluêre Superi, voluit & RICHARDOTIUS Præſul, qui Te primùm Novitiis præfecit, ut illis ceu tenellis in religioſo viridario plantis, pietatis rorem infunderes: nec illis tantùm, ſed & adultioribus ac profeſſis, ad quos latino ſermone dicere ſolebas; uti & deinde patrio ad ſubjectum tibi populum: ut non domi tantùm ac domeſticis prodeſſes; ſed & foris longè lateque Dei Verbum quaſi cœleſte ſemen mitteres: quod dum ſedulò facis, ad domeſtica munia revocaris, & primùm quidem Subprioris per annos quinque officio fungeris, ac deinde & Reverendiſſimi Præſulis & Religioſorum omnium
1621. calculis in Priorem adlegeris. Ita nimirum per ſacratiora illa aſceticæ vitæ munia, veluti per gradus quoſdam eundum fuit ad Infulas, & primam in Epternacenſi Monaſterio dignitatem. Cùm enim terris vivere deſiiſſet RICARDOTIUS, præ cæteris unus inventus es dig-
1628 nus tanto Præſule ſucceſſor: atque ut eſſes apud Sereniſſimam ISABELLAM Belgarum Principem ſuis ſuffragiis interceſsêre tum Religioſi tui Epternacenſes, tum etiam ipſi Ordines Luxemburgici, quibus jam tua probata virtus erat, perſpectaque prudentia. Ab hac & illa jam clatus, annuente Cœlo, plaudentibus bonis omnibus, in Abbatem ſolemni ac Pontifi-
1629. cio ritu à Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Azotenſi es inauguratus, magno ſanè nobiliſſimi Aſceterii Tui bono: quod ut promoveres impenſiùs, hæc Tibi prima cura fuit, ut Religioſorum numero accreſceret commiſſa tibi, ceu Patri quàm optimo, familia: quæ cùm vivo RICHARDOTIO quindecim tantùm aluiſſet, te ſuccedente quindecim ſibi additos vidit probavitque.

Neque tamen in his ſtetit Tuus ille labor & vigilantia: Tibi enim parum videri potuit auxiſſe filiorum numerum, niſi etiam in iis pietatem augeres, & ad hanc doctrinæ ſanctioris ac Theologicæ adderes ornamenta: quòd & feciſti non minus operoſè, quàm feliciter: domi quippè aluiſti Doctorem Theologum, qui Per annos quinque, diebus omnino ſingulis lectionem ad tuos haberet, quam etiam ipſe (raro ſanè religioſæ demiſſionis exemplo) excepiſti: & (quod omnes ament ac mirentur in Præſule) etiam Tua manu exſcripſiſti: Ut non tam verbo quàm exemplò præires, doceresque in Tuo *Epternaco, loco ſancto Deiq; caſa*, doctrinam cum virtute conjungi oportere.

Et hæc ſpectant ad cultum animorum; quæ ſubjiciam, ad Divorum venerationem, ad ſacræ ædis nitorem & gratiam, ad debitam DEO ter Opt. ter Max. religionem. Ad hanc in Te Tuiſque augendam, in honorem SS. Trinitatis, Apoſtolorum Petri & Pauli, & D. Clementis Willibrordi, Aræ Principis cælaturam nobiliore ſchemate erexiſti. Et inſuper Sacella longè plurima tum domi, tum foris. Domi quidem ſanctorum Sebaſtiani, Adriani, Rochi, Benedicti, Irminæ, Sabinæ, aliorumque Cœlitum. Foris autem Divorum Lucæ, Cleophæ, Simonis: quæ omnia, aut vetuſtare attrita, aut injuria temporum collapſa, ita reſtauraſti, ut ad Inſulam Pedumque vocatus fuiſſe videaris, ut priſtinum Eccleſiis Ariſque decus, quod tempus rerum edax, & ipſa vetuſtas abſtulerat, etiam cum ſacro fœnore reſtitueres.

Venio ad ædificia profanos in uſus: Dormitorii ſcilicet partem maximam; Triclinium in tempus hyemale; aream ampliſſimam cum ſuis officinis: in foro Epternacenſi domum Iuri dicundo; Treviris ædes opportunas & amplas, in quibus degere, & litteris melioribus religioſi juniores excoli poſſint. Domi autem Bibliothecam (ſuppellectilem utique dignam Antiquioribus) quam dum manibus & animo verſant, cum mortuis loquuntur, & præclara hauriunt formandis animis morum documenta, atque oracula. His Te Tuoſque erudire voluiſti, REVERENDISSIME PRÆSVL. Domeſticis interim tuorum negotiis, ac proventibus vel ſervandis, vel augendis ita intentus; ut tamen etiam externis Te Tuáque omnia commodares: quod imprimis teſtatur Tua illa in pauperes egenoſque liberalitas, quæ vel maximè ſeſe explicuit, cùm Luxemburgenſem patriam hoſtiles turmæ, velut quædam eluvies, inundaſſent: tum enim Epternacenſe horreum (quod unicum fere intactum ſupererat) famelicæ turbæ patens eſſe voluiſti, ex eóque ita liberaliter granorum genus omne effudiſti, ut vix ad paucos dies Tibi Tuiſque inde ſupereſſe videretur. Et tamen (quæ DEI providentia

dentia fuit) cùm non ſemel granarium luſtraſſent è Tuis Viri Religioſi, vix in eo quicquam illius annonæ imminutum, non ſine ſtupore quodam amabili, conſpexerunt. Nimirum quantum illi à Tua illa profuſione decedebat, tantum à divina manu ac providentia accedebat.

Huic certè dum inniteris, quæ bona Tibi donavit DEUS, ita ipſe aliis donas, ut ſubinde etiamnum die uno centum, ſubinde etiam egenos mille paſcas, aliis liberalis, & ferè prodigus; Tibi verò parciſſimus. Quod ſi illis, quibus plerumque indiga paupertas, ita ſubvenis, multò magis Religioſis, qui non tam neceſſitate ſunt paupeces, quàm ſua voluntate: prædicant illi eòluntque tuam in ſe munificentiam, ad quam etiam acceſſit invictum animi robur, & conſtantia, quæ vel potiſſimùm enituit in hoc armorum æſtu, bellicoque turbine, quo Monaſterium Epternacenſe non ſemel afflictum. Primùm enim contra bellica pacta, datamque fidem, ab hoſtili militum licentia penitus expilatum, & frumento, vino, ſupellectile omnique pecore nudatum: Deinde capto etiam per ſummum nefas Priore, ingens pro illo redimendo exactum eſt lytrum: quæ omnia calamitoſo tempore gravia, & propè inſuperabilia alteri, quam tibi fuiſſent. Verùm quæ animi tui vis ac fortitudo, in iis æquali ſemper vultu fuiſti, ubique Tuus.

Et hæc ſunt excelſæ mentis decora, quæ me excitarunt, ut nomen tuum operi meo præfigendum putarim, ut ab eo lucem acciperet atque authoritatem: cui etiam pondus addidit tua illa benevolentia in eos potiſſimùm, qui tota vita litteris aſſident, chartis impalleſcunt, & unà cum prelo libris edendis inſudant: quos inter ego, etſi omnium eſſem minimus, lucubrationes tamen meas & oculo dignatus es & gratia; quam dum amo ac veneror, ad extremum hæc ex me vota accipe. Seros in annos lætoſque ſoles Tibi ac Tuis vive ac vale.

REVERENDISSIMÆ ET GRATIOSÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Leodio 12. Novemb.
Anno 1652.

Humillimus ſervus & Cliens

JACOBUS LOBBETIUS
è Societate IESU.

AD LEMMA NOBILE
IMPERIALIS ATQUE EXEMPTI

MONASTERII EPTERNACENSIS

HAUSTUM EX EFFATO

HENRICI SEXTI

ROMANORUM IMPERATORIS,

ET PRIVILEGIO EXEMPTIONIS,
Quam ejuſmodi eſſe voluit, ut eſſet

SUB MANU SOLIUS DEI.

Quiſquis amas rutila frontem ſpectare Tiara,
Huc ades, & fixum nobile Lemma lege.
Quod legis, Auguſtum eſt HENRICO Caſare dignum;
Hac, Epternacum, gloria ſola tua eſt.
Ille quidem poterat proprio Te ſubdere ſceptro,
Te tamen imperiis eximit ille ſuis.
In Te jus aliquod ne vendicet ulla poteſtas;
Sub ſola *voluit* Numinis *eſſe* manu.
Fortunata domus! ſoli ſubjecta Tonanti,
Non poteras titulo nobiliore frui,
Ipſa DEI digito *poteras ſecum manere:*
Ne metuas, totam, *dat* DEUS *ipſe* manum.

PROTE-

PROTESTATIO AUTHORIS.

Cum SS. D. N. VRBANVS Papa VIII die 13. Martii 1625. inhibuerit imprimi geſta, miracula, revelationes & quæcumque beneficia quaſi ſupra naturæ vim & ordinem ab iis accepta, qui ſanctitate, ſeu martyrii fama ſunt celebres ſine recognitione & approbatione Ordinarii. Inſuper nec admitti elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; benè tamen ea, quæ cadunt ſuper mores & opinionem, cum proteſtatione, quòd nulla eis adſit authoritas ab Eccleſia Romana; ſed fides tantùm ſit penes authorem. Ego huic Decreto, ejuſq; confirmationi ac declarationi, ea qua par eſt obſervantia ac reverentia inſiſtendo, profiteor me, ſi quid in omnibus Opuſculis meis hinc & inde ejuſmodi ſparſi, non alio ſenſu accipere aut accipi ab ullo velle, quàm eo, quo ſolent ea, quæ humana dumtaxat, non autem divina, aut ſanctæ Romanæ Eccleſiæ authoritate nituntur; meipſe, meáque ſcripta omnia S. Sedis Apoſtolicæ judicio ac cenſuræ, cum ſubmiſſione debita ſubjiciendo.

APPROBATIO ORDINARII.

Reverendi Patris JACOBI LOBBETII Leodienſis, Societatis JESU Theologi Opera omnia in ſex Tomos digeſta, utiliter imprimi poſſunt. Leodii 28. Auguſti 1667.

IOAN. ERNESTVS DE SVRLET
Vicarius generalis Leodienſis.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

Ego infraſcriptus Societatis IESU in Gallo-Belgica Provincialis juxta privilegium eidem Societati conceſſum quo Typographis omnibus prohibetur, ne libros ab ejuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, facultatem do Ioanni Mathiæ Hovio Typographo Leodienſi ut R. P. IACOBI LOBBETII Leodienſis Societatis ejuſdem Theologi *Opera omnia in ſex Tomos diſtributa* ad ſex annos proximos imprimere & liberè diſtrahere poſſit. Datum Valencenis 7. Auguſti 1667.

LAURENTIUS LUDOVICI.

Locus (✠) *ſigilli.*

SERIES TOTIUS OPERIS
IN SEX TOMOS DISTRIBVTI.

TOMUS I.

Continet Quæſtiones Theologicas, Hiſtoricas, Morales in Evangelia Dominicarum ab Adventu ad Pentecoſten.

TOMUS II.

Continet Quæſtiones Theologicas, Hiſtoricas, Morales in Evangelia Dominicarum à Pentecoſte ad Adventum.

TOMUS III.

Continet Quæſtiones Theologicas, Hiſtoricas, Morales in Evangelia Feſtorum totius anni.

TOMUS IV.

Continet Gloriam Sanctorum, ſive Quæſtiones Morales in Feſta Sanctorum totius Anni, themate libero explicatas.

Et Gloriam Patriarcharum, ſive Quæſtiones Morales in feſta SS. Patriarcharum Ordinum Religioſorum.

Itemq́ Gloriam Leodienſis Eccleſiæ.

TOMUS V.

Continet Opuſcula Moralia auctiora, hoc quo ſequitur ordine :

I. *Opus Morale de Peccato : & in eodem Opuſculo, ſub quarta Propoſitione Libri quarti, Flagella peccatoris olim ſeorſim edita.*

II. *Speculum Eccleſiaſticorum ac Religioſorum, & in eo monumenta veneranda Antiquitatis, opportunáque morum documenta.*

III. *Viam Vitæ ac Mortis tribus libris explicatam.*

IV. *Tractatus duos : unum de ſacra Chriſti Domini Paſſione & Cruce : Alterum de Religioſo Templorum cultu adverſus petulantem hujus ſæculi licentiam.*

V. *De Fortitudine & Conſtantia Chriſtiana, Libros tres.*

TOMUS VI.

Continet Tractatuum, ſive Concionum Aſceticarum de Virtutibus Partes III. quarum poſtrema nunc primùm prodit, uti & Pars unica quæ ſubjungitur de Vitiis.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM
TOMI I.
IN EVANGELIA DOMINICARUM
AB ADVENTV AD PENTECOSTEN.

DOMINICA I. ADVENTUS. *pag.* 1

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

AD illa verba: *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis.* Luc. 21. v. 25.
Quæ futura ſint ea ſigna, & quorſum? 3

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis.* Luc. c. 21. v. 25.
Quid myſticè repræſentent, *Signa in Sole, Luna & Stellis?* 4

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo.* Matth. c. 24. v. 29.
Quid myſticè portendat illud, *Et Solem, Orbis oculum, obſcurari; & Lunam ſuo lumine privari; & Stellas de cælo excidere?* 5

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Areſcentibus hominibus præ timore.* Lucæ 21. v. 25.
Qui areſcant in exitu vitæ? Qui in eodem revireſcant? 8

QUÆSTIO V. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tunc parebit ſignum Filii hominis in Cælo.* Matth. c. 24. v. 30.
Quod illud ſignum Filii hominis eſt? Et cur apparebit in Cœlo? 10

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Ad illa verba: *His autem fieri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra.* Luc. 22. v. 28.
Sitnè prius à nobis deſerendus mundus, quàm nos ipſe deſerat? 11

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Scitis quoniam propè eſt Æſtas.* Luc. c. 21. v. 30.
Cur æterna felicitas ac beatitas æſtati comparetur. 13

DOMINICA II. ADVENTUS. 15

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Ioannes cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti.* Matth. c. 11. v. 2.
Cur dicatur in vinculis audiſſe opera Chriſti? Cur non potiùs extra vincula? 17

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Ioannes in vinculis.* verſ. 2.
Pluſnè in Sanctorum vinculis libertatis & gloriæ: quàm ſervitutis & infamiæ? 18

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Mittens duos de Diſcipulis ſuis.* verſ. 2.
Quæ in hoc uno Magiſtri & parentis officia? 20

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Renuntiate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant.* verſ. 4.
Cur pro Chriſto & lingua taceat, & loquantur opera? 12

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Cæci vident, claudi ambulant.* verſ. 5.
Cur inter Divinæ miſerationis beneficia primùm cæcis viſus; deinde claudis greſſus reſtituitur? 23

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Ad illa verba: *Pauperes Evangelizantur.* v. 5.
Cur dicit *Pauperes Evangelizantur?* An non etiam divites? An non omnes? 24

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* verſ. 7.
Quæ ſit illa leviuſcula & inanis arundo? 26

QUÆSTIO VIII. MORALIS.

Ad illa verba: *Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* verſ. 8.
An ex veſte peti poſſit argumentum integræ, aut corruptæ mentis? 28

DOMINICA III. ADVENTUS. 29

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum.* Joan. c. 1. v. 19.
An non à pleriſque quæratur JESVS ubi non eſt, & bona ubi mala? Et hæc quidem impenſiùs: illa verò remiſſiùs? 31

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Tu quis es?* verſ. 20.
An hæc interrogatio Joanni perhonorifica? An etiam cuique noſtrum neceſſaria? 32

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Et confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt.* verſ. 20.
Cur iterum, iterumque ac tertiò repetita ea confeſſio? 34

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Elias es tu? Et reſpondit non. Propheta es tu? Et dixit non.* verſ. 21.
An iſtud ex veritate, an etiam ex virtute dicere potuit? 35

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Ego vox clamantis.* verſ. 23.
Cur ſe vocem appellet Joannes, eamque clamantis? 36

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Ad illa verba: *Ego vox.*
Qualis vox Joannes, an oris tantùm, an non etiam cordis & operis? 38

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Quid ergò baptiſas ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* v. 25.
An rectè Phariſæi, aut Chriſti, aut Eliæ, aut Prophetæ cujuſpiam perſonam in Joanne ad Baptiſmum conferendum requirant. 40

QUÆSTIO VIII. MORALIS.

Ad illa verba: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* v. 25.

Quomodo & cur dicatur Chriſtus medius noſtrûm vel in medio noſtri? 41

QUÆSTIO IX. MORALIS.

Ad illa verba: *Cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti.* verſ. 27.

Quis humilis animæ ſenſus, & quæ in ſublime ſit via? 42

DOMINICA IV. ADVENTUS. 43

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Anno quinto-decimo Imperii Tiberii Cæſaris procurante Pontio Pilato Iudæam, &c.* Luc. c. 3. v. 1.

Cur eò loci ac temporis Evangeliſta tam operosè meminerit Principum ac Pontificum? 44

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha.* verſ. 2.

Cur Evangeliſta horum Pontificum meminerit? 46

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, &c.*

Quæ potiſſimæ circumſtantiæ prædicationis magni Baptiſtæ, quæ illius fulmina? 47

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* verſ. 2.

Cur factum verbum, ac non potiùs dictum? 48

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, & venit in omnem regionem Iordanis.* verſ. 3.

An hinc in Joanne peti poſſit eximia quædam obedientiæ vis & alacritas? 50

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Ad illa verba: *In deſerto.* verſ. 3.

Cur in deſerto Meſſiæ prænuntius? 51

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* verſ. 3.

An pœnitentia Baptiſmus eſſe & dici poſſit. 53

QUÆSTIO VIII. MORALIS.

Ad illa verba: *Parate viam Domini.* verſ. 4.

Quæ ſit illa via Domini? 54

QUÆSTIO IX. MORALIS.

Iterum ad illa verba: *Parate viam Domini.*

Quæ ſit illa via Domini, & quàm varia? 56

QUÆSTIO X. MORALIS.

Ad illa verba: *Rectas facite ſemitas ejus.* v. 4.

Cur viæ Juſtorum rectæ, peccatorum obliquæ? 56

QUÆSTIO XI. MORALIS.

Ad illa verba: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* verſ. 5.

Quæ vallis, quíſve mons & collis, & quomodo impletur illa atque aſſurgit? Quomodo è contrario exhauritur hic atque deprimitur. 57

DE SACRA CHRISTI DOMINI NATIVITATE. 60

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ prodigia ſacram Chriſti Nativitatem magis ſpectabilem reddiderint? 61

QUÆSTIO SECUNDA.

Quæ potiſſimùm circumſtantiæ Chriſti Nativitatem magis amabilem fecerint? 63

QUÆSTIO TERTIA.

Quis finis Nativitatis Dominicæ? 65

QUÆSTIO QUARTA.

Quæ majorum noſtrorum erga Chriſti cunas reverentia & devotio? 66

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS. 67

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Erat Pater ejus & Mater mirantes.* Luc. 2. v. 23.

Sintne Divina opera objectum humanæ diſquiſitionis, an ſtuporis?

QUÆSTIO II. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël.* verſ. 34.

Quomodo poſitus in ruinam multorum ſit JESVS, qui in omnium reſurrectionem à Deo Patre miſſus? 71

QUÆSTIO III. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *In ſignum, cui contradicetur.* verſ. 24.

Cur JESVS dicatur poſitus in ſignum? 72

QUÆSTIO IV. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* verſ. 35.

Quis ille gladius, & cujus impactus manu? 74

QUÆSTIO V. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientiâ; & gratia Dei erat in illo.* verſ. 40.

Quî creſceret Chriſtus? Quî creſcere debeat & Chriſtianus? 75

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ. 77

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti.* Luc. c. 2. v. 42.

An Mater, an Filius ea conſuetudinis lege tenerentur, & ſi non tenerentur; cur tamen ei ſeſe ſubmiſerint? 78

QUÆSTIO II. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Remanſit puer IESVS in Ieruſalem.* verſ. 43

Quomodo & cur remanſit? 79

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Remanſit puer IESVS in Ieruſalem.* verſ. 43.

Utrum in die ſolemni ac feſto ſæpè ſæpiùs non emaneat atque amittatur JESVS? 80

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Et non cognoverunt parentes ejus.* verſ. 43.

Cur remanſerit JESVS in Jeruſalem? Et quidem inſciis parentibus, quorum tamen erat obſervantiſſimus? 82

QUÆ-

Digitized by Google

INDEX QUÆSTIONUM.

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Invenerunt illum in medio Doctorum.* v. 46.

Cur in medio invenitur JESVS? 83

QUÆSTIO VI. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Audientem illos & interrogantem.* v. 46.

De quibus interrogat Chriſtus, & cur priùs audit, deinde interrogat? 84

QUÆSTIO VII. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Neſciebatis; quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* verſ. 49.

Cur JESVS ait: *Quæ Patris mei ſunt;* non autem, quæ mea ſunt: Et quæ ſint illa? 85

QUÆSTIO VIII. MORALIS.

Ad illa verba: *Et erat ſubditus illis.* verſ. 51.

Quomodo ſubjici poſſit is, cui ſubjiciuntur omnia? 86

DOMINICA II. POST EPIPH. 88

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ.* Joan. c. 2. v. 1.

Quæ potiſſimùm circumſtantiæ has nuptias illuſtres reddiderint? 89

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, & erat Mater IESV ibi: vocatus eſt autem & IESVS.* Joan. c. 2. v. 1.

Cur ad Nuptias vocatus iverit JESVS? 91

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Vinum non habent.* verſ. 3.

An non plerumque in Nuptiis hujus mundi deficiat vinum? 93

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt.* verſ. 10.

An mundus alumnis ſuis primò bonum vinum propinet? An deinde quod deterius eſt? 95

DOMINICA III. POST EPIPH. 96

QUÆSTIO I. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Extendens IESVS manum tetigit eum.* verſ. 3.

Qua ratione miſellum hominem tangit vel Dei, vel Chriſti manus? Et quod inter hunc & illum attactum ſit diſcrimen? Et quæ vis in eo attactu? 97

QUÆSTIO II. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Volo; mundare.* verſ. 3.

An Leproſum ſolo voluntatis ſuæ nutu mundarit Chriſtus? 99

QUÆSTIO III. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Ait illi IESVS, Vide nemini dixeris: Sed vade, oſtende te Sacerdoti.* v. 4.

Cur Leproſo ſilentium imperat? Et cur eum ad Sacerdotem emittit JESVS? 100

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Acceſſit ad eum Centurio.* v. 5.

Quomodo ad Deum accedat homo in adverſis, qui in proſperis receſſit? 101

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Domine puer meus jacet in domo paralyticus.* verſ. 6.

Qui inter ſe conveniant paralyſis corporis & animi? 103

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Ad illa verba: *Et malè torquetur.* verſ. 6.

Qui in hoc ævo mortali torqueantur benè, qui malè? 105

DOMINICA IV. POST EPIPH. 106

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce motus magnus factus eſt in mari.* Matth. 8. v. 24.

Cur movetur mare? Et cur dormit Chriſtus? 108

QUÆSTIO II. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce motus magnus factus eſt in mari.* v. 24.

An ille motus naturæ vi excitatus, an miraculo? Et qua de cauſa? 109

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* verſ. 24.

Quod illud mare, quæ navicula, qui venti? 110

QUÆSTIO IV. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Ipſe verò dormiebat.* v. 24.

Quis fuerit in Chriſto ille ſomnus? Et quid ab hoc diſcat fidelis anima? 112

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* v. 26.

Cur à Magiſtro arguuntur Diſcipuli timoris, & modicæ fidei? 114

DOMINICA V. POST EPIPH. 115

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm dormirent homines.* verſ. 25.

Quis ille ſomnus, & quàm noxiùs? 117

QUÆSTIO II. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Superſeminavit zizania in medio tritici.* v. 25.

Quæ ſint illa zizania? Quod triticum? 119

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.* v. 30.

Cur Pater-familias vult utraque creſcere uſque ad meſſem? 120

QUÆSTIO IV. THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.* Deinde, *alligate ea in faſciculos.* v. 30.

Utrùm inde rectè conficiatur Hæreticos Catholicis permixtos tolerari oportere? Tum etiam, Qui ſint illi faſciculi? 121

DOMINICA VI. POST EPIPH. 126

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Simile eſt Regnum Cœlorum grano ſinapis.* Matth. c. 13. v. 31.

Quod illud granum ſinapis? 125

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Simile eſt Regnum Cœlorum grano ſinapis.* v. 31.

Cur Regnum Cœlorum, quod ſummum eſt, grano ſinapis, quod minimum eſt, componatur? 128

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Quod minimum eſt omnibus ſeminibus, cùm autem creverit majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor.* v. 23.

Quid myſticè ſignificet arbor illa enata è minimo ſinapeos ſemine? 129

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Rurſum ad illa verba: *Simile eſt Regnum Cœlorum grano ſinapis.*

Cur grano ſinapis tota Regni Cœleſtis comparata eſt magnitudo? 131

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Ad illa verba: *Cui ſimile æſtimabo Regnum Dei? Simile eſt fermento.*

Cur increata Dei Sapientia Regnum Dei componit cum fermento? 131

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ. 132

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Exiit conducere operarios in vineam ſuam.* v. 1.

Cur Eccleſia dicatur vinea, potiùs quàm pomarium aut viridarium? 134

QUÆSTIO II. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Egreſſus circa horam tertiam, ſextam, nonam, undecimam.* verſ. 3.

Quæ ad litteram ſit hora tertia, ſexta, nona, undecima; & quæ myſticô ſenſu? 136

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Nonne ex denario conveniſti mecum.* verſ. 13.

Cur æterna merces denarius vocetur? 137

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* verſ. 7.

Quod otium damnet Magiſter optimus? 138

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Murmurabant contra Patrem-familias dicentes Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti.* v. 11.

Quis ſit invidiæ genius? 140

DOMINICA SEXAGESIMÆ. 141

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Semen eſt verbum Dei.* Luc. 8. verſ. 11

Quod illud Dei verbum, & cur ſemen? 143

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt.* verſ. 5.

Quid inſinuet illud *ſecus viam*? 144

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* v. 6.

Quæ ſit illa petra, & quis humor, cujus penuriâ laborat? 146

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Aliud cecidit inter ſpinas.* v. 7

Quæ ſint illæ? Et cur interprete ipsâ Dei Sapientiâ, divitiæ appellentur ſpinæ? 147

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Aliud cecidit in terram bonam.* verſ. 8.

Quæ ſit illa terra bona? 148

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ. 150

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans.* Luc. 18. v. 35.

Quis ille cæcus? 152

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Clamavit: IESV fili David miſerere mei.* v. 38.

Quis ille clamor? 153

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Quid tibi vis faciam? Domine, ut videam* verſ. 14.

Quam conſona Chriſti bonitati ea interrogatio? Et è contrario quàm diſſona illius cæci reſponſio? 155

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Domine ut videam.* verſ. 41.

Remnè bonam petierit noſter ille cæcus. 156

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ. 158

QUÆSTIO I. HISTORICA.

Ad illa verba: *IESVS ductus eſt in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à diabolo.* Matt. 4. v. 1.

In quod deſertum, à quo ſpiritu, quo fine? 159

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Ductus eſt in deſertum.* verſ. 1.

Cur in deſertum potiùs quàm alium in locum ductus à ſpiritu Chriſtus? 160

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *ut tentaretur à diabolo.* v. 1.

Quæ circumſtantia, quæ ſeries, quis ordo tentationum, quis finis? 162

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm jejunaſſet quadraginta diebus.* verſ. 2.

Quæ in omni antiquitate Quadrageſimalis jejunii obſervantia? 163

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Dic ut lapides iſti panes fiant* verſ. 3.

Quomodo ſuos alumnos paſcat malus dæmon? 164

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Ad illa verba: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* v. 4.

Quæ homini ſpes, quæ fiducia eſſe debeat in Divinâ Providentiâ? Quæ deinde appetentia Divini Verbi? 165

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Statuit illum ſupra Pinnaculum Templi.* verſ. 5.

Quàm ſit periculoſus ad Eccleſiaſticas dignitates aſcenſus? 166

QUÆSTIO VIII. MORALIS.

Ad illa verba: *Mitte te deorſum.* verſ. 5.

Quomodo carnalis hominis ſit ad ima ſe inclinare, imò & mittere ſe deorſum, contra naturam. 167

QUÆSTIO IX. MORALIS.

Ad illa verba: *Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* verſ. 5.

Quomodò ſacris Scripturis abutatur malus dæmon? quomodò etiam Hæretici? 168

QUÆSTIO X. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Oſtendit illi omnia Regna mundi, dicens: hæc omnia tibi dabo.* verſ. 8.

Quomodo diabolus oſtenderit Chriſto omnia Regna mundi, & quem in finem? 169

DOMINICA II. QUADRAG. 172

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Aſſumpſit IESVS Petrum & Ioannem & Iacobum.* Matth. 17. v. 1.

Cur illos præ cæteris Diſcipulis? 173

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Duxit illos in montem excelſum.* verſ. 1.

Cur diſcipulos in montem eduxit IESVS? Et cur in montem Thabor? 173

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Transfiguratus eſt antè eos.* verſ. 2.

Quæ ratio & cauſa illius transfigurationis? 175

QUÆSTIO IV. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Apparuerunt illis Moyſes & Elias.* verſ. 3.

An verè apparuerint, unde, & cur illi præ cæteris? 177

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Loquebantur cùm illo, & dicebant exceſſum ejus.* Luc. 9. v. 31.

Quis ille Domini exceſſus? Et cur de eo Moyſes & Elias cùm Chriſto loquerentur? 178

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Ad illa verba: *Bonum eſt nos hic eſſe.* verſ. 4.

Unde in Petro amabilis ille ſtupor? 180

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Faciamus tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum; non enim ſciebat, quid diceret.* Marc. 9. v. 5.

In quo tum fuerit Petri error, & in quo nunc ſit mortalium? 181

QUÆ-

INDEX QUÆSTIONUM.

QUÆSTIO VIII. THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipſum audite.* v. 5.
An Chriſtus ſolùs Chriſtiano ſit audiendus? An non etiam Eccleſia Supremique in eâ Paſtores? 182

QUÆSTIO IX. MORALIS.

Ad illa verba: *Ceciderunt in faciem ſuam.* v. 6.
Quomodò Juſti cadant, quomodò impii? 183

DOMINICA III. QUADRAG. 185

QUÆSTIO I. HISTORICA.

Ad illa verba: *Erat IESUS ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11. v. 14.
Quomodò mutum; naturâ, caſu, an dæmonis vitio? 187

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Erat IESUS ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* verſ. 14.
Quomodò malus dæmon mutum reddat peccatorem? 187

QUÆSTIO III. THEOLOGICA.

Ad illa verba: *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* verſ. 15.
Poſſitne arte dæmonis fieri aliqua vera miracula? Et an hæretici aliqua fecerint? 190

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* verſ. 15.
Quàm cæca ſit & maledica invidia, & quæ homini Chriſtiano adverſus eam remedia? 191

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Omne Regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur.* verſ. 16.
Quomodò in unitate ac concordiâ Regni vis ac firmamentum? 193

QUÆSTIO VI. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum.* v. 21.
Quis ille fortis; & quæ illius arma? 194

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* v. 23.
Quàm ſit periculoſus ſtatus fluctuantis animæ, nec Deo planè adhærentis? 196

QUÆSTIO VIII. MORALIS.

Ad illa verba: *Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* verſ. 26.
Quàm noxia homini recidiva in peccatum? 197

DOMINICA IV. QUADRAG. 198

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbat ſigna quæ faciebat.* Ioan. c. 6. v. 2.
Quàm vitioſum ſit Chriſtum non propter Chriſtum ſequi? 200

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm ſublevaſſet oculos, & vidiſſet, quia multitudo magna venit ad eum.* verſ. 5.
Quomodò beneficentia in omnes æqua, Deo ſit propria ac ſingularis? 201

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt.* v. 7.
Quomodò homini nihil ſufficiat, niſi aut Deus ſit, aut ſaltem à Deo? 202

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Facite homines diſcumbere.* v. 10.
Cùr Servator optimus turbam illam diſcumbere voluit, non ſtare? 203

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Dedit Diſcipulis panes; Diſcipuli autem turbis:* Matth. 14. v. 19.
Quomodò Eccleſiaſtici bona è Dei manu accipiant, ut ea pauperibus largiantur? 204

QUÆSTIO VI. THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Accepit IESUS panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Ioan. c. 6. v. 11.
Poſſitne ex hoc loco argui hæreticorum incredulitas, circa SS. Euchariſtiæ Sacramentum? 206

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Colligite, quæ ſuperaverunt fragmenta: collegerunt duodecim cophinos*, Ioan. c. 6 v. 12. 13.
Quomodò danti eleemoſynam plura ſuperſint quàm dederit? 207

DOMINICA V. QUADRAG. 209

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* v. 46.
An Iudæi quondam, an etiam modò impii Chriſtum arguant de peccato; ſivè quà hominem, ſivè etiam quà Deum; & quomodò hos & illos redarguat? 211

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis?* verſ. 46.
Quomodò veritas pleriſque odioſa ſit, maximè autem viris Principibus? 212

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis?* v. 46.
Quanta concionatoribus debeat eſſe libertas ad enuntiandam veritatem. 213

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Quare non creditis mihi?* v. 46.
Cur ipſimet veritati homines non credant? 215

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* v. 47.
Quid ſit audire Dei verbum? 216

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Adilla verba: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* v. 47.
Sitnè ſignum aliquod Divinæ prædeſtinationis, audire Dei verbum? 217

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Nonnè benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* verſ. 48.
Unde Chriſtum Judæi dixêre Samaritanum? 218

QUÆ-

QUÆSTIO VIII. MORALIS.

Ad illa verba : *Ego dæmonium non habeo.* verſ. 49.
Cur non etiam reſpondit, Samaritanus non ſum ? 219

QUÆSTIO IX. MORALIS.

Ad illa verba : *Et vos inhonoraſtis me.* verſ. 49.
Quomodò peccator Deum inhonoret. 220

QUÆSTIO X. MORALIS.

Ad illa verba : *Non quæro gloriam meam.* verſ. 50.
Quomodò non ſit quærenda ab homine inanis gloria ; ſed omnia ad Dei laudes referenda ? 222

DOMINICA PALMARUM. 223

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba : *Invenietis aſinam alligatam , & pullum cum eâ,* Matth. 21. v. 2.
Quid myſticè deſignent ea vincula ? 225

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba : *Solvite illum , & adducite ad me, quia Dominus his opus habet.* v. 2. 3.
Quanta & quàm eximia poteſtas ſit , animas à peccatorum vinculis ſolvendi , & ad Chriſtum adducendi ? 226

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba : *Ecce Rex tuus venit tibi.* v. 5.
Quomodò Rex non ſuis , ſed ſubditorum commodis ad Regnum venire debeat. 227

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba : *Venit tibi Rex manſuetus.* verſ. 5.
Quomodo Præſules ad ſubditos venire debeant in ſpiritu caritatis & lenitatis ? 228

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba : *Eum deſuper ſedere fecerunt.* verſ. 7.
Quomodo ad honores non noſtrâ voluntate currere debeamus ; ſed potiùs alienâ rapi ? 230

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Ad illa verba : *Hoſanna filio David : Benedictus qui venit in nomine Domini.* verſ. 9.
Quàm inſidoiſa, fluxa, & momentanea ſæculi gloria ? 231

DOMINICA RESURRECTIONIS. 233

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba : *Surrexit , non eſt hîc.* Marc. c. 16. v. 6.
Quæ ſint illuſtriores Dominicæ Reſurrectionis circumſtantiæ ? 234

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba : *Veſpere autem Sabbathi.* Matth. c. 28. v. 1.
Quæ ſint circumſtantiæ in apparitione factâ Magdalenæ ? 236

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba : *IESVM quæritis Nazarenum crucifixum ? Surrexit , non eſt hîc.* Marc. 16. verſ. 6.
Quæ potiſſimùm cauſæ Dominicæ Reſurrectionis ? 237

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba : *Surrexit , non eſt hîc.* Marc. c. 16. v. 6.
Quæ ſit in hoc perfectæ Reſurrectionis norma ? 239

DOMINICA I. POST PASCHA. 242

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba : *Pax vobis.* Ioan. c. 20. v. 26.
Cur ; & quam pacem apprecetur Dominus ? 243

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba : *Dixit eis : Pax vobis. Dixit ergò eis iterum : Pax vobis. Stetit in medio & dixit : Pax vobis.* v. 20.
Cur iterum iterumque à Salvatore repetitur ſolemnis illa ſalutatio : *Pax vobis* ? 245

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad eadem verba tertiò repetita : *Pax vobis.*
Quæ ad triplicem illam pacem ſint viæ ? 247

QUÆSTIO IV. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba : *Inſufflavit , & dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiſeritis peccata , remittentur eis.* v. 23.
Cur inſufflarit , & quid in Apoſtolos cœleſtis ille Dominici oris halitus intulerit ? 249

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba : *Infer digitum tuum huc , & vide manus meas : & affer manum tuam , & mitte in latus meum.* v. 27.
An vulnerum cicatrices ideò ſervarit Dominus , ut unum Thomam ab incredulitate liberaret ? 250

DOMINICA II. POST PASCHA. 252

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba : *Ego ſum Paſtor bonus.* Joan. c. 10. v. 11.
Cur præ cæteris Paſtoris nomen aſſumat , & cur in Lege veteri in Ducem populi electus Paſtor , in novâ verò piſcator ? 253

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba : *Bonus Paſtor animam dat pro ovibus ſuis.* v. 11.
An illud ſit boni Paſtoris , id eſt Chriſti ? 255

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba : *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis : mercenarius autem fugit.* verſ. 11.
Quid interſit paſtorem inter & mercenarium ? 256

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba : *Lupus rapit & diſpergit oves.* verſ. 13.
Quis ille lupus , & quò rapit oves ? 258

DOMINICA III. POST PASCHA. 260

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba : *Modicum , & jam non videbitis me : & iterum modicum , & videbitis me.* Joan. c. 16. v. 16.
Quid innuat duplex illud modicum ? 261

QUÆ-

QUÆSTIO II. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quid eſt hoc quod dicit modicum? Neſcimus quid loquitur.* verſ. 19.
Sintnè in Scripturâ tenebræ, an alta lux? 263

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Plorabitis & flebitis vos.*
Cur vos præ cæteris mortalium? 264

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum.*
An videre Dei & Chriſti, ad hominis gaudium ſit ſatis? 266

DOMINICA IV. POST PASCHA. 268

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Expedit vobis, ut ego vadam.* Joan. cap. 16. verſ. 7.
An longiùs ab oculis recedere debuerit Chriſtus, ut propius ad animos accederet? 270

QUÆSTIO II. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modò.* verſ. 12.
Quæ ſint illa multa, quæ eò loci ac temporis Diſcipuli portare non poterant? 271

QUÆSTIO III. THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Mittam eum ad vos: non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur. De meo accipiet & annuntiabit vobis.* verſ. 13.
An Spiritus Sanctus Filio inferior, ut qui ab illo mittitur, qui loquitur quæ audit, qui à Filio accipit? 273

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum: ſed ego veritatem dico vobis.* verſ. 15.
An etiam Chriſti Diſcipulis minus grata veritas? An pleriſque mortalium odioſa? 273

QUÆSTIO V. THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* verſ. 13.
Quis ille Spiritus veritatis, & in quo conquiſcat? 275

DOMINICA V. POST PASCHA. 277

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Si quid petieritis.* Joan. c. 16. v. 23.
An ergo ſint mortales inter, qui à Deo petant & nihil petant? 278

QUÆSTIO II. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* v. 23
Quid ſit petere in nomine Chriſti? 280

QUÆSTIO III. THEOLOGICA ET MORALIS

Ad illa verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* verſ. 23.
An omnis gratia vel nobis, vel etiam antiquis data, vel petita in nomine Chriſti? Et an omne, quod ſic petitur, impetretur? 282

DOMINICA VI. POST PASCHA. 283

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Et vos teſtimonium perhibebitis de me.* Joan. 15.
Quomodo Apoſtoli teſtimonium dederint de Chriſto? Vocéne an opere? Linguâ an ſanguine? 284

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.* Joan. c. 16. v. 1.
Quod ſit, & unde ſcandalum puſillorum? 285

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Abſque ſynagogis facient vos; ſed venit hora, in qua omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* verſ. 2.
An perſecutio tyrannis pro injuria, Chriſtianis pro beneficio ſit? 287

LECTORI

LECTORI BENEVOLO

IN lucem emitto *Quæſtiones in Evangelia Dominicarum & Feſtorum totius Anni, quas in tres Tomos dividere placuit. Primus eas effert, quæ ab Adventu ad Pentecoſten viſæ ſunt Concionatoribus opportunæ: Secundus reliquas à Pentecoſte ad Adventum: Tertius in dies Feſtos. In quibus omnibus, quæ mihi mens, quódve conſilium, paucis accipe,* benevole Lector. *Nec Homilias texere volui, nec Commentarios excudere: ſed aliquid his, & illis affine. Primùm enim vel initiò propono brevem Evangelii paraphraſim; vel in decurſu Quæſtionum illius loca difficiliora explico. Tum elabor ad ea, quæ faciùnt ad mores rectè formandos; illáque confirmo vel locis ſacræ Scripturæ ſelectioribus, vel Sanctorum Patrum ſententiis, vel etiam exemplis. Quæ omnia perſæpè in unum veluti cumulum congero; nec fuſius deduco, laxa ut fieri poſſet oratione. Et hoc quidem deſtinato conſilio, tum ut oculis tuis & calamo meo parcam; tum quia ſcribo peritioribus, maximè verò Concionatoribus, qui amant compendia verborum, & multam rerum farraginem, quam facilè evolvent ipſi, pro ea, quæ pollent facundæ mentis eloquentia. Et hæc in fronte Operis ſtylo notare volui. Interea temporis, hoc quali quali labore noſtro fruere, & benè vive ac vale.*

JACOBI

JACOBI LOBBETII SOCIETATIS JESU THEOLOGI.

QVÆSTIONES THEOLOGICÆ, HISTORICÆ, MORALES IN EVANGELIA DOMINICARUM

TOMVS PRIMVS.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

DIVUS BERNARDUS, ut aſſolet, ingenioſè, ac piè de Domino pronunciavit illud: *Triplicem ejus adventum novimus: ad homines, in homines, & contra homines.* *Serm. 4. de Tripl. advent.*

Ad homines, jam inde à primâ Univerſi molitione ad extremam illius periodum per occultas ſcilicet inſpirationes, quibus in eorum animos influit.

In homines, ſeneſcente mundo, cum VERBUM CARO FACTUM EST, *Ioan. 1.* & in humanitatem illapſa quodammodo Divinitas, illíque hypoſtaticè unita.

Contra homines, in ultimo, ac decretorio Iudicii die, cùm in adverſa cœlo capita, rebellésque ſuperis mortales veniet, extremam in eos dicturus ſententiam; ſed ne longiùs.

In gratiam benevoli Lectoris poſt brevem (ubi opus erit) Evangelii paraphraſim, ſubjiciam compendium eorum, quæ doctores longè ſanctiſſimi, Angelicus, & Seraphicus. D. Thomas Aquinas, & D. Bonaventura fuſiùs in ſuis concionibus expreſſerunt. Neque enim par eſt eos modò dividi, quos olim vita, ſanctitas, doctrináque in eadem Pariſienſi Academia junxit, & religioſa caritas in terris: & in cœlis gloria copulavit. Itaque ut ad rem propiùs.

EX D. THOMA.

Serm. 1. DIVO THOMÆ *dies Domini quadruplex:*

1. Eſt *dies miſericordiæ*, & is eſt Natalis *Cap. 3.* Domini, de quo Ioël propheta: *in illa die ſtillabunt montes dulcedinem:* dies ille *admirabilis, quia in eo* *Serm. 2.* *Deus humanatur, homo deificatur, Virgo prole fœcundatur.*

2. *Dies* eſt *gratiæ*, & hic eſt *acceptabilis:* de quo *2. Cor. 6.* Apoſtolus: *Ecce nunc dies ſalutis.*

3. Eſt *dies Iuſtitiæ*, & ille dies *formidabilis:* de *Cap. 1.* quo ſic altiore ſpiritu Sophonias: *dies iræ dies illa, dies tribulationis.*

4. *Dies* eſt *gloriæ*, & hic *deſiderabilis*; quem ut animo, ut cogitatione, ut affectu præſenſit Regius *Pſal. 73.* Vates, exclamavit: *Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.*

Et hi interprete D. Thoma ſunt *dies Domini, dies Natalis, ut colatur; dies gratiæ, ut ſuſcipiatur; dies Iudicii, ut timeatur; dies gloriæ, ut ad eum curratur.*

His diebus Chriſtus ad nos venit, & nos viciſſim, ad Chriſtum, aliâ tamen, atque aliâ viâ, ſeu animi diſpoſitione.

Diei enim natalis Domini occurrimus *cum miſericordia & veritate.*

Diei gratiæ *cum puritate, & humilitate.*

Diei Iudicii *cum cogitatione, & timore.*

Diei gloriæ *cum juſtitia, & feſtinatione.*

Spectaſti quis dies Domini, attende quantum, & à quibus in eo affligentur reprobi.

I. Eos *affliget Chriſtus*, & quidem *tripliciter:*

Serm. 2. 1. *Sic diſceptando cum eis. Nudus fui.* 2. *Ita convin-*
Dom. 2. *cendo, Quamdiu non feciſtis uni ex minimis, nec mihi.*
3. *Condemnando* hoc verborum fulmine; *Diſcedite à*
me maledicti.

II. *Affligent eos Angeli* etiam *tripliciter:* 1. *Ad ju-*
dicium trahendo, Exibunt enim *Angeli.* 2. *A bonis ſepa-*
Matth. 13. *rando, Et ſeparabunt malos de medio juſtorum.* 3. *Mit-*
tendo in ignem æternum, Mittent eos in caminum ignis.

III. *Affligent corpora cæleſtia*, & hoc etiam *tripliciter:*
1. *Signis terrendo, Erunt ſigna in Sole, & ſtellis.* 2. *Tene-*
Cap. 20. *bris involvendo*, nam & *Sol obſcurabitur, & Luna non da-*
bit lumen ſuum. 3. *Scelera eorum revelando*, teſte enim
Jobo: *Cæli revelabunt iniquitatem.*

IV. *Affliget ignis*, à quo ſcilicet ſiccatione humo-
Serm 3. rum exareſcent: *Areſcentibus hominibus.*

Pſal. 38. Affliget inquit *tripliciter:* 1. *Lucem abſcondendo:*
Vox quippe Domini intercidentis flammam ignis. In flam-
ma duo ſunt, ardor, & ſplendor; ſplendorem à
calore ſeparabit, ut comburat: non tamen illuminet.
Pſal. 96. 2. *Incendendo: Ignis* enim *ante ipſum præcedet & in-*
flammabit. 3. *Non conſumendo*, ſic *ignis tum ſuæ naturæ*
cap. 15. *oblitus.*

V. *Affliget aër* etiam *tripliciter:* 1. *Fulguris*
emiſſione: Ibunt enim directè emiſſiones fulgurum, tan-
Sap. 5. *quam à benè incurvato arcu.* 2. *Grandinum pluitione:*
Ibidem. nam *à petroſa ira plena mittentur grandines.* 3. *Vento-*
Ibid. *rum commotione*, quia *contra illos ſtabit Spiritus virtutis,*
& turbo venti.

VI. *Affliget* aqua etiam *tripliciter:* 1. *Creaturas* Apoc. 8.
ſuo in ſinu *occidendo. Omnis* quippe *creatura quæ erat*
in mari mortua eſt, dixit D. Ioannes præſago ſpiritu.
2. *Fluctibus terrendo.* Erit enim *præ confuſione ſonitus* Luc. 21.
maris, & fluctuum. 3. *Contra peccatores excandeſcendo.*
Excandeſcet enim *in illos aqua maris, & flumina concur-* Cap. 5.
rent duriter, inquiebat Sapiens.

VII, *Affliget terra &* quidem *tripliciter:* 1. *Beneficia*
ſubtrahendo, ut fame pereant. *Erunt* enim *peſtilentiæ* Matth. c. 24.
& fames. 2. *Motibus terrendo:* Et *terræ motus magni*
erunt per loca. 3. *Devorando:* ut enim *aperta eſt ter-* Pſalm. 105.
ra, & deglutivit Dathan, ſic & reprobos tum de-
gluriet.

Ecce ut eò loci, ac temporis in illos conſpirabunt
omnes creaturæ: rationem ſi quæras, audies ex
Angelico doctore eſſe tres: 1. Quia malè uſi ſunt
earum beneficiis. 2. Quia pulchritudinem earum
devenuſtaverunt ſuis immunditiis. 3. Quia uni-
cuique creaturæ inſitus à natura appetitus vindi-
candi injuriam creatoris.

Omnia quæ ad uſum vitæ accepimus convertimus ad
culpam, inquit D. Gregorius, *jure igitur nos omnia*
feriunt.

VIII. Denique *ſemetipſos affligent* reprobi: & hoc
malo triplici: 1. *Defectu bonorum omnium.* 2. *Timore*
ex recordatione præteritorum. 3. *Expectatione inſtantium*
malorum.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 1. Ad- DIVO BONAVENTURÆ *quadruplex dies*
vent serm. *adventus Domini* videlicet in carne, corde,
4. morte, aëre. *Primus in die Incarnationis. Se-*
cundus in die Iuſtificationis. Tertius in die reſolutionis.
Quartus in die reſurrectionis. De his Malachias: *Quis*
Cap. 3. *poterit cogitare diem adventus ejus?*

Primi, inquam, *adventus plenitudinem. Secundi,*
promptitudinem. Tertii, incertitudinem. Quarti, ma-
Serm 1. *gnitudinem.* De hoc in præſentia tractat Evange-
liſta, & *Primò prædicit futuram tribulationem ut inſtrua-*
mur, cùm dicit, his autem fieri incipientibus.

Secundò, excitat ad providam conſiderationem ne ſedu-
camur, cùm ſubdit: Reſpicite, & levate capita veſtra.

Tertiò, promittit omnimodam conſolationem, ne ter-
reamur; cùm ſubinſert, Quoniam appropinquat redemptio
veſtra.

Hæc S. Doctor, qui deinde ſubjicit ſigna triplicis
generis: ait enim:

Primò, erunt ſigna deceptibilium miraculorum ad ſub-
verſionem veritatis Fidei.

Secundò, erunt ſigna carnalium delectationum ad refri-
gerationem incendii Charitatis.

Tertiò, erunt ſigna multiplicium tribulationum ad evul-
ſionem longanimitatis Spei.

Porrò, ne ſignis illis aut decepta, aut illecta,
aut fracta mens concidat, vult eam elevari *per pro-*
vidam conſiderationem.

Primò, ad Filii ſapientiam, ne per ſigna deceptibilium
miraculorum à Fidei veritate avertatur.

Secundò, ad Spiritus Sancti Clementiam, ne per laſci-
viam carnalium delectationum à Chriſti Charitate ſe-
paretur.

Tertiò, ad Patris Potentiam, ne per ſævitiam innume-
rabilium tribulationum a ſpei firmitate evellatur.

Ubi autem his mentem extulerit homo: tum
triplicem hauriet conſolationem, reſpondentem ſci-
licet triplici elevationi.

Primò enim, in elevantibus mentem ad Filii Sapientiam,
purgabitur omnis error viſione infallibilis veritatis.

Secundò, in elevantibus mentem ad Spiritus Sancti cle-
mentiam, deſipiet carnalis amor fruitione inæſtimabilis
ſuavitatis.

Tertiò, in elevantibus mentem ad Patris potentiam
evacuabitur omnis timor tentione immobilis firmitatis.

Hæc ſancti Doctores, à quibus deſcendo ad
varias quæſtiones formandis moribus oppor-
tunas.

QVÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis,* Luc. cap. 21. verſ. 25.

QUÆ FUTURA SINT EA SIGNA? & quorſum?

Signa Judicii, & quæ?

SUB Orbis hujus occaſum perituro homini aperietur ultima, eáque feralis ſcena; in quam venient Stellæ, Luna, Sol ipſe: ſed atra nube, ac caligine, ceu veſte tectus. Venient & omnia inferioris mundi elementa: ſed turbida, & ſuis quaſi depulſa ſedibus. Venient & animantia bruta, ſeu ea, quæ terris adrepunt, ſeu quæ aquis innatant, ſeu quæ libero vagantur aëre. Veniet & ipſa quanta quanta eſt rerum omnium parens natura, luctúmque immanem teſtabitur. Primùm enim *Sol obſcurabitur.* Vel quia ad Chriſti præſentiam, ac ſplendorem non apparebit; ut nec ad Solis aſpectum minora ſidera (ut vult S. Hilarius, Hieronymus, Chryſoſtomus) vel, quod malim, quia Deus, univerſi Dominus, temporum arbiter, & fons luminis, ſuum ei concurſum negabit; ne ſcilicet mundo luceat ſublunari, quem tum in altâ, triſtíque nocte eſſe volet. Et quidem ita ut in ipſo ſole ſua ſit lux: attamen ab eo in terras lumen omnino nullum emanet; ſed meræ tenebræ: vel ad mortalium horrorem, vel ad ſupplicium: vel denique ad humani ſceleris odium, quod aſpicere ultra non potuit hic orbis oculus.

I. Sol obſcurabitur, & quomodo.

Apoc. c. 6. v. 12.

Sic aliquando futurum, cecinit D. Ioannes, qui Chriſto dum vixit, à ſecretis fuit. *Sol*, inquit, *factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus.* Fortè etiam hominum oculis eripiendus denſiore fumo, obductáque nube. Ut & tunc verum eſſet illud Ezechielis: *Solem nube tegam.* Alterum in cœlo à Luna prodigium erit. Lumen illa ſuum ſubtrahet; imò & ſanguine tingetur tota, ut hominum generi ferrum portendat, ac cædem. Ita futurum olim prædixit Ioël: *Sol convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem.*

cap 32. v 8.

cap 2. v. 31.

II. Stellæ cadēt & quomodo.

Aliud quoque ſignum accedet à ſtellis, quæ firmamento, aliisque cœlis ſparſæ ſunt (ceu vaſti corporis ocelli) ſtellæ enim cadent de cœlo, ideſt terris occident, nec lumen effundent, adeò ut jam excidiſſe videantur, ut interpretatur S. Hieronymus, Beda, aliique. Vel certè, re etiam ipſa, cadent (ut opinatur S. Chryſoſtomus, & Euthymius) quæ opinio ſi cuiquam vero ſimilis videatur, neceſſum eſt intelligi de minimis ſtellis, quæ aſpectum noſtrum effugiunt; non de illis, quæ ſub oculos cadunt, & ipſo terræ globo longè majores ſunt: hæ enim in terras cadere non poſſunt, ut docet Clavius, & paſſim Aſtrologi. Vel denique *ſtellæ cadent*, ideſt cometæ, qui & in aëre gignuntur, & in terras devolvi poſſunt non ſine inſigni mortalium ſtrage, quam augebit & hoc è cœleſti orbe portentum.

III. Virtutes Cœlorum commovebuntur.

Virtutes enim cœlorum commovebuntur, hoc eſt Angeli, vel ii qui de choro virtutum ſunt, vel inferiores, qui cœlos movent, & magna vi, ac molimine gyrant: vel ipſa ſidera, eorumque in ſublunaria influentiæ: vel denique ipſi poli, cœlorumque cardines quaſi ſuis emoti ſedibus. Fatendum enim illud, ſub orbis occaſum & ipſi Angeli, magnæ illæ mentes, cœleſteſque Intelligentiæ, naturæ curſum, & ordinem, cœlorumque motus mutabunt, & ipſæ ſtellæ ſuos aſpectus, ſuas in hæc inferiora influentias, & ipſi denique poli, qui orbium ſuorum robora ſunt, ac firmamenta, concutientur, atque convellentur, ſicut in ſcœleſta capita proruere, & ipſius naturæ leges evertere, perturbaréque omnia videantur. Et hæc ſummatim attigiſſe hoc loco ſatis; conſultò enim pluribus ſuperſedeo, quia ea apud Interpretes cuique erunt obvia.

IV. Elementa turbabuntur.

Ad ea cœli prodigia, quæ mortalium capitibus tum impendere videbuntur, appellent ea quoque, quæ aut terra feret, aut jactabunt, eructabuntque irata maria. *Nam & in terris preſſura gentium, & præ confuſione ſonitus maris, ac fluctuum*, eo quippe loco, ac tempore, *quaſi paventia nutabunt, ac trement elementa*, ut disertè adnotat venerabilis Beda.

Luc c 21. verſ 25.

In cap. 21. Luc.

V. Crux apparebit.

Et tunc parebit ſignum filii hominis in cœlo, id eſt ipſa Chriſti Crux, quam in orbe medio, in Calvariæ vertice erexit olim, atque explicavit tanquam vexillum miſerationis; ſub quo cuique tuto, ac ſecuro eſſe licuit: tum autem oſtentabit veluti trophæum aliquod victoriæ, juſtæque in ſcelerata capita ultionis; à cujus horrore *plangent omnes tribus terræ: videntes accuſatorem ſuum, id eſt ipſam Crucem*, inquit D. Auguſt.

Matth. c 24. Serm 130. de Temp.

Rectè autem dicit *Tribus terræ*, ut notat D. Hieronymus: *Hi enim plangent qui municipatum non habent in cœlis; ſed ſcripti ſunt in terra.*

Luc 21.

Videbunt illi filium hominis venientem in nubibus cœli, ceu vehiculo quodam pleno gloriæ, ac Majeſtatis, quæ juſtis, atque electis erit ad ſolatium: impiis autem, ac reprobis ad terrorem, ac ſupplicium.

Omitto cætera, quæ ipſe Evangelii textus ſatis aperit: tranſeoque ad alia, quæ plurimùm ad mores faciunt, quibus efformandis quàm maximè meus iſte labor inſudat.

Rationes.

Igitur ad inſtitutum noſtrum quæri poteſt quorſum ea in Sole, Lunâ, ac ſtellis portenta? Divina ſapientia, quæ omnia facit in numero, pondere, ac menſura, magnum in his quoque rationis momentum eſſe voluit, & quidem

I. A Juſtitia petita.

Primum à Sole, Lunâ, & ſtellis (ceu cœli gemmis) homini Deus voluit eſſe quàm optimè, cumque in finem illas eduxit in prima univerſi molitione: at quia eiſdem uſus eſt quàm peſſimè; ideò in mundi excidio vult ab illis, ei eſſe quàm peſſimè. Vult, inquam, ut quæ prius fuerant ſigna divinæ in nos beneficentiæ, ac miſerationis, ſint tandem aliquando etiam oſtenta maledictionis, atque juſtitiæ.

Deinde Solem, Lunam, ſtellas, omniáque corpora cœleſtia pati vult, ac quodammodo effluere, excideréque à facie irati Numinis, ut vel inde nôrit peccator quantum in culpa malum ſit, à quo etiam pœnas ſentiunt innoxia cœli ſidera, & ſui luminis defectionem admittunt; quâ gravius nihil accidere poteſt aſtris, quorum ſcilicet anima eſt quodammodo ipſa lux & lumen, fœtus omninò nobiliſſimus; quo tamen etiam orbantur.

Denique Sol, Luna, ſtellæ, cœlique ipſi damnantur ad tenebras, malignamque noctem, quia ipſe homo animam ſuam (ceu intelligens cœlum) prius abjecit ad peccati tenebras, tartareamque noctem.

Et hæc quidem ſigna Juſtitiæ ſunt, & æquæ in ſceleſtos ultionis: quanquam ex aliis capitibus etiam amoris indicia ſint, ac miſerationis.

II. A Miſericordia. Antequam in extremo Judicio ſeſe effundat ira ſupremi Numinis, exhibet quaſdam illius, velut expreſſas in æthere notas, ut iis probè moniti, qui adhuc errant in orbe mortales, in fugâ, ac pœnitentiâ opportunâ, ſalutem ponant. Is enim miſerentis Dei genius eſt, non ferit niſi præmoneat; non præmonet, niſi ferè ut terreat; non territat, niſi ut indulgens parcat.

De Noë & arca, c. 13. *Minatur ſupplicium, ſed non permittit excidium*, inquit D. Ambroſius. Et hinc proponitur alterum divinæ miſerationis argumentum. Deus malum culpæ, quod in homine damnat, ac deteſtatur, eluere parat aliquo pœnæ malo, vel etiam intentatis de illo minis. Ita ſtuduit olim in primo orbis excidio, quod antequam ingruere pateretur, longè ante præcavit; dixit enim ad Noe: *Delebo hominem, quem*

Gen. cap. 6. verſ. 7. *creavi à facie terræ. Pulchrè poſuit, delebo*, inquit D. Ambroſius, *tanquam litterarum apices, quæ delentur ſine fraude librorum, ſine imminutione tabularum.*

Ibidem. *Atramentum deletur: ſed ſignum manet. Delentur elementa, ut inſcribantur plerumque meliora.*

Id ipſum facturus, & muta cœli voce indicaturus eſt Deus, in altero mundi hujus occaſu; dicet enim non verbo, ſed facto: ſed Solis, ac Lunæ deliquiis. *Delebo hominem quem creavi à facie terræ*; dicet, inquam, delebo, ne deleat; & ſi deleat, eò certè delebit in tempore, ne deleat in æternitate.

Hoc magnificè oſtendit Tertullianus agens con-

Cap. 1. tra Gnoſticos, qui fidem reſpuebant Chriſtianam veluti mendacem, ex eo quòd Deus etiam fidelibus ſuis mala accidere pateretur, vel etiam immitteret ipſe: Oſtendit enim Deum non odio; ſed amore inferre ſupplicia: nec tam ſtudio puniendi, quàm pronâ miſerendi voluntate.

Deum, inquit, *veluti zelotem culpandum exiſtimabis, ſi voluerit certare cum cauſa, & injuriæ æmulando prodeſſe, mortem morte diſſolvere, occiſionem occiſione diſpergere, tormentis tormenta diſcutere, ſupplicia ſuppliciis evaporare, vitam auferendo conferre, carnem lædendo juvare, animam eripiendo ſervare. Perverſitas, quam putas, ratio eſt; quod ſævitiam exiſtimas, gratia eſt.*

Hîc pedem ſiſte, benevole Lector, & quiſquis es divinorum judiciorum cenſor importunus. Audis in orbis occaſu omnia ſuſque deque verti, & gemis; fortèque Superos incuſas, ac damnas: At, *perverſitas, quam putas, ratio eſt; & quod ſævitiam exiſtimas, gratia eſt.*

Sentis ingenti motu concuti hanc terræ molem, & veluti nutare, ac ſub pedibus fatiſcere fundamenta mundi. Sentis, inquam, & animo perhorreſcis totus, quaſi ſubito hiatu jam abſorbendus: At, *perverſitas*, illa, *quam putas, ratio eſt; & quod ſævitiam exiſtimas, gratia eſt.*

Doles gentem inſurgere adverſus gentem, & regnum regno premi, omniaque conquaſſari inſano bellorum turbine, à quo ſic ſternuntur miſeri mortales, ut à falce ſegetes ſolent: At, *perverſitas* illa, *quam putas, ratio eſt; & quod ſævitiam exiſtimas, gratia eſt.*

Vides undequaque malignam graſſari luem, & adverſo ſyderum appulſu, gravibúſque influentiis quàm peſſimè affici, ac perire genus omnè hominum: vides, inquam, atque ingemiſcis, culpaſque illas velut irati cœli *ſiderationes*. At, *perverſitas* illa, *quam putas, ratio eſt; & quod ſævitiam exiſtimas, gratia eſt*, ut diſertè Tertullianus: qui ut evincat in iis & rationem ineſſe, & gratiam; producit ſimilitudi- Ibidem.
nem à medico petitam, qui *quaſi de perverſo auxiliatur per ea ſubveniens per quæ laboratur; nam calores caloribus amplius onerando compeſcit; & ardores ſiti potius macerando reſtringit; & fedis ex eſſus amaris quibuſque potionibus corrigit, & ſanguinis fluxum deſuſa inſuper venula revocat.* Sic indulgens Deus inſtar periti medici ſupplicia ſuppliciis avertit, & mala malis exterminat.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis.* Luc. c. 21. verſ. 25.

QUID MYSTICE REPRÆSENTENT ſigna in Sole, Luna, & ſtellis?

Juſti Sol, Luna, & Stellæ. DABIS veniam, amice Lector, ſi paululum abeam à ſenſu litterali, qui ſatis apertus eſt; & accedam ad myſticum, qui reconditus eſt, magiſque remotus ab opinione communi.

In cap. 24. v. 29. Paſchaſius in illa D. Matthæi verba: *Sol obſcurabitur & Luna non dabit lumen ſuum*, ait per Solem, & Lunam myſticè deſignari juſtos omnes, quibus à caritate, Solis lux, & ardor eſt: à puritate, mentiſque munditia, Lunæ nitor, & candor argenteus: verum ut is ſit, tamen obſcuratur quodammodo, & hic & ille, metu extremi Judicii, jam jam, ut videtur, imminentis.

Sic olim obſcurari, & veluti quadam timoris ne-

In ejus vita. bulâ tegi potuit ipſa D. Hieronymi anima licet à caritate lucida, à caſtitate quàm mundiſſima; rebatur nimirum impendere ſuo capiti tempeſtatem illam ultimam, & auribus ſemper inſonare horrendum

Quomodo illud: *Surgite mortui, venite ad judicium.* Ita de ſeipſo

mihi ſignat mihi teſtis eſt Epiſtolâ primâ ad Chromatium: *Ego*, inquiebat, *in ſcelerum meorum ſepulchro jacens, & peccatorum vinculis colligatus, dominicum de Evangelio expecto clamorem: Hieronyme veni foras.* Sic etiam Hierony- Judicii memoria.
mo coætaneus Auguſtinus, ab illa ſupremi Judicii memoria, & timorem addidit, & frænum injecit efferveſcenti, ac recalcitranti nimiùm concupiſcentiæ.

Non me, inquit, *revocabat à profundiore voluptatum* Lib. 6 Conf. c. ult.
carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri judicii tui, qui nunquam receſſit de pectore meo. Valet nimirum ea lucis illius ultimæ recordatio ad compeſcendos animi motus, ne rationis, divinæque legis cancellos excedant; ſed ſeſe intra hujus, illiuſque ſepta contineant.

Nihil eſt, inquit Ambroſius, *quod magis proficiat ad* Lib. 1 Offic. c. 26.
vitam honeſtam, quàm ut credamus eum Iudicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honeſta delectent.

Inde quàm aptiſſimè D. Baſilius in illa Iſaiæ ver- In c. 1. Iſai.
ba, *quærite judicium*, docuit memoriam extremi Iudicii eſſe pædagogum præſentis vitæ, qui hominem veluti diſcipulum ſub illius timore, quaſi ſub ferula habeat: *Attenta*, inquit, *cogitatio arcanorum, nobiſq; formidabilium, quæ in tremendo Iudicio ſe offerent, pædagogus eſt ad exercendam pietatem.* Et quia hanc in fi-

lius

liis ſuis amat pia mater Eccleſia, ideò ſub ipſas naſcituri Chriſti ferias, ad futuri judicii diem elabitur,
Ejus fructus, Timor illuſque ſpeciem, ac perituri mundi cataſtrophen ob oculos ponit, tum ut tela præviſa minus feriant, tum ut enatus inde timor ſit in omnia vita pro cenſore, & pædagogo. Et verò quidni ſit?

Quamdiu hoc corpore, ceu ductili ſepulchro, volvitur animus, dubius hæret ſpem inter ſalutis, &
Eccleſ. cap. 9. v. 1. metum damnationis? *Neſcit* enim *homo utrum odio, an amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.*

Quis poteſt dicere? Ego de electis ſum, ego de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero filiorum? quis hæc, inquam
Serm. 1. in Septuag. *dicere poteſt reclamante ſcripturâ, neſcit homo ſi ſit dignus amore, an odio.* Sic olim ſecum ipſe D. Bernardus,
I. qui tamen ſi ullus alius de ſalute ſecurus videri pote-
Ex incertitudine ſalutis. rat, nolebat tamen aut videri, aut eſſe? ſed in ancipiti, ſanctoque timore vitam omnem exigere: probè conſcius illius, quod olim D. Auguſtinus:

L. de ovib. c. 10. *Ovem te putas, hircum te forte novit Deus.* Et quia illud *forte* ſemper oberrat oculis, hinc illæ lacrymæ, hinc ſudor, pallor, & horror ad ſecreta Dei judicia contremiſcentis animæ.

Occupavit ille etiam Apoſtolum Paulum, qui tamen à Chriſto vocatus eſt Vas electionis.

Vt enim D. Gregorii verbis utar, *Sic inter occulta*
Iob. 24. c. 7. *judicia formidabat, ut reprobari ſe, etiam poſtquam vocatus erat, timeret. Quid ergo facient tabulæ, ſi tremunt columnæ? aut quomodo virgulta ſtabunt immobilia, ſi hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur?*

Vita SS. Patr. p. 2. §. 2. Inter columnas illas, aut cedros recenſeri poteſt primùm Abbas Elias, cujus hæ ſupremæ voces. Tres res timeo. Unam, quando egreſſura eſt anima mea de corpore: Alteram, quando occurret Deo ſuo: Poſtremam, cùm ſententiam excipiet.

Deinde & magnus Agathon, qui ante mortem tres totos dies obtutu hæſit defixus in uno, rogatusque à diſcipulis ſuis, cur id faceret? ubive conſiſteret? reſpondit: *In conſpectu judicii Dei ſto?* At quo, inquies, vultu? certè perpallido: cauſam ſi quæris, hanc ſubnectit: *Homo ſum, & unde ſcio, an opera mea placeant Deo? Etſi enim nullius mali mihi conſcius ſim, at timeo tamen; quia aliud eſt Dei judicium, aliud hominum.* Hæc ille in vltima brevis ævi periodo, in qua ſeſe clariùs explicat æterna veritas, & pius animi ſenſus.

II. Accedit altera etiam injuſtis ratio timoris, petita
Ex ſeveritate Judicii. ex ſevera, atque acerba criminum omnium inquiſitione, quæ etiam in corda, & renes (hoc eſt in abditas cogitationes, in appetitiones, & vetitæ libidinis motus) evadet: quod pulchro emblemate adumbrat Propheta, eùm ſcrutantem in lucernis Deum facit, & in intimos animi receſſus lumen inferentem. *Scrutabitur* enim, ut canit Vates, *Hieruſa-*
lem in lucernis: quæ verba, dum apud ſe tacitis cogi- *Sophon. c. 1. verſ. 12.*
tationibus expendit D. Bernardus, attonitâ mente, vocéque exclamat: *quid in Babylone tutum, ſi in Hieruſalem manet ſcrutinium?*

Quid, inquam, in anima peccatrice? in qua perennes conſcientiæ motus, ac tumultus; in qua terrores, & ſpectra anteactæ vitæ, in qua Babylonica confuſio, & ipſum propè inferni chaos; quid, inquam, in tali anima tutum? quid ſecurum à ſeveritate divini examinis? ſi in Jeruſalem, (hoc eſt in pacata mente & ſibi benè conſcia) etiam horror eſt, & quidem juſtus, tantæ in judicando ſeveritatis.

Tiberius Imperator malè ſibi conſcius veritus- *Sueton. in Tyberio.*
que etiam poſt fata judicium, cenſurámque populi Romani, optabat aut fuiſſe nunquam, aut oculos omnium vivus effugiſſe: adeò horrebat mortalium de ſe judicia: quantum exhorruiſſet immortalis Dei, ſi eum oculo fidei conſpexiſſet, judicémque ſeverum expectâſſet? quantum & nos formidare decet, quorum vita tot propè ſceleribus notata, quot horis; Iudicem, inquam, illum, quem fugere, quem exorare reus omninò non poſſit, ad illum ſi appellat, ut pereat, eſt neceſsè. Caſſius judex Romanus, vulgò audit *ſcopulus reorum*; quod ad eum allidérentur omnes, & vitæ naufragium facerent; adeò in veritate indaganda ſagax erat, adeò ſolers in criminibus detegendis, adeò ſeverus in puniendis: longè illo ſagacior Chriſtus, quem nihil latet, aut latere poteſt, & cujus vim, manúmque nemo unus reorum declinare poteſt: ut qui omnipotens ſit, & eo loci, ac temporis inexorabilis; adeóque *ſcopulus reorum*: ad quem alliſi rei mortales vitæ naufragium patiantur, & æternum quidem.

Sed de hoc ſuus aliàs erit dicendi locus, mihi in præſentia ſatis, oſtendiſſe paucis quàm pia fuerit Eccleſiæ mens, quàm ſana conſilia, quàm ſalubris timor, quem etiam ſanctis ingenerat à ſupremi judicii recordatione; quam perpetuò fovere pro cœleſti beneficio ducimus, & quam deponere pro gravi ſupplicio: ut enim Euſebius Emiſſenus.

Magna jam pœna peccati, metum, atque memoriam fu- *Hom. de i... trone bea...*
turi perdidiſſe judicii.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo.* Matth. c. 24. v. 29.

QVID MYSTICE PORTENDAT ILLVD, ET SOLEM, Orbis oculum, obſcurari; & Lunam ſuo lumine privari? & ſtellas de cœlo excidere?

Epiſt. 80. ad Heſi. hium. DIvus AUGUSTINUS in iſtis verbis tropum amat, & allegoriam; ait enim, *Sol* (id eſt Eccleſia) *obſcurabitur*, ſuperinfusâ, ſcilicet, immani nube perſecutionis, à cujus impetu, vique
Stellæ Juſti. planè tyrannicâ, & ipſæ ſtellæ, (hoc eſt præcelſæ, & olim Chriſto fideles animæ) excident à fide, granáque; adeóque ab ipſo Eccleſiæ cælo, & quod inde conſequens eſt, etiam ab empyrei ſede, firmáque ſtatione beatitatis.

Eccleſia eſt Sol, & Luna, cui dictum eſt ſpecioſa ſicut Lu-
Ibidem *na, electa ut Sol, ea non apparebit impiis tunc perſecutoribus, ultra modum ſævientibus. Tunc ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur, quoniam multi, qui gratiâ fulgere videbantur, perſequentibus cedent, & cadent.*

Hactenus ad Heſychium Auguſtinus, qui altiore ſtylo caſum illum deplorat, dum ſibi ſoli loquitur,
& vacat. *Vidimus*, inquit, *multos Domine, & audivi-* *In Soliloq. c. 29.*
mus à Patribus noſtris (quod utiq; ſine magno tremore non re- *Excidunt ... fide, & g... tia.*
colo, ſine multo timore non confiteor) aſcendiſſe primitùs quoſdam uſque ad cælos, & inter ſidera nidum ſuum collocaſſe: poſtmodum autem cecidiſſe uſque ad abyſſos, & ani- I.
mas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cœlo ceci- *Probatur ... authorit...*
diſſe, ab impetu ferientis cauda draconis; & eos qui jacebant in pulve-

in pulvere terræ, à facie ſublevantu manus tua Domine, mirabiliter aſcendiſſe. Vidimus vivos morientes, & mortuos à morte ſurgentes, & eos, qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe. Vidimus lucem obtenebraſſe, & de tenebris lucem proceſſiſſe.

Inde Juſtis timor.

Hæc S. Præſul piâ profectò, & nervoſâ eloquentiâ; quæ cuique noſtrùm altè imprimere debet divini judicii timorem, ardénsque, ac perenne firmandæ ſalutis ſtudium; ne qui in Eccleſiâ, ceu cœlo, luximus ſicut ſtellæ; excidamus aliquando profunda ſcelerum caligine, æternáque damnationis nocte merſi. Sic ante Auguſtinum exciderunt Capharnaitæ, ſic poſt illum quàm plurimi: de illis ita Salvator ipſe:

Luc. c. 10. verſ. 15.

Et tu Capharnaum uſque ad cœlos exaltata, uſque ad infernum demergeris.

Capharnaum, interprete Theophylacto, idem eſt atque *ager ſpiritus ſancti*, qui ſcilicet in eum dona ſua, (ceu ſemina cœleſtia) liberali manu jecerat, iiſque probè inſtructum ad cœlos ipſos, & ſidera evexerat, quod ſummæ fuerat indulgentiæ, ac bonitatis; at ingrata terra ſeipſam vitio ſuo ad ima revocavit, & uſque ad infernum demerſit. Quod ſceleris, malique portentum dum attendit, ſtupetque Theophylactus, exclamat: *Horreſcas igitur homo.* Si enim eò damnationis, ac miſeriarum venire potuit Capharnaum, cultore tamen etiam ipſo Chriſto; quò non veniet ingrata, quam modò calcamus, terra; quò homines terreni tanto cultore deſtituti? *Horreſcas igitur ò homo!* & caſum, quem in aliis vides, ac deploras, in teipſo time: nunquam de ſalute ſecurus, ac certus; ſed dubius ſemper, & anceps.

L. 2. Mor. c. 9.

Væ miſeris nobis, (inquiebat D. Gregorius) *qui de electione noſtrâ nullam adhuc Dei vocem cognoſcimus, & jam in otio quaſi de ſecuritate torpemus: debet profectò, debet non ſolum in ſpe eſſe ſecuritas, ſed etiam timor in converſatione, ut & illa certantes foveat, & iſte torpentes pungat.*

Hæc S. Pontifex, ut Chriſtianos edoceat, nec vitæ anteactæ, nec partæ virtuti, aut meritis præfidere, nec ſecuros unquam eſſe.

Cedros Libani, (inquiebat Auguſtinus, aliâ utens metaphorâ) *ſub hac peſte cecidiſſe reperi, de quorum caſu non magis ſuſpicabar, quam de Ambroſii, vel Hieronymi impudicâ turpitudine.*

Vitandæ peccandi occaſiones.

Quod ſi ventrea ſub peſte exciſæ ceciderunt Cedri Libani, (hoc eſt magnæ mentes) quid humilis Hyſſopus, quid abjectæ in terras animæ, & cœleſtium manes? maximè inter illecebras, & peccandi occaſiones, quas inter vitam exigere ferè neceſſum eſt: quod periculum dum expendit D. Hieronymus:

Ep. 47.

Quis, inquit, *juxta viperam ſecurus ſomnos capit? quæ etſi non percutiat, certe ſollicitat. Quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habes quotidie aut perire, aut vincere? Securius eſt perire non poſſe, quàm juxta periculum non periiſſe.*

Hæc S. Hieronymus etiam de unicâ tantùm ſceleris alicujus illecebrâ, quæ à fœmina eſt, & à qua etiam ſtellæ cœleſtibus orbibus quodammodo revulſæ, in terras, in lutum, in ſterquilinium decidêre.

De hoc ipſo periculo magnificè etiam D. Cyprianus, quem juvat audire, ſuavi (ut ſolet) & nervoſâ tonantem eloquentiâ:

De ſingul. cleric.

Nunquam ſecurus, inquit, *cum theſauro latro tenetur incluſus, nec intra unam cavernam habitans cum lupo tutus eſt agnus. Alligabit quis in ſinu ſuo ignem, & veſtimenta ejus non comburentur? ambulabit ſuper carbones, & pedes illius non ardebunt? lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat; incerta victoria eſt inter hoſtilia arma pugnare. Et impoſſibilis liberatio eſt, flammis circumdari, nec ardere. Difficile quis venenum bibet, & vivet. Verendum eſt dormienti in ripâ, ne cadat. Qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. In hac parte expedit plus benè timere, quàm male fidere. Et utilius eſt infirmum ſe homo agnoſcat, ut fortis exiſtat, quàm fortis videri velit, ut infirmus emergat.* Hactenus D. Cyprianus, quem hoc loco producendum duxi, ut inde nôrit Lector quâ manu, quibúſque blanditiis, etiam infixæ quodammodo cœlo mentes, aliquando & ſæpiùs refigantur: nec enim ferro tantùm, atque vi, ſed mollibus etiam illecebris de cœleſti ſtatione dimoventur.

Neque verò dixerit mihi unus aliquis, ſe (quæ Dei miſeratio eſt) longiùs abiiſſe ab illis peccandi lenociniis, quæ deforis petuntur: imò & ab extrinſeca tyrannorum vi, atque inſolentia immunem eſſe, adeóque in tuto, & in vado; ne, inquam, id mihi dixerit, quia ut foris tranquilla & pacata ſint omnia, tutus eſſe non poteſt, cui hoſtis eſt domi. De hoc attendat quid D. Hieronymus: *Nolite credere,* inquit, *nolite eſſe ſecuri; licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, licet vix ſumma jacentis elementi ſpiritu terga criſpentur; magnus hic campus montes habet, intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis, & tranquillitas iſta tempeſtas eſt.* Epiſt. 1. ad Heliodor.

Quod ſi tempeſtas eſt, & ea quidem à qua naufragii, ſalutíſque periculum relinquitur: profectò eſt quod ab illa plurimùm extimeſcas.

Sed hactenus ſatis authoritate, ac ratione pugnatum eſt, juvat etiam certare exemplis, & rem totam in aperto ponere; major iis habetur fides, quàm verbis; quia homines plus oculis, quàm auribus credunt. Videamus igitur qui de cœlo, quodammodo revulſæ ſint ſtellæ: primùm vi, ferróque perſequentis tyranni; deinde ſuo vitio, damnandáque aut levitate, aut etiam pertinaciâ.

D. Ambroſio, Perſecutio *fornax eſt, ferrea fragilibus, aurea perſeverantibus.* Serm. 20. in Pſal. 118.

Tertulliano, *Eſt pala, qua & nunc Dominicam aream purgat, Eccleſiam ſcilicet; confuſum acervum fidelium ventilans, & diſcernens frumentum martyrum, & paleas negatorum. Eſt ſcala Iacob aliis aſcenſum ad ſuperiora, aliis deſcenſum ad inferiora demonſtrans.* L. de fuga in perſec. c. 21. Ejuſmodi fuit quadraginta illis Martyribus, qui ſub Licinio Imperatore, Feſtum eorum 9. Martii. & Agricolao præſide ad Sebaſten Armeniæ urbem in lacum à gelu, frigoréque immani rigentem immiſſi ſunt, è quibus novem ſupra triginta perſecutione, ceu ſcala aſcenſum ſibi fecerunt in cœlum, in quo lucent, lucebúntque in totam, quanta quanta eſt, æternitatem, inter candidata Martyrum agmina laureati: beati illi quidem, ac fortunati Chriſti pugiles: at longè infœliciſſimus unus ille, qui à ſociis omninò deficiens ex eâdem perſecutione ſcalam ſibi fecit ad deſcenſum in inferiora terræ; imò & in profundam ſtygem, abyſſúmque nil miſerantis orci.

II. Exemplis idem probatur.

Næ, inquam, miſerabilis, ac deplorandæ levitatis ille homuncio, qui unde ad ſuperiora, cœlóſque ipſos ſibi gradum facere potuit, viam fecit ad lapſum, caſúmque quàm maximè luctuoſum; uti contrà fœliciſſimi omnes illi, qui, ut ait Salvianus: *Ad cœleſtis regiæ januam gradibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de equuleis, cataſtíſque fecerunt.* Lib. 3. de gubern. Dei.

Vt eorum veſtigia legas, amice lector, tibi in oculis, memoríque mente eſſe velim illud Tertulliani pronuntiatum dignum Cedro:

Non poteſt, qui pati timet, ejus eſſe, qui paſſus eſt. Pro ratione, pro religione, pro Deo exul eſſe juberis, atque extorris, & vitam agere in extera mundi plaga, & ſi voles etiam in arido, atque infœlici ſolo. Et hoc ipſum gravius accidit, hoc pati times. *At non poteſt, qui pati timet, ejus eſſe, qui paſſus eſt.* L. de fuga in perſec. c. 14.

Domo pelleris, & paternâ ſede; exueris bonis omnibus, & ad extremæ paupertatis ſordes abjiceris, ſtipémque, etiamſi nolis, Dei tui, ac fidei cauſa corrogare cogeris. Et illud refugit mollioribus aſſueta caro: At, *non poteſt, qui pati timet, ejus eſſe, qui paſſus eſt.*

Inſtat effera tyrannorum vis, & cataſtas, & ferrum, & ignes, & cruces oſtentat, mille, & mille mortes. Et has odit plus æquo ſibi indulgens natura: At, *non poteſt, qui pati timet, ejus eſſe, qui paſſus eſt.*

Hoc tibi dic in aurem, & illicò acquieſcet illa, colláque etiam ferro lubens ſubmittet.

Tranſeo

Digitized by Google

Luciferi Calaritani.

Tranſeo ad alios quos eadem levitas, atque inconſtantia cœlo jam propè inſitos detraxit, atque in terram abjecit; ut & in eos quoque jactari poſſit illud, *ſtellæ de cœlo cadent*. Ex illis fuit Lucifer Calaritanus in Sardiniâ Epiſcopus, vir boni nominis, & ominis: & quem res præclarè geſtæ, zelúſque tuendæ religionis primùm extulit: at poſtea depreſſit inſoleſcens animus, & nimiùm tenax conceptæ aliquando opinionis.

Baron. An. Chriſt. 354.

Miſſus ille à Liberio Pontifice ad Conſtantium legatus pro cauſa Athanaſii, in quâ ita ſe geſſit, ut in illum cadere poſſet iſtud, quod de Baſilio magno pronunciavit Gregorius Nazianzenus: *Duorum lapidum naturas imitabatur, factus erat percutientibus adamas, diſſidentibus magnes.*

Magnes fuit, cùm impetravit illud, ut celebraretur Concilium pro tuendâ innocentiâ Athanaſii: Adamas verò, cùm exul agens, pro eodem Athanaſio adverſus Conſtantium ſtylum acuit, & duos libros conſcripſit, quorum unus erat: *De non communicando cum hæreticis*: alter, *De Regibus Apoſtaticis*, quas magni Præſulis lucubrationes ſibi oblatas cùm legiſſet Imperator, tuliſſétque quàm ægerrimè, mináſque addidiſſet, nihilo iis permotus Lucifer, libertate digna Pontifice, digna Martyre, duo alia opera adjecit, atque edidit. Vnum: *De non parcendo in Deum delinquentibus*; alterum, *Moriendum pro filio Dei*. In illo Conſtantium graviſſimè perſtringebat; in hoc paratum pectus, caputque ad ferrum, ad vulnera, ad mortem pro Dei filio offerebat; & verò hanc in amoribus, atque oculis habebat, jámque ob truces Cæſaris iras proximus ei videri poterat, nec tam deeſſe ipſe martyrio, quàm martyrium ipſi: hoc certè illi inviderunt Ariani, qui ipſum jam quartò in exilium expulerunt, ad cujus incommoda Eleutheropoli etiam dira addidit eò loci Epiſcopus Arianus.

An. Chriſt. 356.

Quis tibi benevole Lector de hoc viro animus, quæ mens? quæ cògitatio? an non dignus Infula, Pedóque? an non Luciferi nomine? an non lux ipſa? an non ſtella inſita Eccleſiæ firmamento? mox etiam empyreo altiùs inſerenda?

Enimverò is videri, & eſſe poterat, & certè etiam erat, ſi vitam anteactam ſpectâſſes: at cecidit, cecidit è cœlo Lucifer, & pertinaci nimiùm animo maculam dedit gloriæ ſuæ: dum enim diſcedit ab Euſebio Vercellenſi Epiſcopo, negátque pervicaciùs recipiendos cum dignitate lapſos Epiſcopos, ab Eccleſia quoque diſceſſit, & miſerabili in ſchiſmate vitam finivit; imò & Luciferianis, aut Schiſmaticis, aut Hæreticis nomen fecit, ut in illum quoque verti poſſit iſtud, *ſtellæ cadent de cœlo*.

An. Chriſt. 362.

Ab hoc argumento tam triſti, & luctuoſo ſtylum ſubducere parabam, cùm ecce incurrit in oculos miſerabilis ſenex Oſius, iſque Epiſcopus, cui parem nulla vidit, & luxit ætas.

Oſii.

Oſius, inquam, ille multis tum in Oriente, tum in Occidente Chriſtianæ rei causâ, ſummóque bono perfunctus legationibus.

Baron. tom. 3. An. Chri. 357.

Oſius, qui ſummâ cum authoritate, parique ſeu ſanctitatis, ſeu doctrinæ laude, plurimis Conciliis, ut Elibertano, Arelatenſi, Neoceſarienſi, Alexandrino, Gangrenſi, duobus deinde magnis, atque œcumenicis Conciliis, Nicæno, ac Sardicenſi interfuit; imò & præfuit.

Oſius, quem in ſuo Chriſtianæ fidei tyrocinio Imperator Conſtantinus lateri ſemper adhærere voluit, tanquam fidum monitorem, ac pædagogum.

Oſius, quem ille ipſe Auguſtus propria quadam pietate, Patrem vocitare ſolitus: tanta nimirùm Cæſaris animum occupârat illius aut reverentia, aut amor, ut qui cæteris emineret omnibus, uni tamen illi ſubjiceretur, ſeu ut diſcipulus magiſtro, ſeu ut filius parenti.

Oſius, quem ipſi Ariani, licet religionis noſtræ hoſtes acerrimi, honoris ergo, *Synodorum principem* appellabant.

Oſius, qui Nicæni Symboli formulam toto recipiendam orbe, veluti quoddam fidei compendium conceperat ipſe, vulgâratque ſummo avitæ pietatis bono, atque incremento.

Oſius, qui per omnium ora volitare, qui virorum doctorum monumentis ubique celebrari; qui famâ propè ſuper æthera notus; qui tentatis, devictis, profligatiſque hæreticis ſibi nomen fecerat: & Eccleſiæ, ceu matri quàm optimæ, authoritatem conciliârat.

Oſius denique, quem eò loci, ac temporis agnovit, amavit, atque ſuſpexit orbis univerſus, velut aliquod ævi ſui miraculum.

Oſius, inquam, ille in Conciliabulo quodam Sirmienſi ignominioſè proſtratus, & Nicænæ fidei, quam tamen extulerat ipſe, proditor, atque deſertor extitit, & Urſacii, Valentiſque hæreſim, amplexus eſt. Et hoc quidem in extrema ſenecta (erat enim ut teſtis eſt S. Hilarius centenario major) & jam in portu eſſe videbatur, qui in ſenili corpore ſpirabat animus, & ad paratas ſibi lauros, ac coronas aſpiraſſe debuerat: ſed proh dolor, pudórque! in ipſo unius ævi extremo limine cecidit, & unà ſecum immanem animarum traxit ruinam. Certè eo lapſu catholicus orbis contremuit, concuſſæ ſunt ſolidiſſimæ petræ; & ut ait Zacharias, *abietes ulularunt, quia cecidit cedrus*: ab eo quippe caſu attoniti, paventéſque viri cæteroquin ſanctitate ſublimes, Davidicum illud in faventes cœlos emiſerunt. *Ne projicias me in tempore ſenectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* *Zachar. cap. 11.* *Pſal. 70.*

Si porrò quæſiêris unde manarit ea tam ſubita, tam turpis, tam enormis à fide defectio, audies ex aliquâ vi, quæ illata miſello ſeni. Ut enim de illo Socrates hiſtoricus: *Simul atq; ille eorum fidei aſſentire renuebat, plagæ erant inflictæ, membráque machinis diſtorta. Quapropter fidei formulæ eo tempore editæ, vi & neceſſitate compulſus, conſenſit, ſubſcripſitq;.* Verùm neque vi, neque neceſſitati cedere debuit: ſed in ſenili, infirmóque corpuſculo altiores gerere animos, & tormentis omnibus majores. Hos quippe cœlum exigit, & propoſitum æternæ bravium beatitatis. *Lib. 2 hiſt cap. 16.*

Spectaſti benevole Lector errantem à fide Oſium, attende quo tandem exitu D. Athanaſius cenſet reſipuiſſe, & in extrema vitæ periodo Arianam hæreſim damnaſſe; contra tamen Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, etiam ad errorem, cui immortuus eſt, ſævitiam addidiſſe, à qua in ſuum caput divinæ ultionis fulmen detorſit: cùm enim impii judicis perſonam induiſſet, velléťque in S. Gregorium Elibertanum exilii pronuntiare ſententiam, derepentè & vox faucibus hæſit, & os fœdè diſtortum, & cervix turpiter incurva, & in terram eliſum corpus, pronúmque corruit, atque infœlicem animam expuit. Ita ſceleſtum oppreſſit ultrix Dei manus: ut unius periculo, caſúque, benè doctus; *qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat*, nam & *ſtellæ de cœlo cadunt*, & qui in ſuperis nidum ſibi poſuiſſe viſus, ſubito lapſu ad ima devolvitur. *Apolog. 2.* *De vir. Ill. in Oſio. c.* *1. Cor. 10.*

QUÆSTIO

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad illa verba: *Areſcentibus hominibus præ timore.* Luc. c. 21. verſ. 26.

QVI ARESCANT IN EXITV VITÆ? qui in eodem revireſcant?

Timor impiorum unde?

PIos inter, ac impios magnum omninò diſcrimen eſt, tum in hujus ævi curſu, tum in exitu. Illi quippe timent in vitâ, ſperant in morte: hi autem è contrario ſperant; imo ſtultè præſumunt in vitâ, in morte autem ingenti timore percelluntur. Et inde à timore exareſcunt hi: illi autem à ſpe revireſcunt.

Prov. c. 14. v. 32.

In malitia ſua expelletur impius, ſperat autem juſtus in morte ſuâ, inquit Sapiens; ſperat, inquam, in morte, quia timuit in vita, illúmque timorem retulit ad eam ex Dei nutu, legibúsque efformandam. & rectè: quia ut ait D. Ambroſius,

L. de bono mortis c. 8.

Metus mortis non ad mortem referendus eſt; ſed ad vitam. Et quia impii præpoſtero ordine, nuſúque metum illum potiùs retulerunt; imò rejecerunt ad mortem, extremáque mundi confinia: hinc eo tum agitabuntur quàm maximè, & quidem ſummo cum dolore, & apprehenſione futurorum, à qua ita commovebuntur toti, ut penitùs exareſcant. Demus hujuſce rei cauſam tùm extrinſecus petitam; tum intrinſecus ex ipſa mente, conſcientiáque impiorum.

In ultima mundi ſcena ea ſeſe oculis, atque animis objiciet rerum omnium facies, à qua vel conſtantiſſimus quiſque contabeſcat.

I. A ſignis, & prodigiis.

Primùm enim orbes ipſi cœleſtes, quanti quanti ſunt, & aſpectum mutabunt, & motus ſui periodos omnes; unde neceſſum erit inferiora miſceri, & ſuſque deque verti omnia.

Deinde virtutes cœlorum, aſtrorúmque omnium influentiæ turbabuntur, neque terris immittent niſi noxias impreſſiones: ex quibus in corpore mortali enaſcentur morbi inopinati, latentes, maligni, quos medici *ſiderationes* appellant.

Tum etiam ipſi cœlorum poli ſuis quaſi emoti cardinibus ingentem edent fragorem, & immanem toto æthere ruinam minari videbuntur, unde inuſitato metu, horroréque percellentur omnia; maximè cùm ad aures appellet immite tonitru, ad oculos fulgura, fulmina, flammarúmque globi, quaſi totus in ignes cœleſtis orbis abiiſſet.

Et hoc mali theatrum aperiet æther; aliud exhibebit terra, quæ inſolitis motibus quatietur, & jam jam diſcedere, ac dehiſcere videbitur.

Accedent etiam aëre toto tonantes euri, iratáque ſuo elemento maria, quæ & ventorum turbines, & procellas montium inſtar evoment, evibrabúntque in noxia mortalium capita.

Denique animantium omnium, ſeu volucrum in aëre garritus planè lugubris: ſeu reptantium in terra; ſeu etiam adnatantium in aquis ululatus verberabit mortales auras, auréſque percutiet, atque animos inuſitato ſeu timore, ſeu dolore, à quo omnem corporum vigorem, ſuccúmque areſcere penitùs oportebit.

Et hæc eſt malorum cohors, quæ extrinſecus adveniet, irruétque in peccatorem facto velut agmine: ſed & major domi turbo, graviórque intrinſecus, & in animo procella, quam excitabit, augebítque in immenſum & mala conſcientia, & mortis metus, & horror extremi judicii.

II. A mala cõſcientia.

Conſcientia malum eſt, quod ut velit aut effugere, aut tegere, aut obruere non poſſit. quantumvis dicat, *montibus cadite ſuper nos, & collibus operite nos.* De illo ſic olim Auguſtinus:

In Pſal. 45.

Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla eſt major tribulatio, quàm conſcientia delictorum. Namq; ſi ibi vulnus non ſit, ſanumq; ſit intus hominis quod conſcientia vocatur; ubicumque alibi paſſus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inveniet Deum. ſi autem ibi requies non eſt propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non eſt, quid facturus eſt homo? Quò confugiet, cùm cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem; à publico ad domum; à domo in cubiculum; & ſequetur tribulatio. A cubiculo jam quò fugiat non habet, niſi interiùs ad cubile ſuum. Porrò ſi ibi tumultus eſt, ſi fumus iniquitatis, ſi flamma ſceleris, non illuc poteſt confugere: pellitur enim inde, & cum pellitur, à ſeipſo pellitur. Et ecce hoſtem invenit, quò confugerat, ſeipſum. Quò fugiturus eſt? quocumque fugerit ſe, talem trahet poſt ſe, & quocumque talem traxerit ſe, cruciat ſe.

Hæc Auguſtinus de mala conſcientia; quam domeſticum hoſtem appellat, & quem effugere, ut velint, non poterunt reprobi, ſed ab illo & terrum, & flammas, & ignes, & mille cruciatus patientur. Verùm enimverò illud D. Auguſtini:

In Pſal. 20.

Pones eos ut clibanum ignis, hoc eſt, ô juſte Iudex Deus, *conſtitues eos ardentes intrinſecus conſcientiâ impietatis ſuæ*, ab hac ardebunt intus, antequam extrinſecus ardeant incendiis ſempiternis.

III. A morte imminente.

Accedet quoque tormentum aliud ab imminente morte, & iis maximè, quæ illam excipient.

Hæc enim ſunt, quæ in iſtis anguſtiis potiſſimum angunt, & cruciant: horror ſcilicet impendentis judicii, inferni aſpectus, & memoria miſerandæ, atque infœliciſſimæ æternitatis. Hæc, inquam, ſunt quæ & mortem conſequuntur, & eam malam faciunt, teſte Tertulliano.

De Teſtim. Anim. c. 4.

Si times, inquit, *vitâ decedere, quia optimam noſti, certè mortem timere non debes, quam malam neſcis. At cùm times, ſcis malam. Non ſcires autem malam, quia nec timeres ſi non ſcires aliquid eſſe poſt mortem, quod eam malam faciat, ut timeas.*

Juſtorum lætitia unde?

Hæc Tertullianus, ex quo conficio quantum interſit in morte juſti, atque injuſti: hic enim illam timet, quia ſcit eſſe malam; ille autem non timet, quia neſcit eſſe malam.

Luc. 2. v. 29. L. de bon. mort. c. 2.

Appello fidem, extremáſque juſti Simeonis voces, qui ad Chriſti ſervatoris ſui aſpectum, & à ſe diſceſſit totus, & omnibus inceſſens lætitiis exclamavit illicò: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine.* Græcè, *diſſolvis, quaſi* (ut explicat D. Ambroſius) *neceſſitate teneretur in vitâ, non voluntate; ita dimitti petit, quaſi à vinculis quibuſdam ad libertatem feſtinaret.*

Ad Philip. c. 1. v. 23.

Ita quoque feſtinavit Paulus, cujus hæc vota, hoc unum deſiderium *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Diſſolvi non quæreret niſi ſe vinctum videret*, inquit Gregorius. Vinctum dico & carnis vinculis, & hoc corpore mortali,

Lib. 5. Mor. c. 40. Hom. 5. in c. 2. ad Hebr.

mortali, velot nativo carcere, è quo elabi, atque evolare mirum quantum geſtit immortalis animus, qui, ut ait D. Chryſoſtomus, *ea facilitate carnem exuit, quanta veſtimentum.*

I. A mortis voto.

Cauſam ſi voles, ea in oculis eſt, ea manibus tenètur, quia ut juſtus omnis in carne vixit, quaſi carnis expers, nec tenaciùs adhæſit tabernaculo ſui corporis: hinc illud & facilè, & velociter deponit, cùm ita juſſerit vitæ & mortis arbiter Deus.

Contra verò, quia & ſibi, & carni, & mundo totus vixit impius, & illis affectu immodico, atque inſano quaſi agglutinatus eſt, inde fit, ut non promptè, non alacriter ab iis exeat; ſed magnâ vi, atque ingenti niſu abſtrahi debet, atque avelli: quod ipſum agnovit Seneca licet homo profanus.

De brevit. vit. c. 11.

Iam verò, inquit, *cùm illos aliqua imbecillitas mortalis admonet, quemadmodum paventes moriuntur, non tanquam exeant de vitâ, ſed tanquam extrahantur.* Hæc ille vel ratione duce, vel etiam experientiâ. Theophylactus ex ſcripturæ fide luculentiùs id ipſum oſtendit: dum enim explicat illa Evangeliſtæ verba,

Luc. c. 12. v. 20

Stulte hac nocte animam tuam repetent a te. Obſerva, inquit, *verbum repetent; Angeli enim ſicut crudeles tributorum exactores, & terribiles, tuam repetent animam, te etiam invito, utpote propter vitæ præſentis immodicum amorem obluctante. Nam à juſto non repetitur anima: ſed ille gaudens, & exultans commendat Deo Patri ſpiritum; neque mortem ægrè fert; corpore enim circum-amictus eſt ut onere, quod leviter deponit. Peccator verò qui animam carni ſubdidit, corpori nimium affectus, etiam illam fecit carnem, indiviſam eam habere vult, idcirco dicitur ab eo repetita: ſicut ab inobediente quodam debitore, qui traditur crudelibus exactoribus.*

Quod maximè locum habebit in extremi judicii die, cui aſſiſtent Angeli, præcelſæ illæ mentes, vel ut vindices futuri, vel ut ſeveri exactores, qui ab impio quaſi à malo quodam debitore animam repetent, & ſummo quidem jure, ſummâ vi, ac neceſſitate inevitabili; at non ſic à juſto repetenda tum erit anima, non expoſtulandum cum illo, non agendum alio jure quàm naturæ, rationis, ac divinæ legis, cui ſeſe ſubmittit etiam lubens, & animam à Deo acceptam ultrò reddit, atque offert. Et hinc Evangeliſtæ voce dicitur ſimilis homini expectanti *Dominum ſuum quando revertatur à nuptiis*, expectanti, inquam, ut alacris, & lætus occurrat, & in manuum, pedúmque oſcula proruat.

Ibidem. v. 36.

Ut aliquando feciſſe legitur Alexander Oliva, primùm Generalis ordinis D. Auguſtini, tum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatus à Pio ſecundo.

Ioſephus Pamphylus.

II. A gloriæ expectatione.

Is jam morti proximus religioſo, qui tunc aderat, dicenti; ne quid timeret; adjecit: *Quid ego timeam, qui ad nuptias eo.* dignæ tanto viro voces, quas ſcilicet expreſſit bona mens, & ſibi conſcia recti.

Quod illi: hoc in Scithiâ Abbati cuidam ſeni quàm optimo, de quo Ruffinus:

In vita PP. l. 3. n. 159.

Venerat hic ad extrema vitæ confinia cùm ejus lectulum ambire fratres, & altum ingemiſcere, ac collacrymari cœperunt. Ad hos gemitus, ſingulatíſque quaſi de ſomno excitatus ſenex *oculos aperuit, & riſit: & iterum aperuit & riſit: & tertiò ſimiliter fecit.*

Hîc primò ſtupere qui aderant monachi, tum ex eo quærere: Cur flentibus cæteris ſolus rideret ipſe? quibus ille: *Primò riſi quia omnes timetis mortem*, quæ tamen viro bono non eſt extimeſcenda. *Secundò riſi*, quia ut mortem timeatis, ad hanc tamen eſtis imparati: quæ ſanè ſtultitia, amentiáque digna riſu. *Tertiò* denique *riſi, quia de labore vado ad requiem*: & hic riſus exultantis, ac præ gaudio geſtientis animulæ.

Timor impii unde?

Sed de his ſatis; deſcendo ad poſtremum quod mihi propoſui, imaginem ſcilicet ſupremi judicii, quæ quia tum in oculis erit, miros in peccatore motus excitabit, ſeu timoris, ſeu doloris, ſeu etiam deſperationis; quos enim alios ciêre poſſit?

I. A Judi...

Matth. v. 8.

Ubi prævia & Solymæ, & orbis excidio ſigna, extulit Servator optimus, adjecit iis triſte illud, ac funeſtũ lemma: *Hæc autem omnia initia ſunt dolorum*, Græcè ὠδίνων, id eſt, *parturitionum*, ut vertit D. Hieron.

In c. ... Luc.

Ii nimirum improbis tum increſcent dolores, qui parturientis eſſe ſolent, hoc eſt ſummi, & letales: ſi enim ut ſcitè, & verè pronuntiavit D. Ambroſius: *In occaſu hujus ſæculi præcedent quædam ægritudines mundi*; quas neceſſe erit præcedere in occaſu hominis, ceu microcoſmi, id eſt parvi mundi, cui ſcilicet uni hæc ultima mundi ſcena aperitur; quas, inquam, non corporis modò; ſed & animi ægritudines eſſe oportebit? eas certè, quæ & omnes illius vires labefactent, & lucem adimant, & æternam quidem.

II. A vita p... terita.

Primùm enim in extrema illa abiturientis animæ periodo occurret omnis anteactæ vitæ ſeries, tot, tantiſque ſceleribus coinquinata, imò & obruta.

III. A ratio... redden...

Deinde reddenda eorum omnium ratio, eáque quàm accuratiſſima, & apud Judicem inexorabilem; à cujus oculo nihil abeſſe poteſt, in cujus trutina, etiam quæ nobis viſa ſunt olim leviſſima, ſuum tamen habent pondus, & magnum quidem.

Lib. 2. compun... c. 4.

Scimus enim, teſte Chryſoſtomo, *& riſum, & intempeſtivum ſermonem, & leviorem ſcurrilitatem, imò & minora quædam gravi ſupplicio eſſe mulctanda.*

IV. Ab Æ... nitate.

Denique jamjam cum univerſo, perituro homini appellet ipſa quanta quanta eſt æternitas, eáque in obſcuro inferni carcere, in alta, triſtíque nocte, in medis flammarum vorticibus, atque incendiis ſempiternis exigenda.

Et hæc eſt expectatio futurorum, à qua totus exareſcet impius: ſi enim ab illa etiam mente tantum, ac cogitatione uſurpata horreſcunt, ac propè rigeot puræ, ſanctæque animæ; quid ab illa jam propiùs capiti incumbente, facient peccatores? Fatebor equidem, nec ſine magno animi ſenſu, legiſſe me ſæpiùs, atque expendiſſe illud D. Bernardi.

Serm. ... in Cant...

Paveo gehennam, paveo Iudicis vultum, ipſis quoque tremendum angelicis poteſtatibus. Contremiſco ab ira potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempeſtate valida, à voce Archangeli, & à verbo aſpero. Contremiſco à dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferni, à rugientibus præparatis ad eſcam; horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum, & vaporem, ſulphur, & ſpiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores.

Hæc ubi dixit, tum altiore ſpiritu, veluti quodam timoris œſtro percitus, exclamat.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum; ut præveniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium, & manuum, pedumq́; dura vincula, & pondus catenarum prementium, ſtringentium, urentium, nec conſumentium. Heu me mater mea, ut quid me genuiſti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis, & plorationis æternæ? cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus? natus in combuſtionem, & cibus ignis?

Si hæc, & juſto quidem metu, extulit Bernardus, hoc eſt, Virginis filius, cœli candidatus, & ſanctioris terræ, dælinæ nullis vitiorum infectæ contagiis: quid de ſe ſentiet, quid loquetur anima & in omni vita, & in morte fœdiſſimis ſceleribus inſepulta?

Lib. 17. c. 19.

Quid facient tabulæ, ſi tremunt columnæ? inquiebat S. Gregorius. Si Eccleſiæ primipili, ſi orbis hujus columnæ pavent, ac tremunt ad ſupremi Judicis nutum: quid nos humiles animæ, ac veluti tabulæ malè coagmentatæ?

In Tibe...

Tiberius Cæſar, teſte Suetonio: vitæ perperam actæ conſcius: veritus etiam poſt fata mortalium de ſe judicium; optabat, aut vitam fugiſſe, aut hominum oculos. Quid acturus ſi Dei, Authoriſque ſui judicium apprehendiſſet? Certè ut apprehendamus, oportet: *magnus* quippe *dies Domini.*

QUÆSTIO QUINTA
HISTORICA ÈT MORALIS.
Ad illa verba: *Tunc parebit ſignum Filii hominis in cælo.* Matth. cap. 24. v. 30.

QVOD ÌLLVD SIGNVM FILII HOMINIS? Et cur tunc apparebit in cœlo?

SATIS convenit inter authores *ſignum* illud *filii hominis* eſſe Crucem, quæ *ſignum eſt*, vel ut vertit Syrus, atque Arabicus, *gloria* filii hominis, hoc eſt Verbi Incarnati. Sed non levis eſt controverſia: an illud ſignum erit ea ipſa ligni moles, ea ipſa Crux, cui olim affixus Deus homo? an verò illius imago, & ſimulacrum aliquod in nubibus expreſſum?

In Elucidario.

S. Anſelmus, Abulenſis, Janſenius, Suarez, aliique non pauci, nolunt eſſe Crucem: ſed dumtaxat ipſius ſpeciem in rorida, & amœna nube angelico niſu, operáque efformatam.

Signum Crucis.

S. Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Hilarius, Beda, Theophylactus, Euthymius, Maldonatus, aliique quàm plurimi, contendunt futuram illam ipſam crucem, in qua ſalutis noſtræ pretium pependit: deferetur illa ab Angelis, priuſquam in ſcenam veniat ſupremus Iudex, ſtatuetúrque in conſpectum univerſi, veluti ſignum redemptionis noſtræ, & nobile victoriæ trophæum. Ita ſancti illi Patres, in quorum opinionem lubens concedo; videtur enim & Eccleſiæ ſenſui magis conſentanea, & fidelium pietati.

S. Auguſt. ſerm. 13. de Temp.

Is porrò Crucis illius ſplendor erit, qui & orbem implebit, & Lunæ, Soliſque lumen vincet, atque obſcurabit, ut horum lux minora ſidera. Ita Sanctus Ephrem.

L. de vera pœnit. c. 4.

Videbimus, inquit, *pretioſam, ac vivificam crucem in cœlo lucentem, omneſq; fines orbis terræ ultra Solis claritatem illuſtrari.*

Sed hic nonnullæ moveri poſſunt quæſtiones, & quidem

Quando apparebit?

Prima, quandò explicabitur ſignum illud Crucis? & quamdiu?

Credunt aliqui explicandum multis diebus ante adventum Iudicis, ſcilicet ſtatim ab Antichriſti morte; & ita cenſuit Hyppolitus, cujus ea ratio congrua.

Antichriſtus pro ſua immanitate, ac perfidiâ prohibebit fideles ſignari Cruce; volétque ſuo notari charactere; charactere, inquam, beſtiæ: ne tam immanis perfidia abeat ſine ultione, cum interficiet JESUS ſpiritu oris ſui; tum in ſignum victoriæ Crucem eriget, ut qui eam exuerint, reſipiſcant, & abjecto charactere Antichriſti, ſignum induant Chriſti.

Et quare?

Malunt tamen alii non exponendum orbi vexillum Crucis, niſi in ipſa Judicii die, cùm è nube, ceu throno, apparebit univerſi Judex. Erit illa & Angelis, & hominibus conſpicua, eo toto tempore quod occupabit, recenſebitque Judicium: & hoc quidem; Primò in ſignum gloriæ, ac poteſtatis: imò & divinæ, ac infinitæ in mortale genus miſerationis.

Tum etiam ad infidelium, ac reproborum confuſionem, dedecúſque æviternum; ut qui notam illam ſalutis abjecerint, & ſuo vitio, ſibi quodammodo exareſcere fecerint abundè manantes è Cruce vitæ fontes.

Tum denique ad fidelium, electorúmque ſolatium, quibus ſcilicet ipſa Crux, & in oculis, & in amoribus fuit.

An ſimul alia Paſſionis inſtrumenta?

Altera quæſtio, quæ hoc loco inſeri poteſt, eſt ejuſmodi: an unà cum Cruce proferenda mortalium oculis alia Dominicæ paſſionis inſtrumenta? lancea, columna, corona, flagella, clavi, ſpongia, cœteráque, quæ olim crudeli laniénæ ſervierunt, tum verò gloriæ, ac beatitati?

Fatebor hujuſce quæſtionis veritatem adhuc eſſe in occulto, & altà nocte; quia nec eam Scriptura prodidit, nec ſancti Patres ſatis explicârunt.

Piè tamen credunt nonnulli, etiam & illa ſalutis humanæ, divinæque gloriæ inſtrumenta, tum univerſo exhibenda, & ſingula à ſingulis Angelis deportanda; & ita cenſuiſſe viſus D. Thomas, cujus hæc verba.

Opuſcul. 2. c. 244.

Veniente Domino ad judicium, ſignum Crucis, & alia paſſionis indicia demonſtrabuntur.

Doctorem Angelicum in opinione, quæ pietatem olet; ſpirátque, ſequuntur Vignerius, Salmeron, & alii: quos quidni ſequaris amice Lector, cùm neque Scripturæ, neque ſancti Patres, obicem ponant?

An in Electorū fronte ſignum Crucis?

Sed & alia hic immitti poteſt quæſtio, an ſimulatque in aëre oſtenſum erit ſignum illud Crucis, an etiam in electorum frontem evadet eadem ſalutis, vitæque nota, & qua vi?

Evadet enimverò, & angelicâ quidem virtute: ſic enim futurum aliquando prophetico ſpiritu edixit Joannes, cùm Angelos, beatos illos ſpiritus, cœlique miniſtros ſic inter ſe colloquentes induxit: *Signemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.*

Apoc. c. 7. v. 7.

An etiam arca fœderis?

Poſtrema quæſtio, quæ primæ affinis, eſt ejuſmodi. An etiam tum, Vniverſo conſpicua apparebit Arca fœderis, quæ Crucis typus, & umbra fuit?

Ut ita ſentiamus, faciunt multa. Primùm ipſa Scripturæ ſacræ authoritas. Sic enim futurum aliquandò prædixit Jeremias, cùm arcam abſconderet in monte Nebo. *Ignotus*, inquiebat, *erit locus, donec congreget Deus congregationem populorum, & propitius fiat; & tunc Dominus oſtendet hæc.*

Lib. 2. Machab. c. 2. v. 7.

Quibus verbis apertè innuit Propheta, quòd Arca fœderis latebit in alta ſpeluncæ nocte: donec tandem ſub ipſum orbis occaſum in auras rurſum, & Solem educatur. Quod ipſum inſinuare viſus eſt D. Ioannes, qui Chriſto Iudici dum viveret, fuit à ſecretis: ſic enim ille de extremo Iudicii die.

Apoc. c. 11. v. 19.

Et apertum eſt templum Dei in cœlo, & viſa eſt Arca teſtamenti ejus in templo ejus.

Scripturæ fidei accedit Antiquorum Scriptorum, & SS. Patrum authoritas, è quibus duos dumtaxat producam. Primus erit D. Dorotheus, qui etiam Ieremiæ hæc verba tribuit.

In die reſurrectionis Arca primùm reſurget, & expetrâ prodibit: poneturq; in monte Sina, & congregabuntur ad eam omnes Sancti expectantes Dominum, & fugantes inimicum. D. Dorotheo præivit D. Epiphanius, qui & ipſe Ieremiam ita loquentem inducit.

In

In reſurrectione primùm Arca reſurget, & prodibit è ſaxo, inq; Sinæ monte locabitur; & omnes Sancti ad eam confluent.

Sed hactenus authoritate pugnatum eſt ſatis; ratione etiam, cùm ita libitum eſt, certemus. Ne tibi fingas, amice Lector, ideò evocandam è tenebris Arcam, ut unà cum ea lucem aſpiciat lex vetus; jacet illa, jacebitque in ævum ſepulta, & novæ legi jam ceſſit, æternúmque cedet: At quia in extremo Iudicii die, qui univerſo decretorius erit, ferenda ſententia, tam de illis qui ferreis illis ſæculis vixerunt in timore ſub umbrâ unius Arcæ: quàm de his, qui ætate planè aureâ ſub Cruce, & ſuavi jugo amoris floruerunt: ideò tum e tenebris educenda fuit & Arca Moſis, & Crux Chriſti Servatoris, ut tum orbi univerſo paterent duo præcipua Legis utriuſque monumenta; & in illis præcepta quæ invenit, atque inſcripſit ſervilis timor, & in his ea, quæ novo, ac mirabili prodigio excudit, & in Solem emiſit filialis amor. Ex quibus præceptis velut judiciario codice hinc Iudæi, inde Chriſtiani ſententiam ab ipſo vitæ, & mortis arbitro ſunt accepturi.

Deinde ut hinc liquidò conſtaret benè conveniſſe veterem Legem cum Nova, & Novam cum vetere, nec tam adverſa, quàm diverſa præcepiſſe.

Tum etiam ut Legis utriuſque author Deus innoteſceret, & eximia quædam, atque amabilis illius providentia, quæ & Iudæis, & Chriſtianis voluit eſſe proſpectum quàm optimè; dum & his, & illis legem condidit, in cujus obſervatione poſita ſalutis via, ac beatitatis.

Tum denique ut vel unus Arcæ conſpectus, Iudæis, qui legem in ea reconditam ſervaſſent, eſſet ſolatio, & gloriæ: dolori autem, atque ignominiæ illis, qui ab ea ſuo vitio deflexiſſent, in quos proinde tanquam in fœdifragos iſta tanti Numinis ira deſæviret.

Hæ ſunt rationes, ob quas (ſi mortali fas eſt immortalia ſerutari conſilia) admirabilis Dei providentia in illo die Arcam è tenebris eruet, & luci dabit.

QUÆSTIO SEXTA

MORALIS.

Ad illa verba: *His autem fieri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra.* Luc. c. 22. verſ. 28.

SITNE PRIUS A NOBIS DESERENDUS mundus, quàm nos ipſe deſerat?

Primum interpretatio.

EA verba (quæ mihi ſuggerunt argumentum quæſtionis) alium, atque alium ſenſum patiuntur. Primus is eſſe poteſt: *His fieri incipientibus*, terræ ſcilicet motibus, confuſione ſonitus maris ac fluctuum, ſignis in Sole, Luna, & ſtellis, *reſpicite*, cœlos ſuſpicite, *levate capita veſtra*, & mentis, atque intelligentiæ aciem attollite; abitéque & affectu, & re etiam ipſa à terra, mundúmque hunc aſpectabilem contemnite; opportuno ſanè, & ſalubri conſilio; quia ut rectè Galfridus: *Non expectemus ut mundus nos obruat, qui neceſſe eſt ruat.* Et hic eſſe potuit unus iſtorum verborum ſenſus.

In allegoriis.

Secunda.

Alter eſt cùm inferiora ſuſque deque ruunt, & in præceps eunt, ſuperiora reſpicite, & illis deficientibus ad hæc confugite, *& levate capita veſtra*, hoc eſt ne ea incumbenti calamitati ſubmittite, ne malis iſtis cedite; hoc enim alienum eſſet à viro forti, cujus officium eſt, nec in proſperis attolli, nec in adverſis deprimi.

Væ, inquiebat olim Galfridus, *qui apparere in proſperis, latere in adverſis cupiunt, nec caput demittunt inter proſpera humiles, nec levant inter adverſa ſecuri.*

Poſtremus ſenſus is eſſe poteſt. Cùm & cœlos & ſidera videritis atrâ nocte tegi, cùm terræ molem concuti, cùm elementa ſolvi, cùm Univerſum omne labefactari, reſpicite quæ ſint ea, quæ vos ab illis manent, quæ gloriæ ſpes, quæ beatitas eam orbis ſtragem ſit excæptura; eam, inquam, reſpicite bonæ mentes, & inter mundi ruinas vos iſtâ ſpe ſuſtinete, *& levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Et hæc interpretatio magis eſt conſona menti Salvatoris; de hac tamen, & aliis pauca ſubjiciemus, quæ ad mores ritè fingendos facere poſſe videbuntur.

Chriſto fidem quicumque dediſtis *reſpicite, & levate capita veſtra*, maximè cùm occurrit animo ultima illa perituri orbis tragœdia, ad cœleſtia mentem, ac cogitationem extollite, & terrena deſpicite: ecquid enim hæc eſſe tibi, aut videri poſſunt? Spes c[...] ſluum.

Tertulliano, *retinacula ſunt ſpei noſtræ, projiciamus ergo ornamenta terrena, ſi cœleſtia optamus.* L. de c[...] ſem. c[...]

Ambroſio, *Onera* ſunt, *& nihil aliud quàm vana ſarcina*, ut rectè Theophylactus, ideoque omninò neceſſum eſt, ut ea deponas, atque penitùs exuas: quia ut eleganter S. Maximus: *Nuda virtus apta cœlo eſt; & nudus Adam incola paradiſi fuit*, nec eris etiam ipſe niſi nudus: es enim, ſi neſcis, ô Chriſtiane! viator, imò & curſor, qui citato pede ad æternitatem evolas per breve hujus ævi ſpatium, ad quod, ut notat Minutius Fœlix; *magno viatico* non eſt opus, quia illo *breve iter vitæ non ſtruitur, ſed oneratur.* Lib. 1[...] 89. In c. 1[...] ad Heb[...] In cap. Matth[...] In Oſſ[...]

D. Hieronymo, terrena omnia *rejectamenta ſunt*; ſic etiam vertit illa D. Pauli verba: *Omnia arbitror ut ſtercora*, hoc eſt, *rejectamenta*, quæ proinde ſapiens omnis à ſe abjicit, & calcat; ita calcavit olim Theodorus Senator, cui ſic gratulatur Sanctus Fulgentius. Deſpicientia terrenorum.

Multùm gaudeo, quòd jam ſæcularis dilectionis nexibus non teneris, & mundum contemnendo calcas, à quo cùm eum diligeres, calcabaris, atque etiamnum calcaris ipſe, qui eum diligis. Ne porrò ita fœdè conculceris, age, ſurſum reſpice, & caput leva. Ita monet, urgétque Chriſtus, ita ſuperi omnes, ita vel ipſa jubet natura, ratióque: Senecam audi, qui Lucilium ſibi cariſſimum inſtruat vel ſolâ duce philoſophiâ. Epiſt. [...]

Fac oro te, inquit, *Lucili cariſſime, quod unum te poteſt præſtare fidelem. Deſpice, & conculca iſta, quæ extrinſecus ſplendent, quæ tibi promittuntur ab alio; ad verum bonum ſpecta, & de tuo gaude.* Epiſt. 2[...]

Si hæc Seneca diſcipulo, quid ego Chriſtiano? an non ei potiori jure inclamem illud: *Deſpice, & conculca iſta*, quæ aliena ſunt, *& de tuo*, hoc eſt, de virtute *gaude*, *& ſpecta verum*, ſummúmque *bonum*: & hoc erit benè monenti Chriſto obtemperare, cùm ait: *Reſpicite, & levate capita veſtra.*

Si reſpexeritis, benè cauti mortales, & ab his terrenis capita, hoc eſt cogitationes, & affectus omnes abduxeritis, tum inter medios ruentis mundi tumultus, eritis in alta pace. Ut enim ille ipſe Seneca, (quo autbote lubenter utor, ut Chriſtianis ruborem injiciam)

Epiſt. 50.

Nunquam major eſt animus, quàm ubi aliena depoſuit; & fecit ſibi pacem.

Recurſus ad Deum.

Transeo ad alia documenta morum, quæ è verbis ſuprà allatis elici poſſunt. Monuit olim Servator optimus, ut *his fieri incipientibus*, hoc eſt orbe ad occaſum vergente, & fatiſcente propè naturâ, quitum reſidui invenirentur mortales, cœlos ſuſpicerent, & cæteris omninò deficientibus, ad Deum recurrerent, qui numquam deficit, nec ſuis deeſt, cùm alia deſunt omnia.

Nimirum eſt ille ludus amabilis increatæ Sapientiæ, ut divina conferat auxilia, cùm humana ſubtrahuntur.

Pſal. 26. v. 10.

Appello Prophetæ Regii fidem, atque experientiam: ſic ille quondam: *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus aſſumpſit me.*

Hæc vocula *quoniam* cauſalis eſt, innuitque vel ex hac una cauſa aſſumptum à Deo Davidem, quia & pater, & mater, & omnes ſanguine, ac neceſſitudine aliquâ juncti (qui tamen adeſſe quàm maximè debuerant) ab eo longiùs receſſerant; ideò, inquam, aſſumpſit eum Dominus, vel ut hebræa habent, *collegit*.

Si quando immitis aliqua mater, aut veriùs noverca infantem abſtractum ab uberibus, à ſe, ſuóque ſinu projiciat, & in platea exponat; adeſt pia, & miſerens matrona, quæ eum colligit, in ſuum aſſumit, & lactat inſigni beneficentia humanæ miſerationis: quam mirum quantùm excedit divina munificentia: ſi viderit hæc eſſe homuncionem unum aliquem miſellum, quem caro & mundus ablactarit, imò abjecerit, ac proſtituerit miſeriis omnibus, illicò eum colligit, & molliter locat in ſinu miſericordiæ ſuæ, ut ſolet indulgens mater.

Eugubinus meminit alicujus traditionis, quæ apud Hebræos invaluit. Ferebat illa, Deum Opt. Max. ex quodam pacto, ac promiſſione obſtrictum eſſe, ut iis eſſet vice parentum, qui & innocentiâ vitæ, & bonâ fide, ac ſpe ad eum accederent, maximè ſi eos cœtera omnia deſeruiſſent.

Rebus deſperatis.

Inde manavit apud Græcos ea paræmia. Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, *Deus è machinâ.* Quâ apertiùs inſinuatur deſperatis in rebus maximè & pateſcere, & aperiri divina ſubſidia; ut meritò dixerit D. Chryſoſtomus.

Hom. 56. in Acta.

Cùm humana ſpem omnem negant, tunc divina diſpenſatio clarè fulget.

Quod ipſum in ſuſcitatione Lazari agnoſcunt Interpretes. Chriſtus enim de illius morbo, ac periculo maturè monitus procraſtinat tamen, & eò uſque ſe ſubtrahit, dum & mortuus eſſet, & ſepultus, & multa tabe, ac fœtore horridus. *Manſit enim in eodem loco duobus diebus. Videtis*, inquit D. Chryſologus, *quemadmodum dat locum morti, licentiam dat ſepulchro, atque agit ut humana ſpes tota pereat, & tota vis humana deſperationis accedat.*

Serm. 63.

Adeſt miſeratio.

Hujus providentiæ ſpeciem aliquam, ac veluti emblema nobile exhibuit olim Deus Ezechieli Prophetæ: vidit ille currum ſtupendæ molis, in quo (ut omittam cætera, quæ ad inſtitutum meum non faciunt) erat *rota in medio rotæ*, & hæc quidem adverſo curſu circumvolvebatur; non ſine myſterio, quod explicat Iuſtinus Martyr: cenſet enim majorem illam rotam innuiſſe populum in Babylonem educendum, torquendúmque captivitate miſerabili; minorem autem rotam, quæ adverſo motu vertebatur, indicaſſe ex eadem captivitate ſoſpitem revehendum.

Cap. 10. v. 10.

Quæſt. 44.

Quod Hæbræis olim, hoc & cæteris mortalibus ſervatum voluit amabilis Dei providentia, quæ unâ manu volvit, revolvítque Iuſtitiæ rotam, & alterâ orbitam miſericordiæ; & ita quidem ut hæc ſit in medio, hoc eſt (ut advertit Origenes) velut in corde tribulationis: quaſi ab ipſo medio, ceu centro, & corde tribulationis, ac mortis, progignatur rota vitæ, ac ſalutis; ſic enim explicat Apollinaris, cùm ait.

Hom. 2. in Ierem.

Rota ad rotam ſignificat tum judicia, tum miſericordiam, quæ à Deo ſucceſſivè, & quaſi per orbem procedunt.

Ibidem.

Igitur (ut ad thema nobis propoſitum redeamus) cùm videntis & cœlos, & ſidera, & hunc orbem aſpectabilem, vindice Dei manu verti, ac propè everti; *reſpicite, & levate capita veſtra*, & à rota Iuſtitiæ, ad orbitam divinæ miſerationis oculos, animóſque convertite, inde vobis & ſpes ſalutis, & auxilia opportuna; à quibus etiam oſtium patebit in adyta beatitatis, quæ clauſa eſſe videbantur. Has æternæ providentiæ vias aliquando legerat Oſeas Propheta, qui hæc præſago ſpiritu, Dei nomine, vicéque cecinit.

Dabo ei vallem Achor (id eſt conturbationis) *ad aperiendam ſpem.* Sive ut hebræa habent; *in oſtium ſpei.*

Cap. 12. v. 15.

Ita futurum olim in extremo judicii die, in quo Dominus aperiet populo ſuo vallem Achor, vallem conturbationis, vallem Joſaphat, & hoc in oſtium ſpei, beatitatis, ac coronæ propè capiti incumbentis, & ad hanc etiam & oculis, & animis uſurpandam excitare voluit Servator, cùm ait; *his fieri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra.*

Sic reſpexiſſe viſus eſt Jobus è medio turbine tribulationum, quibus tantùm non obruebatur; ſic enim tum ipſe ſecum meditari, & ſecum loqui. *Ubi eſt Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?* quod inquies carmen in nocte? reſpondet de Petri ſede Gregorius.

Cap. 35. v. 10.

Carmen in nocte lætitia eſt in tribulatione, quia etſi preſſuris affligimur, ſpe jam de æternitate gaudemus.

Lib. 26. Mor. c. 20.

Evenit Jobo, eveniet & Iuſtis omnibus in extremo die, quod Viatori: hic ſi quando intempeſtâ nocte, adultíſque tenebris viam ineat, illius tædia, & harum terrores cantu fallit, proculque pellit timorem: ſic in ultima illa nocte, quâ ad judicium veniet Deus, ſeipſe ſolabitur juſtus omnis læto carmine, ſuavique cantu; memoriâ, inquam, æternæ gloriæ, quam è propinquo ſuſpiciet, & ad quam eum ducet fides, ſpes excitabit, inflammabit caritas; tum enim ut melleâ D. Bernardi utar eloquentiâ,

Ad hanc reſpicit juſtus.

Iuſto dicet fides, parata ſunt magna, & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus ſuis: dicet deinde *ſpes, mihi illa ſervantur; dicet* denique *caritas, ad illa curro.*

Serm. 20. in Pſal. Qui habitat.

Quidni enim curram, cùm audiam ipſo primæ veritatis oraculo lætum illud, ac ſuave, *Appropinquat redemptio veſtra*; imò & Redemptor ipſe: in cujus vita, ſanguine, morte tumerit ſpes omnis fidelis animæ; exclamabit illa cum Auguſtino

O Deus ter Opt. ter Max. ô Servator Univerſi, plaſma tuum ſum, manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt me; manus, inquam, illæ quæ affixæ ſunt clavis pro me. Opus manuum tuarum Domine ne deſpicias; vulnera manuum tuarum precor ut aſpicias. Ecce in manibus tuis Domine Deus deſcripſiſti me; lege ipſam ſcripturam, & ſalva me.

In medit.

QUÆSTIO SEPTIMA
MORALIS.

Ad illa verba: *Scitis quoniam propè eſt æſtas.* Luc. c. 21. verſ. 30.

CUR ÆTERNA FOELICITAS ac beatitas æſtati comparetur?:

QUAMDIU hoc corpore mortali, ceu ductili ſepulchro, vehitur immortalis animus; vix ad cœleſtia capienda per ſeipſe, & per innatam ſibi intelligentiam elabi poteſt, ideóque neceſſum eſt, ut ad ea per ſenſus, veluti per internuntios deducatur.

Beatitudo eſt Æſtas. Cujus apprimè conſcius Servator optimus diſcipulos ſuos, poſteroſque omnes ad divina, quaſi manu ducit, per ea quæ ſub aſpectum cadunt. Hinc illa ſimilitudo petita ab arbore fici. Sicuti, inquit, ſuccus fici arboris longè nobiliſſimæ hyeme ſeſe colligit, & continet in radice ſub alta humo; ſub æſtatem autem adulto jam ſole, primùm illius æſtu, caloreque elicitur, deinde ſeſe ſpargit in ramos, deníque in frondes exonerat, atque erumpit in fructus multò nobiliſſimos, ex quibus tanquam ab effectu naturæ parentis, benè colligimus æſtatem jam adventare. Ita cùm electos meos, ceu arbores, ac ficus mihi ſuaviſſimas, videritis in hyeme tantarum tribulationum, quæ ingruent orbi perituro, frondére tamen amœnâ quadam ſpei viriditate, ferreque fructus uberes longævæ patientiæ: ſcitote quod inſtet eis æſtas reſurrectionis, ac beatitatis.

Hæc Servator, ceu magiſter optimus, qui mihi hanc quæſtionem in manus immiſit, cur æterna fœlicitas cum æſtate componatur?

Vita hyems. Vita noſtra quanta quanta eſt, hyems eſt, quâ ſenſim labente juſtus omnis ſeminis inſtar terræ committitur, nec ex ea emergit, nec explicat ſe in frondes, nec in flores aperit, nec in fructus effundit, niſi poſt longas temporis moras, imò etiam injurias: quod eleganter deſcribit Tertullianus.

Lib. de veland. Virginib. *Aſpice*, inquit, *ipſam creaturam paulatim ad fructum promoveri; granum eſt primò; & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur, deinde & rami, & frondes invaleſcunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine ſolvitur, & de flore fructus aperitur; is quoque rudis aliquando, & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens, eruditur in manſuetudinem ſaporis.*

Quod arbori, hoc juſto cuique; ſeminatur ille ſicut granum, & profundæ humilitatis ſinu clauditur; tum *aſcendit ſicut virgultum*, inquit Iſaias: *Cap. 53. v. 2.* tum & frondium, hoc eſt virtutum gratiam, & florum, hoc eſt donorum cœleſtium venuſtatem oſtentat: tum denique fructus profert bonorum operum, qui ipſam ferant æternitatem.

Sed quando, inquies, eos profert? ne crede quod hujus ævi tempore, id eſt hyeme; ut enim Seneca: *Epiſt. 123.* *Contra naturam vivunt, qui hyeme concupiſcunt roſam.*

Ita contra Dei, ſuperûmque leges & viveret, & peccaret etiam ille, qui eos fructus in hoc ſæculo requireret; ſervantur enimverò vitæ alteri, vitæ meliori, atque æternæ, hoc eſt, æſtati. Hæc enim eſt tempus noſtrum, de quo, ut aliàs ſolet, piè D. Auguſtinus:

Quando, inquit, *nobis inſultant amatores hujus ſæculi, dicamus eis, tempus veſtrum ſemper eſt paratum; tempus autem noſtrum nondum venit, nobis enim dixit Apoſtolus. Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quando veniet tempus noſtrum? cùm Chriſtus apparuerit vita noſtra.* *In 7. Ioan. v. 6.*

Hæc Auguſtinus, ex quo conficies tempus illorum qui mundo vivunt, & huic ſæculo ſpirant, eſſe hyemem, eſſe hanc mortalem vitam: tempus autem eorum, qui Deo militant, atque æternitati, eſſe æſtatem, hoc eſt, tempus reſurrectionis, cùm apparebit Chriſtus vita noſtra: Sol noſter, à cujus aſpectu, gratiâque reviviſcere dabitur, imò & revireſcere; ideóque nulla ratione movere nos debet, quid modò meditentur, quid loquantur, quid agant impii, & quas improbè venentur voluptates.

Per ſuavitatem, inquit Tertullianus, *ſaginentur ejuſmodi dulcibus convivæ ſui, & loca, & tempora, & invitator ipſorum eſt; noſtra cœnæ, noſtra nuptiæ, nondum ſunt; non poſſumus cum illis diſcumbere, quia nec illi nobiſcum; vicibus diſpoſita res eſt, nunc illi lætantur, nos conflictamur.* *Lib. de ſpe c. 28.*

Pulchrè *vicibus ſuis diſpoſita res eſt*, ne putemus nos hac in re ambidextros eſſe, & Deum, & mundum amplecti poſſe, & in hoc ſæculo ridere, ac ſaginari, atque etiam in altero: non ea nobis à cœlo lex impoſita: ſed potiùs omnino contraria. Amatoribus enim hujus ſæculi jam ſunt cœnæ, jam nuptiæ, jam diſcumbunt & genio indulgent, inſanæque voluptati; at Chriſti diſcipulis ſervatur Agni cœna, eáque rejicitur ad calcem hujus ævi, ad æſtatem vitæ beatioris: hæc enim ex vero eſt æſtas, ad quam, ſponſam ſuam, id eſt, animam juſti, amicè invitat ſponſus: *Iam*, inquit, *hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit; ſurge, propera amica mea, columba mea.* *Cant. c. 2. v. 11.*

Quæ, inquies, eſt illa hyems? interprete Origene, eſt vita præſens, quæ opponitur futuræ, ut hyems æſtati. *Hom. 4. ex 4.*

Hyemem duo faciunt. Primùm, eſt elongatio Solis ab hemiſphærio noſtro. Alterum, imminutio caloris, quam conſequitur elanguidum, ac triſte frigus, quo contrahi, rigere, pallere, torpere, atque emori videntur omnia. *Quæ utriuſque cauſa.*

Contrà verò æſtatem afferunt etiam duo. Unum eſt acceſſus ſolis ad nos; alterum, quod ex illo conſequens eſt, effervеſcentia quædam caloris, atque æſtus longè maximus, quo explicari, ſolvi, rubere, ridere omnia, ac quodammodo reviviſcere.

Quæ ab iſtis anni tempeſtatibus in natura hac aſpectabili viciſſitudo, ac mutatio eſſe ſolet; eadem in ordine qui ſupra naturam eſt: in altero, inquam, ſæculo, cui reſervamur; eſt enim, ut inſiſtam quæſtioni initio propoſitæ, vita hæc mortalis Hyems, &

quidem perfrigida; quî enim alia ſit? Nimirum ab illa longiùs receſſit ſol noſter Chriſtus, & hinc in animis noſtris, ceu ſolo quodam animato, tepor, ac prope gelu, quo languet, ac pœnè deficit in iis, quæ gratiæ ſunt, ac ſalutis. At ubi nobis propior eſſe cœperit Chriſtus ſol noſter, jubar noſtrum, & melior univerſi vita; tum verò magis exardeſcet amor, & ingens quidam æſtus ab igne divino, quo tota colliqueſcet, ac ſolvetur anima, & nihil niſi Deum reſpirabit: quod eveniet vel maximè in die judicii, cùm electi viſis illius ſignis, ceu notis quibuſdam, ac charactere in natura, in elementis, in cœlis ſcripto, clariùs videbunt, ac legent accedere propiùs ad ſe Juſtitiæ ſolem, ac redemptorem ſuum, à quo ſurgat, quæ nunquam occidet, æſtas beatitatis. De primo Chriſti ad nos adventu ita magnificè D. Ambroſius.

In Pſal. 118. ſerm. 6. *Ante adventum Chriſti hyems erat, venit Chriſtus, & fecit æſtatem. Tunc omnia erant florum indiga, nuda virtutum. Paſſus eſt Chriſtus, & omnia cœperunt novæ gratiæ fœcundari germinibus. Imber abiit luxuriæ profluentis, & nubila tetris ora flagitiis, æſtiva jam pura conſcientiæ ſerenitate laxantur.*

Quæ S. Præſul de uno Chriſti adventu, eadem ego, & majora de altero.

Ante adventum Chriſti, ceu Judicis, ceu remunerationis hyems erat tribulationum, imber erat vitiorum, ut rectè interpretantur Doctores, venit ad judicium Chriſtus, & illicò fecit æſtatem: æſtatem dico gloriæ, æternæque fœlicitatis, quæ nobis orietur, appulſu ſolis; quem facie ad faciem dabitur intueri, & ejus calore, ignéque ardere, ac diſſolvi in perpetuas æternitates; ad quas nos etiamnum provocat dulcis animarum ſponſus dum è cœli vertice rurſum ingeminat eas voces, amoris plenas, ac ſuavitatis; *Surge, propera amica mea, Columba mea: jam hyems tranſiit* tentationum, *imber abiit* peccatorum, *tempus putationis*, hoc eſt judicii *advenit*, *& in terra noſtra*, terrâ utique viventium, *flores apparuerunt.* Flores, inquam, honoris, ac venuſtatis: à quibus tibi texatur corona in totam æternitatem.

DOMI-

DOMINICA SECVNDA ADVENTUS.

AGEBAT Chriſtus ætatis annum ſecundum ſupra trigeſimum;
à ſuſcepto autem concionum munere ſecundum, & miraculis
mirum quantùm inclareſcere cœperat, cùm ad eum è carcere
miſit Ioannes duos è diſcipulis ſuis, ut eam injicerent quæſtio- Matth. c.
nem: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* ad quam verſ. 1.
Magiſter optimus non verbis; ſed factis reſpondendum eſſe
duxit: ait enim: *Ite, renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis*; verſ. 4.
major erit operi, quàm voci fides: Ite, inquam, & quæ vos ipſi fidelibus oculis hau-
ſiſtis miracula, & quæ etiam ab aliis certâ fide didiciſtis, referte: illa porrò ſunt ejuſ-
modi, *cœci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes* verſ. 5.
Evangeliſantur: de me loquuntur illa, & muta voce, quis ſim, inclamant: *Et* verò verſ. 6.
beatus eſt, qui non fuerit ſcandaliſatus in me; vel ut habet Syrus, *felix ille, qui non*
impegerit in me; ut impingent ii, quibus & Crux, & mors mea offenſiom eſſe vi-
debitur. *Quia futura erat Crux plurimis ſcandalum, beatos eos profeſſus eſt Chriſtus,*
quorum fidei nihil tentamenti deferret Crux, mors, ſepultura, inquit D. Hilarius.

Ubi abiere Ioannis diſcipuli, tum verò ad confertam populi turbam Servator
optimus: *Quid exiſtis*, inquit, *in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* id eſt verſ. 7.
hominem varium, atque inſtabilem, quem levis auræ ſibilus huc illucque rapiat?
non is eſt Ioannes, qui idem ſemper, & ubique ſuus. Quid ergo? *hominem mollibus* verſ. 8.
veſtitum? neque is eſt Ioannes: *qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*, hi
pupurâ nitent, & byſſo, hi dormiunt in molli anſere; at ille ſolitudinis eſt amans,
& eremi incola: imò ſi voles & cœli, quod ſuos nonniſi duris exercet.

Qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt, qui verò talia non habent in cœlo verſ. 9.
ſunt, inquit D. Chryſoſtomus.

Quid denique *exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & pluſquam Prophe-*
tam; hujus enim officium fuit futurum Meſſiam prædicare, illius autem etiam
præſentem digito ſignare. Ut proinde jure meritiſſimo de illo ſit olim vaticinatus
Malachias: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam* verſ. 10
tuam ante te.

Hæc eſt Evangelicæ hiſtoriæ ſeries, quæ ferè plana eſt, atque aperta, ſi paucula verba excipias, in quibus olim ſudavit Interpretum labor. Ea porrò ſunt, *Tu es qui venturus es?* In quæ verba tres ſunt diverſæ, pugnanteſque ſententiæ:

Prima eſt Tertulliani, & Iuſtini, qui exiſtimarunt Ioannem de Chriſto dubi- Lib. de Baptiſm. c.
taſſe; forétne ipſe Meſſias, & Redempror univerſi.

Ea opinio & viro tanto injuria, & veritati eſt inimica; quî enim dubitare potuit, Quæſt. ad Orth.
qui & columbam ejus capiti illapſam viderat, & audierat illud Æterni Patris oraculum: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui?* Quî dubitare potuit, qui & digito monſtrarat, & adjecerat nobile iſtud lemma: *Ecce agnus Dei.*

Igitur ea quæſtio non fuit dubitantis, ſed de diſcipulorum ſuorum ſalute ſatagentis: *Interrogat* enim *ut ſibi quærens, illis diſceret*, inquit Hieronymus.

Altera ſententia, quæ eſt D. Hieronymi, & Gregorii aliò trahit, ac detorquet Epiſtola Agaſian.
iſtorum verborum ſenſum, *Tu es qui venturus es?* quaſi quæreret è vinculis Propheta brevi ad Patres ſuos abiturus. Tu es qui ad limbum venturus, ac deſcenſurus es, ut optatâ tot ſæculis captivos dones, ac bees libertate?

Non

Non ait, inquit Hieronymus: *Tu es qui veniſti, ſed tu es, qui venturus es. Et eſt ſenſus manda mihi, quia ad infernum deſcenſurus ſum, utrum te & inferis debeam nuntiare, quia nuntiavi ſuperis? an non conveniat Filio Dei, ut guſtet mortem, & alium ad hæc ſacramenta miſſurus es.*

Hom. 6. D. Hieronymo conſentit S. Gregorius, cujus hæc opinio: *Non dubitat*, inquit, *eſſe mundi redemptorem; ſed quærit an ſit ad inferni clauſtra deſcenſurus?*

Poſtrema ſententia, quæ & communior, & vero propior, eas voculas ſic explicat: *Tu es qui venturus es?* hoc eſt tu es Meſſias ille, quem & venturum multis retrò ſæculis prænuntiavere Vates, & nos ipſi tot, tantiſque votis expetivimus? Quærit autem non quòd ſibi de eo ſcrupulus, aut dubium ullum; ſed quòd diſcipulis, quibus volebat eſſe benè cautum, & quos è ſua palæſtra ad altiorem Chriſti ſcholam erat tranſmiſſurus. Et hæc paucis attigiſſe ſuffecerit, neque enim hîc Interpretem ago; aliorum ſit iſte labor; meus erit in præſentia, ex hac Evangelica hiſtoria, ceu ubere, ſacróque fonte, nonnullas deducere quæſtiones, veluti rivulos quoſdam, qui & in animos influant, & bonis moribus, ac virtutibus imbuant.

EX D. THOMA.

Serm. 2. AD illa Evangeliſtæ verba, *cùm audiſſet Ioannes in vinculis*, *ſciendum*, inquit, *quod tres dicuntur eſſe in vinculis.*

I. *Juſtus*, qui ſcilicet *ponitur in vinculis præceptorum.* *Cap 4.* de his Ezechielis voce, ſic ad Juſtum Deus: *Ecce circumdedi te vinculis.* hæc *amplectenda propter tria.* 1. *Quia per illa ſalus acquiritur.* *Eccleſ. 6.* *vincula illius alligatura ſalutis.* 2. *Quia eis ligatus à Dei ſapientia protegitur*: ita protectus olim Innocens Joſeph, quem in *vinculis non dereliquit.* *Sap. 5.* 3. *Quia de ipſis ad regimen egreditur*, ſic etiam ad Ægypti regnum egreſſus ille ipſe Joſeph, adeò fortunata præceptorum vincula.

Ibidem. II. *Impius in vinculis peccatorum*; ligatur enim *vinculis ſuperbiæ*, *vinculis avaritiæ*, *vinculis luxuriæ*, *vinculis malæ linguæ*: de his ita Sapiens: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Iſta porò vincula ſunt illicò *diſſolvenda*, vel natura duce, vel ratione magiſtra, vel adhortatore Iſaïa, *Cap. 51.* qui ſic ad impium: *Solve vincula colli tui.* Solve, inquam, vel uno ex his quatuor modis. 1. *Per gratiam juſtificationis*, qua præditus exclamabis: *Dirupiſti vincula mea domine.* *Pſal. 115.* 2. *Per gratiam contritionis*, quæ tibi erit quod olim pueris in Babylonica fornace, in qua *ignis* eorum *vincula conſumpſit.* 3. *Per verecundiam confeſſionis.* In hac dum clamat impius ſuorum *Dan. 4.* ſolvit vincula peccatorum. 4. *Per pœnam ſatisfactionis.* Ita per afflictiones populi ſui vincula diſſolvit olim Deus. *Afflixi* te, inquit, & quid inde ô Juſte rerum arbiter? *Et vincula tua diſrumpam.*

III. *Damnatus in vinculis tormentorum*; ſunt enim *Nahu. c. 7.* impii *vinculis tenebrarum compediti*, etiam teſte, ac Iudice Sapiente. Et hæc *vincula vitanda, propter tria.* *Cap. 7.* 1. *Quia tenebroſa.* 2. *Quia crudelia.* 3. *Quia æterna.*

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 2 Advent. Ser. 2. PER *vincula Joannis* notari vult triplicem hominis ſtatum.

Primus *ſignat animas circùplexas vinculis originalis culpæ.*

Secundus animas circumpeditas vinculis reatus pœnæ.

Tertius animas circumvolutas vinculis corporalis miſeriæ.

Quomodo autem ab his aliquando ſit expediendus, quæritur ea interrogatiuncula.

Tu es, qui venturus es? Primò in mundum ad ſolvendum vincula originalis culpæ; De quo non dubitavit ipſe Ioannes; ſed dubitare potuerunt diſcipuli, qui ideò miſſi ut dubium deponerent.

Secundò, Tu es qui venturus es, in Lymbum ad diſſolvendum vincula reatus pœnæ damni.

De hoc incertus eſſe potuit Ioannes, adeóque etiam ſciſcitari, an quem *Iam veniſſe prædicando clamaverat, ipſum etiam ad inferos præcurrendo nuntiaret?*

Tertiò, *Tu es qui venturus es, ad Iudicium, ad exterminandum vincula corporalis miſeriæ.*

Ad has interrogationes reſpondet Salvator optimus; non verbis: ſed operibus, *quia melius creditur factis, quam verbis*; Et quidem

Primò, euntes renuntiate Ioanni, id eſt animabus circumplexis vinculo originalis culpæ, adventum Mediatoris, qui per humanæ carnis aſſumptionem ad vinculum illud diſſolvendum venit: & in ſignum hujus *leproſi mundantur*: *lepra* quippe *ſignificat peccatum primi hominis*, quod poſteros omnes inficit, ut corpus lepra.

Secundò, renuntiate Ioanni, id eſt animabus circumpeditis vinculis reatus pœnæ, adventum Salvatoris, quia ego ſum qui venturus ſum in lymbum ad præcidendum ea vincula per voluntariæ mortis aſſumptionem. In cujus ſignum cæci vident; cæci, inquam; in lymbo Patres, quia viſione divinæ lucis privati, hanc aſpicient per deſcenſum meum in lymbum.

Tertiò, renuntiate Ioanni, id eſt animabus circumvolutis vinculis corporalis miſeriæ, adventum Salvatoris, quia ego ſum qui venturus ſum ad judicium, ad exterminandum ea vincula per utriuſque hominis glorificationem. Et hoc erit vobis ſignum, quia mortui reſurgunt.

Hæc ubi ingenioſè diſſeruit Seraphicus Doctor, tum unà cum Chriſto propiùs accedit ad aliquas illius judicii circumſtantias.

Tunc, inquit, *media* ſcilicet *nocte*; ut enim *nocte Chriſtus natus eſt, & nocte venit ab inferis: Ita nocte veniet ad judicium.* *Serm. 4.* *O iſtud tunc quàm timendum malis, quàm deſiderandum bonis! videbunt univerſaliter*, quia ſcilicet *omnis oculus tam malus, quàm bonus: corporaliter*, quia in ea, quam olim aſſumpſit *ſervi forma.* *Terribiliter*, unde & *plangent; ſi non vis tunc plangere propter* *Malach. 3.* *ſententiam: nunc plange per pœnitentiam.* *In nube*, veluti ſede majeſtatis; ad quam in aëre ſublimes aſcendent electi, dum interim in valle, terráque hærebunt reprobi, quia olim *in imo vitiorum.* Ne cum his aliquando hæreamus ipſi, *aſcendamus de valle vitiorum.*

Et

Digitized by Google

Et nunc in anima Chriſtum ſequamur corde, ut tunc ſequamur & corpore.

Ubi ſic prnbè monuit S. Præſul, tum ad extremum adjicit illud Servatoris: *Propè eſt regnum Dei.*

Serm. 8. *Quatuor*, inquit, *ſunt valdè propè; gratia largitas in mundo, iræ ſeveritas in judicio, pœna acerbitas in inferno, & gloria ſerenitas in cælo.* De quibus plura ſi voles, illum conſule: redeo ad Joannis vincula.

Dom. 3. Adv. ſerm. 3. *Ioannes*, id eſt, *gratia*, & juſti Typus, *qui ad illius conſervationem quadruplici vinculo debet eſſe ligatus*; videlicet *pœnitentiæ*, *amicitiæ*, *obedientiæ*, *ſapientiæ*.

Primum, eſt ſatisfactionis; Secundum, dilectionis; Tertium, ſubjectionis; Quartum, eruditionis.

De *Primò* hîc Ezechiel: *Ecce circumdedi te vinculis, & non te convertes à latere* (ſcilicet in dextro, in quo quieſcendum eſt ſpirituali affectu) *in aliud*, ſcilicet, *ſiniſtrum affectus carnalis, ſuper quod non debemus converti, quia ibi diaboli ſedes eſt.* Cap. 4.

De *Secundo* ſic Apoſtolus: *Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Ad Coloſ. cap. 3.

De *Tertio*, ut olim *Simeon*, id eſt, *auditio*, *tenetur in vinculis*: ſic & verus obediens. Gen. c. 4.

De *Quarto* videlicet *Sapientiæ* Eccleſiaſticus: *Decor vitæ eſt in illa; & vincula illius alligatura ſalutaris.* Cap. 6.

Hæc vincula terrea ſunt quamdiu timentur: amentur, & aurea erunt.

QUÆSTIO PRIMA.

MORALIS.

Ad illa verba: *Ioannes cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti.* Matth. cap. 11. verſ. 2.

CUR DICATUR IN VINCULIS AUDISSE OPERA CHRISTI? Cur non potiùs extra vincula?

Veritatis vox non auditur in aula & delitiis.

NEMINI dubium eſſe poteſt, quin Joannes etiam extra vincula, cùm liber eſſet, ac ſuus, & audierit, & viderit opera Chriſti. Cur igitur adeò operosè notat Evangeliſta ea in vinculis audiſſe? non vacat illud myſterin; innuit enim veritatis vocem citiùs pervadere intimos carceris receſſus, quàm ſubire Principum aulas, ac penetralia: Dei verba, atque lucem divinorum operum in nbſcura vinculorum nocte clariùs conſpici; quàm in alta die libertatis, ac licentiæ ſæcularis.

Exempln erit Herodes impius, qui licet eſſet Hieroſolymis, tanquam in theatro quodam, ac proſcenio, in quo ſeſe ſpectandum dabat Deus homo: in quo & ad populum dicebat frequentiſſima concinne, & in dies alia, atque alia patrabat miracula; ea tamen vix ex ipſa fama, & quidem ſubobſcura audiebat; quod ipſum animadvertit, ſtylóque notavit Matthæus: *In illo tempore*, inquit, *audivit Herodes Tetrarcha famam Ieſu.*

In illo, inquit, tempore, ſcilicet poſt menſes, & annos, & non niſi quàm tardiſſimè: nimirum ut rectè hic docet D. Chryſoſtnmus, res bonæ, & ſanctæ non deferuntur in aulas Principum, non appellunt ad eorum aures, & animos, niſi poſt multas Lunas, ſeróſque Soles: Cùm tamen contrà voluptatum illecebræ, & vitiorum lenocinia quàm citiſſimè eò deportentur.

Sic olim unius Saræ decor, & formæ gratia ad Pharaonem delata, ex ipſo limine, primóque in Ægyptum ingreſſu.

Gen. c. 12. v. 14. *Cùm ingreſſus eſſet Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quòd eſſet pulchra nimis, & nuntiaverunt Principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum.*

Viderunt, inquit Scriptura, *& nuntiaverunt*, *& laudaverunt*, vidiſſe, nuntiaſſe fuit, ac laudaſſe, & hæc inter nullum propè temporis intervallum, diſcrimen propè nullum. Nnn ſic Joannes in vinculis, & pœdore carceris, ex eo certè audit opera Chriſti, utque etiam audiant alii, facit.

Auditus in vinculis.

C. 3. v. 11. Pulchrè cecinit olim Habacuc Propheta: *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ*, quaſi diceret, ô juſte rerum arbiter Deus, ſive noxia mortalium capita eminus ſagittâ petas, ſive cominus etiam haſtâ ferias, ibunt illi, & abibunt è tenebris vitiorum ſuorum, & ad te qui prima, qui vera, qui ſumma lux es, aſpirabunt: non aſpiraſſent porrò, niſi eorum oculos, animóſque perſtrinxiſſet, & lux ſagittæ, & fulgor igneus haſtæ tuæ, hoc eſt tribulationis. Ita Rupertus.

In tribulatione.

Orat. 20. Ut proinde meritò dixerit D. Gregorius Nazianzenus: *Profectò plaga cordatis hominibus doctrina efficitur*; doctrina, inquam, eaque ſalutaris, ac divina, qua & ſe novit, & Deum, & miranda ejus opera. Vis hujuſce rei exempla, ac documenta? ea dabit omnis ætas.

Senſit olim terra, gemuitque impoſitum ſibi onus, & ſceleſtum caput Pharaonis, caput obduratum Superis, & ad Dei voces, nperáque & ſurdum, & cœcum: cui hæc olim Moſes:

Exod. c. v. 1. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto*; cui ille, *quis eſt Dominus ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraël? neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam.*

Probatur Pharaone. Ecce ut ſentit, ut loquitur blaſphemus, & impius, cùm liber eſt, & plaga immunis; nec Deum novit, nec vocem ejus audit: at ubi vindex Dei manus ei vincula immiſerit, ubi ingentibus plagis ſævire cœperit, tum & Deum agnoſcet, & ejus imperio obaudiet, & opera miranda ſuſcipiet, ac prædicabit.

Homil. in Exod. *Ecce*, inquit Origines, *Pharao duriſſimus tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum neſcit, verberatus ſupplicari pro ſe Dominum rogat.* Nimirum adverſitas, & plaga cœlo demiſſa, & aures, & oculos aperuit, quos ante clauſerat malè ſana proſperitas.

In Prodigo. Quod Pharaoni, hoc deinde poſteris ſæculis filio prodigo. Cùm ſui juris eſſet in patria domo, nec ſeipſe capiebat, nec patrem: at ubi procul abiit in regionem lnnginquam, ubi ſeſe mancipavit duriori domino, ubi poſitâ libertate vincula induit miſerandæ ſervitutis, tum & ad ſe redit, & ad patrem.

Serm. 2. Ita, ut inquit Chryſologus, *fames revocat, quem ſaturitas exularat; fames illi ſentire dedit patrem, cui copia tulerat ſentire genitorem.* Quod illi, hoc & latroni inter vincula, brachiáque crucis: cùm illi Jeroſolymis pes eſſet liber, cùm explicatæ ad furtum manus, cùm inſana libertas, & malè agendi licentia, nec Chriſtum noſſe datum eſt, nec ejus opera videre, ac ſuſpicere: at ubi injecta vincula, ubi conſtrictæ, imò inſami ligno affixæ manus, tum & Deum, & redemptnrem ſuum agnovit, amavit, & apertâ, liberáque voce confeſſus eſt. Ita, ut inquit Divus Hilarius, *ad hanc beata confeſſionis fidem accenſus eſt tranſeunte* In bono latrone. Lib. 10. Trinit.

ſeunte per palmas clavo, & regnum Chriſti per dolorem infirmitatis in corpore didicit. adeò & hic verum illud D. Nazianzeni: *Plaga doctrina efficitur* non tantùm *cordatis hominibus*, qualis eſſe potuit, & ſanè etiam fuit bonus ille latro: ſed etiam, quod mireris, vel ipſis dæmonibus, qui dum malè torquentur, & Chriſtum agnoſcunt, & clarâ voce Dei filium profitentur: ſic energumeni ore, vocéque olim locuti:

Luc. c. 8. v. 29.

Quid mihi, & tibi eſt Ieſu fili Dei altiſſimi? obſecro te, ne me torqueas. Antequam incumbentem ſibi Dei manum ſentiret dæmon, & miſerum homuncionem fœdè laniare, & impuras, blaſphemáſque voces ſpargere ſolitus: at ubi ſub ejus imperio, vinculiſque gemuit, tum, ut inquit hic Origenes, *verberatus emendat vocem, & ubi tormenta ſenſerunt dæmones dominum ſciunt.*

In ipſis dæmonibus.

Ita nimirum, ut eò redeam, unde paululum digreſſus ſum, indulgens Deus etiam facit *de tenebris ſplendeſcere lucem*, de vinculis, de obſcuro carcere, de profunda tribulationis nocte oriri facit, atque illuceſcere & amœnum fidei jubar, & Juſtitiæ Solem, dum oculos, quos cœca proſperitas obvelarat, recludit adverſitas: ut proinde jure meritiſſimo D. Chryſoſtomus, agens de patiente Jobo, *Ejus vulnera* appellet *ſolaribus radiis clariora; hi enim corporis illuſtrant viſum, illa verò mentis noſtræ illuminant oculos.*

2. Cor. c. 4. v. 6.

In Jobo paciente.

Hom. 5. de Pat. Iob.

Quod profectò lumen in ſummis bonis reponi debet, ideóque *gaude patientia, & exulta, quia ubique ſecura es, & ubique illæſa: ſi tentaris, proficis: ſi humiliaris, erigeris: ſi pugnas, vincis: ſi occideris, coronaris: in ſervitute libera, in periculo tuta, in cuſtodia læta.*

D Chryſoſt. Hom. 2. de Ioſeph.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Ioannes in vinculis.* verſ. 2.

PLVSNE IN SANCTORVM VINCVLIS LIBERTATIS, & gloriæ: quàm ſervitutis & infamiæ?

Vinculorum gloria.

FOELICES, ac fortunatas magni Baptiſtæ manus, quibus Meſſiam, ac reparatorem Univerſi aquis intingere datum eſt: fœliciores quibus digito notare, ſignaréque Agnum, qui mundi peccatum tolleret. At longè fœliciſſimas, quæ Virtutis, Deíque cauſa vincula admittere, imò & iis quodammodo potuerunt coronari. Ne mireris, amice Lector, méque damnes, quaſi plurimum aberrem, perperámque coronæ vocem ac lucem ad vincula transferam: ſunt enimverò, ſunt vincula, ſerta quædam gloriæ, ac coronæ beatitatis.

In Joanne.

Vadem habeo, ac ſponſorem Chryſoſtomum, qui ſuo more, id eſt, elatè, magnificè, piè loquens de Pauli vinculis, ea vult dici, & verò etiam eſſe Apoſtoli coronam.

Hom. 10. ad Coloſſ.

Eum, inquit, *coronabat catena.*

Non deerat in Paulo, quod mirari poſſet, altéque prædicare os illud aureum; atque imprimis illud, quod ſtupenda, ac prodigioſa metamorphoſi, è lupo agnus, è perſecutore Apoſtolus, ex vaſe iræ, vas electionis, ac gloriæ eſſet effectus.

In Paulo.

Tum etiam quòd profundo quodam, entheóque mentis exceſſu in cœlum raptus arcana didiciſſet, quæ nec mens capere, nec lingua poſſet eloqui; nihil tamen horum in medium profert, nihil extollit: ſed unicum illud, quod Chriſti vinctus eſſet; hæc nimirum eſt ſumma laudis, hæc corona fœlicitatis.

Noverat nimirum à magiſtro probè doctus diſcipulus, quanti ſua ipſe vincula feciſſet. Ut quæ uſurpaſſet olim pro epitheto gloriæ, ac honoris: ſic enim olim ad Epheſios: *Paulus vinctus Chriſti Ieſu pro vobis Gentibus.* hoc nomine gloriatur, hoc ſibi authoritatem parat & facit apud Epheſios, quos Chriſto cœlóque parere ſatagebat magnus omninò Gentium parens, ac fidei propagator. Nimirum ut probè notat ille ipſe Chryſoſtomus:

Cap. 3. v. 1.

Vinctum eſſe propter Chriſtum illuſtrius eſt, quàm ſive Apoſtolum, ſive Doctorem, ſive Evangeliſtam eſſe. Magna dignitas hæc, & regno quovis, ac conſulatu major. Qui diligit, & ardet Chriſtum, eligit potiùs vincula ferre propter Chriſtum, quàm cœlos inhabitare: non enim caput ita ſplendidum reddit corona margaritis conſpicua, ut catena ferrea, quæ propter Chriſtum fertur.

Homil. 8. Ibid.

Hæc aurea fandi copia pius Præſul, cui ut fidem habeas ſuum ipſe ſenſum prodit.

Si quis, inquit, *mihi vel univerſi cœli, vel hujus catenæ copiam & optionem largitus eſſet: catenam hanc ego planè elegiſſem. Si mihi cum Angelis, & iis qui propè thronum Dei ſunt, ſtandum fuiſſet ſurſum, aut cum Paulo vincto, carcerem utique præoptaſſem.*

Ac ne putes id æſtu quodam concitatæ mentis jactari, & non potiùs certa ratione fundi: hanc adjicit: *Nihil hac catenâ beatius. Non ita beatum dico Paulum, quòd in paradiſum raptus, atque quòd vincula ſuſtinuit. Potiùs mihi habetur malè affici pro Chriſto, quàm honorari à Chriſto.* Hæc ubi dixit, tum altiore ſpiritu exlamat: *O beata vincula! ô beatas manus, quas catena illa exornavit!*

Hoc fuit D. Chryſoſtomi judicium de Pauli vinculis, hoc apud illum eorum pretium. Idem omninò de vinculis Petri. Ubi enim mentis oculis eum aſpexit primò vinctum, deinde ab Angelo ſolutum: tum à ſeipſe hæc quærit; & ſtatuit: *Si mihi quiſpiam dixiſſet. Elige utrum velis; vel eſſe Angelus Petrum ſolvens, an Petrus vinctus? Petrus utique eſſe maluiſſem. Majus hoc vinculorum donum eſt, quàm Solem ſiſtere, aut mundum movere, aut dominari dæmonibus, eóſque expellere.*

In Petro.

Ibidem.

Hic oculum fige benevole Lector, & æquâ lance expende paucula hæc verba. *Vinculorum donum*; quod componit S. Præſul cum dono miraculorum, & gratiis, quas Theologi vocant, gratis datas, quas omnes vult cedere, & palmam dare vinculorum dono.

Da mihi ſi voles vel alterum Joſue, qui verbulo Solem ſiſtat.

Da motrices cœlorum Intelligentias, quæ orbes illos regant, ac rotent. Da Taumaturgum, qui ſolo nutu montes transferat, qui & morbos & dæmones è corporibus, velut ex hoſpitiis expellat, dominetúrque formidandis illis poteſtatibus: imò, ſi lubet, cui tota quanta eſt natura pareat. Da mihi hos omnes ſi voles, & alios ſi potes. Quem illis parem, aut ſuperiorem agnoſces? eum certè, judice Chryſoſtomo, qui cœlo propitio præditus ſit dono vinculorum. Ex iſto Sanctorum Patrum ſenſu, manavit ille cultus, illa veneratio, quæ à Chriſtianis in primæva Eccleſia ſacris Martyrum catenis, ac compedibus deferri ſolita. Hi enim etiam per denſos

In Martyribus.

ſatellitum

ſatellitum cuneos in carceres irrumpete, & eorum vincula exoſculari: ita mihi author eſt Tertullianus, qui adhortans fœminas, ne viro ethnico nubant, hanc cauſam reddit. *Quis enim in carcerem ad oſculanda vincula Martyrum reptare patietur?*

Lib. 2. ad uxorem, c. 4.

Ea reverentur Chriſtiani?

Nimirum eò loci ac temporis invaluerat pius ille mos, ut Chriſtiani frequentarent carceres, in quibus glorioſi fidei noſtræ pugiles aſſervabantur, eoſque de genu venerarentur, & reptantes ad devota vinculorum oſcula allaberentur: tantam ſcilicet ea imbiberant ſanctitatem.

Imo & Angeli.

Hom. 10. in Ep. ad Coloſſ.

Ac ne putes ea vincula puſillis dumtaxat mortalibùs in pretio fuiſſe, noveris etiam ſuum apud ſuperos, immortaleſque genios pondùs habuiſſe; ut enim mihi teſtis eſt D. Chryſoſtomus, ad quem redeo: *Illa vincula reverebantur Angeli*, magnæ illæ mentes & ſupremæ cœlorum Intelligentiæ, ut proinde mirum videri non debeat, ſi apud homines tantam invenerint venerationem. *Hinc D. Paulus, à quo paululùm abii ad Philemonem ſcribens in primo Epiſtolæ limine oſtentat hæc verba: *Paulus vinctus Chriſti Ieſu, ſic ut dignitatem epiſtola à ſe miſſa faceret, ab injuria ſua cœpit. Sicut enim peccati cauſa vinciri, opprobrium eſt; ita contrà pro Chriſto cuſtodia vincula ſuſtinere maxima gloria*, inquit D. Ambroſius.

In ea verba.

Quanti ea fecerit Paulus.

Ex illa porrò gloria, quæ à manicis, compedibuſque petitur, effluxit ea æſtimatio, quæ Apoſtolum occupavit, & à qua, ut in cæteris effuſus eſſet, & propè prodigus, pro vinculis tamen tenax & ferè avarus; hæc enim ſibi ſingularia eſſe voluit, cætera omnia aliis communia fecit; ſic enim olim ad Agrippam Regem.

Act. c. 26. v. 30.

Opto apud Deum non tantùm te; ſed etiam omnes fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his; Quaſi diceret: Dei ter opt. ter max. beneficio fidei lucem, amœnumque jubar aſpexi: & hoc aliis quoque ſurgere, ac lucere velim, *exceptis* tamen *vinculis his*.

Quæ Chriſti gratia, favorque fuit; Apoſtolorum Collegio ſum adlectus, & huic adjungi panar omnes, *exceptis* tamen *vinculis his*.

Favente cœlo gratiam accepi, quæ in me vacua non fuit: ſed aucta eſt in immenſum, & hanc quoque in alios omnes effundi velim; *exceptis* tamen *vinculis his*.

Arrham habeo futuræ quondam gloriæ, ac beatitatis; at etiam hac exui me ſinam, & anathema ero pro fratribus meis; verbo uno omnibus omnia fiam, cedamque omnia, *exceptis* tamen *vinculis his*; adeò illa mihi in pretio, in amoribus, in deliciis ſunt.

Hic fuit Apoſtoli ſenſus, & is quoque eſſe debet cujuſvis, qui ſe & nomine, & re etiam ipſa Chriſtianum eſſe profitetur; habeat ille vincula in oculis, & in primis votis. At quæ inquies vincula?

Pedem hîc ſiſte, mi Lector, animumque: & paucis te docebo, ſunt enim alia, atque alia; uti etiam alia, atque alia eſt, vitæ tuæ ratio; mortalis es, & immortalem animum corporeis vinculis circumligatum geſtas? ea pâtere quamdiu cælum volet, ea ſolve cùm ſolvi patietur.

Varia vinculorum genera.

Ita paſſus olim, & quidem lubens D. Cyprianus, qui ab Imperatore Valentiniano ad mortem damnatus, exclamavit illicò: Gratias tibi, ô ſumme rerum arbiter Deus, ut qui me corporeis vinculis liberas, etiam manu carnificis, cui dono dari voluit quinque ſupra viginti auri ſcuta, & hoc, quòd ferrovitæ vincula reſecaret.

Sacerdos es, aut ſacris initiatus? Bonum omninò factum: at unà cum ordine vincula induiſti; vincula caſtitatis, quibus corpus & animus Deò, ceu ſponſo, colligatur.

Religioſus es? mundi vincula confregiſti, & votis, reguliſque, ceu tondem vinculis te implicuiſti, diceriſque religioſus à religando: benè habet, in iis gaude, atque exulta. *Qui fers jugum Chriſti erige cervicem, redimicula geris, non vincula*, inquit D. Ambroſius.

Serm. in Pſal. 118.

Secularis es? hoc eſt, matrimonio junctus, nec malè: Paulum audi; *Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem.* Sint tibi vincula jugalia curæ, ſint etiam in amoribus: & ne fortè oneri ſint; age imitare mancipia damnata ad triremes, hos una cùm vinciat catena, ne gravis, ne moleſta ſit, inter ſe ſic conveniunt, ut ſemper eodem inclinent: ſi enim unus ad dextram, alter ad ſiniſtram vergeret, tam hic, quàm ille ſibi injurius foret, & brachium, quo tenetur malè diſtraheret, aut frangeret; at non ſic, cùm in idem ſemper latus propendet uterque; ſic propendeat maritus, & uxor, eodémque ſemper inclinet, & molliter accidet vinculum conjugale.

Judex fortè es, & cauſarum arbiter? & tibi quoque ſunt vincula; ut enim orator Romanus: *Hominum inter homines juris ſunt vincula*: & lex vinculum eſt Civitatis, hoc ſerva, & huic & tibi erit quàm optimè; erunt quippe *vincula illa alligatura ſalutis*, ut ſpondet Eccleſiaſticus.

5. de fin.

Cap 6.

Tribulationem pateris, & adverſa forſitan omnia? & hæc vincula ſunt: ſeu injiciantur amabili Dei providentiâ: ſeu hominum malevolentiâ, viſque tyrannorum. Vincula ſunt paupertas, & rerum propè omnium indigentia, ad quam redigeris. Vincula ſunt injuriæ, quæ nomen tuum, famámque petunt.

Vincula ſunt morbi; variæque afflicti corpuſculi ægritudines, quæ te lectulo aſtringunt.

Vincula ſunt mors ipſa, quæ te rapit ad Dei tribunal, quæ vitæ filum ſecat. Et hanc, & illa æquo animo ſi pateris, primùm in iſtis audies Chriſti vocem; deinde etiam vocaberis ad Agni cœnam; ad nuptias æternæ fœlicitatis: tibi enim eveniet, quod olim ſponſis.

D. Auguſtino teſte; apud Babylonias, Cyprias, & Phœniſſas Virgines, erat illud in more poſitum, ut quæ nubiles erant, circumligatæ funibus aſſiderent in viis, quæ ad Veneris ædem ducebant; quod ſi quis adoleſcentulus alicujus amore, gratiáque captus, ei funem præcidiſſet, hoc ipſo indicio illam ſibi in ſponſam depoſcere cenſebatur.

L. 4. de Civit. c. 10.

Hujus avitæ conſuetudinis meminit Propheta Baruch. *Mulieres*, inquit, *circumdatæ funibus in viis ſedent.*

C. 6. v. 2.

Si è profano illo ritu mihi liceat ad ſacros uſus, ac mores aliquid traducere: dicam, & ex vero quidem, eum eſſe ludum cœleſtis ſponſi: quas ille ſibi deligit animas, quas inſtar ſponſæ vocat in conſortium thalami (hoc eſt gratiarum ſuarum) eas primùm vinculis multarum tribulationum circumligatas ſedere vult in viis hujus ævi mortalis: tum evocari ad nuptias Agni præciſo priùs filo brevioris, ac miſerabilis vitæ; qua exutus apprimè diſces quantum apud Superos fuerit iſtorum vinculorum pondus, quanta in cœlis merces repoſita.

Tribulationes vincula ſponſæ.

Hanc dum expectas, teipſe ſolare, tibíque omninù perſuade & vincula, & carceres, ſi fortè in eos veneris, eſſe veluti ſcholam aliquam virtutum; in qua ſic exerceris in terris, ut doneris in cœlis palma, laureáque Doctorali. Ac ne tibi nova, & inſolens accidat ea carceris appellatio, hanc accipe à Tertulliano: ſic ille quondam Martyri. *Carcer ediſcendus, non pœnam illic paſſurus; ſed diſciplinam.* Clauditur enim obſcuro carcere Martyr, ut ab inſania impudici, caſtitatem ediſcat. A temeritate ſicarii, fortitudinem. A latronum dolis, ingenuæ probitatis artes. Ab injuſtitia, juſtitiæ pacta. Denique ab infami vitiorum omnium colluvie, amabilem virtutum ſpeciem, ac formam hauriat.

Adv. Pſych. cap. 12.

Ita à carcere, & in carcere, *Nova facta ſunt* omnia, *caſtitas ex fornicatione, continentia ex incontinentia,*

2. Strom.

juſtitia

juſtitia ex injuſtitia, ut bellè notavit Clemens Alexandrinus. Et videre eſt in Ioanne; à quo cœpi, & in quo deſino.

Conjectus ille in vincula, obſcuriſſimumque carcerem, ut effrænem Herodis libidinem ſua frænaret continentia, ut violati tori, juſtitiæque leges æquitate ſua vinceret; ut inſolentes tyranni minas, vimque ferri, ac mortis, ſua fortitudine frangeret; non tam pœnam inde paſſurus, quàm diſciplinam, quæ iret in poſteros omnes, doceretque verbi Dei præcones pro veritate, & agere, & pati debere fortia.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Mittens duos de diſcipulis ſuis.* verſ. 2.

QVÆ IN HOC VNO MAGISTRI, & parentis officia?

Magiſter non ſe, & ſua quærat.

CUm præſentiret Ioannes imminere ſibi mortem, pro diſcipulis piè ſollicitus magiſter, ex iis duos emittit ad JESUM, qui ex eo quærerent. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* In quo ſanè, & magiſtri, & Parentis quàm optimi officium exhibuit, atque exemplum. De illo ſic olim Eccleſiaſticus.

Cap. 14. v. 26.

Statuet filios ſuos ſub tegmine illius: hoc eſt magiſtrum eſſe ſe, quiſquis noverit, quiſquis filios ſpirituales cœlo, & Deo pepererit, non ſtatuet eos ſub tegmine ſuo; ſed ſub tegmine illius, ſcilicet ſapientiæ, ut *ſub ramis ejus morentur, & protegantur ſub tegmine illius à fervore* diei hujus ſæculi, vel ut habet Gloſſa, *à furore inimicorum*, vel ut Lyranus, *à fervore vitiorum*, ab æſtu concupiſcentiæ: *& in gloria ejus requieſcant*, quaſi jam certâ ſpe adepti quietem beatitatis.

v. 27.

Sed diſcipulorum bonum.

Et hoc eſt officium magiſtri, quod altè deprædicat Eccleſiaſticus, & quod imprimis ſervatum voluit Joannes: ſervatum voluêre & alii, quos inter lapſis dein de ſæculis invictus Martyr Prævius. Hic ſcholas aperuit, & palæſtram ſtudioſæ Iuventuti, quam non tam litteris imbueret, quàm pietate in ſuperos & religione Chriſtianâ: cujus ergo in vincula conjectus, primùm rogatus an eſſet Chriſtianus? annuit. Deinde an Chriſtianorum magiſter? & hoc liberè profeſſus. Denique *cujus Partis magiſter?* ad quod ingenuè reſpondit: *Pietatis*. Dicere enimverò potuit, magiſtrum ſe eloquentiæ, aut ſanioris Philoſophiæ. At magiſter *Pietatis* & eſſe, & dici voluit; quòd eam doceret quàm maximè. Et hanc quoque ſuis aſſeclis præſcribere debent quotquot ad id muneris cœlo propitio vocantur. Diſcipulos illi in probis moribus, ac vera pietate inſtituant: eóſque quærant non ſibi; ſed Chriſto, nec quæ eorum ſunt, ament; ſed eos. Contra quæ peccant illi, qui doctrinæ ſuæ ſectatores ambiunt, non tam Deo, quàm ſibi, nec tam eos, quàm eorum bona venari videntur.

Euſeb. l. 4. hiſt. c. 14.

Exemplo Prævii Mart.

Joannis.

Non ſic Joannes, non ſic ipſe Chriſtus Magiſtrorum forma, atque exemplum: de illo jam vidimus quid diſcipulos ſuos ad JESUM emiſerit; videamus, cui hic etiam ad ſe evocarit.

Cap. 9. v. 9.

Cùm tranſiret inde, inquit Evangeliſta, *vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine: & ait illi, ſequere me.*

Hæc eſt ratio, quam obſervatam voluit JESUS, vidit ille *hominem:* non dicit vidit divitem, vidit publicanum; ſed vidit hominem, ut Magiſtros ſpirituales doceret, in homine non videre, non attendere divitias, facultates, nobile genus, & ejuſmodi blandientis fortunæ phaleras: ſed *hominem*. Nec quærere, nec amare, quæ homini adjacent; ſed ipſum nudum hominem: quod ipſum docet ex modo vocandi: ait enim, *ſequere me*, nec dicit, age, expedi, & affer ad me ſacculos tuos, argento, auroque graves; ſed unum hoc duntaxat, *ſequere me*: teipſum affer, & hoc plus ſatis.

Non dixit affer ad me: quia Matthæum, non Matthæi ſacculos requirebat, inquit S. Chryſologus. Serm. 28.

Redeo ad Joannem, & ab illo non ſolùm magiſtros; ſed & parentes probè doctos velim, cùm filios ſuos vel Academiis deſtinant, vel Profeſſoribus tradunt; ad Chriſtum illos mittant, ut ea quæ Chriſti ſunt, doceantur; hoc eſt, mores probos, virtutémque; non nuda litterarum ſtudia; neque ſpectent, quis ex iis ſequi ſoleat aut proventus, aut *honos*, qui (ut vulgò dicitur) *alit artes*.

Parentes filios cœlo mittant.

Auguſtinus ubi ſibi, Deóque redditus eſt, prodere cœpit, atque damnare præpoſteros parentum amores, ac molimina, quibus filios ſuos liberalibus diſciplinis excultos volunt, non tam ad ſalutem, quàm ad vanitatem, nec ad IESUM emittunt, ut Ioannes; ſed ad vanulum aliquem magiſtellum, à quo potiùs diſcant terris ſapere, quàm cœlis.

Parentes noſtri, inquit, *quando nos in ſcholam mittebant, non hoc nobis dicebant: Diſcite litteras, ut habeatis unde legere poſſitis codices dominicos; diſcite litteras, ut ſitis utiles Eccleſiæ, utiles Reipublicæ, nec ipſi Chriſtiani hoc dicunt. Sed quid dicunt? Diſce litteras, mi fili, ut ſis homo: quid enim? modo pecus ſum? non quidem hoc dico; ſed ut ſis homo, hoc eſt eminens inter homines, illuſtris, & conſpicuus.* Lib. de Diſcip. Chriſti. c. 11.

Non honori.

Hæc Auguſtini ætate dixêre filiis ſuis Parentes, & hæc etiam noſtrâ, præpoſterâ ſanè cogitatione, damnandiſque curis, quid enim, ut Salviani magni Præſulis utar eloquentiâ:

Quid æſtuas paterna pietas ad conquirenda terrena, & peritura? nihil majus filiis tuis præſtare poſſis, quàm ſi hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant: non ergo neceſſe eſt, ut filio tuo terrenos theſauros abſcondas, nullâ re eum facies ditiorem, quàm ſi filium tuum theſaurum Dei feceris: facies autem ſi Ioannis exemplo, menteque filios tuos magiſtris quàm optimis tradidens inſtituendos, non tam anxius quid diſcant huic vitæ brevi perituræ, quàm æternitati nunquam interituræ.

Non divitiis.

Sed proh dolor! alia plerumque hoc, quo vivimus ævo, ſtudia parentum, in quos verti poſſunt illæ Vatis querelæ:

Filii colligunt ligna, patres ſuccendunt ignem; mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam provocent, quaſi diceret Propheta, è filiis velut incultâ, & ſylveſcente arbuſcula pullulant rami noxiarum cupiditatum, quos tamen non amputant parentes benè providi: ſed potiùs colligunt, imò & ardentes illis faces ſuppenunt Ierem. c. 7. v. 18.

Non vanitati.

ſupponunt vanæ cujuſdam gloriolæ, quas fovent ſtultæ matres adipe ſuarum blanditiarum, ut ſacrificent Reginæ cœli, hoc eſt vanitati, quæ ſub ſole regnat; & libent diis alienis, Baccho, Veneri, Plutoni, & ſic Deum ſuum ad iracundiam provocent: quidni enim vel maximè provocent, cùm & in eum injurii ſint, & in proles ſuſceptas impii, utpote quos ſuâ illâ libidine perdunt, & æternùm quidem. audiant illi D. Chryſoſtomum etiamnum è cœlis tonantem:

L. 3. adverſus vituperat. vit. mon.

Nullâ aliâ ratione, inquit, *perverſi ut ſint filii contingit, niſi quòd eorum parentes circa vitæ præſentis commoda æquo ampliùs incumbunt, & ferè dixerim inſaniunt: cùm enim iſta ſolummodo inquirunt, nihilq; illis præferendum cenſent, & ſuam pariter, & liberorum animam negligere coguntur; hos ergo patres parricidis immaniores dixerim; illi enim corpus ob animâ ſeparant, iſti & corpus, & animam æternis ignibus tradunt.*

Alioquin parricidæ.

Cauſam ſi quæris, ea eſt in aperto; quia ſtudent huic tempori, non æternitati; terræ, non cœlo; corporibus, non animis filiorum; & tantùm anxii ſunt, ut illis aliqua ex hoc mortali ſolo detur benedictio; de ſuperna verò, quæ è cœlo defluat, ne cogitant quidem. Non ſic Ioannes, non ſic parentes pii; quorum unus is eſt labor, ut animus excolatur benè, corpus reponitur in poſtremis curis; illi primùm quæritur è ſuperis benedictio, tum huic ſua de terra portio relinquitur.

Exempla habes in Eſau, & Jacob

Habes hujuſce rei typum aliquem in Eſau, & Iacobo: ille quippe de terra, hic de cœlo initia duxit ſuæ benedictionis. Iſaac enim jam maturus ævi, dierúmq; plenus, Iacobo filiolo ſuo ſic benè eſt precatus.

Gen. c. 27. v. 28. 39.

Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ. Eſau autem, *In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua.*

Utrique benedicens, & cœli rorem, & terræ pinguedinem optat, ac vovet, magno tamen diſcrimine; de quo ita magnificè Tertullianus.

L. 3. contra Marcion, c. 24.

Animadvertenda *eſt ſtructura benedictionis iſtius: nam circa Iacob, qui quidem poſterioris, & prælatioris populi figura eſt, id eſt noſtri prima promiſſio cœleſtis eſt roris: ſecunda terrenæ opimitatis. Nos enim primò ad cœleſtia invitamur, cùm à ſeculo avellimur, & ita poſtea invenimur etiam terrena conſecuturi: & Evangelium quoque veſtrum habet.* *Quærite primùm regnum Dei, & hæc adjicientur vobis. Cæterùm ad Eſau promittit benedictionem terrenam, & ſubjicit cœleſtem.*

Matth. c. 6. v. 33.

Quàm multi parentes, hoc quo ſpiramus ſæculo, in liberos ſuos derivare conantur benedictionem, vel potiùs maledictionem infelicis Eſau; quàm pauci veram benedictionem unius Jacobi, filii longè cariſſimi; quàm multi, inquam, in hoc uno ſudant, & ſe noctu, diuque inſanis curis, ac ſtudiis atterunt, ut in ſuas proles plenis veluti quadrigis devehant opima terræ, terræ pinguedinem; de cœleſti rore in filiorum animos, tanquam in molle vellus, deducendo, ne cogitant quidem, nedum laborant; & hi eos amare, & ſervare ſe credunt, verè autem non amant: ſed oderunt, ac perdunt: dum ita & ſuæ libidini, & illorum libertati indulgent. Audiant illi D. Auguſtinum de quodam Cyrillo Hipponenſi, qui filium, quem habebat unicum, ita ſtultè deperibat.

In Cyrillo Hypponenſi.

Filium, inquit, *unicum habebat, quem ſuperſtitè diligebat, & ſupra Deum; ideóq; ſuperfluo amore inebriatus illum corrigere negligebat, dans ei poteſtatem faciendi omnia, quæ placita eſſent illi.* Et in hoc ei quærens benedictionem Eſau, terræ ſcilicet pinguedinem, non cœli rorem; licentiam vitæ ſæcularis, non libertatem filiorum Dei. Hinc S. Præſul quodam æſtu concitatæ mentis, atque orationis exclamat:

Serm. 30. ad frat.

O doloſa libertas! ô grandis filiorum perditio! ô paternus amor mortiferus! ecce filios ſe dicunt diligere, quos jugulare procurant; dicunt eos amare, quibus jam ſuſpendia parant. Ut proinde jure meritiſſimo dicantur à Divo Bernardo: *non parentes; ſed peremptores.* quòd ſi gravius auribus accidat ea vox; quod filiorum necem non ament, non quærant; at ſaltem hoc eis amant, & quærunt ut apud homines in gratia ſint, ut divitiis abundent, & aureo luto à quo proinde audient *Patres luti*; ſic enim eos appellandos cenſuit D. Gregorius Nazianzenus: à quo diſcedo, ut ſub oculos ponam etiam profani Regis exemplum, ut ex eo diſcant ad quos magiſtros filios emittere debeant, quibúſque inſtituere diſciplinis.

Ibidem.

Orat. ad Nicobul.

Perſarum Reges, ut refert Clemens Alexandrinus, filios ſuos anno ætatis decimo-quarto tradere ſolebant quatuor præceptoribus: è quibus

In Regibus Perſarum.

Primus erat Archipresbyter, qui eos inſtrueret in iis, quæ ad religionem, divorumque cultum pertinere videbantur.

In ſuo pædag.

Secundus erat Ariſtides unus aliquis, hoc eſt vir juſtus, & æqui tenax, qui doceret, quæ eſſent juſtitiæ leges, atque æquitatis.

Tertius erat Curius, aut Fabricius, id eſt, homo imprimis ſobrius, ac continens, qui & gulæ, & libidini impotentiori frænum injiciendum oſtenderet, quà verbo, quà etiam exemplo.

Quartus Achilles unus aliquis, & belli fulmen, qui ad arma manus, animúmque formaret.

Ita nimirum filios ſuos effingere Perſarum Reges; ita bonis artibus imbuere, & magiſtris inſtituendos tradere; ut ad regiam indolem virtutes quoque regiæ accederent. Utinam Chriſtianos inter etiam chriſtianæ: accedent certè, ſi vel magiſtri, vel parentum prima ſit cura ad Chriſtum ducere tenellam ætatem, mollésque filiorum animos, ut cælo ſapere diſcant, atque æternitati.

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis: cæci vident, claudi ambulant.* verſ. 4.

CUR PRO CHRISTO ET LINGUA TACEAT, & loquantur opera?

Lib. 2. Theſ c. 4.

DIvus Cyrillus in ea Chriſti verba, quæ mihi pro themate poſui, *interrogatus*, inquit, *an ipſe eſſet venturus, non ſtatim reſpondet, neque dixit, ego venturus ſum; ſed miraculorum magnitudine ſimul & multitudine oſtendit ſeipſum eſſe.* Placuit nimirum divinæ ſapientiæ injectæ quæſtioni ſatisfacere non verbis; ſed operibus: hæc enim & clariùs loquuntur, & clamant altiùs; & perſuadent efficaciùs.

Beneficentia Chriſto propria.

Exhibet autem non quævis opera; ſed ea potiſſimum in quibus inſignem aliquam, ac cœleſtem beneficentiam apertè legas, ac mireris.

Ratio ſi quæritur, ea eſt in omnium oculis, ac luce Univerſi: Deum enim, ac Meſſiam vel maximè prodit miſeratio, & in miſellos mortales beneficentia. In hoc veluti charactere, mutiſque typis & hic, & ille legitur. Et quidem ad Deum quod attinet, id ipſum vel ſolà duce ratione, ac naturà agnovere etiam Gentiles, è quibus Seneca: *Etiam Deo.*

Ep. 95. *Quæ cauſa eſt*, inquit, *Deo benefaciendi? natura. Errat ſi quis putat illum nocere velle.* Non poteſt: *accipere injuriam nequit, nec facere.* Qui enim faceret ipſa bonitas, cujus eſſe, eſt ſemper benefacere?

L. 6 Stromatum. *Cum ſit bonus, ſi ceſſavit unquam benefacere; Deus quidem ceſſabit eſſe, quod nefas quidem eſt dicere*; inquit Clemens Alexandrinus; cujus calculo, ſenſuque beneficentia ita Deo conjuncta, ut non magis ab eo abeſſe poſſit, quàm ipſe à ſeipſo; nec magis deſinere, quàm ipſe.

Ex quo duo ſequi neceſſum eſt. Primum ut omnibus faciat benè: alterum ut nemini faciat, aut etiam facere poſſit malè.

L. 2. de ira c. 27. Iterum appello Senecæ fidem, atque authoritatem. *Quædam ſunt*, inquit, *quæ nocere non poſſunt, nullamq; vim niſi beneficam, & ſalutarem habent; ut Deus immortalis, qui nec vult obeſſe, nec poteſt: natura enim in illo mitis, & placida eſt, tam longè remota ab aliena injuria, quàm à ſua.*

Malefacere alienum. At inquiet unus aliquis; quandóque, & ſæpiùs nocere videtur iratum Numen, cum plectit, cùm à ſceleratis hominibus pœnas exigit: neque illud nego; ſed hoc aſſero, quale, quale eſt à Deo Prophetarum oraculis appellari, *opus non ſuum; ſed alienum, & peregrinum*. *Iſaia 28. v. 21.* Hinc dolore tangi dicitur, & quodammodo angi, atque excruciari, cùm infligenda cuiquam eſt pœna; quòd perſpicuè apparuit primùm ubi vindices orbi ſcelesto immiſit aquas; tum enim *tactus eſt dolore cordis intrinſecus*. *Gen. c. 6.* Deinde ubi poſt longa ſæcula ingrato Iſraeli & ſupplicia, & mors fuit inferenda; tum enim Deus ex inclinatione ſuæ bonitatis, ingeminare ſæpius auditus illud amantium:

Ezech. c. 33. v. 11. *Vivo ego, & quare moriemini domus Iſraël?* quaſi diceret, cùm ego vivam, & vita mea ſit tua, ô Iſraël, & omnium vita; quare moriemini, ac non potiùs vivetis, & vitæ meæ, quà licet, participes eritis?

Quod ſi fortè (quæ ſæpius eſt immanis hominum malitia) & vivere nolint illi & mori velint; adeóque & punire eos, & plectere quodammodo cogatur Deus, etiam tamen in hoc miſeretur, atque indulget, ut verum ſit illud D. Hieronymi. *In c. 7 Ezechiel* *Non parcit ut parcat, non miſeretur ut magis miſereatur.* Et hoc D. Auguſtini. *Pſal. 98.* *Etiam vindicans propitius fuiſti.*

Cùm ea ſit divinæ bonitatis inclinatio, ea in omnes à natura beneficentia; quid mirum ſi ad illam quæſtionem: *Tu es qui venturus es?* non aliud ſubjiciat, quàm opera miſerationis, quæ Deum probant, atque oſtentant.

Inde per benefacta probatur Chriſtus. Videamus modò, qui etiam eadem Meſſiam eſſe convincant.

Divina providentia, quæ Dei filium aliquando hominem eſſe voluit, & externa oris, vultúſque ſpecie aliis non abſimilem, ſigna quædam extulit, ex quibus prodi poſſet, quæ latebat Divinitas: ea porrò in alto mentis exceſſu vidit Iſaias, & in poſteros emiſit, ne qua iis errandi relinqueretur occaſio; ea autem fuerunt ejuſmodi:

C. 35 v. 4. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

Hæc fuére prodigia, è quibus velut è veſtigio quodam, legi potuit Deus homo, Meſſias, & Servator Univerſi; cujus vitæ mortali, quæ ad immortalem tranſitus eſt, appendi potuit hoc lemma.

Act. c. 10. *Tranſiit benefaciendo, & ſanando omnes*, & ita quidem ut dicere poſſes illi nec ora, nec oculos, nec manus, nec pedes fuiſſe, niſi ad beneficia, ſalutemque miſeris conferendam; quod aureo ſtylo notavit D. Chryſologus in illa D. Matthæi verba. *Cùm veniſſet Dominus in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem, & febricitantem.*

C. 8. v. 14. *Vidit*, inquit, *non ſalutantium pompam, non familiæ concurſum, certè neque præparationis ornatum: ſed inſpexit gemitum languentis, febrientis attendit incendium, vidit periculum deſperatæ, nec ante ad humana diſcubuit Chriſtus, quàm mulier, quæ jacebat, conſurgeret ad divina.* Ex his vides ô homo, quomodo tuæ infirmitati aperiantur Salvatoris oculi, & cæteris occludantur: audi quomodo etiam eidem illacrymari docti.

S. Præſul Chryſologus, quo authore hîc utor, exiſtimat Chriſtum cùm ad excitandum à ſumno, hoc eſt à morte, Lazarum advenit, lacrymas effudiſſe indices & mœroris, & lætitiæ: mœroris quidem, quòd tum temporis unicum duntaxat ab inferis Lazarum revocaret, qui omnes revocare geſtitabat; lætitiæ verò, quòd jam præſentiret aliquando fore, ut omnes vitæ redonaret; ſic enim S. Doctor in illa D. Ioannis verba: *Et lacrymatus eſt Ieſus.* *Cap. 11.*

Chriſtus, inquit *non dolore mortis: ſed illius lætitiæ recordatione lacrymavit, qui voce ſuâ, voce unâ, omnes eſt mortuos perpetuam ſuſcitaturus ad vitam. Fremit ſpiritu, & totâ ſe viſcerum commotione conturbat, quia adhuc ſolum Lazarum, & non jam omnes mortuos ſuſcitabat.* *Serm. 6.*

Nimirum ad beneficia, ad vitam, ad ſalutem homini dandam adeò pronus eſt Chriſtus, ut ſi quæ ei conniventiæ ac beneficentiæ injecta eſſet mora, & ex animo mœrorem, & è pectore gemitus, & ex oculis lacrymas eliceret: quod nemini mirum, & inſolens videri debet, eò quippe venerat Chriſtus, ut omnibus faceret benè, ut daret omnibus.

Indéque & Meſſias audire, & dici debuit *Altiſſimi filius*: quod pro ea, qua fuit ſolertia, animadvertit D. Chryſologus in illa Angeli ad MARIAM verba. *Luc. c. 1. v. 30.* *Vocabis nomen ejus* JESUM, *hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus ſedem David patris ejus.*

Vides, inquit, *quia quando accipit, David filius dicitur; quando dat, Dei filius nuncupatur.* *Serm. 144.* Dei quippe eſt dare, neque accipiendo proditur Divinitas; ſed dando mortalibus oſtentatur: ideóque ut hanc Joanni ac diſcipulis apertam faceret, adjecit: *Renuntiate Ioanni quæ audiſtis, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* In quæ verba D. Bernardus piè ut aſſolet.

Nec breviùs, inquit, *nec clariùs intimari valuit fidei certitudo. audita, viſa confirmant, ut duorum teſtimonium (auris, loquor, & oculi) ratum ſit. Haud dubius aſſero, quod auribus, oculiq; percepi; intonat tuba ſalutis, coruſcant miracula, & mundus credit; citò enim perſuadetur quod dicitur, dum quod ſtupetur, oſtenditur.* *Serm. 59. in Cant.*

Et hinc elabor ad alterum, quod mihi initio propoſui; quiſquis à Chriſto dicitur, & verò etiam eſt Chriſtianus, eum ſe præſtet non linguâ; ſed opere: *Probatur & Chriſtianus.* memor illius qui ſe non voce; ſed opere, Chriſtum probavit, & redemptorem univerſi, ad cujus normam nos ipſos exigere debemus, ſi modò ii ſumus, qui eſſe volumus, Chriſtiani. D. Gregorius Nyſſæ Pontifex, cùm de Chriſtianâ profeſſione diſputaret, nihil aliud eſſe volebat Chriſtianiſmum, *De profeſſ. Chriſt.* quàm μίμησιν τοῦ Θεοῦ, imitationem Dei. Hanc aſſequi non linguæ labor eſt; ſed manus.

Duplex ei veſtis. De matris Eccleſiæ filiis, ac domeſticis cecinit olim Sapiens: *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus.* *Prov. 31. v. 21.* Quæ ſit illa veſtis, eáque duplex, ſi quæras? audies ex Rabano, quod *una ſit operis, altera mentis*: hac & illâ quiſquis tegitur, ac nitet, is verè Chriſtianus *L. 3. in Prov.* cenſendus eſt, Chriſti diſcipulus, & aſſecla; qui autem caret altera, næ ille degener eſt, & procul à gremio parentis Eccleſiæ procul à Chriſti ſchola; in qua duplex proponitur lectio, una mentis, operis altera.

Dixit

L. 1. Ep. 396. Dixit olim Iſidorus, *vivam eruditionem* ad mortuam adjungi oportere. Mortua erat copioſa oratio, multis, ac gravibus ſententiis elaborata; at viva inſtitutio, erant ipſa rerum honeſtarum exempla: hæc ſi adſint, ſua illi vis inerit, atque authoritas, ſua vita, & ſpiritus alnor; ſin autem abſuerint, videbitur illa quaſi mortua, & ſenſus omnis expers, ac vitæ.

Viva eruditio.

Hoc diſcrimen mortuæ, ac vivæ eruditionis bellè expreſſit D. Gregorius Nyſſenus, cùm verba ſine operibus dixit eſſe σκιαγραφίας, adumbratas, inanéſque picturas, quas opponebat *veriſſimis rebus*, ſolidíſque actionibus; illas reſpuunt, damnántque Superi, has probant, ac commendant vel maximè; & hoc quidem, quia

Orat. 2. de Pauperi.

Doctrina rebus inſtruit.
Vel ne doceto, vel doceto moribus.
Sermone non tam, quàm manu pictor docet.

In Iambicis. In Tetraſticis.

Canebat olim pius vates D. Gregorius Nazianzenus, qui Chriſtianos omnes pictores eſſe voluit, qui non tam voce, præceptiſque valerent, quàm manu, doctóque operum penicillo, quo & in ſe, & in aliis magnarum virtutum imaginem exprimerent, eámque vivam, & probè animatam; à qua ſcilicet una, ad omnes emanaret, & ſanctimoniæ lumen, & amabilis ubique decor: quem afferent non verba; ſed opera: hæc enim potiſſimùm requiruntur, quia ut ſcitè Caſſiodorus, *Publici decoris mater, eſt mens, & vita regentis.*

Verba, & opera.

L. 3. Ep. 12.

Ejuſmodi fuit Aggæi prophetæ, de quo Dominus, ejus ore, calamoque. *Factum eſt verbum Domini in manu Aggæi*: Quomodo, inquies, in manu? cur non potiùs in linguâ? hæc enim loquitur, & altùm clamat: illa profundiùs ſilet. Ita videtur imperitæ multitudini, at non ſic Superis, non ſic iis, quibus acutior eſt intelligentiæ vis: his enim *verbum Domini* non eſt in lingua, ſed *in manu*. ubi enim potiùs?

Mens & vita. *Cap. 1. v. 1.*

Lingua & manus.

Verbum Dei gladius eſt, & quidem divini ſpiritus, qui proinde manu tractari debet, non ſoli linguæ alligari, ut alligare videntur ii qui verbum Dei docent, & non faciunt. Quos acriore ſtylo pungit venerabilis Gilbertus Abbas:

Quid, inquit, *lectulum ambis, lectulum Chriſti veri Salomonis, qui gladium non habes? aut ſi habes gladium verbi, habes eum in vagina, non habes in lingua? non tenes manibus lingua.*

In c. 3. Cant.

Alludit ad *ſexaginta fortes*, qui lectulum Salomonis ambiebant, omnes tenentes gladios, quibus ſimiles eſſe vult Eccleſiæ duces, inclytóſque heroas: quibus non eſt ſatis habere gladios: ſed neceſſe eſt etiam manu tenere, hoc eſt, interprete D. Gregorio, non eſt ſatis ſcire: ſed oportet & facere, quia ut piè D. Bernardus: *Et ſi doctus quis fuerit, non ſit autem bonus, verendum ne non tam nutriat doctrina verbi, quàm ſterili vita noceat.*

Cant. 3. v. 7.

Lib. 19. Moral. c. 29.

Serm. 76. in Cant.

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Cæci vident, claudi ambulant.* verſ. 5:

CUR INTER DIVINÆ MISERATIONIS beneficia primum cæcis viſus: deinde claudis greſſus reſtituitur?

Ex hoc beneficiorum ordine.

CUM beneficiorum cœleſtium contexeret ſeriem Evangeliſta, primùm ait, *cæci vident*, deinde, *claudi ambulant*. quod ne caſu factum crede: ſed amabili Dei providentiâ, quæ in eo duarum vocum ordine, duo claudit, aperítque morum documenta.

I. Diſces noſſe bonum.

In uno intellectum quaſi bonæ mentis oculum inſtruit, in altero voluntatem, ceu animæ, ac potentiarum Reginam, accendit, docétque ad perfectam hominis ſanitatem non eſſe ſatis, ſi oculo, hoc eſt intelligentiæ benè ſit, niſi etiam & pedi ſit quàm optimè: clariùs rem evolvo. Non eſſe ſatis bonum noſſe, niſi etiam feceris.

II. Facere.

Cùm ex Ægypto educendus fuit Iſraël, adhibita fuit manus tum Moyſis, tum etiam Aaronis, hoc eſt, interprete Origene; ſcientia, cognitióque legis, ac divinorum; & vitæ probitas, morúmque innocentia: de hac, & illa canit vates regius.

Pſ. 76. v. 21. 27. in Num.

Deduxiſti ſicut oves populum tuum in manu Moyſi, & Aaron; in quæ verba ſic Origenes ævi ſui miraculum:

I. Ex Iſraelitis.

Ad exeundum de Ægypto non ſufficit una manus Moyſi, quæritur & manus Aaron. Moyſes indicat ſcientiam legis; Aaron ſacrificandi Deo, & immolandi peritiam. Opus ergo eſt ut exeuntes de Ægypto non ſolùm ſcientiam legis, & fidei: ſed operum, quibus Deus placetur, fructum habeamus.

Hæc ubi generatim dixit, tum ad exempla deſcendit, docétque quid in nobis manus Aaron, quidve manus Moyſis operetur.

Si exiens de Ægypto, inquit, *& converſus ad Deum abjiciam ſuperbiam, per manus Aaron taurum Deo ſacrificavi: ſi petulantiam, laſciviamq; peremero, hircum Domino jugulaſſe me Aaron manibus credam: ſi libidinem vicero, vitulum; ſi ſtultitiam, ovem immolaſſe videbor: hac ergò cùm anima vitia purgantur, manus Aaron operatur in nobis: & manus Moyſi nobiſcum eſt, cùm ad hac ipſa intelligenda illuminamur ex lege; & ideò utraque manus neceſſaria eſt de Ægypto exeuntibus, ut inveniatur in eis non ſolùm fidei, & ſcientia; ſed & actuum, operumq; perfectio.*

II. Ex Chriſti miraculo.

Hæc documenta formandis ritè moribus deduxit Origenes ex manu Moyſis, & Aarou, veluti typo quodam, ac figurâ veritatis: à qua priuſquam abeam, occùrrit oblatum olim Chriſto miſellum aliquem, cui dextra manus exaruerat; licet ſiniſtra adhuc eſſet ſucco plena: quid autem & hæc, & illa portenderet, audies ex Euthymio, cui ſiniſtra manus ſcientiam deſignabat, dextra operationem.

Matth. c. 12. v. 10.

Geſtat, inquit, *manum dextram aridam, quiſquis dextram operationem non exercet.* Quod ipſum Divus Bernardus aliâ figurâ exhibitum olim credidit in duabus alis, quibus ad Tabernaculum Seraphini tegebantur:

In Matth.

Ego opinor, inquit, *non incongruè per pennas iſtas, agnitionem, & devotionem poſſe intelligi, quibus in eum, qui ſupra cœlos eſt, Seraphim rapiuntur; levat quippe cognitionis ala: ſed ſola non ſufficit: ruit citiùs, qui unâ tantùm ala volare contendit; & quò magis attollitur, pejùs colliditur. Ubi verò intelligentiam caritas, agnitionem devotio comitatur, volet ſecurè, quiſquis ejuſmodi eſt, volet ſine fine, quia volat in æternitatem.*

Serm. 4. de verb. Iſa.

III. Ex duabus alis Seraphim.

Sic volaſſet in primis mundi cunis Lucifer, ſic in beatam æternitatem evolaſſet; ſi ſcientiæ, quâ tum pollebat, & caritas adfuiſſet, & humilis ad divina

IV. Ex caſu Luciferi.

ſubmiſſio,

ſubmiſſio, & quaſi alterum à bonis operibus alarum remigium; atquia hoc defuit, concidit ille, & immanem è cœlis Angelorum ruinam traxit, cujus cauſam animo dum ſpectat, & accuratè perpendit ille ipſe lacteus Doctor, ſic eum alloquitur:

Serm. 4. de verb. Iſay. *Vt quid tu, qui manè oriebaris, Lucifer, in veritate non ſtetiſti? niſi quia Seraphim non fuiſti; habuiſti lucem: ſed ardorem non habuiſti. Meliùs eſſet tibi, ſi ignifer magis eſſes, quàm Lucifer.*

Rectè S. Præſul aſſerit meliùs illi futurum fuiſſe ab igne, quàm à luce: ab igne caritatis, quàm à ſcientiæ luce; hæc enim, ſi abſit illa, ad ſalutem nihil omninò confert. Ideoque tam hanc, quàm illam ardentibus à Deo votis expetebat Propheta regius: *Pſal. 118. v. 22.*

Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum, inquiebat; hoc eſt, interprete Ambroſio: *In Pſ. 118.* *Secundùm verbum tuum intellectum tribue mihi, id eſt non ſecundùm Philoſophos, non ſecundùm Cauſidicos, non ſecundùm Mercatores hujus*

V. Ex Davidis voto.

ſeculi, non ſecundùm Architectos domorum: ſed ſecundùm verbum tuum, quod eſt ſapientiæ, bonorumq; operum fundamentum: quo jacto ſuperſtruere poſſis ædificium, quod ferat æternitatem, quo deficiente neceſſe ſit nutare omnia, atque collabi; quod aliâ ſimilitudine, ſed huic loco opportunâ explicat Lactantius:

Lib. 6. div. Inſtit. c. 15. *Sicut*, inquit, *in itinere nihil prodeſt viam noſſe, niſi conatus, ac vires ſuppetant ambulandi: ita ſcientia nihil prodeſt, ſi virtus propria deficiat.* Dum hoc corpore circumfertur animus, peregrinus eſt, ac viator, cujus meta, ac terminus eſt beata æternitas; ad eam ut tendas, ut pervenias, parum eſt viam noſſe, niſi in eam quoque pedem intuleris.

VI. Ex differentia Philoſophi, & Chriſtiani.

Tertullianus vir acris ingenii, & gravis morum cenſor; eos aculeatâ oratione pungebat, quibus ſatis videbatur eſſe, noſſe cœli viam, ac ſalutis, etſi in eam caritatis, operúmque gradu non evaderent.

In Apolog. n. 46. *Quid*, inquit, *adeò ſimile Philoſophus, & Chriſtianus? Græciæ diſcipulus, & cœli? famæ negotiator, & vitæ? verborum, & factorum operator? rerum ædificator, & deſtructor? amicus, & inimicus erroris? veritatis interpolator, & integrator? furator ejus, & cuſtos?*

Componit inter ſe Philoſophum, & Chriſtianum, liquidóque oſtendit quantùm inter hunc & illum intereſſe ſit neceſſe.

Philoſophus Græciæ, & hominum eſt diſcipulus: at Chriſtianus cœli, & Dei, & hinc magnum chaos interjectum. Philoſophus enim totum ſe ad famam comparandam dirigit; Chriſtianus ut honeſtè vivat; ille verbo-tenùs laudabilis, hic etiam factis: ille ſuis placitis, religione ſublatâ, neſciens principibus ſervire, conjurat contra res humanas, diſſipátque concilia; huic nihil eſt antiquius, quàm mutuâ caritate omnia ſimul devincta conſervare.

Alter cùm in univerſa natura providentiam videat, ſuis tamen ſophiſmatibus in errore verſari contendit: alter ſuâ ſimplicitate errorem quàm maximè poteſt abigit à ſe: alter interpolat, fucóque veritatem commendat, id eſt elegantiâ tantùm verborum, & ſyllogiſmis: alter exprimit ipſa re.

VII. Ex præclaro D. Bernardi dicto.

Hoc Tertulliano judice diſcrimen eſt Philoſophum inter & Chriſtianum. Quod etiam piè notavit D. Bernardus, dum aperit quantum diſtet is, qui ſpecie-tenùs eſt ſapiens: & qui re etiam ipſa:

Serm. 23. in Cant. *Inſtructio doctos reddit, affectio ſapientes. Sed non omnes quibus lucet, calefacit. Sic ſapientia multos, quos docet quid ſit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Aliud eſt multas divitias ſcire; aliud & poſſidere: nec notitia divitem facit: ſed poſſeſſio. ſic prorſus, ſic aliud eſt noſſe Deum, & aliud timere; nec cognitio ſapientem, ſed timor facit, qui & afficit.*

VIII. Ex D. Nazian. ſenſu.

Idem olim judicium fuit D. Gregorii Nazianzeni, qui hæc diſerto calamo in poſteros emiſit:

Orat. in plaga grandinis *Non is, qui in verbis ſapit, mihi ſapiens erit: ſed ille, qui pauca de virtute loquitur, multa verò oſtendit operibus, fidemq; ſermonis per vitæ roborat actionem:* hic profectò ſapiens erit. Quod ipſum naturâ duce, ac magiſtrâ didicit, ac docuit Seneca; cujus hoc effatum dignum ſanè lycæo:

Epiſt. 94. *Qui facienda, & vitanda percipit, nondum ſapiens eſt: niſi in ea, quæ didicit animus ejus transfiguratus ſit;* &

IX. Ex Seneca.

quia ſic transfigurari volebat Lucilium, quem ut diſcipulum ſuis præceptionibus probè imbuebat, hæc ad illum frequentibus litteris:

Epiſt. 108. *Illud admoneo, auditionem Philoſophorum, lectionémque ad propoſitum beatæ vitæ trahendam, non ut verba ficta, aut priſca captemus, & tranſlationes improbas, figuráſque dicendi: ſed ut profutura præcepta, & magnificas voces, & animoſas: quæ mox in rem transferantur; ſic iſta dicamus, ut quæ fuerunt verba, ſint opera.*

Hæc Seneca, licet Ethnicus homo, & ſenſit, & ſcripſit, & alios quoque & ſentire voluit, & re etiam ipſa præſtare; ſic enim & Lucilium, & nos ipſos urgere:

Epiſt. 75. *Quando multa diſces? quando quæ didiceris, affiges tibi? quando illa experieris? non enim ut cætera memoriæ tradidiſſe ſatis eſt: in opere tantanda ſunt, non eſt beatus qui ſcit illa: ſed qui facit.*

Hæc ille à Philoſophia licet profana benè doctus: rebatur nimirum quod & palam, aperteque profitebatur, quod *Philoſophia non eſſet populare artificium, nec oſtentationi paratum, nec in verbis: ſed in rebus.* *Epiſt. 16.*

Quod ſi Senecæ ea fuit Philoſophia, quæ erit homini Chriſtiano? ea ſanè quæ pietatem, quæ religionem, quæ caritatem, virtuteſque omnes non verbis oſtentet: ſed operibus exhibeat ac præſtet: & hoc (ut ibi deſinam unde cœpi) nos omnes doctos voluit Servator optimus: cùm Evangeliſtæ calamo primùm cœco memorat redditam lucis uſuram, deinde claudo greſſum, pedémque expeditum.

QUÆSTIO SEXTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Pauperes Evangelizantur.* verſ. 5.
CVR DICIT PAVPERES EVANGELIZANTVR, an non etiam divites, an non omnes?

ERAT Chriſtus hominum generi univerſo, quod orbi Sol; ſurgebat, lucebat, ardebat omnibus, & Evangelii lucem quaquaverſum diffundebat; cur igitur ait *pauperes Evangelizantur?* quaſi ſolis illis Evangelicæ veritatis lumen affulgeret.

Res non vacat myſterio, quod evolvere eſt animus. D. Hieronymus in illud de Meſſia vaticinium: *Iſay. c. 61. v. 1.* *Ad annunciandum manſuetis miſit me*, vertit *pauperibus* ex hebræa voce *anaïim*, quæ pauperes ſignificat; quaſi ab æterno Patre in terras emiſſus eſſet filius, ut Evangelii arcana reſeraret pauperibus, hoc eſt, interprete eodem Hieronymo, pauperibus ſpiritu,

ac vo-

ac voluntate; non autem neceſſitate, & nativâ quadam, ac mundo deſpicabili egeſtate: placet tamen etiam de hac intelligi illud Chriſti, *Pauperes Evangelizantur.* atque ex horum quoque numero fuere Apoſtoli, ac diſcipuli Domini, de quibus ore aureo Chryſologus:

Apoſtoli pauperes.

Serm. 21.

Erant cenſu pauperes: ſed innocentiâ locupletes; loco humiles; ſed ſanctitate ſublimes.

Deinde viri religioſi, quos inter S. Franciſcus Aſſiſius, qui Paupertatem modo *matrem* (à qua ſcilicet Religioni, Deóque genitus) modo *ſponſam* (cui nimirum arctiſſimo quodam amoris nexu vinctus) modo *dominam* (cui ſubeſſe, ſervireque illi voluptas erat) appellare ſolebat.

Wadingus tom. 1. Annal. Minor. An. 9.

Placuêre ſuperis eæ apppellationes. Romam quippe in Galliam eunti exhibitæ divinitùs tres mulieres, eæque pannoſæ, ac pauperculæ, & quidem ſtatura, ætate, formáque per omnia ſimiles, quæ oblata Divo Franciſco ſalute: ſic ad illum, *Beneveniat Domina Paupertas.* Et verò venit illi benè, imò & quàm optimè; cùm enim ex oculis evanuiſſent, intellexit Vir ſanctus iis deſignari tria Religionis vota: Nempe Caſtitatem pauperem, Pauperem obedientiam, atque Voluntariam egeſtatem; in qua ut eminere viſi ſunt Religioſi: ita & in ipſa Eccleſiæ infantia Chriſtiani omnes (qui vulgo dicti *pauperes*) quam appellaoooem non ignominiæ, ſed honori ducendam ait Minutius Fœlix:

In Octav.

Quod, inquit, *plerique pauperes dicimur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria: animus enim ut luxu ſolvitur; ita frugalitate firmatur. Et tamen qui poteſt pauper eſſe, qui non inhiat alieno, qui Deo dives eſt?* De hac paupertate extat illud D. Auguſtini dulce, ac propè divinum acroama:

Etiam Chriſtiani.

Serm 26 de Verb. Apoſt.

Magnæ fœlicitatis eſt conditio Chriſtianorum, quibus claritudo regni in paupertate poſita eſt. Hæc paupertas facilem Evangelio viam aperuit, & aures, animosque mortalium recluſit; ut illius lucem admitterent, imò & Solem ipſum, qui Chriſtus eſt, & *qui cum eſſet dives propter nos egenus factus eſt.*

2 Cor. 8. v. 9.

Pauperitatis laus.

Hæc paupertas à D. Baſilio dicta *Pædagogus ad colendam pietatem.*

In c. 12 Iſai. A D. Chryſoſtomo, *palæſtra, in qua virtus exerceatur.*

In Pſal 9. A Petro Ravennate, *virtutibus cognata.*

L. 2. ep. 257. Ab Iſidoro Peluſiota, *modeſtiæ materia, ac fundamentum* humilitatis, cui ſuperextruere poſſis ingentem molem ædificii ſpiritualis, hoc eſt Chriſtianæ perfectionis, ad quam evadere non poteſt niſi pauper.

Diſponit ad fidem & perfectionem.

Argumento erit, atque exemplo adoleſcens ille, qui ſalutis ſuæ percupidus, & vitæ æternæ amantior quæſivit à Chriſto: *Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* cui ſubjecit Salvator: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*; cúmque adjeciſſet ille: *omnia hæc cuſtodivi à juventute mea*; addidit Magiſter optimus, quod erat conſummatæ perfectionis: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me.*

Matth. c. 19. verſ 16.

verſ 17.

verſ. 20.

verſ. 21.

Contra divitiæ avocant.

Quid ad hæc adoleſcens? quid ille cœli candidatus? quid propè laureatus in Chriſti ſchola diſcipulus? num annuit benè monenti? num abit è paterna domo? num ſuis extremum dicit vale? num omnia vendit, ut effuſo, pióque ſumptu in pauperes eroget? num Chriſtum nudum nudus ſequitur? Ita profectò factum oportuit, & ita polliceri videbatur innocens illa anteactæ vitæ ſeries, & exacta mandatorum Dei obſervatio, & candor ingenuæ mentis, quam etiam, teſte Evangeliſta, amavit ipſe Chriſtus: attamen ſecus omninò accidit: perculſus enim ea magiſtri ſui voce, arduiſque præceptionibus, humeros demiſit, frontem contraxit, nec vocem dedit, nec nutu annuit: ſed illicò ſe ſubduxit è Domini conſpectu, & *abiit triſtis.* Cauſam ſi quæris, ea in oculis eſt: *Erat enim habens multas poſſeſſiones.*

Marc. c. 20.

Verſ 22.

Eam à Chriſti ſchola defectionem dum ſpectat Auguſtinus:

Neſcio, inquit, *cùm ſuperflua terrena diliguntur, arctiùs adepta, quàm concupita conſtringunt. Nam unde juvenis ille triſtis diſceſſit, niſi quia magnas habebat divitias? Aliud enim nolle incorporare quæ deſunt: aliud jam incorporata divellere. Illa enim velut extranea repudiantur; iſta velut membra præciduntur.* Epiſt 45. ad Paulinũ & Teraſiam.

Et hinc ille doloris ſenſus, non abſimilis ei, quem horret, ac fugit animus, ubi membrum aliquod corporis amputari debet, quia eæ vero homini opulento, divitiæ ſunt quaſi ipſius membra; imò (quod vix tibi perſuadeas) ſunt inſtar cordis, quod revelli non poteſt ſine ſumma vi doloris. Ac ne videatur hoc à me dictum ex quadam oratoriæ artis licentia, audi quid olim Laban ad Jacobum è domo ſua ampliſſimas opes exportaotem:

Quare, inquit, *ſic egiſti, ut clam me abigeres filias meas.* In hebræo legitur: *Quid feciſti? & furatus es cor meum*, id eſt interprete Caietano, *furatus es meas divitias, quæ mihi erant inſtar cordis.* Et eæ quoque fuêre adoleſceno illi, de quo in præſens eſt mentio, & eæ divitibus hujus ævi, quorum ſortem omninò miſerandam dum luget Servator, *dixit diſcipulis ſuis: quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum*; & rurſum: *Faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Hæc ad diſcipulos Magiſter optimus; qui eò loci uſus eſt parœmiâ apud Hebræos uſitatâ, quâ, aut quippiam adynaton, aut arduum, ſummeque difficile ſignificabant, cujuſmodi eſt ſalvari divitem: profectò enim illud, aut impoſſibile, aut omninò difficile: tantùm à divitiis aut impedimenti, aut obicis objicitur ei, qui in cœli regiam iter ſibi parat.

Gen. c. 31. v. 16.

Divitiæ cor.

Verſ. 22.

Verſ. 24.

Ratio in aperto eſt: facit enim opum, aurique cupido, ut vel illud quæratur per fas, & nefas, quod eſt injuſtitiæ; vel mentem à cœleſtibus avocet, & ad terrena traducat, quod damnandæ eſt abjectionis; vel materiam præbeat, & quaſi fomitem vitiorum omnium; quod ſummæ eſt infœlicitatis.

Earum damna.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Sic eas appellandas cenſuit vates, licet profanus: ſic SS. Patres, qui eas aliis, atque aliis epithetis, velut ſtigmate quodam notandas eſſe putaverunt. D. Ambroſius melleâ, ſed forti eloquentiâ divitias eſſe dixit, *inane lucrum, & pretioſæ animæ detrimentum.* De bono mortis, c. 5.

Salvianus de iiſdem agens ait: *Impedimenta hæc ſunt, non adjumenta; onera, non ſubſidia. Poſſeſſione enim, & uſu opum non fulcitur religio: ſed evertitur.* Lib 2.

Impedimenta.

D. Gregorius Nazianzenus ὄργανον ἀσεβείας *impietatis inſtrumentum.* Orat. 22.

Salvianus (ad quem iterum revocor) *Diaboli catenam*, à qua Gregorius Nazianzenus divites appellat δεσμίους γῆς *compeditos terræ*: Hieremias triſti nænia *vinctos terræ*, quibus conſentit D. Proſper ubi divitiarum amorem vocat, *ferreum cupiditatis imperium*; & Seneca graviore uſus voce, *auctoramenta ſervitutum*; quaſi in pecuniis non unum ſit genus ſervitutis: ſed multiplex, immane, atque intolerandum.

Lib. 2.

Thren. c. 3. v. 34.

L. 2. de vit. contempl. c. 15.

His affine eſt, quod D. Cypnanus non ſine gravi doloris ſenſu deplorat in furioſa Eccleſiæ vexatione; qua ſæculo illo afflicti Chriſtiani plerique vincula religionis, ac fidei excuſſere, ne auri, opúmque vincula exuerent. Epiſt. 104.

Illa, inquit, *fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens vincta, & anima præcluſa.*

Nimirum ut pulchrè Minutius Fœlix: *Facultatibus ſuis ita illigantur* divites, ut magis aurum ſuſpiciant, quàm cœlum; quod mirum non eſt, quia ut rectè notavit D. Ambroſius: *Ut aurum eorum ſub terra, ita & cor eorum ſub terra.* In Octav.

De Iacob. c. 13.

Hæc Sancti Patres divitiis appinxere nomina, ut

in iis legas quid ex veritate ſint, non ex vulgi opinione, quive ab iis miſerabili animulæ ſit periculi, quid impedimenti in virtutis via, in ſemita ſalutis, Et hoc, & illud tibi aperit Paulus Doctor Gentium, & cœli tuba; cùm divitias nominat, *Diaboli laqueum*, ſerioque monet eos, qui volunt fieri divites, *incidere in laqueum diaboli*, & iis inſtar avium ab infernali aucupe irretiri; de quo Ambroſium audi facundâ ut aliàs mente, vocéque.

1. Tim. c. 6. v. 9.

Lib. de bono mort. c. 5.

Laqueus, inquit, *in auro, viſcus in argento, nexus in prædio, clavus eſt in amore. Dum aurum petimus, ſtrangulamur, dum argentum quærimus in viſco ejus hæremus, dum prædium invadimus, alligamur.*

Hæc S. Ambroſius, quocum & ſenſit, & locutus eſt D. Auguſtinus; qui alia, atque alia epitheta auro affinxit.

Serm. 28. de Verb. Apoſt.

Aurum, inquit, *quod ærumna perquirit, quod avaritia cupit, quod ſollicitudo cuſtodit; aurum materia laborum, periculoſa res poſſidentium; aurum enervatio virtutum, aurum malus Dominus, proditor ſervus: aurum, quod in perniciem Domini fulget; aurum, cujus inquiſitio damnatos habet, cujus amor Iudam facit.*

Ex quibus conclude, Cur pauperes Evangelizantur.

Hæc Præſul Hipponenſis, à quo diſcedo, ut redeam ad propoſitum mihi thema, illúdque confiteciam ſcitè à Servatore noſtro dictum olim, *Pauperes Evangelizantur*, hoc eſt Evangelii lucem patentibus oculis, atque animis admittunt, ad quam caligant, ac propè cœcutiunt divites hujus ævi, qui ad illam ſunt, quod noctuæ ad Solem: *Pauperes Evangelizantur*, id eſt ingrediuntur arctam viam, quæ ducit ad cœlum, intrant per anguſtam ſalutis æternæ portam; cùm contrà viri opulenti, viri divitiarum, & lata gradiantur via, & ſpatioſa porta; qua pronus, ac præceps eſt lapſus in interitum, in chaos æternum. Quod ipſum S. Maximus oportuna ſimilitudine in apertum profert.

Quiſquis, inquit, *honoribus inflatus fuerit, & auri theſauris dilatatus tanquam onuſtum, & impeditum animal per anguſtum regni iter tranſire non poterit; ſimul enim ut ſe exiſtimat perveniſſe, ſarcinam ejus exigua porta non capiens, repercuſſo limine retrorſum redire cogetur.* quidni enim cogatur, cùm onus illud non capiat, non admittat anguſta cœli porta; cùm *grave onus innocentia ſubeat incrementis opum occupata.*

In cap. 19. Matt. v. 24.

Quia anguſta cœli porta.

Rectè ait *occupata*; ex vero enim divitum manus ita auro argentóve occupantur, ut etſi Dominus iis pretioſam Evangelii margaritam dare velit, eam ipſi capere non poſſint; quod D. Auguſtinus liquidò oſtendit in Adoleſcente illo, de quo antea mentio: aiebat *ille ad* IESVM; *Magiſter bone quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* Utique inquit Auguſtinus, *qui dicebat quid boni faciam? vitam æternam deſiderabat; ſed plùs amabat, quod tenebat. Vidit Dominus occupatas manus, dare vult, & non habet ubi ponat. Occupata ſunt manus accipientium:* Et quia ſic malè occupatæ, *dicit ei Dominus: Vade, vende omnia, da pauperibus, & pone illa in cœlo; quia in terra impediunt.*

Serm. 33. de Temp.

Benè ait, *impediunt*, quia ut ore aureo Chryſoſtomus, & *anguſta eſt via, quæ ducit ad regnum, & lata ſunt divitiæ, moleque plenæ, ac tumore.* Hæc ubi è pulpito pronuntiavit Orator ſacer, tum unà cum Servatore hoc adjicit, quod eſt Evangelicæ perfectionis, *Vende quæ habes, ut illa via te ſuſcipiat.* Ita ſuſcepit olim magnum illum Eremicolam, & Chriſtianæ paupertatis amantem Paulum; de quo ſic piè D. Hieronymus: *Illi pauperculo paradiſus patet: vos aureos gehenna ſuſcipiet.* Digna cedro ſententia, quam utinam divites hujus ſæculi continuò uſurparent oculis, memorique mente retinerent.

Hom. 33. in ep. ad Hebr.

In vit. Paul.

QUÆSTIO SEPTIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* verſ. 7.

QVÆ SIT ILLA LEVIVSCVLA, & inanis arundo?

Injuſtus inconſtans eſt, & ſimilis arundini.

ARUNDO ſymbolum eſt inconſtantiæ, & hominis leviuſculi, qui ad omnem auræ ſibilum movetur, atque in diverſa rapitur. Itaque

Primùm arundo dicetur, & erit is, qui verbis ſecum ipſe pugnabit, & nunc blandientis, atque adulantis in morem modùmque aliquid aſſeret; & mox id ipſum negabit, vel minis adactus, vel inani, ac damnando metu.

Deinde arundo cenſebitur ille, qui veritate, ac virtute vacuus erit, ſicut arundo medullâ vacua: virtus enim eſt homini, quod oſſibus medulla.

Tum etiam arundo erit is, qui nullum ex ſe profert fructum boni operis, inſtar arundinis infrugiferæ.

Denique arundo appellabitur omnis ille, qui rebus fluxis quodammodo innaſcetur, immergetur, paſcetur, oblectabitur; ſicut arundo, quæ ad fluviorum, aut lacuum oras creſcit, ac nutritur, ideóque audit *fluvialis arundo.*

Hæc omnia breviter, ac nervoſè complexus eſt author operis imperfecti, dum ait: *Omnis homo carnalis, vacuus in fide, levis in ſenſu, mollis in paſſionibus, arundo eſt.*

Non fuit is Joannes, quia, ut inquit D. Gregorius, *hunc nec blandum gratia, nec cujuſlibet detractionis ira aſperum faciebat. Nec proſpera hunc erigere, nec adverſa noverant inclinare. Arundo non erat, quem à ſtatus ſui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.*

Non fuit ergo Joannes levis, ac mobilis ut arundo, neque is etiam erit quiſquis juſtus eſſe, & dici voluerit: quia hic ad flumina nec naſcitur, nec creſcit: ſed potiùs ſuper flumina; exemplo, moréque verorum Iſraëlitarum, qui hæc aliquando de ſe ipſi jactarunt.

Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion.

In quæ verba D. Auguſtinus: *Flumina Babylonis* ait, *ſunt omnia, quæ hic amantur, & tranſeunt. Sede ſuper flumina, noli ſedere in flumine, noli ſedere ſub flumine. Ecce in Babylonia pulchra ſunt quæ tenent, non te teneant, non decipiant.*

In Pſal. 136.

Non tenebunt, adeóque nec decipient ſi modò juſtus es; quomodo enim res hujus vitæ: fluxæ illæ, & labiles diſtinerent juſtum, qui nec iis mergitur, nec adhæret, nec afficitur, ſed ſupra illas eſt; imò & ſupra elementa, ſupra quæ ex D. Ambroſii ſenſu eſt vir magnus, hoc eſt in fide, ac virtute adultus:

In v. 9. c. 4. ad Gal.

Magnus,

[Parvulo.] *Magnus*, inquit, *ſuper elementa eſt*, ideóque diverſis eorum qualitatibus non eſt obnoxius, ut ſunt parvuli, de quibus olim Paulus:

Cùm eſſemus parvuli ſub elementis mundi hujus, hoc eſt, ſub elementorum poteſtate, eorum vi, ac qualitatibus malè affecti; adeóque modò frigidi, modò calidi, modò terreni, modò aërei, & nunquam conſtantes, nunquam nobis ipſis ſimiles; quales plerique mortalium, qui animum ut veſtem mutant: quales ſua ætate damnabat, carpebatque Seneca:

[Epiſt. 120.] *Modò*, inquit, *frugi tibi videbimur, & graves, modò prodigi, & vani; mutamus ſubinde perſonam & contrariam ei ſumimus, quam exuimus*, in quo *maximè coarguitur animus imprudens, qui alius prodit, atque alius; & quo turpius nihil, impar ſibi.*

[Pavoni.] Hunc pavoni ſimilem dicebat Tertullianus, qui iſta grandi ſtylo notavit:

[L. de pallio c. 3.] *Multicolor, & diſcolor, & verſicolor: nunquam ipſa, ſemper alia, etſi ſemper ipſa, quando alia: toties denique mutanda, quoties movenda.*

Quod pavoni, hoc & animo inconſtanti, qui & multicolor, & diſcolor, & verſicolor eſt pro alio, atque alio appulſu lucis, id eſt favoris (ac ut vulgò dicimus, reſpectus humani) qui idem ſecum ipſe eſt, nec tamen idem: ſed alius atque alius, excipiens ſcilicet novas & animi, & judicii, & voluntatis mutationes à rerum occaſionibus, quæ ſeſe objiciunt. [Proteo.] Inſtar etiam Protei alicujus, de quo apud Stobæum Socrates:

[Serm. 4.] *Proteus quidem formam, indoctus autem animum ad ſingula mutat.* Ita, ut Senecæ verbis utar, *variatur* [Epiſt. 20.] *quotidie judicium, & in contrarium vertitur, ac pleriſque agitur vita per luſum.*

[Jactui aleæ.] Non ſic ſapienti, non ſic juſto agitur vita: nec enim illa jactus eſt aleæ, perpetuò alius atque alius, ſed idem ſemper, ac conſtans, quod una alteráve ſimilitudine oſtendemus. Juſtum & tenacem propoſiti virum componit Scriptura cum palma: [Cant. c. 5. v. 11.] *Coma*, inquit, *ejus* (hoc eſt cogitationes, & affectus) *ſicut elata palmarum, nigra ſicut corvus.*

[Juſtus contra conſtans & ſimilis palmæ.] Dicuntur, & verò etiam ſunt quaſi *elata palmarum*, id eſt (interprete Caſſiodoro) *rami productiores ſemper ad excelſa tendentes, & nunquam virorem ſuum amittentes*: erigitur enim & ſemper viret juſtus omnis, nec ſeſe abjicit unquam, nec emarceſcit, nec colorem, quo ſemel tinctus fuerit, mutat: & hinc ejus *coma nigra ſicut corvus*; quia ut lanarum nigræ nullum colorem bibunt; ſic juſtus nullas deforis impreſſiones, colores nullos admittit, præter eos quos ſemel hauſerit.

[Epiſt. 6.] *Vetus dictum*, inquit Ambroſius, *aſſueſce unus eſſe, ut vita tua quandam picturam exprimat, eandem ſervans* [Picturæ.] *imaginem quam acceperat.*

Et hinc mihi ducitur alia ſimilitudo; quam extulit olim Caſſianus, qui juſtum comparat cum ſigillo ſignatorio; quod figuram, formámque ſuam aliis imprimit, atque quodammodo in ſe transformat; ipſum autem nullas extrinſecus impreſſiones, aut formas recipit.

[Sigillo ſignatorio.] *Mens juſti*, inquit, *non debet eſſe ſimilis ceræ, vel alterius cujuſque materiæ mollioris, quæ ſemper characteri ſignantium cedens, pro ejus forma, atque imagine figuratur,* [Col. 6. c. 12.] *& nunquam in ſua qualitate perſiſtens ad formam eorum quæ imprimuntur, ſemper convertatur, ac tranſeat: quin potiùs debet eſſe velut quoddam adamantinum ſignatorium, ut inviolabilem mens noſtra figuram ſui ſemper cuſtodiens characteris, univerſa quæ incurrerunt ſibi ad qualitatem ſui ſtatus ſignet, atque transformet: ipſa verò inſigniri nullis incurſibus poſſit.*

Et hoc eſt argumentum conſtantis animi, qui nunquam ſibi diſpar eſſe, aut videri poteſt, neque cum rebus, aut à rebus ipſis novas patitur mutationes, alius in proſperis, alius in adverſis; alius hodie ab eo, qui heri fuit.

Ad hanc firmitatem, & invictæ cujuſdam conſtantiæ ſpeciem retinendam Lucilium ſuum hortari ſolitus erat Seneca:

Ante omnia, inquiebat, *hoc cura, ut conſtes tibi. Quoties experiri voles an aliquid actum ſit, obſerva an eadem velis hodie, quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animum natare alibi, atque alibi apparere, prout tulit ventus: non vagatur, quod eſt fixum, & fundatum.*

Hæc Seneca, ex quo conficis quantum diſtet juſtus ab injuſto: hic enim hac vita, ceu mari jactatus modò enatat, modò mergitur, modò apparet, modò conditur, prout ſcilicet tulit ventus, & aura, qua pellitur, ac flectitur partes in omnes, ſicut mundo. At non ſic juſtus; non vagatur ille, quia in virtute fixus, ac fundatus eſt. Non volvitur ille, non in gyrum agitur, ut rota levis; ſed eſt quaſi cubus, qui ad omnem fortunæ, rerúmque humanarum motum firmus, fixúſque conſiſtit.

Venio ad poſtremam ſimilitudinem è ſacris paginis petitam: ea ſapientem cum Sole, ſtultum cum Luna componit: [Soli.]

Homo ſanctus, inquit Eccleſiaſticus, *in ſapientia manet ſicut ſol; nam ſtultus ſicut luna mutatur*, in quæ verba D. Ambroſius: [Eccl. c. 27. v. 12.]

Sapiens non metu frangitur, non poteſtate mutatur, non attollitur proſperis, non triſtibus mergitur. Ubi enim ſapientia, ibi virtus animi, ibi conſtantia, & fortitudo. Sapiens ergo idem eſt animo, non minuitur, non augetur ex variis rerum mutationibus. Ut augetur, aut minuitur ſtultus, qui inſtar Lunæ & magnas, & perennes in animo patitur defectiones; & vitio quidem ſuo, non quadam naturæ neceſſitate ut Luna: *Illa*, inquit, *non ſponte mutatur, tu ſponte mutaris, illa congemiſcit, & comparturit in ſua mutatione*, & hoc quidem provido naturæ, Deique conſilio, ut dum mutatur illa, & tu quoque muteris in melius: *Tua ergo, non ſua ſtultitia eſt, quod adhuc illa mutatur. Noli ergo Lunam oculo tui corporis æſtimare: ſed mentis vivacitate.* [Epiſt. 7.] [L. 4. Hexam. cap. 8.]

Hæc magnus Præſul, ex quo habes Lunam ita ſtulti, atque inconſtantis ſymbolum eſſe, ut tamen huic documento etiam ſit, atque exemplo.

Ejus enim *ortus, & defectus rationis eſt, non infirmitatis. Nunquam enim tantam rebus mutationem daret, niſi præſtantem virtutem haberet, & gratiam à Conditore collatam.*

At quæ in ſtulto videtur, & eſt mutatio; non à ratione eſt, non à Dei nutu, non ad univerſi bonum: ſed ab illius vitio, atque ad ejus perniciem æviternam.

Hanc declinare qui cupit, eundem in omni vita tenorem ſervet, eodem virtutis, ac conſtantiæ gradu conſiſtat, in eóque imitari contendat Servatorem ſuum, ac magiſtrum, de quo D. Paulus: JESUS-CHRISTUS *heri, & hodie, ipſe & in ſæcula.* [Chriſto.] [Ad Hebr. c. 13. v. 8.]

Hoc Servatoris exemplo, tanquam argumento uſus eſt Paulus, ut Hebræos in benè cœptis conſtantes, & pietatis retinentes haberet; ut ſcilicet Chriſti more, modoque iidem eſſent hodie, qui heri, hoc eſt invariabiles, non alii heri, alii hodie mores, & vitam ſubinde mutantes: *quid enim* (ut D. Baſilii verbis utar) *animæ proſit heſternum diem exegiſſe in actione virtutis, ſi hodie velut deſertor deſciveris ab opere juſtitiæ?*

QUÆSTIO OCTAVA MORALIS.

Ad illa verba : *Hominem mollibus veſtitum ? Ecce qui mollibus veſtiuntur , in domibus Regum ſunt.* verſ. 8.

AN EX VESTE PETI POSSIT ARGVMENTVM integræ , aut corruptæ mentis ?

Diſcipulus Chriſti ex veſte noſcitur.

MAGISTER univerſi, Deus homo, ut in apertum efferret quis eſſet Joannes, & è cujus ſchola, ac diſciplina, hanc Iudæis olim movit quæſtionem: *Quid exiſtis in deſertum videre ? hominem mollibus veſtitum ?* minimè gentium; nec enim id hominum genus capit, aut amat ſolitudo : ſed potiùs aula principum, & populi frequentia, & hanc, & illam appetunt, qui mollibus veſtiuntur, qui byſſo nitent, ac purpurâ; qui luxum ambiunt, ac ſplendorem à toga extrinſecus emendicant: non is fuit Joannes, cui totus in animo ornatus fuit, cui pro veſte *virtus* ipſa, quæ ſcilicet, ut advertit Tertullianus, *duritiâ extruitur, mollitie verò deſtruitur.*

L. ad Martyres.

Cùm ergo videris unum aliquem molliculum, delicatulum, cujus anima, quæ poſt corporis ſcenam latet, nec in ſeipſa videri poteſt, geſtiat in externo illo veſtium apparatu quodammodo videri, ac lucere; illicò pronuntia eum eſſe de mundi grege: nec virtutis; ſed vitiorum aſſeclam, ac vile mancipium. Contrà verò cùm adverteris hominem aliquem, cui contempta veſtis, parcus, & ſeverus corporis cultus, dicage de illo: hic de Chriſti peculio eſt, hic è cœli, virtutiſque ſchola prodiit. Veſte quippe, ceu quadam animi nota diſtinguuntur qui Chriſti ſunt, & qui mundi. Appello Hieronymi fidem, ſic ille quondam gravi, ut ſolet, eloquentiâ.

Uti & mundi.

Ad Iovinia. l. 2.

Quoſcumq; formoſos, quoſcumq; calamiſtratos, quos crine compoſito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento ſunt, imò inter tuos ſues grunniunt, ô munde immunde. *De noſtro grege triſtes, pallidi, ſordidati, & quaſi peregrini hujus ſæculi;* qualem eſſe voluit Deus Adamum, ex eóque poſteros omnes. Illum enim, ut doctè notat Chryſoſtomus, induit mortuorum animalium exuviis, cùm pulchris velamentis ornare potuiſſet, ut tantò ante nobis innueret, quod non ſit præſens tempus deliciarum, verùm gemendi atque plangendi.

Veſtium contemptus in Adamo.

Cùm illud ſecum reputaſſent viri clariſſimi, non ſericos geſtarunt amictus, aut delicato ex panno togam, penuláſque pretioſas: ſed palliola, ſcortea, atque vilia; quibus, ut Adamus in vita, ſe peregrinos, & à mundi pompâ alienos meminiſſent.

Prophetis.

Ita Prophetæ hirſutam, aſpetámque tulere veſtem indicem pœnitentiæ, & humilitatis.

4. Reg. c. 1. v. 8.

Ita magnus ille Elias piloſum, & rude pallium circumtulit, quod deinde abiens è commercio mortalium, Elizæo diſcipulo ſuo è ſublimi demiſit: & hinc in ſacris annalibus dictus eſt *vir piloſus.*

Ita Zacharias opertus eſt *pallio ſaccino*, hoc eſt Prophetico; & qui Prophetam ſe mentiri voluiſſet, eodem etiam induebatur.

Apoſtolis.

Hebr. c. 11. v. 19.

L. 8. Ep. 3.

Ita prima & veteris, & novæ Eccleſiæ lumina, id eſt homines & mundi, & ſui deſpicientes *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, venerabili ſquallore pretioſi,* ut ritè notat Sidonius Apollinaris.

Monachis.

Ita Monachi, quos Ægyptus omnis incolas habuit, atque amavit, *melotas* circumgeſtarunt, hoc eſt, ut Sozomenus vocat, ſaga pellicea, unde S. Paulinus dum Monachos depingit, eos appellat *horrentibus ciliciis humiles, & ſagulis palliatos*, & Tertullianus ait eos ſolitos incubare ſacco.

Joanne.

Ita Ioannes Domini præcurſor pallium ſibi texi voluit è pilis camelorum aſperum, atque hirſutum, & hinc à Chriſto laudem, atque commendationem invenit. Et jure ſanè meritiſſimo: eſt enim ea veſtium tenuitas, rudis, aſperáque materies inſigne quoddam humilitatis, nota pudicitiæ, virtutis amictus; uti contrà nimius corporis cultus, ornatuſque, & amor quidam inſolentis elegantiæ in veſtitu, argumentum eſt magnum, apertiſſimumque indicium corruptæ mentis, læſi, conturbatique judicii, & deluſæ, atque aberrantis animæ, quæ deforis ambit eum decorem, quem intrinſecùs in ſeipſa & amare, & quærere debuiſſet.

Veſtium luxus carpitur

Hinc SS. Patres gravi & aculeato ſtylo notant, pungúntque nimiam illam in externo apparatu licentiam.

Epiſt. 2. ad Olymp.

D. Chryſoſtomus ore aureo eam dicebat eſſe *morbum animæ gravem, & ad ſuperandum perdifficilem.*

Epiſt. 27.

D. Hieronymus eo quo ſolet verborum pondere *munditiam corporis atque veſtitus, animæ eſſe immunditiam cenſebat.*

De cultu fœmin. c. 2.

Tertullianus ſeverus morum cenſor ornatum corporis, venuſtate quadam, artificióque expolitum aiebat eſſe, *confictam & elaboratam libidinem.*

Cap. 11. in Matth.

D. Hilarius aureum effundens flumen ſapientiæ, comptulos illos & ſumptuosè veſtitos, contendebat eſſe diverſoria Dæmonum; ſic enim exponebat illud effatum Servatoris: *Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt.*

Per Reges intelligendos eſſe cenſebat Dæmones, qui ſunt ſæculi hujus, mundique Principes, ac Dominatores. Quare eo quidem interprete veſtitos mollibus in domibus Regum eſſe: nihil aliud erat, quàm eſſe Dæmonum habitationem, atque domicilium.

Epiſt. 48.

D. Bonifacius excellenti judicio Pontifex *vana veſtium ornamenta credebat eſſe prænuntia advenientis Antichriſti.*

De habitu mulier. c. 2.

Hæc Divi Patres, quorum in eo genere doctrinam, ac ſenſum, concludam illâ Tertulliani ſententiâ, qui non dubitavit dicere illuſtrium ornamentorum authores, eſſe malos Dæmones: qui ſcilicet maleficio quodam & lumina lapillorum, quibus monilia variantur, & circulos ex auro, quibus brachia arctantur, & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur, invenerint, atque induxerint ad malum, cladémque totius Univerſi.

Modus in veſte quis?

Ne eadem involvaris aliquando, mi Lector, tibi ſub oculos ponam regulam aliquam, modúmque, quem in veſte ſerves.

Galenus, dum Hippocratis nobiliſſimi Doctoris libros Epidemiorum exponeret, hoc in poſteros emiſit, & quidem inſigne morum documentum:

VI. Epidem.

Veſtitus medius ſit, neque ſumptuoſus ut arrogantiam præferat, neque ſordidus, abjectuſq; ut incuriam arguat. Cui conſonat & illud prudens Senecæ acroama: *Non ſplendeat toga, ne ſordeat quidem:* quia tam ſplendor, quàm ſordes vitio vertuntur. Retineatur ergo in

Epiſt. 5.

veſte

veſte honeſta quædam & aurea mediocritas, quæ ferè ex æquo abhorreat à magnifico, ſuperbóque indumento: atque à vili, ſordidóque.

Ab utroque certè abhorruit D. Bernardus, cui (ut obſervat author vitæ) *in veſtibus ſemper paupertas placuit, ſordes nunquam.*

Et in eo ferè ſita eſt ea mediocritas, quam D. Cyprianus appellare ſolebat quandam *in veſtitu Philoſophiam*, hoc eſt frugalitatem, modeſtiam, honeſtatem Chriſtianæ ſapientiæ congruentem. *Orat. 18.*

Hanc obſervare debet quiſquis, non nomine tantùm, ſed re etiam ipſa voluerit eſſe Chriſtianus, quem ut piè, ſanctéque monuit Zacharias Pontifex, *commendare debet non honor veſtium: ſed ſplendor animorum.* Hic olim in primis euris fuit, ille in poſtremis; maximè autem in primæva Eccleſia, in qua vigebat illud D. Auguſtini: *Baron. ad An. 744.* *Virtus pro veſte.*

Verus ornatus Chriſtianorum mores boni. *Epiſt. 73.*

Erant hi veluti veſtis quædam urbana, ac pretioſa, à qua dignoſceres Philoſophum verè Chriſtianum, hoc eſt amantem altioris ſapientiæ, de quo eſt illud effatum Tertulliani: *Etſi eloquium quieſcat, ipſe habitus ſonat: auditur Philoſophus* dum videtur. *L. de pallio. c. 6.*

Honeſta enim in veſtibus frugalitas vehementer carpit curioſa veſtimentorum lenocinia, & tacita quædam ſpectantium reprehenſio eſt. De qua etiam hoc ejuſdem Tertulliani: *De occurſu meo vitia ſuffundo*, hoc eſt pudore afficio, & damno effuſam in ornatu corporis mollitiem, *grande* quippe *pallii*, id eſt modeſtæ veſtis, *beneficium eſt; ſub cujus recogitatu improbi mores vel erubeſcant*: atque utinam erubeſcerent, potiſſimùm verò Clericorum, atque Eccleſiaſticorum occurſu; ſed proh dolor! hoc quo vivimus ævo, in pleriſque ſecùs omnino accidit, neque jam ipſe habitus ſonat, neque auditur Eccleſiaſticus, dum videtur. Erat olim, erat ipſe habitus Clericorum muta quædam oratio, & ſtatus illius, ordiniſque commendatio; jam autem (quæ aliquarum regionum labes, & macula) ſcandalo eſt, atque offenſioni; quia & ſæculum, & vanitatem ipſe habitus ſonat, neque uti quondam de occurſu ſuo Eccleſiaſtici vitia ſuffundunt: ſed potiùs aliqui oſtentant. Neque *grande* jam *pallii*, hoc eſt Clericalis togæ *beneficium eſt*: ſed potiùs & multis ſcandalum, & puſillis mentibus etiam offendiculum. Nec denique, ut aliàs ſub illius recogitatu improbi mores erubeſcunt: ſed potiùs in nonnullis malignè deliteſcunt. *Ex ea noſcitur Chriſtianus.* *Eccleſiaſticus.* *In hoc damnandus luxus.*

Ita quondam delituiſſe viſi D. Bernardi ſæculo, cujus proinde hæ ſunt, eæque juſtiſſimæ de Eccleſiaſticis querelæ. *Serm 33. in Cant.*

Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frænis, in ſellis, & calcaribus. Et plùs calcaria, quàm altaria fulgent.

Hæc S. Præſul, non ſine ſtomacho, ingentique doloris ſenſu; quo etiam affici poteſt, ac debet poſteritas, quæ eodem, & fortè majore vitio laborat, quàm ipſa laborarit Antiquitas. Verùm enimverò illud ejuſdem Abbatis:

Cernitur in nonnullis Sacerdotibus veſtium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus. *Epiſt. 42.*

Ut porrò hic aliquando cernatur, & deſpuatur ille, velut à ſacerdotali majeſtate, ac ſanctitate penitùs alienus. Tertulliano benè monenti pareamus: *Foras projiciamus ornamenta terrena, ſi cæleſtia optamus.*

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

MEMORAT hic ſacer hiſtoricus expeditos ad Ioannem legatos, qui ex eo ſtudioſiùs inquirerent, Ecquis eſſet? An Meſſias; & Chriſtus poſt tarda ſæcula, mœſtoſque ſoles expectatus? ea quæſtio injiei potuit, vel ſtudio indagandæ veritatis, vel invidiæ, odiique ſtimulis.

Viderant primùm Iudæi ac Pontifices Ioannem in deſerto vitam agere à communi prorſus abhorrentem; à qua non mortalem dixiſſes è terra, lutóque fictum; ſed velut Angelum aliquem, aut hominem è Cœlo lapſum, utpote qui valido ſpiritu tonaret, & quantumvis induratos flecteret ad pœnitentiam, in eumque finem Baptiſmi aquis elueret. Viderant deinde à Iuda ad Herodem defeciſſe regni ſceptrum. Denique jam effluxiſse Danielis hebdomadas omninò ſeptuaginta, adeóque imminere tempus, quo ſecundùm Prophetarum vaticinia ſurgere debuit Meſſias, & mortalibus oris appellere. Hinc in mentem aut venit, aut certè venire potuit, an Ioannes is eſset, quem ſcilicet ea vitæ ſanctitas, eáque officii ratio ſpectabilem reddidiſset.

Hæ rationes Pontificibus occurrere poterant, atque inducere, ut eam Ioanni moverent quæſtonem: *Tu quis es?* Mavult tamen Divus Chryſoſtomus eam ex pura putáque invidia prodiiſse, ut ſcilicet ſpecioſum Meſſiæ nomen, à Chriſto ad Ioannem transferretur. Et certè hæc ratio magis conſonare viſa Pontificum illorum ingenio, perditæque malevolentiæ. Verùm ut ut ſit: eò loci, ac temporis

quæſitum à Ioanne: *Tu qui es?* hoc eſt, Chriſtúſne es? ac Meſſias, Orbíſque noſtri reparator? Eum eſſe ſe negavit Ioannes, iterum, iterúmque: quid ergo inquiunt illi? *Elias es tu?* adjecit: *Non ſum.* Quid igitur? *Propheta?* nec hoc admiſit: ſed ingenuè, addidit *Non.* Cùm etiam urgeretur: Ecquis ergò tandem eſſet? *Ego*, inquit, *vox clamantis in deſerto.* Denique ubi pro ſe aut nihil locutus, aut ſolùm exile iſtud: *Ego vox*; tum illuſtre de Chriſto extulit teſtimonium dignum Cedro, quod ſcilicet Iudæos inter medius is eſset, quem ipſi neſcirent, & qui tamen ante ſe factus eſſet, & poſt ſe venturus, & cujus calceamenti corrigiam ſolvere dignus non eſſet; verbo uno (ut altero die ſubjecit) *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.*

L. 4. contra Marci. Et hoc oraculum magni Ioannis Baptiſtæ: qui, ut notavit Tertullianus, *quaſi limes conſtitutus inter vetera, & nova, ad quam deſineret Iudaiſmus, & à quo inciperet Chriſtianiſmus.* Hæc ille, cui addo

EX D. THOMA.

Ioan. c. 1. DIVUS THOMAS in illa verba: *Vox clamantis in deſerto. Deſertum*, inquit, *mundus eſt.* In hoc

Serm. 3. I. *Creatura clamat*, & quidem *tria*: 1. *Vt Deum cognoſcamus.* 2. *Vt ipſum diligamus.* 3. *Vt laudes ei debitas reddamus. Omnia clamant Deus me fecit*, inquiebat Auguſtinus.

II. *Chriſtus clamat* etiam *tripliciter*: 1. *Miracula faciendo*, ita cum Lazarum è tumulo evocavit, clamavit voce magna dicens, *Lazare, veni foras.* 2. *Vtilia prædicando. Stabat IESVS, & clamabat, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* 3. *Pro nobis moriendo. Clamans voce magna emiſit ſpiritum*: in 1. apparuit ejus Potentia; in 2. Sapientia; in 3. Bonitas.

III. *Iuſtus clamat*, & quidem etiam *tripliciter*: 1. *Orando*, ita oravit David, cum ait: *Voce mea ad Dominum clamavi.* *Pſal. 76.* 2. *Confitendo. Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino.* *Pſal. 31.* 3. *Laudando. Clamabo ad Deum, qui benefecit mihi.*

IV. *Prædicator clamat*, & inclamat etiam *tria*: 1. *Hominum ſcelera*, ita juſſus clamare Iſaïas: *Clama, ne ceſſes, annuntia populo meo ſcelera.* *Cap. 58.* 2. *Fragilitatis humanæ miſeriam. Quid clamabo?* inquiebat ille ipſe Vates, audiit, *omnis caro fœnum.* *Cap. 40.* 3. *Vt paretur via Domini.* Ita hic clamavit Joannes.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 3 Advent. ſerm. 1. DIVUS BONAVENTURA ſtylum ſiſtit in illis verbis: *Medius veſtrûm ſtetit*; oſtenditque, quomodo Chriſtus ſit *medium*, & quidem congruum:

Primò, *Mirabilis colligantiæ in Incarnatione: quia in ipſo mirabiliter duo conjunguntur extrema: videlicet primum Divinitatis, & ultimum Humanitatis.*

Secundò, *Medium regularis diſciplinæ in converſatione; nunquam recedens à medio virtutis in locutione, à medio honeſtatis in operatione.*

Tertiò, *Medium vitalis influentiæ in paſſione; ubi operatus eſt ſalutem in medio terræ, & in medio latronum.* Unde ſicuti cor, quod medium eſt, & vitam influit in cætera membra. Sic & Chriſtus è cruce mediantibus Sacramentis vitam influxit in alia membra corporis myſtici.

Hæc ubi dixit S. Doctor, tum expendit illa de eodem Servatore verba: *Stetit*, primò, *ut Pontifex ad purgandum à malo culpæ*: ſecundò, *ut Doctor ad illuminandum verbo doctrinæ*: tertiò, *ut Rex ad liberandum à malo pœnæ.*

Act. c. 7. Hoc modo ſtantem vidit Stephanus à dextris virtutis Dei, ut & ſibi faceret animos, & terra eriperet, cœloque redderet.

Aliis modis ſtantem experiuntur etiam ipſi peccatores: ad quos & ipſe diſcipuli ſui voce: *Sto ad oſtium & pulſo; Sto*, inquit, *ad oſtium cordis clauſi per peccati delectationem, & pulſo per internam vocationis inſpirationem. Si quis audierit, per auditus inclinationem, & operis executionem, & aperuerit mihi per peccati confeſſionem, & deſertionem; intrabo ad illum per juſtificantis gratiæ inhabitationem, & cœnabo cum eo per ſpiritualium ciborum refectionem.* *Apoc. 3.*

Denique attendit Seraphicus Doctor, arguitque Judæorũ ignorantiam ex his verbis: *quem vos neſcitis*: oriebatur autem in illis ea ignorantia *ex triplici cauſa*:

Primò, *propter defectum illuminationis supernæ*, quæ eſt à fide, ſeu bonæ mentis oculo, ſeu ſole; verùm ut ſol, etſi præſens cœco, non apprehenditur: ſic nec à Judæis Chriſtus.

Secundò, *propter impedimentum argumentationis ſophiſticæ*; id eſt prudentiæ quæ de terra eſt.

Tertiò, *propter odium fraternæ æmulationis*; qui enim odit fratrem ſuum, in tenebris ambulat, & neſcit quò vadit. Et ita Chriſtum, ſeu fratrem oderant Judæi, ideóque & neſciebant: Quæ porrò in his ignorantiæ cauſæ fuerunt; eædem & in aliis ſunt, eruntque in ævum, ut patebit diſcurrenti.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.

Ad illa verba: *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, & Levitas ad eum.* Ioan. cap. 1. v. 19.

AN NON A PLERISQVE QVÆRATVR IESVS, ubi non eſt? & bona, ubi mala? & hæc quidem impenſiùs: illa verò remiſsiùs?

Non quæritur Chriſtus, & Deus, & cœleſtia.

ERAT JESUS in medio Hieroſolymæ, ceu illius centrum, ſi voles; ceu lucerna ardens, ac lucens; ceu etiam Sol orbis Judaici: & tamen ad eum cogitationes, affectúsque ſuos non ducunt, eum non vident, non ſuſpiciunt; imò quod mireris, ac damnes, legatos mittunt, qui Meſſiam foris quærant, & is tamen erat domi, atque in intimis penetralibus: à Joanne petunt operosè, *Tu quis es?* & à Chriſto, pro quo tamen altùm loquebantur miracula, nihil omninò inveſtigant: nihil inquirent: nimirum illud eſt vitium mortalibus, bona quæ in manibus ſunt non accipiũt: & mala etiam deforis ſibi acceſunt. Creatorem ſuum, Deum ſuum, qui in medio eorum eſt, non quærunt; & creaturas, quæ extra ſunt, & à ſe longiſſimè poſitæ, etiam cum labore venantur, & captant; in quo profectò Authori ſuo ſunt injurii, imò & ſibi.

Apud Plinium querebatur arbor pomifera, quòd ab hominibus terræ fruges, & amarentur impenſiùs, & operoſiùs eruerentur, quàm poma, quæ parabilia eſſent, & cuique ferè ſemper ad manum.

Plurimùm, inquiebat illa, ore Plinii, *homini voluptatis ex me eſt: ego ſuccum vini, liquorem olei gigno: ego palmas, & poma, totq; varietates, neque ut tellus, omnia per labores: arando tauru, terendo areis, deinde ſaxis, ut quando, quantóve opere cibi fiant. At ex me parata omnia, nec curvo arando aratro, nec cura laboranda; ſed ſeſe porrigentia ultrò: & ſi pigeat attingere etiam cadentia.*

Quæruntur terreſtria.

Apologus eſt non inelegans, è quo latens hæc veritas erui poteſt. Malè ſani mortales ſuperna bona, ceu pendulos è cœlo fructus ultróque ſeſe ad manum inclinantes, imò (qui Dei favor eſt) etiam deciduos nec carpere volunt, nec colligere: & tamen abjectas terræ fruges, etiam per inſanos labores, & mille pericula quæritant: ferenda enim ſunt terrena bona, excolenda, infamíque cultu propè adoranda: Cæleſtia verò & ſponte quodammodo naſcuntur, ac ſine cultura, & ſeſe quaſi ultrò offerunt, & tamen ad ea decerpenda tarda ſemper, & pigra manus, cùm ad alia prompta ſit, ac ſoluta.

Operosè.

In Pſal. 18.

De præpoſteris illis hominum ſtudiis, curiſque queſtus olim Auguſtinus aſſumptâ Domini perſonâ: *Iubet avaritia ut mare tranſeas, & obtemperas; jubet ut te ventis, procellisq; committas: jubeo ego ut ante oſtium tuum, ex eo quod habes, des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, & ſtrenuus es ad tranſeundum mare.*

Serm. de miſeria humana.

Ecce juſtæ Dei querelæ, juſtáque expoſtulatio, quam æquis oculis, attentáque mente dum ſpectat D. Bernardus, hæc etiam in hominem jacit.

Promptè.

Mirum eſt de te homo miſer, quòd ad mala ſis totus avidus, totus promptus, totus facilis, totus ſapiens, & totus ſollicitus: ad bona autem es totus durus, totus piger, totus tepidus, totus ſtultus, totus incredulus, & rebellis.

Nimirum multis evenit, quod illi quondam, quem ſanavit IESUS, ſummus & corporum, & animorum medicus: habebat ille dexteram manum aridam, exſuccam, & operi exercendo penitùs inutilem. At ſiniſtram ſucco plenam, vividam, atque expeditam. Fuit æger ille, quiſquis is fuit, typus aliquis miſelli homuncionis, cui manus dextra, hoc eſt facultas ad bonum, arida, atque impedita: ad malum autem prompta, & facilis.

Luc. c. 6. v. 6.

Quiſquis is eſt; etiam ſimilis illi Paralitico, qui jacebat ad piſcinam probaticam, nec aberat à morbi remedio, ac ſalute, niſi duobus, ut aiunt digitis, & tamen ut tam parum abeſſet, abeſſe videbatur quàm longiſſimè; nam & annos octo ſupra triginta, in ea infirmitate triverat. ſimilis illi, inquam es, ô infælix peccator, paralyſi laboras, & hemiplexia, quia ut illa in alteram tantùm corporis partem incubat, eámque inertem, ac ſtupidam reddit: Ita qui te occupat animi morbus una te parte ſanum relinquit, ac vegetum, alterâ ægrum, ac debilem: hoc eſt, ut clariùs eloquar, prodámque quod ſentio, & quod eſt in re etiam ipſa: ad temporalia, & caduca bona conquirenda totum facit, alacrem atque alatum: ad æterna verò, atque immortalia tardum, ac plumbeum relinquit. rurſum ſimilem filiis Ephrain, quorum infœlicem ſortem, & grande malum deplorat Oſeas: *Ligaverat* enim *eos ſpiritus in alis ſuis*; malus utique ſpiritus, qui eis alas addiderat, hoc eſt facilitatem, celeritatem, ingentéſque ſpiritus, atque animos, ad opera tenebrarum, ad infanda, atque immania ſcelera: ad opera autem lucis, ad heroicos virtutum actus ita colligarat, ut in illos abire non poſſent; niſi ea vincula miſericors Dei manus diſſolviſſet.

Ioan. c. 5. v. 5.

Alatè.

Cap. 4. v. 19.

Hinc pudor

Præpoſteros illos mortalium conatus concinnè deſcribit D. Hieronymus, non ſine luctu, tædio, ac pudore ſui, id eſt, humani generis.

Epiſt. ad Demetriad.

Conſiderare, inquit, *pudet quantus ſit fervor in ſæculo, litterarum ardor ætate prorſus non extinguitur; imò ut ſæcularis authoris utar ſententia, ipſa magis ætate inflammatur; divitiarum amor, inſatiabilis eſt, expleri neſcit harum cupido: celerem habitura res finem ſine fine quæruntur: nos divinam ſapientiam, cæleſtes divitias, immortales honores, pigra quadam diſſimulatione negligimus.*

Cœleſtia quærenda potiùs.

Ut diſſimulationem illam inertem, prorſúſque damnandam aut redarguat, aut etiam è Chriſtianorum animis eliminet D. Chryſoſtomus argumentum ſumit à fortiori, videlicet ab urinatoribus, à ludis theatralibus, in quibus vel gemmarum avidi mortales, vel vanæ gloriolæ cupidi nulli labori parcunt, ut emant pretioſa pericula.

Etiam periculo.

Hom. 2. de verb. Iſai.

Homo urinator, inquit, *nullam aliam ob cauſam, audet ſeipſum in profundum aquarum demittere, quàm propter margaritas bellorum cauſam; & tu ut accipias theſaurum deſuere neſcium, non ſuſtines æſtum, neque ſudorem: non vides iſtos, qui ſedent in theatro, quomodo ſudent, nudóq; capite Solis radium excipiant, quò fiant captivi mortis, quò ſcorti mancipia?* hæc ubi aureâ fandi copiâ emiſit Chryſoſtomus, tum altùm exclamat: *Ad exitium illi laborant, & tu ad ſalutem ſegnis, ac remiſſus es?*

Sudore.

ſcilicet

ſcilicet illa hujus ætatis labes eſt, ac macula. *Omnes hujus ſæculi dilectores in terrenis rebus fortes ſunt, in cæleſtibus debiles*, inquiebat olim è Petri ſede D. Gregorius.

Labore.

Ab illa fortitudine (ſi tamen ex vero fortitudo eſt) Tertullianus argumentum ſumpſit, ut Martyribus adderet animos, tormentis omnibus, ipſaque etiam morte fortiores: ſic enim ad illos altiore ſtylo:

Adv. Gnoſti. c. 5.

Quid gravatur pati nunc homo ex remedio, quod non eſt tunc gravatus pati ex vitio? diſplicet occidi in ſalutem, cui non diſplicuit occidi in perditionem? nauſeabit ad antidotum, qui hiavit ad venenum? Mundi amatores opponit Tertullianus cum cæli candidatis; vel ſi velis etiam unum, eundemque cum ſeipſo componit: nimirum,

Patientia.

cùm is eſſet ſæculi hujus aſſecla, non exiſtimavit gravius ſibi accidiſſe, ſi pro parandis opibus, pro vanæ gloriolæ fumo, pro putida carnis voluptatula, verbo uno ex vitio & agere, & pati acerbiſſima quæque: & nunc, cùm Chriſti diſcipulus factus eſt, dubitabit eadem ex animæ remedio tolerare? Cùm eſſet ſub ſignis profanæ alicujus militiæ, in pericula, in ferrum, in armatas acies, in mortem ipſam interritus, & alacris ivit, nec diſplicuit occidi in perditionem. Et modò, cùm Chriſto Servatori ſuo nomen dederit, cùm ſub vexillo Crucis ſtipendia faciat, & pericula, & ferrum, & cataſtas, & ignes, & mortem ſubterfugiet? diſplicebitque occidi in ſalutem? non diſplicebit certè (ſi modò is ſit, qui eſſe volet Chriſtianus.) Ecquid enim, qui bibit è calice meretricis Babylonicæ, & ad reconditum in eo venenum etiam hiavit, non bibet è calice Chriſti? calice paſſionis? non ad illum totis animis anhelabit? ſed potiùs nauſeabit ad antidotum? non nauſeabit enimverò: ſed potiùs etiam ultrò eo ſe proluet, eumque, quà licebit exhauriet: hoc quippe natura, ratio, & ipſæ cœli leges videntur exigere. Quis enim (ut D. Chryſoſtomi verbis injectam mihi quæſtionem finiam) *quis*, inquam, *eò uſque miſer, & infœlici ſidere natus eſſe queat, ut nec ſtudii quidem tantundem Chriſti, quantum peccati, ac diaboli ſervituti impendat?*

Morte.

Hom. 13. Com. ad Rom.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Tu quis es?* verſ. 20.

AN HÆC INTERROGATIO IOANNI PERHONORIFICA? an etiam cuique noſtrûm neceſſaria?

Joannes Meſſiæ ſimilis.

EX hac quæſtione deduci poteſt eximia quædam Ioannis laus, & gratia, ut qui Meſſiam ore, animoque referre videretur, ut ſolet imago prototypon. Ex illa quippe hujus, atque illius conſenſione enata ea quæſtio: *Tu quis es?* hoc eſt, Meſſias es tu, ut qui omnia ejus lineamenta & corpore præferre; & virtutes ipſas animo oſtentare videaris?

Juſtus Deo.

De Opif. hom.

In Pſal. 118.

Eſt nimirum illa Juſti hominis dignitas, ut imago quædam Dei ſui habeatur, & ſit: in quo ſcilicet, ut Divi Gregorii Nyſſeni verbis utar: *expreſſa eſt omnis honeſti ſpecies, omnis virtus, omnis ſapientia.* Ab illis emanavit iſtud D. Ambroſii effatum: grande ſpectaculum homo, *qui divini operis interpres eſt, & imitator Dei.* Is ex vero Joannes fuit, interpres divini operis, hoc eſt Verbi incarnati, & illius perfectiſſimus imitator.

Centuria 5.

De homine juſto, & ſancto pronuntiavit illud S. Maximus: *Ferunt Deum, & hominem ſe mutuo demonſtrare*, quod qui fiat, docet magnus Præſul:

Cap. Oecon. c. 74.

Deus, inquit, *ſe homini ſimilem exhibet humanitate, homo caritate Deo ſe divinum præſtat, & Deum per virtutes patefacit.* Quòd ſi homo Deum ipſum naturâ inviſibilem per virtutes tamen ita aperit, ita patefacit, ut viſibilem quodammodo præbeat, & ſpectanti legendum offerat: quid feciſſe dicendus erit Joannes, qui Incarnati Verbi vox erat, & quidem animata? qui expreſſa quodammodo illius imago? Certè id fecit, ut à pleriſque is crederetur eſſe, qui venturus erat, qui expectatio gentium, qui ſalus Iſraël, qui reparator Univerſi, verbo uno qui Meſſias: ſed ne longiùs, ad alia etiam deſcendamus, quæ ad mores faciunt, & videamus quàm utilis, imò quàm neceſſaria cuique homini ſit ea quæſtio.

O Homo quis es? attende.

Cornelius à Lapide eam trahi vult per omnia prædicamenta, per quæ hac una interrogatiuncula utili ambitu ſe circumducit homo, & quidem Primò quoad *ſubſtantiam* ex ſe quærit *Tu quis es?* & audit Ego ſum, qui non ſum.

Hoc ſcilicet mihi nomen eſt, nomen inane, & vacuum, pura puta negatio, verbo uno nihil: ſicuti ex adverſo Dei ter Opt. ter Max. nomen eſt hoc: *Ego ſum, qui ſum*; nimirum, ô Deus, Tu abyſſus entis es, & ego abyſſus nihili, & hoc eſt omnis homo quoad ſubſtantiam. Neque porrò quid ampliùs eſt quoad *quantitatem continuam*: ſi enim quæſieris quantus ex ea ſit homo? dicetur quadricubitalis: & tamen ut is ſit, orbem complecti vult, orbe major eſſe, imò unus ei non ſufficit orbis. Teſtis erit Alexander, de quo Juvenalis:

Quantus?

Vnus Pellæo Iuveni non ſufficit orbis,
Sarcophago contentus erit, mors ſola fatetur,
Quantula ſint hominum corpuſcula.

Hæc poëta de Alexandro, de quo ita longè antè Philoſophus aliquis. Heri totius terræ ſpatioſitas Alexandro non ſuffecit: nunc trium, quatuorve vlnarum ſpatium ipſi ſufficit: ſed ne longius.

Quoad *diſcretam quantitatem* ſive numerum, ſi petas, quis ſit homo? reſpondebit tibi Philoſophus,

Unus eſt; adeoque numerum non facit: ſed potiùs quaſi vnitas initium eſt numeri, non numerus; & tamen ut is ſit, vult haberi in aliquo numero, ac honore: ô mendax, atque damnanda vanitas!

Qualis?

Neque plus erit homo ſi interrogâris, *qualis* & ipſe ſit?

Si enim corpus ſpectes, & ea quæ corporis vitio accidunt: eſt homo vile lutum, eſt pulvis, & cinis, eſt fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, corruptionis ſpeculum, temporis ſpolium, viator tranſiens, mancipium mortis, mundi ludibrium.

Si autem evadas ad animam; & ex ea ſciſciteris, qualis homo? audis à natura, à gratia, Dei ſui imaginem eſſe; audies paullò minorem Angelis: at à peccato, infame ſtygis monſtrum, & ipſis dæmonibus propè deteriorem.

Cujus filius?

Quod ſi tranſeas ad prædicamentum *Relationis*, & ex eo ſciſciteris, cujus homo ſit filius, excipies terræ filium eſſe, & Adæ; hoc eſt peccatoris infami ſtigmate notatam progeniem.

Quid agas?

Quod ſi elabaris ad prædicamentum *Actionis*, & ex ejus regulis indages. Quis es tu, quid agis, quid

moliris

moliris homuncio? hic tibi reſpondebit: Ego faber ſum in opera ferri, quod tundo, ac retundo repetitis ictibus: ille, Ego mercator ſum, & per terras, per maria longo, & periculoſo circuitu curro; Ego cauſas ago, & veris in litibus teror: roſtra ambio, & inanem auram aucupor, dicet alius: Ego militiam ſequor jactabit iſte, & iras ſpiro, martemque fulminantem: Ego Princeps, Ego Rex ſum, reſpondebit alter, & in magna fortuna, magnam ſubeo ſervitutem: ſcilicet plerumque is ab actione eſt homo; homo inquam imprudens, incautus, inſanus, qui non agit unum, quod tamen agere debuit quàm maximè negotium ſalutis, atque æternitatis.

Quid patiatis?

Quod ſi deſcendas ad prædicamentum *Paſſionis*, & ſedulus inveſtiges, quid ex ea ſit homo? quid patiatur? ſubjiciet ſtatim non ſine gemitu; Ego in corpore famem tolero, ſitim, æſtum, frigus, morbos, ipſámque mortem malum omninò maximum; in animâ verò timorem, dolorem, triſtitiam, iras, aliáſque inſultantes rationi paſſiones tolero, & earum infami jugo premor, ac gemo. Diceres uni mihi incumbere, quidquid uſquam grave, acerbum, triſte, funeſtum eſt: & mecum ageretur bene, ſi ea cœlo emendo ferrem: at non ſic pleriſque uſu-venit: paſſionis mancipia ſunt, non Domini, & eam tolerant ad perditionem, non ad ſalutem.

Ubi ſis?

Quod ſi abeas ad prædicamentum *Vbi*, & roges ubi ſit homo? addetur, eſſe in exule terra, arido, & infæcundo ſolo, quod cœlum inter, & infernum medium eſt, in quo proinde dubius nutat, adeóque de ſalute, de æternitate mirum quantùm anxius. Quod ſi denique interroges *quando* natus homo? quando emiſſus in mortales auras? quamdiu deinde iis fruetur? quando denique occidet? Reſpondebit tibi Propheta Iobus vir primæ ætatis, & veritatis amans in paucis; reſpondebit, inquam, & de ſe ipſe, & de

C. 8. v. 9.

mortalibus omnibus: *Heſterni ſumus, & ignoramus quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram.* Heſterni inquam ſumus, & ſi longævi eſſe videamur,

Pſ. 89. v. 4.

quoniam mille anni ante Dei oculos, *tanquam dies heſterna, quæ præteriit.*

Quo ſitu, & habitu?

Denique ſi noſſe voles cujus *ſitus*, & *habitus* ſit homo? dicet ille tibi, nunc ſto, nunc ſedeo, nunc jaceo, & vix unquam eodem ſitu, eodem pede conſiſto, adeò etiam in hoc varius, atque inconſtans ſum puſillus homuncio.

Ex *habitu* ſi ames ſcire quis ſit homo? & quam ex veſte perſonam ſuſtineat? intelliges hunc ex veſte religioſum eſſe, illum Sacerdotem, Epiſcopum alium, atque utinam is quoque ex mente ſit: ut enim frons, & oculi; ſic & veſtis ipſa perſæpè mentitur; & hæc è prædicamentis peti placuit ad eam quæſtionem *Tu quis es?* à qua una pendet ſui cognitio; de qua Sancti Patres, & graviter, & magnificè locuti.

Cognitio ſui quid ſit? De Eccleſ. Hier. c. 2.

D. Dionyſius Areopagita, eam appellabat *πρῶτον ἱερὸν δῶρον*, Primum ſanctum munus.

L. 3. Pæd. c. 1.

Clemens Alexandrinus, *diſciplinarum vim pulcherrimam, & maximam*, quam qui fuerit conſecutus, facilè poſſit ad ipſius Dei cognitionem provehi.

D. Auguſtinus eandem antèponebat omni aliarum rerum ſcientiæ: ſic enim ille quondam de viro probo:

Præm. l. 4. de Trin.

Prapoſuit ſcire infirmitatem ſuam magis, quàm ſcire mundi mœnia, fundamenta terræ, & faſtigia cœlorum.

Spectanda ex nomine.

Ut illud quoque præponas, mi Lector, teipſum compella paucis vocibus, & dic tibi ſæpè ſæpiùs in aurem cordis: *Tu quis es?*

Chriſtianus es? vide ut nomine; ita & re ipſa ſis. Religioſus es? attende ut etiam is ſis opere. Sacerdos es? elabora, ut dignitati tantæ par vita reſpondeat.

Commendatus olim Probus apud Vopiſcum, *quòd adoleſcens eſſet, ac vir ſui nominis*, hoc eſt quòd ſpecioſum, ac pulchrum Probi nomen impleret inſigni quadam morum, ac vitæ probitate. Secùs omninò plerique mortalium faciunt, vacua rebus nomina jactant, fallúntque mendaci appellatione; quam Rupertus vocat *nominis adulterium*, illuſtri profectò metaphora, ut qui alienum nomen uſurpent, & furtivo quaſi adulterio polluant. Ita fecit olim Hebræus, qui audit *Iſraël*; hoc eſt, *Deum videns*, re tamen ipſa minimè videns; nam & incredulus fuit, & planè cæcus, quem vel ex hoc arguit Baſilius Seleucienſis. — L. 2. in Ioan.

Nomen, inquit, *quo tu appellaris Dei cogniti argumentum eſt, ut amplius incredulitatem tuam patefaciat. Cur igitur appellatione, cujus virtute cares, contumeliam irrogas? quid geſtas cognomen, quod perſonæ probro ſit? factis appellationem impugnas, & calumnia nomen tuum afficis.* — Orat. 8.

Vita nomini concordet.

Hæc in Iudæos Baſilius, quæ ego in Chriſtianos ſubinde torqueri poſſe crediderim, ut qui alta geſtent nomina, & abjectos à vitiis animos, quos profectò vel per ſolum nomen reos feceris teſte Salviano, cujus hoc effatum dignum cedro: *Per nomen rei ſumus*, quia ut ille ipſe: *Magis damnanda eſt malitia, quam titulus bonitatis accuſat: reatus impii eſt pium nomen.* — Lib. 3. de Gubern.

Chriſtiani nomen titulus eſt honoris, ac ſanctitatis; ut enim D. Auguſtinus: *Chriſtianus juſtitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, caſtitatis, prudentiæ, humilitatis, innocentiæ, pietatis eſt nomen.* Et hanc, & illas niſi dederis, *recuſes nomen tanquam judicem ſuſpectum*, inquit Tertullianus. Te enim accuſabit illud, imò & reum probabit, atque damnabit. Ne porrò damnet, primùm audi, quæ olim Rex Theodoricus Fœlici ſuo: — Lib. de vita Chriſtia. c. 6. — Lib. contra Marci. c. 14.

Sumpſiſti nomen ex merito, cuſtodi, ut ſemper lateris veritate vocabuli. Nam cùm omnis appellatio ad declarandas res videatur impoſita, nimis abſurdum eſt portare nomen alienum, & aliud dici, quam poſſit in moribus inveniri. — Caſſiod. l. 8. epiſt. 10.

Deinde ex teipſo quære ſæpè ſæpiùs: *Tu quis es?* attende quis à nomine ſis, quis à re etiam ipſa? ſit tibi *nomen*, inquit Caſſiodorus, velut *auſpicium* rei, è quo ſcilicet benè auſpicari liceat, è quo optima quæque ſibi polliceri. — Lib. 5. ep. 3.

Sit in te *nominis Sacramentum*, ut vult Tertullianus, quaſi gratiam tibi conferat vitæ benè exigendæ. — L. 3. contra Marc. c. 16.

Sit tibi in ipſo *nomine fides*, ut optat etiam Tertullianus: ex vero enim nomen eſſe debet quaſi fides rei benè gerendæ. — Lib. de carne Chriſti c. 12.

Sit tibi denique, ut vovet idem Tertullianus, *nominis ſenſus*, hoc eſt, quod portendat, imò conferat facultates, ac honores, non huic vitæ brevi periturae; ſed æternæ. Erit autem, ſi ut dixi, ex te ſæpiùs petieris: *Tu quis es?* non inani tantùm ſono; ſed quotidiana, & diligenti indagine, qualis erat Davidis, qui in dies, & noctes ſingulas ſcopebat ſpiritum ſuum, hoc eſt, (interprete D. Auguſtino) — Apolog. c. 12. — Nomen, & vitam examina.

Scrutabatur ſpiritum ſuum, & cum ſpiritu ſuo loquebatur, ſeipſum interrogabat, ſeipſum examinabat, in ſe judex erat. — In Pſ. 76. v. 7.

Appoſitè profectò *in ſe judex erat*, quia ut ait Gregorius Magnus, *Cogitationes juſtorum, judicia:* Hi enim ut agnoſcit D. Diadochus erigunt ſibi in mente Tribunal aliquod, ad quod ſeipſi revocant, ſeipſi examinant, ſeipſi judicant, aut abſolvunt, aut damnant. Id Tribunal S. Dorotheus *Rationem* appellabat, quæ animæ eſt, quod oculus corpori, quod Sol Orbi huic aſpectabili. — L. 35. c. 14. — Lib. de conſcientia.

Hanc rationem S. Leo appellabat alio nomine: *Proprii cenſuram judicii*, ad quam nos omnes evocat ex Areopago magnus Præſul Dionyſius: ſic enim inquit: *Aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi judex, torqueat te timor, erumpat Confeſſio. Dic Deo tuo, quoniam iniquitatem meam cognoſco.* Ecce ſui cognitionem, eamque apprimè ſalutarem: ecce Judicium de ſe ipſo: ecce rationem exactam: ecce gravem; ſed probè rectam proprii judicii cenſuram: ecce interrogationem, de qua mihi ſermo, *Tu quis es?* eâdem teipſe judica, ac damna, mi Lector, ne te judicet, aut — Serm. de Quadrag. — L. 50. Hom.

damnet Deus: ut enim D. Auguſtinus, *puniendum, eſt peccatum, aut à te, aut à Deo. Tu agnoſce, ut ille ignoſcat.* Utque ignoſcat, & æternùm quidem, ſedulus audi, atque obſerva illud ejuſdem Auguſtini: *Peccata noſtra judices nos ſentiant, non patronos.*

Serm 88. de Temp.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Et confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt.* verſ. 20.
CUR ITERUM ITERUMQUE, ac tertiò repetita ea confeſſio?

Serm 23. de Sanctis.

DIVUS AUGUSTINUS ingenuam illam D. Joannis confeſſionem, dum expendit, ait: *Putari Chriſtus potuit, & noluit, exiſtimari Chriſtus potuit, & noluit: dixerunt homines cùm fallerentur in eo, num forte hic eſt Chriſtus? reſpondit ille, Quod non erat, ut maneret quod erat. Inde quippe Adam lapſus perdidit quod erat, quia quod non erat, uſurpavit. Recolebat hoc iſte magnus: ſed in parvo Chriſto minimus.* Verè magnus, qui magnitudinem in ſeipſo, non extra ſe quærit. Verè magnus, qui de ſe ipſe, & modeſtè ſentit, & loquitur. Verè magnus, qui in Chriſto parvo minimus. Is fuit Joannes, qui rogatus eſſetnè fortè Chriſtus? *Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt. quia non ſum ego Chriſtus.*

I. Ex Hebræo more.

Sed quorſum, inquies, iterum, iterumque repetita confeſſio? Fluxit illa primùm ex antiquo Hebræorum more, quo inter eos receptum id fuit, ut cùm aliquid planè, & plenè aſſeverare vellent, idipſum aſſertivè geminarent, & negativè triplicarent.

Deinde ut tam operoſa confeſſione teſtatum foret omnibus, quàm alienus eſſet à mendaci gloria, à falſis nominibus ac titulis: Maluit, inquit de Joanne Gregorius, *ſolide ſubſiſtere in ſe, quam humana opinione rapi inaniter ſuper ſe.*

II. Ex humilitate, quæ duplex eſt.

Tum etiam ut poſteris omnibus illuſtre præberet exemplum humilitatis; ac demiſſionis; quæ tum in cognitione ſita, tum etiam, & maximè in affectu, ut ſcitè notavit D. Bernardus:

Serm. 4. de Advent.

Humilitas, inquit, *duplex eſt: una cognitionis, altera affectionis, quæ dicitur cordis. Priore cognoſcimus, quod nihil ſcimus, & hanc diſcimus à nobis & ab infirmitate noſtra: poſteriore calcamus gloriam mundi; & hanc ab illo diſcimus qui exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens: quæſitus in regnum fugit, quæſitus autem ad tanta probra, & ignominioſum ſupplicium obtulit ſemetipſum.*

Et hæc & illa humilitas in Joanne fuit; nec enim ea hæſit in nuda ſui cognitione: ſed ad affectum quoque eſt elapſa: & ab hoc etiam aliis innoteſcere voluit, quod jam noverat in ſe ipſo. Sciebat enimverò non eſſe ſe Chriſtum; ſed hoc alii non ſciebant: ut porrò ſcirent, bis repetit eaſdem ingenuæ confeſſionis voces, *Et confeſſus eſt, & confeſſus eſt.* Prima confeſſio ad ſui notitiam referri potuit; altera ad affectum, qui permovit, ut quod de ſe norat etiam noſſent omnes: fuit & altera ratio toties repetitæ confeſſionis, ut ex ea diſceret poſteritas omnis, qua vi verborum, quóve impetu mentis repellendus eſſet hoſtis, ſi fortè ſeſe ingereret animo, & eos, qui in nobis ſunt affectus, contra rationis, Deique placita excitaret.

Eſt cuique noſtrûm congenitus amor quidam, & malè ſana cupido gloriæ, qua amamus digito monſtrari, & dicier hic eſt. Malus dæmon, qui nobis ipſis contra nos utitur, & armis noſtris, hoc eſt paſſionibus, in noſtram perniciem pugnat; voluit & illam inanis gloriæ cupiditatem in Joanne excitare. Advertit illud Chriſti pugil, & anteſignanus, atque illicò in hoſtem acer ivit, & objecta tentationis tela, non ſegniter, non languidè, non tardè retudit: ſed quàm citiſſimè ingentique niſu, objecto umbone etiam ternæ confeſſionis. *Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.*

III. Ex fuga inanis gloriæ.

Et ita Chriſtiano militi pugnandum, ſi fortè in eum ſua iacula mittat hoſtis, ſi depravatos affectus in campum contra ipſum cière velit: Audi quid de eo pugnæ genere ſenſerit Seneca Philoſophus, etſi profanus.

Et quidem celeri: ea enim ſit oportet.

Contra affectus; inquit *impetu, non ſubtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus; ſed incurſu avertendam aciem: ſugillationem enim retundi debere, non vellicari.*

L. de brev. vita. c. 10.

Quod ipſum D. Chryſoſtomus declarat opportuna ſimilitudine petita ab igne: *ſi in eum*, inquit *magno impetu aſcenderis, protinus extingues: ſi autem timidè, atque ignavè vehementer te ipſum exures.*

In Dog.

Concupiſcentia ignis eſt, tentatio flamma: ſi in hanc, & in illam ſubitò, & validè incurras, illicò ſuffocas, atque extinguis: ſin autem lentè, ac remiſſè, & quaſi palpando, ac manu pertentando; tua illa lentitudine, ac remiſſione irritata potiùs, quàm extincta paſſionis flamma, teipſum mirum quantùm incendet, atque aduret.

Itaque ſi ſapis cum Joanne in eam quàm celerrimè, & totis viribus involà, & ſtatim extinxeris.

Ea porrò præcautio, ut in omni tentationum genere neceſſaria, ita vel maximè in eo, quod ad vanam gloriam allicit; ad culmen dignitatis evocat: latet enim in hac multus ignis ſuppoſitus cineri doloſo. Illius probè conſcius Joannes, eam, quaſi in ſuo fomite extinxit, ne animum invaderet laudis amor, excellentiæque appetentia, qua etiam tangi ſolent, imò ardere, & velut in cineres abire quantumvis præcelſæ mentes.

D. Paulus, qui licet eſſet tricubitalis homo, cœlos tamen ipſos, ſideráque tranſcenderat, inter ea, quæ alium à ſe, poſſent ſeparare à caritate Dei, altitudinem recenſet.

Neque altitudo, inquit, *neque profundum, nec creatura alia poterit nos ſeparare à caritate Dei.*

Ad Rom. c. 8. v. 38.

Altitudo à qua ſibi malè metuere debet ille omnis, qui & animo, & virtute alius eſt à Paulo: *altitudo*, inquam illa, nihil aliud eſt, quàm altum, & ſublime in terris nomen; prima ſedes, & præcelſæ dignitatis faſtigium, in quod qui ſua voluntate potius, quàm neceſſitate aſcenderit, ruinas timere debet, & caſum maximè miſerabilem: ſic ex veritate, de omni honoris gradu dicere poſſum, quod de Regno, & eleganter, & piè pronuntiavit D. Chryſologus.

IV Ex honorum fuga.

Regnum velle, crimen eſt, adire periculum, temeritas non timere. Ab illo timore, qui bonas mentes occupavit, factum autumo, ut fugerint illæ quàm longiſſimè ab omni etiam ſacræ dignitatis gradu; & ſi quis in illum evaſiſſet, dignus fuerit habitus, cui compaterentur omnes, congratularetur nemo.

Serm. 23.

Certè

Certè D. Bernardus qui in hoc argumento mihi erit inſtar omnium ubi primùm inaudiit, Abbatem S. Anaſtaſii, ſuum olim alumnum ac diſcipulum, ad Petri ſedem evectum, graviter ingemuit, & ad Curiæ Romanæ Proceres litteras miſit plenas querelarum. Juvat ex iis hæc pauca delibare;

Hos fugere Sanch.

Epiſt. 236.

Parcat, inquit, *vobis Dominus, quid feciſtis? ſepultum hominem revocaſtis ad homines, fugitantem curas, & turbas curis denuo impluiſtis, & immiſcuiſtis turbis. Feciſtis noviſſimum primum, & ecce noviſſima illius periculoſiora prioribus.*

Ecce ut Eugenii tum Pontificis Maximi, noviſſima, hoc eſt ſupremum in Eccleſia Principatum cenſet priore periculoſiorem: imò ipſum in illo ſtatu componit, cum eo, qui deſcendens de Jeruſalem in Jericho incidit in latrones.

Currebat benè, inquit, *quid vobis viſum eſt ſepire vias ejus, avertere ſemitas, greſſus involvere? quaſi deſcenderat de Ieruſalem, & non magis aſcenderet de Iericho, ſic incidit in latrones, & qui ſe diaboli manibus, carnis illecebris, & gloria ſæculi potenter excuſſerat, non valuit effugere manus veſtras.*

Quis periculoſi.

Vides, amice Lector, quis Bernardi ſenſus, imò quis in uno Bernardo ſit omnium de alto nomine, de ſublimi Cathedra, de dignitate quavis etiam ultrò oblata; & quî eam averſari, quî fugere debeas, quia ut ſcitè D. Cyprianus, *ſicut peremptoria eſt altitudo quæſita; ita periculoſiſſima eſt oblata.*

In c. 4. Matt. v. 10.

Quod ſi ea eſt, diſce cum Joanne ab illa diſcedere; atque etiam ultrò oblata tibi alta nomina fugere, atque averſari; pauculis illis voculis: *Non ſum, non ſum ego.*

Pro Infula, Pedóque quæritur unus aliquis, & de eo tibi quippiam dicitur in aurem; age voces illas expedi: *Non ſum, non ſum is ego.*

Pro purpura, ſceptróque petitur alius, & hoc tibi fortè vel Procerum gratia, favorque defert, vel nativus ſanguis etiam non ambienti, obtrudit tamen, & dat in manus; etiam ſi cœlo ſapis, dic age: *Non ſum, non ſum is ego.* Dices profectò ſi Joannem, ſi vocem illam in deſerto clamantem: imò ſi ipſius Spiritus Sancti vocem audieris, emittitur illa Eccleſiaſtici calamo: *Noli quærere*, inquit, *à Domino Ducatum, neque à Rege Cathedram honoris.* C. 7. v. 4.

Quod ſi vetat etiam à Domino Univerſorum, à Deo ter Opt. ter Max. quæri Ducatum: quantò magis vetabit illum, vel à mundo quæri, vel à carne, & ſanguine duci, vel denique à malo dæmone peti? certè non offeret hic ulli, niſi ea lege, qua olim Chriſto obtulit omnia regna mundi, ſcilicet ut caderet priùs, & ipſum pronus adoraret; in quæ verba D. Bernardus:

Vidéſne, inquit, *quod ambitionis via adoratio diaboli eſt?* Quia diaboli via.
Vidéſne quomodo, & quàm turpiter in ejuſmodi via cadendum ſit? Verùm enimverò illud Prophetæ Regii: *Dejeciſti eos, dum allevarentur.* Certè cùm allevatur quis, dejicitur: quia ut notat D. Gregorius, *Qui honoribus proficit, moribus cadit.* L. 7 ep. 122. in Elud. N. 72.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Elias es tu? & reſpondit non. Propheta es tu? & dixit non.* verſ. 21.
AN ISTVD EX VERITATE?
An etiam ex virtute dicere potuit?

VBI auguſtum, ac divinum Meſſiæ nomen excuſſit Ioannes, ubi quàm longiſſimè removit conceptam de ſe opinionem: tum urgere magis Phariſæi, Eliáſne eſſet? in quo ſpectabis malignum invidorum ingenium: qui, ut ſcitè canit Vates, virtutem incolumem oderunt, ſublatam ex oculis quærunt invidi: Ita Eliæ dum in terris eſſet, & vulgò permixtus, detrahere omnes, ſcommata jacere, vincula, carceréſque minari: dum autem ab oculis elatus eſt, eum mirari, amare, venerari: hic ſcilicet invidiæ genius eſt, Iuſtorum virtutem, quæ lucerna eſt, non vident, non attendunt, non ſuſpiciunt, niſi cùm eſt extincta, & ita factum in præſentia. De Elia dum in terris eſſet nulla quæſtio: cùm ſublatus eſt, opinio ſanè quàm optima, & interrogatio plena gloriæ ac majeſtatis: dum enim quærunt, eſſétne Ioannes Elias? apertè oſtendunt ſe Eliam reponere inter principes Prophetas; imò, & habere velut ſecundum à Meſſia.

Utrumque negat ex genio humilitatis, quæ I. Laudes fugit.

Verùm Ioannes, qui ſe Meſſiam negarat ex veritate: modò, & Eliam negat eſſe ſe, & Prophetam: & hoc quidem ex humilitate, ſtudióque demiſſionis: ſcilicet inſitum illud eſt magnis mentibus, ut ſua vix norint, vix credant, nedum oſtentari velint, atque jactari: ita nimirum ſuadente virtute, quæ ut ait D. Chryſologus, *à Deo genita cælum ſpectat, in oculis agit divinis, & à Deo ſolo ut glorificetur, expectat*, ideóque, *ſpectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit*; quî enim requireret, cùm per ſe ſibi abundet ad gloriam?

Serm. 9.

Sacra res eſt juſtitia, ſacra virtus omnis, inquiebat Seneca, *nihil ex ſe petens niſi uſum ſui, non eſt quod ſpectes, quod ſit juſta rei præmium majus, quàm juſtum eſſe.* Ab hoc longiùs abit, qui virtutem ſuam publicari vult; ille quippe non virtuti laborat, ſed gloriæ: & quia non huic, ſed illi Ioannes laboravit, ideò etiam à ſe repulit, & ſplendidum Eliæ, ac Prophetæ nomen, & adnatas illis dotes, ac laudes parvi pendit, ſua ſe virtute, hoc eſt humilitate involvens, & nihil in ſe ſublime, aut altum agnoſcens.

II. Sui contenta eſt. Epiſt. 113.

Et is ſemper fuit, eritque in ævum humilis animæ genius, qui proinde modò cum cortice mali punici, modò cum cælo componitur.

Cùm in ſponſæ ſuæ laudes totus iret cœleſtis ſponſus, illius genas comparandas eſſe duxit cum cortice mali punici.

Sicut cortex mali punici; ſic genæ tuæ, inquiebat ille, & meritò. Sicut enim cortex iſte inde commendationem invenit, quòd innumera propè grana celet, ac tegat; cui proinde aſcribi poteſt hæc epigraphe, *Plus intus, quam foris*: ita juſtus omnis, qui hinc, & apud mortales laudem, & apud immortales gratiam acquiret, quòd ſub inſigni demiſſione, velut cortice quodam, ingentes virtutum, bonorúmque operum fructus repoſitos habeat, eóſque ab humanis oculis abſcondat, notóſque velit vel uni Deo. Quod ſi eos etiam aliis aperiri contigerit: tum verò quàm maximè erubeſcit. Nec mirum, quia *ipſum bonum* (ut inquit Tertullianus) *erubeſcendum eſt. Et verè laudabilis verecundia, ubi intus conſcientia munda, & foris facies verecunda*, ait Rupertus.

Cant. 4. 6. v. 4.

III. Quæ plus intus quàm foris habet.

IV. Quæ verecunda. Lib. de Vel. Virg. c. 2. In c. 4. Cant.

Et hæc in Joanne fuiſſe videtur: utpote, qui ad ſpecioſa Eliæ, ac Prophetæ nomina, non erubuerit modò: ſed quà potuit etiam fugerit; negavit enim Eliam eſſe ſe, quod de perſona verum omninò fuit; at ſpiritu, virtute, atquo officio Eliam ſe, ao Prophetam longè maximum profiteri potuit; noluit tamen, quia etiam publicari virtus erubeſcit.

Suprà c. 3. De Virgine magnificè pronuntiavit Tertullianus: *Omnis publicatio virginis bonæ, ſtupri paſſio eſt:* quod ego cum Velaſquez ad virtutem transferri poſſe cenſeo: eſt enim ea etiam Virgo, cui publicari eſt propè vim pati.

V. Quæ celari amat.

Sed venio ad alteram ſimilitudinem, quam mihi propoſui. ea juſtum appellat *cœlum*, quod à *celando* dicitur: quòd inſitas ſibi ſtellas, ac ſidera celet: & hoc juſti typus, & imago quædam eſt: de quo illud *C. 32 v. 7.* Ezechielis vaticinium: *nigreſcere faciem ſtellas cœli;* hoc eſt interprete D. Thoma juſtos omnes, qui in Eccleſiæ firmamento ſunt, quod in cœlo ſtellæ, videlicet, *ardentes ſpiritu caritatis, lucentes verbo veritatis, nigreſcentes virtute humilitatis*, à qua profectò tum temporis nigreſcere etiam viſus D. Joannes, in quem potiori jure verti potuit illud, quod deinde de *Opuſc. c. 38. de Euchar.* Conſtantino Magno pronuntiavit Nazarius: *Immenſus cum ſis majeſtate imperatoria, tua te modeſtia contines.*

VI. Quæ aliena nomina non recepit.

Erat in Joanne (ut cum venia dicam) immenſitas quædam virtutis ac ſanctitatis, erat Prophetæ, & plusquam Prophetæ dignitas ac majeſtas; ea tamen non effudit ſeſe; ſed ſua ſe modeſtia, ac humilitate continuit; & delatos ultrò titulos, altáque nomina reſpuit, major profectò, quàm ſi admiſiſſet.

De Alexandro Severo, qui, tum Antonini, tum magni cognomina à ſenatu oblata conſtantiſſimè recuſavit, ſcitè pronuntiavit Lampridius:

Et hinc exaltatur.

Multò clarior viſus eſt alienis nominibus non receptis, quàm ſi recepiſſet. & multò clarior Joannes cùm Eliæ, ac Prophetæ nomina non recepit, quàm ſi recepiſſet: ſic enim in illo (ut Petri Damiani verbis utar) *eluxit beata humilitatis excelſa majeſtas, quæ dum ſuo judicio ad ima deprimitur, divina provehente clementia ad cæleſtia ſublevatur.* *Serm. 3. in nat. Ioan. Bapt.* Audit enim ipſo primæ veritatis oraculo, Propheta, & pluſquam Propheta; imò, & Angelus, qui Meſſiæ advenienti viam paret. *Matth. c. 11. v. 9. 10.*

Quod Joanni, qui debita ſibi ex Eliæ, Prophetarúmque genio nomina reſpuit, uſu venit: hoc etiam religioſæ demiſſionis ſtudioſis evenire ſolet: etſi enim his inde poſſint alta cœlo nomina, & præclara magnarum virtutum decora, atque ornamenta, ea tamen in ſeipſis nec agnoſcunt ipſi, nec agnoſci ab aliis volunt.

Atque ex horum numero fuit ille frater *Converſus*, qui hæc aliquando ex intimo doloris ſenſu, & lacrymis ad D. Bernardum:

Væ mihi miſero peccatori omni bono vacuo, qui hac nocte in iſto fratre triginta virtutes numeravi, quarum ne minimam in me mendico reperire poſſum. *Henriquez in SS. Ord. Ciſt. Diſt. 4. cap. 15.*

Si ab eo quæſiſſes Religioſus es tu? reſpondiſſet, enimverò non ſum; ſed nimium quantum infelix peccator.

Opulentus es, & plenus à cœleſtibus gazis? dixiſſet omninò non ſum: ſed pauper mendiculus. Ecquid ergo? num aliqua ſaltem una virtute præditus? exclamaſſet illicò, ne minima quidem. Ecce quis humilis animi ſenſus, quæ cogitatio, quæ vox. Ut religioſus ſit, ut cœlo judice dives, ut abundans cœleſtibus bonis, nitensque virtutum omnium ornamentis, tamen & irreligioſum ſe, & nudum, ac pauperem, & omnis boni expertem credit, ac pronuntiat.

Et ita (ut eò redeam unde paululum abii) dixiſſe, feciſſéque viſus eſt D. Ioannes cùm & ſe Eliam & Prophetam eſſe diſertis verbis negavit. Verùm ut de ſeipſo negarit, Ita & Prophetam, & pluſquam Prophetam eſſe aſſeruit oraculum primæ veritatis. Sic qui ſuo calculo, vocéque deprimitur, cœleſti, ac divina erigitur, atque exaltatur.

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Ego vox clamantis.* verſ. 23.
CUR SE VOCEM APPELLET IOANNES, eamque clamantis?

Joannis nomina.

HIc duplex mihi injicitur quæſtio. Una, cur vox dicatur, & verò, etiam ſit Ioannes? Altera, cur clamantis?

Ad primam quod attinet, occurrebant alia nomina, eáque ſpecioſa, & grandia; quæ tamen ex veritate, & ſine fuco uſurpare poterat. Imò quæ ei jam erant indita ipſis Scripturæ ſacræ, ac Vatum oraculis.

I. Angeli.

Angeli nomen propè cœleſte multis ante ſæculis ei impoſitum voluerat Malachias Propheta, hoc celebri vaticinio: *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te.* *Cap. 3.*

II. Prophetæ.

Prophetæ nuncupatio ei data inter gaudia, feſtivósque plauſus, cùm exiit illud de ipſo oraculum: *Tu puer propheta altiſſimi vocaberis.* *Luc. c. 1.*

III. Lucerna.

Lucernæ appellatio ei conveniebat quàm optimè, & eam jam hauſerat ab avito ſanguine, & regia Davidis voce: qui hæc de illo præſago ſpiritu edidit: *Paravi lucernam Chriſto meo.* *Pſal. 131.* Huic vaticinio conſonat illud D. Auguſtini: *Præmittitur lucerna ante ſolem, ſervus ante Dominum, amicus ante ſponſum, præco ante judicem, vox ante verbum. Et ideò ſe dicit, ego vox clamantis in deſerto.* *Serm. 20. de Sanctis.*

IV. Vocis: ab hac ſibi nomen fecit.

Hæc enim appellatio illi placuit quàm maximè varias ob cauſas, eáſque longè graviſſimas, è quibus

Prima, quia conſona erat demiſſioni, ac humilitati, quam unam reſpirabat Joannes, vox Verbi Incarnati, Dei hominis, humilis JESU: *Poterat*, inquit Maldonatus, *ſe doctorem, poterat Iudicem, poterat præconem, poterat præcurſorem Chriſti appellare: ſolùm appellat vocem, quaſi ſonum, quaſi aërem, rem viliſſimam, omnibus illis, quibus ſe Legati ornare volebant titulis opponens, Chriſti, Eliæ, Prophetæ.*

Poterat ſibi nomen ſacere ab avito ſanguine, à ſacerdotali genere, à conceptione, ac nativitate prodigiis illuſtri: ſed hæc omnia reponit in poſtremis: in primis curis, in oculis, in amoribus eſt unum illud: *Ego vox clamantis*; quia ſcilicet, ea Chriſtum & ſpirat, & loquitur. *Non à ſanguine.*

Habent nimirum illud præcelſæ mentes, & cœlo natæ, nihil à patria, nihil à parentibus, nihil à terra mutuari volunt: ſed à cœlo, à Chriſto, à Deo omnia. *Uti nec ſancti faciuat.*

A Jona petierant olim, & operosè quidem vectores: *quod eſt opus tuum, quæ terra tua, & quò vadis? vel ex quo populo es tu?* quibus ille paucis: *Hebræus* *Exemplo ſit Jonas. Ion. c. 1.*

ego ſum,

ego ſum, Dominum Deum cæli colo. Septuaginta etiam Patriam omiſſam volunt; vertunt enim: *Servus Domini ego ſum, & Deum cæli ego colo.*

Hoc Jonæ fuit inſtar omnium, Domini ſervum eſſe, ac vile mancipium.

S. Lucianus.

Ejuſdem animi poſt longa ſæcula fuit S. Lucianus, qui ad cujuſvis generis interrogationes, hoc unum adjecit reſponſi; *Chriſtianus ſum.* Cùm enim ex eo quæreretur:

Quanam ex patria ortus es? Chriſtianus ſum, ait. Quam artem profiteris? Chriſtianus ſum. Quibus majoribus? ille verò ad omnia dicebat, Chriſtianus ſum; ac ſi diceret, cætera non ſum, quia cætera non ſunt, & niſi Chriſtianus, & nomine, & re etiam ipſa eſſem, non erat cur eſſem; cur in vivis degerem.

Simile quippiam, & animo, & voce mihi extuliſſe viſus eſt Ioannes, à quo etſi millies quæſitum fuiſſet: *Tu quis es?* non ſubjeciſſet niſi unum illud: *Ego vox clamantis*, ego Chriſti, ego Meſſiæ vox ſum: aliud ne quærite, ne expectate. Illius quippe unius ſum, & eſſe volo, illi ſpirare, illi loqui, illi vivere, & mori certum eſt. Atque utinam ea quoque illius exemplo Chriſtianis omnibus mens eſſet, & ea vox: ad omnia reſponderent illi, Chriſtianus ſum, & Chriſti vox.

Tertullianus acri ut ſolet ſtylo notat, ac pungit Marcionem hæreticum; ſic enim ad illum:

Lib. de Car. Chriſti c. 2.

Si Propheta es, prænuntia aliquid; ſi Apoſtolus, prædica publicè; ſi Apoſtolicus, cum Apoſtolis ſenti: ſi tantummodo Chriſtianus es, crede quod traditum eſt: ſi nihil iſtorum es, meritò dixerim; morere.

Hæc Marcioni Tertullianus, quaſi diceret ſi nihil eorum es, ad quæ te natura, ratio, fidesque formavit, non eſt, quòd ultra hunc aërem haurias, non eſt quòd inter mortales vitam trahas. Quæ illi quondam, hæc ego cuilibet Chriſtiano dicendum puto: ſi Chriſtianus es, age, ſenti, loquere, operare quæ Chriſtiani ſunt, & quantus quantus es vox eſto Chriſti: quod ſi non es, morere: nec enim eſt quòd ultra vivas, ſi Chriſto non vivis.

Cur Joannes vox?

Verùm ne longiùs, transeo ad aliam rationem ob quam Joannes vox eſſe, & dici voluit: poterat enimverò ad illam quæſtionem *Tu quis es?* Reſpondere. Ego Joannes magni Zachariæ filius: maluit tamen ſubjicere *Ego vox*, quod hæc officium ſpectaret, ediceretque quem in finem à cælo miſſus; ut ſcilicet quà verbo, quà etiam exemplo vitæ ſanctioris doceret parare vias Domini; ut præiret ipſe, & inſtar alicujus Paranymphi, ſponſi cæleſtis adventui præcineret: & hinc ex vero vox audit; quid enim potiùs? vox eò homini data eſt, ut reconditum animo conceptum, ceu verbum mentis in lucem, apertúmque efferat. Latebat in carne Patris Æterni Verbum, illud aperit, explicátque Joannes, de quo Ambroſius: *Bene vox dicitur Ioannes Verbi prænuntius; quia vox præcedit inferior, Verbum quod ſequitur præcellit.*

Lib. 2. in c 3. Luc.

Quomodo?

Sed, & ex alio capite vox fuit Joannes, vox in nativitate, vox in vita, vox in morte. In nativitatè quidem tum propter illuſtria prodigia, quibus ea inclaruit, tum ob redditam Parenti vocem, quam incredulitas ademerat; *Quia Ioannes vox erat, idcirco in ejus nativitate pater mutus vocem recuperavit*, inquit Ambroſius.

In Luc. c. 3.

Vox fuit in omni vitæ curſu, in quo ſcilicet altùm loquebantur ſylvæ, ac nemora: invia, & horrens ſolitudo, quæ illi domus erat, victus, qui tenuis, veſtitus, qui rudis, atque incultus, converſatio, quæ tota in cælis erat, & muta quadam voce, ſuavem dabat virtutum omnium concentum, quo rapi ſuperi poterant, & ipſe conditor univerſi.

Vox denique in morte Joannes fuit, vel ſi mavis mors illi fuit *Echo vitæ*, utpote quæ fideliter vitam reddidit, atque expreſſit.

Vita ipſa loquebatur inſignem aliquam animi conſtantiam, ſtudiumque virtutis illius etiam in aliis propagandæ: & eam caſtæ mentis vocem, mors velut *Echo vitæ* retulit, ubi vitam pro caſtitate tuenda poſuit, & ferro caput objecit.

Vox etiam fuit Joannes, quæ ad aliorum aures, animóſque appulit, & quidem ingenti ſono, & ſalubri fragore.

Et quam varia?

Longe alio quàm olim nominatus ille Carneades, qui à grandi voce dictus eſt, μεγαλόφωνος. Hic enim inani ſono aëra tantùm verberabat. Ille quatiebat animos, & ſalutari pœnitentia etiam ad cineres, & cilicium abjiciebat. Nec mirum: vox enim erat: ſed *Vox Domini ſuper aquas Iordanis*; ubi iis ipſis Meſſiam intinxit.

Pſal. 28.

Vox Domini in virtute pœnitentiæ, quam, & verbo docuit, & exemplo.

Vox Domini in magnificentia, utpote quæ de Chriſto magnifica, auguſta, & divina myſteria Orbi extulit: inter quæ etiam illud, Agnum Dei, qui mundi peccatum tolleret, afferretque ſalutem.

Vox Domini confringentis cedros, hoc eſt elata capita, & rebelles ſuperis animos, quos inter Herodes, quem potenti voce, ceu tonitru petiit, perculit, fregit.

Vox Domini præparantis cervos, vel ut vertit D. Hieronymus: *Vox Domini obſtetricans cervis*; id timidæ, fugacíque cervæ proprium eſt, quem utero claudit fœtum excludere, & in lucem emittere non poteſt, niſi favente cœlo altùm ingemuerit æther, ſonuerítque tonitru: tum enimverò horrore quodam perculſa, laxatiſque ab illo uteri anguſtiis, pullum emittit, atque ex nativo carcere liberum dimittit: quod cervæ; hoc, & animæ peccatrici eſt ſingulare; concepit illa ſæpè ſæpiùs, & animo, ceu utero clauſit bona propoſita: at parturire non poteſt, non poteſt ea in lucem, apertumque proferre; niſi inſonuerit tonitru, niſi fulmina jecerit iratus Æther; & grandi timore impendentis judicii perculerit, tum verò excitata mens inſtar timidæ, fugaciſque cervæ, quod benè concepit emittit, producitque fœtus cælo dignos, atque æternitate: & ita factum olim à Joannis voce; ceu valido tonitru, *præparavit illa cervos*; hoc eſt abjectas, & à ſalute fugientes animulas, quibus fuit, quod parturienti mulierculæ ſolet eſſe obſtetrix.

Narrat Metaphraſtes in vita S. Athenogenis Abbaris, & invicti Martyris in ejus cœnobio fuiſſe cervam adeò cicurem, & probè doctam, ut pullum ſimulatque effudiſſet, duceret in templum, Deo quaſi oblatura: relicto quippe ibidem fœtu, ſe recipiebat in ſolita nemora.

Quod cerva; hoc Deum timens, ac reverens anima: à timore ſanctè concipiat illa & parturiat ſpiritum ſalutis, atque ad ſacras aras deponat veluti nobilem, ac gratam ſuperis victimam: à qua diſcedo, & redeo ad Joannem.

Vox etiam fuit: ſed *vox tonitrui in rota*; quia ſic *terrena celeri curſu pertranſiit, ut vix modicis veſtigiis terram attingeret, & tamen excelſorum dogmatum vox perſonaret.*

Hier l. 3. in Ezech. c. 10.

Denique Joannes quantus quantus fuit, vox fuit. Spartanus quidam apud Plutarchum cum Philomelam audiſſet ſuavè modulantem, ac deinde captam, exanimem, atque explumem vidiſſet, exclamavit: *Vox quidem tu es, & nihil aliud.* Nec enim illi aut moles carnea, aut oſſium robur: ſed exile corpuſculum, è quo tamen animata vox altùm ſonat, aureſque mirum quantùm demulcet. Ità ſi Joannem externa duntàxat ſpecie conſideraſſes, exiguus viderì poterat, & velut homo nihili: vilis enim in eo cultus corporis, victus pauper, abjecta omnia: ſi vocem excepiſſes. Ab hac reſonabant nemora, tremebant cedri, concutiebatur rupes: Reges, inquam, ſuperbi, atque inſolentes. Nec mirum, quia Joannes totus vox erat.

Plut. in Apopht.

Atque utinam ii & nos eſſemus; eſſemus, inquam, & ipſi

Vox Domini ſuper aquas, hoc eſt, ſuper populos, (*aquæ* enim *multæ*, *populi multi*) quos inſtituere debemus, quà verbis, quà exemplis vitæ melioris: hujus quippe teſtimonium efficacius eſt quàm linguæ, quia homines plus oculis, quàm auribus credunt. Et qui voce tantùm ſubjectas ſibi animas inſtruit; næ ille monſtrum eſt; quia ut ſcitè D. Bernardus: *Monſtroſa res eſt gradus ſummus, & animus infimus; ſedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus, & fructus nullus.*

Lib. 2. de Conſid.

Eſſemus, & ipſi *vox Domini*; ſed *in virtute* pœnitentiæ; quâ præteritæ vitæ culpas elueremus probè.

Vox Domini in magnificentia, quâ ſcilicet unam Dei ter Opt. ter Max. gloriam, & ambiremus impenſiùs, & procuraremus ſtudioſiùs.

Vox Domini confringentis cedros, quæ, & noſtram ſuperbiam retunderet, & doceret abjecta ſuperis, Deoque ſubmittere capita.

Vox denique *Domini præparantis cervos*: hoc eſt, à nimia mentis dejectione proſtratas, & fugaces animulas, quas erigere, & bona ſalutis ſpe ad altiora excitare noſtræ curæ eſt, ac laboris. Quod ſi ii quoque nos ſimus, erimus quod olim Domini præcurſor Ioannes, *Vox clamantis in deſerto.*

Cur vox clamantis?

Venio ad alteram quæſtionem, quam mihi initio propoſui, ea ducitur ex illis magni Baptiſtæ verbis: *Ego vox clamantis*; rectè clamantis, non clamans.

Primùm, quia non ſibi clamat: ſed Chriſto, cui uni, & ſpirat, & vivit: imò qui in eo, & vivere, & ſpirare, & clamare quodammodo dicendus eſt.

Verùm enimverò de Joanne, quod de Chriſto Paulus: *Quòd mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel; quòd autem vivit, vivit Deo*, hoc eſt, ut explicat D. Chryſologus: *Vivit Deus*, qui enim ita vivit, ut non vivat niſi in Dei ſui gloriam, vivit ut Deus, imò vivit in eo Deus: & quia ſic vixit Joannes, ut non viveret niſi ad Chriſti laudem, & gloriam, ideò in illo, & vivere, & loqui, & clamare Chriſtus videbatur.

Serm. 75.

I. Quis non ſibi clamat, ſed Deo.

Dixit olim Auguſtinus, & benè: *Si terram amas, terra es; ſi cælum amas, cælum es*; Addi poteſt, ſi Deum, & Deus; ſi Chriſtum, & Chriſtus.

Qui enim adhæret Domino, unus ſpiritus eſt, inquit Paulus, vel ut habet Syriaca lectio: *Qui ſe adjungit Domino noſtro, fit cum eo unus ſpiritus.*

II. Quia altè clamat.

Altera ratio cur dicatur, & ſit Ioannes, *vox clamantis*, eſt hæc, quòd omninò magna, & valida ſit vox veritatis, vox virtutis: *Magna vox juſtitiæ*, inquit Ambroſius, *magna eſt caſtitatis, per quam, & mortui loquuntur, nec ſolùm loquuntur: ſed etiam ſicut Abel, clamant; At verò injuſti anima nec vivens clamat, quia mortua eſt.*

In Pſal. 118.

Te revoco, mi lector, ad Suſannæ tempora: ea deprehenſa ab impudicis ſenibus, ne caſtitati vim inferri pateretur, vim fecit voci: *Exclamavit enim voce magna Suſanna, clamaverunt autem & ſenes adverſus eam*: Sed ita ut unius puellæ vox, duorum virorum vocem quodammodo abſorberet, & ſolius Suſannæ vox magna eſſet, etiam Scriptura teſte. Quæ cauſa? Eam reddit D. Hieronymus: *Magna vox non aëris percuſſione, & clamore ſaucium: ſed pudicitia magnitudine, per quam clamabat ad Dominum. Unde, & ſancta Scriptura in exclamatione ſeniorum non appoſuit magnam vocem: quia ſcilicet in Suſanna, & cordis affectus, & mentis pura confeſſio, & bonum conſcientiæ, vocem ejus fecerant clariorem.* At verò in ſenibus illis impudoratis, & inſana libido, & nuda, lubricáque verba, & ingens conſcientiæ malum vocem reddiderant obſcuriorem.

Dan. 13. v. 24.

Ibidem.

III. Quia cordis affectu.

QUÆSTIO SEXTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Ego vox.* verſ. 23.

QUALIS VOX IOANNES? AN ORIS TANTUM? An non etiam cordis, & operis?

DE hac quæſtione fuſiùs dixiſſe mihi videbar in præcedenti: poſtea tamen, ut fieri aſſolet, occurrerunt nonnulla, quæ adjicerem Lectori, uti ſpero & utilia, & grata; ſeræ enim, & ultimæ cogitationes quandoque ſapientiores primis; ut igitur illas aperiam, tria paucis expediam.

Vox triplex.

Primò triplicem eſſe homini vocem. Una eſt oris, altera cordis, poſtrema denique operis.

Secundùm à Joanne editam fuiſſe triplicem hanc vocem.

Denique & à nobis etiam edi oportere.

I. Oris.

Ad primum quod attinet, de voce oris; ſua inter Philoſophos quæſtio, eáque controverſa.

Quid & ſit?

Stoici volebant eſſe percuſſum aërem, vel percuſſionem aëris.

Democritus ſonum in aëre excitatum.

Alii, fluxum verborum fluentium ex ore, & ad ſe invicem allidentium, ut undæ ſolent. Ariſtoteles melioris philoſophiæ ocellus, eſſe ſonum ore animalis prolatum, & hæc prima homini vox eſt.

II. Cordis.

Sed & altera, quæ *cordis* dicitur, hoc enim ſubinde auditum eſt loqui.

Certè hoc, quo vivimus ævo, P. Rochus Gonzales è Societate IESU fidei, & religionis causâ capite à barbaris plexus, auditus ab illis ex imo corde vocem edere & quidem articulatam, qua iis immanem cordis duritiam exprobrabat, quod hominem, qui ab extremo orbe eorum ſalutem quæſiturus venerat, capite minuiſſent, vitámque mortalem ei abſtuliſſent, qui immortalem venerat allaturus.

Eo locutus P. Rochus.

Sed hoc recentioris eſt memoriæ, demus alterum, quod eſt antiquioris.

S. Mechteldis.

Sancta Mechtildis ſuperis in paucis cara, IESUM audivit cum ingenti palpitatione, hæc ad ſe corde proloqui: *Veni amica mea, ſoror mea, ſponſa mea, veni: poſſide paratum à me tibi regnum.*

Cui & ipſa hæc corde reſpondit: *Dilecte mi, ſponſe mi, ecce me.* Has intimo corde voces reddebat bona virgo, quæ cùm Chriſto gratæ accidiſſent, Angelo ipſius tutelari mandavit ut è virginis corde ſchedulam educeret; paruit ille, eduxitque: mirum dictu, viſúque! erant in illa ſcripta hæc verba, non atramento; ſed ſanguine etiam ipſius cordis: *Mori mallem, quàm aliquo ſcelere à te ſeparari, ô Bone* IESU. Ubi ea cartula de manu Angeli Chriſto oblata: tum ſic ad virginem: hæc erant verba, quæ & corde concepiſti, atque etiam edidiſti, cùm primo mane turpis aliqua cogitatio ingrueret.

Maneat ergo cor humanum ſubinde loqui, & in voces,

voces abire: ſed miraculo, inquies, uſque altiore, ac divina: non abnuo; verùm etiam ſua illi vox, & quidem ſine miraculo; vox, inquam, amoris, atque affectus pii, quo cum Deo loquitur.

David. Psal. 44. Ita locutus olim David, qui hæc candidè de ſeipſo: *Eructavit cor meum verbum bonum.*

Psal. 36. Ita loquitur & juſtus omnis, de quo vates: *Os Juſti meditabitur ſapientiam.* Os, inquam, cordis, cujus unius eſt ſapere, & guſtare quæ Dei ſunt, deinde eadem lingua proloqui.

Juſtus omnis.

Eos qui cum ſuperis, Deóque ita loquuntur, Agellius appellat *eruditos corde*: imò & eloquentes.

In Pſ. 36. *Oſtende*, inquit, *eruditos corde, qui non ore tantùm: ſed etiam corde eructent verba ſapientiæ.*

III. Operis. Poſtrema vox eſt operis; de hac ita disertè Divus Cyprianus: *Habent opera linguam ſuam, habent facundiam ſuam etiam tacente lingua.* Et hæc paucis de triplici illâ voce, à qua in orbe judaico inſonuit magnus Baptiſta, imò inſonuere & nemora, rupéſque.

L. 2. de Martyrio.

In Joanne vox triplex:

I. Oris. Marc. c. 1. v. 3. Primùm ab oris voce; fuit enim *vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus:* ecce quæ vox ab illius ore fluxit, quæ concio ad frequentem populum, dum eſſet *prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* Quem ut auditoribus perſuaderet, ad vocem oris, addidit & cordis affectus, piósque motus,

II. Cordis. à quibus effervescere cor, ebullire, eructaréque illud adversùs obdurata capita, *genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* Ecce vox cordis, hoc eſt affectus iræ, qui altùm ſonat, auréſque, & animos auditorum verberat ac percellit. Vis aliam cordis vocem, eámque demiſſionis? audi quid de Chriſto: *Venit fortior me poſt me, cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus.* vis & aliam fidei teſtem, atque indicem Meſſiæ? excipe quid de illo: *Ego baptizavi vos aquâ: ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto.*

Luc. c. 3.

Marc. c. 1. v. 7.

Luc. 3. Ecce cordis voces: excipe & operis; ſimulque illud Evangeliſtæ: *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium.*

III. Operis. Cur, inquies, in deſerto factum, ac non potiùs dictum? certè verbum dicitur, non autem fit. Hîc latet arcana quædam ſecretioris myſterii ratio, quâ docemur Joannem non tam voce, quàm opere locutum: & verò in Joanne loquebantur omnia, altúmque clamabant.

In nobis ſit vox triplex. Solitudo invia, & horrida, in quam ſe abjecerat, vox erat, veſtitus è pilis Cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus vox erat: locuſtæ, & mel ſylveſtre quod edebat, vox erat. Pœnitentia, quam ſubibat, & quâ etiam aliis prælucebat exemplo, vox erat; ſed operis, & facti: & hinc Evangeliſtæ calamo rectè dicitur: *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem*; non autem dictum, quia magis illi incubuit facere, quàm dicere, & facto potiùs docuit, quàm verbo, & ita nos docere oportet. Verùm quæ hominis eſt imbecillitas, & quæ generis noſtri labes, & macula: plerique ſunt, qui voce docent, non opere.

Non oris tantùm. Ii quondam fuerunt Scribæ, & Phariſæi: in quos illud Servatoris: *Dicunt, & non faciunt.* Ii etiam hoc ævo multi divini verbi præcones, qui ſi de animi demiſſione aliquid jactandum ſit è pulpito, jactant enimverò profundè; ſi de obedientia, promptè, ac celeriter; ſi de caritate, calidè, atque ardenter; ſi de patientia, fortiter, ac nervosè: verùm hæc omnia proferuntur inani vocis ſono, & opere nihil horum ab illis exhibetur; nam & primas cathedras quærunt in ſinagogis, & in conſeſſibus prima ſubſellia, & ad obediendum tardi, ac plumbei, & ad opera caritatis remiſſi, ac frigidi: & ne levi quidem digito tangi ſe patiuntur, amántque molliora omnia atque amantia, dura fugiunt, atque averſantur.

Plut. in Apopht. His objici poſſet, quod olim Spartanus quidam Philomelæ, quam ceperat ac depiumarat, *vox quidem es, & non aliud*; ſi enim tibi plumas, id eſt, exteriorem Eccleſiaſtæ, aut religioſi veſtem quis abſtulerit; neque maſſam carneam, id eſt, perfectionis Chriſtianæ congeriem, neque oſſium, id eſt, virtutum ſoliditatem: neque vim, aut varietatem plumarum, id eſt bonarum actionum copiam inveniet; ſed nudam, nudam vocem, quia ex vero *vox es, & nihil aliud.*

Et hinc malum alterum; & quidem ingens, atque portentoſum; quod nihil inde boni expectandum ad Dei gloriam, & animarum ſalutem.

Non enim à te; quia nimis exile, atque inane, quod in te eſt.

De perfect. ſpir. *Nihil egentius illa mente, quæ de Deo extra Deum philoſophatur*, inquiebat olim Sanctus Diadocus Epiſcopus; at extra Deum philoſopharis, quia extra charitatem, praximque virtutum.

Epiſt. 16. Non etiam ab auditoribus, quia hi ducuntur exemplis, non verbis: & cùm homines ſint, *amplius oculis quàm auribus credunt*; ut bellè Seneca. Non etiam ex doctrina, quam venditas: quia ut rectè S. Iſidorus: *Doctrina operum umbra*; hanc tantùm ſi dederis, dabis aliquod ſimulacrum inane corporis, imò nec ſimulacrum; ſed iterum nihil, ideóque nihil in auditorum animis efficies.

L. 3. ep. 119.

Tibi quippe objici poterit, quod olim (licet immentò) B. Joachimo ex ordine Servitarum obtruſit ægrotus unus aliquis: cùm enim huic ad patientiam animos facere ſtuderet altiores, hoc illi repoſuit cum ſtomacho; ſi tibi, ut mihi cum morbo lucta foret; non id ſentires, ac loquereris: cui illicò vir ſanctus: Deum oro, obteſtórque, ut te illâ ægritudine liberet, & me eâdem oneret.

Votis illicò cælum annuit, nam & æger morbos omnes exuit, & illos induit Dei ſervus, ut patientiam, quam verbo ſuaſerat, perſuaderet etiam exemplo: itáque vox eſſet, non oris tantùm; ſed & cordis; ſed & operis.

Sed cordis. Et hinc delabor ad ſecundam vocem, quæ à corde affectionum bonarum fonte, atque officina dimanat; ad eam explicandam nos hortatur D. Umbertus: *Locutionibus veſtris*, inquit, *non cor in linguâ: ſed linguam potiùs in corde teneatis.* Qui cor habet in lingua, linguâ tantùm loqui videtur; at qui linguam in corde, corde eloqui, atque intimo affectu.

Hom. 32 in ep. ad Rom. Ita locutus olim D. Paulus, de quo ore aureo Chryſoſtomus: *Cor Chriſti erat cor Pauli, tabuláque Spiritus Sancti, atque charitatis volumen*; quod ubi explicabat è pulpito, magnos in auditoribus motus excitabat; quia non aures pulſabat inani vocis ſono; ſed corda tangebat affectu pio. nec mirum, quia ex

In Pſal. 44. corde loquebatur, *& quod de corde procedit nonniſi corde capitur*, ut ſcitè notavit Sanctus Paſchaſius. Sentiebat nimirum in ſeipſo, quod alios ſentire volebat, & quos in iis affectus exprimere moliebatur, eoſdem in ſe priùs exprimebat: & ita faciendum eſt nobis, ſi alios ducere paramus ad ſenſum aliquem pietatis.

Epiſt. 7. Hæc proinde *ſit propoſiti noſtri ſumma. Quod ſentimus loquamur, quod loquimur ſentiamus*, inquiebat ad diſcipulos ſuos Seneca; quæ ego ad divini verbi præcones, & altioris ſapientiæ magiſtros.

Sed operis. Venio ad poſtremam vocem, quæ à juſtis audiri debet. Ea eſt *operis*, hac loqui, hac tonare debent: & ita quidem ut quidquid in iis videtur, etiam audiatur.

De Philoſopho, hoc eſt melioris ſapientiæ candidato, magnificè pronunciavit illud Tertullianus: *Etſi eloquium quieſcat, habitus ſonat; auditur Philoſo-*

L. de pallio c. 6. *phus dum videtur.* Hæc ille, quæ ego in Chriſtianum, in religioſum, in Eccleſiaſten cadere velim, ut audiatur etiam hic, dum videtur. Si in eo habitus, ſi cultus corporis, ſi geſtus, totáque exterior compoſitio videatur, ſimul etiam audiatur, quaſi muta quædam vox,

vox, muta concio, & Chriſtianæ, ac religioſæ virtutis commendatio, ad quam dum nos hortatur D. Hieronymus, ſic etiam modò in ſcriptis ſuis.

L. 2. contra Jovinian.

Licet ſermone taceamus; habitu loquamur, & geſtu.

Ita locutus olim D. Lucianus Martyr qui eâ erat modeſtiâ, ea gravitate, ea externi hominis compoſitione, quæ omnes raperet in ſui amorem, atque admirationem. Hinc ſi fortè prodire in publicum, ſi per compita civitatis forúmve incedere, pars populi è feneſtris ſpectare, pars ad januas ſtare, pars etiam foras egredi, ut propiùs ſpectare poſſet, oculóſque paſcere tam raro Chriſtianæ modeſtiæ ſpectaculo, quod ubi inaudiit Maximinus Imperator, & ipſe ſpectator eſſe voluit, oculiſque uſurpare, quod auribus exceperat: Verùm aulicus, & is idolorum cultor omninò diſſuaſit; addens etiam illud notatu dignum: eam Luciani modeſtiam eſſe, atque gravitatem, quæ vel ſolùm ſpectata ſuaderet illicò fieri Chriſtianum; proindeque ſi videre eſſet animus, inter ſe & illum velum obtenderet; ne ſcilicet nuda, atque aperta pateret ea modeſtia, in qua tantæ ad fidem, ac virtutem erant illecebræ.

Et hæc prima vox *Operis*, in externo ſcilicet homine: adde alteram in vita, ac moribus, quæ altùm ſonare debet, & appellere ad aures, oculóſque populorum, ab iis maximè qui aut illis præſunt, aut eos ſactis inſtruunt diſciplinis.

D. Hieronymus ubi agit de tintinnabulis appenſis olim ad extremam Pontificis veſtem, illud emittit ad poſteros documentum: *tanta debet eſſe ſcientia, & eruditio Pontificis Dei, ut & greſſus ejus, & motus, & univerſa vocalia ſint. Quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina ſit populorum.* Ita fuit olim in Athanaſio, qui ea, quæ verbo docebat, reddebat exemplo. *Sigillo vitæ utens, & obſignans* inquit D. Gregorius Nazianzenus; nimirum doctrina, qua pollebat Athanaſius, erat illi pro patentibus, vita autem, pro ſigillo, quod fidem faceret, atque conciliaret authoritatem. Orat. 21.

Ita etiam fuit in D. Baſilio, qui dum audiretur è pulpito, miros faciebat animorum motus, non tam verbo, quàm facto; ut proinde de illo magnificè Nazianzenus Præſul.

Tonitruum erat oratio, quia vita fulgur, ut qui priùs luceret à vita, oculoſque ſpectantium percelleret; quàm tonaret à lingua, aureſque ſubjectæ multitudinis feriret. Orat. 20.

Et ita tonare, ac ferire docet oratores ſacros, avidéque excipere, ac ſervare illud D. Petri Damiani: *Verba vitæ populis non ſolum vocibus; ſed etiam moribus nuntiemus.* Lib. 3. Ep. 6.

QUÆSTIO SEPTIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Quid ergo baptiſas ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* verſ. 25.

AN RECTE PHARISÆI, AUT CHRISTI, aut Eliæ, aut Prophetæ cujuſpiam perſonam in Ioanne ad baptiſmum conferendum requirant?

Ratio objectionis.

AUGUSTUM, ac divinum Chriſti nomen à ſe removerat Joannes, removerat, & Eliæ, imò, & Prophetæ: hinc illud objiciunt Phariſæi. *Quid ergò baptizas?* Quaſi dicerent: ſi nec Chriſtus es, à quo ceu fonte, ſua vis erit ad eluendos animos; ſi nec Elias, nec Propheta, hoc eſt, Eliſæus, qui ſicco veſtigio Jordanem tranſiere, qui aquas inſulſas, atque inſalubres, & ſapidas reddidere, & ſalubres; ſi, inquam, nihil horum es, quid ergo baptizas? qua fronte, quibus oculis, id uſurpas muneris?

D. Thom. lect. 13.

Amarum illud obtrudunt Phariſæi ex ſuo, & ſæculi hujus genio, quod eos ad ima deprimit, quos extulit ad ſumma; pro innata ſcilicet ſibi levitate, atque inconſtantia, quæ ex eo oritur, quod (ut ſcitè obſervavit D. Gregorius Nazianzenus) *tolat temporum, non Dei leges.* Has ſi coluiſſent Phariſæi, facilè animadvertiſſent, etſi in Joanne nec eſſet Chriſti perſona, nec Eliæ, nec Eliſæi: eſſe tamen virtutes Chriſto ſuppares, nec impares Eliæ, aut Eliſæi. Verùm ex hac ipſa objectione aliquid ad mores deducamus; dicamúſque non omninò abs re oppoſitum illud: *Quid ergò baptizas?*

Orat. 27.

Reſponſio in Joanne Chriſti, Eliæ, Prophetæ virtus erat.

In hoc enim aliquid requiro humano majus, Vox erat Ioannes & quidem Verbi: præco erat, & veritatis quidem; baptizans erat, & in aqua quidem, quæ pœnitentis animæ nota, quæ lavacrum, pœnitentiæ: & in his omnibus, aut Chriſti, aut Eliæ, aut Eliſæi, aut Prophetæ cujuſpiam opera deſidero: hæc ſi abſint meritò objicietur illud: *Quid ergò baptizas?*

Quæ Ioanni, hæc & aliis quæſtio moveri poteſt: quid baptizas? quid doces? quid concionans? ſi tibi non ea domi ſit grana, non ea vis animo, quàm id munus efflagitat? Hæc enimverò prærequiritur; & primùm virtus ſpectari debet, deinde ſecundùm illam etiam doctrina: *Virtus prima eſt benè vivere, ſecunda rectè docere*, inquiebat Ferrandus Diaconus.

Hæc quoque requiritur in præcone verbi Dei.

In Parenet.

Non igitur concionatori ſufficit eloquentia, quæ in aures influit, niſi accedat etiam virtus, quæ in animos illabatur: *Doctrina in dictis, ſcientia eſt: in factis virtus:* pronuntiabat ore aureo Chryſologus. Et hæc veritas ita conſpicua eſt, ut eam quoque viderint hujus mundi ſapientes, vel ipſa duce, ac magiſtra *Philoſophia*, quæ ut aiebat Seneca, *facere docet, non dicere.*

Serm. 167.

I. Ex parte doctrinæ.

Serm. 20.

Ad hoc ſanioris Philoſophiæ, ſeu dictamen, ſeu etiam præceptum ſpectaſſe videtur ea apud veteres Græciæ conſuetudo, in Olympicos ludos inducta. Ea victores ita publicis inſigniebat honoribus, ut dextram priùs quàm caput coronaret. Rebantur nimirum ſapientes illi præcipuam hominis laudem in actione conſiſtere; eique coronam, palmámque deberi.

Ratio ſi quæritur, ea duci poteſt tum ex eo qui docet tum ex illo, qui audit; ſi enim in illo vita cum voce non conſonet, nunquam perſuadebit: quia ut ait D. Hieronymus; *Perdit authoritatem docendi, cujus ſermo opere deſtruitur.* Hinc iſtud apud eundem ſapiens & pulcherrimum monitum: *Non confundant opera tua Sermonem tuum. Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de jejuniis diſputat. Accuſare avaritiam & latro poteſt. Sacerdotis Chriſti os, mens, manúſque concordent,*

II. Ex parte docentis.

Epiſt. 93.

Epiſt. 2. ad nep.

Digitized by Google

concordent, concordabit autem ſi quod ore docet, ipſe priùs opere expleat.

In quo tria: Verbum, Exemplum, & Oratio. Epiſt. 201.

Eum in finem D. Bernardus tria in oratore Chriſtiano requirebat. Verbum, Exemplum, Orationem; & hanc cæteris anteponebat, quòd ea *operi, & voci gratiam, & efficaciam promereretur.*

Lib. 4. de Doct. Chriſt. c. 15.

Hauſit illud S. Doctor ex D. Auguſtino, cujus hoc eſt breve, & aureum pronuntiatum. *Sit orator, antequam dictor.* Orationi totus incumbat, & è cœlo hauriat, quod eructet, quod infundat auditorum animis: ita feciſſe viſus Ioannes, qui veterum Prophetarum more, modoque receſſit in Eremum, vaſtámque Iudææ ſolitudinem; è qua non prodiit, ut ad populum diceret, ut baptizaret, niſi Deo plenus; ideoque immeritò jactæ illæ Phariſæorum querelæ: *Quid baptiſas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* Non, inquam, in Joannem ceciderunt cæ querelæ: at in te quàm maximè, qui cùm omni ſpiritu cæleſti, & ſancto ſis vacuus, audes tamen & in pulpitum evadere, & ſpargere Dei voces, & alios pœnitentiæ lavacro intingere, probéque mundare, cùm ipſe tamen immundus ſis, & luţulentus totus; inſtar ſepulchri alicujus dealbati, cujus externa ſpecies pulcherrima, atque omni artificio expolita; intùs autem oſſibus mortuorum, & fœtore putida, ac horrens.

De te, tuiſque ſimilibus cecinit olim Propheta: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Guttur, inquam, ſi verba ſpectes, ſuavè, aureum, gemmeum; at ſi tem ipſam, quæ intus latet, vitâ vacuum, & plenum infami vitiorum graveolentia.

Quanti, inquiebat D. Hieronymus, *hodie diu vivendo, portant funera ſua, & quaſi ſepulchra dealbata plena ſunt oſſibus mortuorum.* Epiſt. 13.

QUÆSTIO OCTAVA

MORALIS.

Ad illa verba: *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis.* verſ. 26.

QVOMODO, ET CVR DICATVR CHRISTVS medius noſtrûm, vel in medio noſtri?

Chriſtus ut Deus in medio.

SPECTARI potuit Chriſtus, vel quà Deus & Verbum æterni Patris, vel quà homo: quà Deus rectè dici potuit, ac debuit eſſe in medio noſtrûm omnium, imò ipſum ſi voles, medium.

Deus enim eſt veluti *centrum Vniverſi*; quia ut à centro, & ad centrum omnes ducuntur lineæ; ſic à Deo, & ad Deum referenda ſunt omnia.

Deus eſt veluti *cor mundi*, ceu vaſti corporis, à quo hauriantur vitales ſpiritus, & quaquaverſum diffundantur.

Deus eſt quaſi *anima mundi*; ſic enim eum appellavere ſapientes, quòd huic Orbi eſſet, quod anima corpori, cui ſcilicet vitam, ſenſum daret, atque rationem; & ſic is dici potuit in ejus medio.

Deus eſt *lux mundi*, & veluti Sol alter, & longè melior hoc ipſo Sole ſpectabili, qui ſic eſt in cœlorum, aſtrorumque medio, ut eorum quaſi centrum dici poſſit, opportuno ſanè naturæ conſilio; ut videlicet omnia corpora, orbes omnes, ac ſidera, ſive quæ infrà, ſive quæ ſuprà eſſent, ab illo ceu fonte luminis, ceu centro ſplendorem aliquem poſſent mutuari. Sic à Deo ter Opt. ter Max. & cœleſtes Intelligentiæ, & puſilli in terris mortales lucem accipiunt meliorem.

Etiam ut homo eſt in medio.

Quòd ſi Deus eſt centrum, cor, anima, & lux mundi, ideoque his titulis quaſi medium noſtrum, & totius univerſi; & Chriſtus quà Deus is eſſe, & dici debuit. Imò ſi voles etiam quà homo: quippe Verbum æternum unitum humanitati creavit & cælum novum, & terram novam, id eſt, Eccleſiam, ut illius quoque & centrum eſſet, & cor, & anima, & lux, ideoque etiam medium. Centrum noſtrum eſt Chriſtus, à quo videlicet, quidquid in nobis eſt virtutis, gratiæ duci debet, & ad eundem reduci. Cor noſtrum eſt Chriſtus, à quo piæ inſpirationes, & initium omnis motus ſpiritualis; à quo calor, æſtuſque charitatis. Anima noſtra Chriſtus eſt, ab illo quippe mundo morimur, & nobis cœloque, ac Deo vivimus.

Serm. 19.

Quod eſt anima corpori, hoc eſt animæ Chriſtus, inquit Chryſologus, *ſine anima corpus non vivit; non vivit anima ſine Chriſto: recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia viſu deteſtanda ſuccedunt. Diſcedente Deo confeſtim venit in animam fœtor; corruptio criminum, vitiorum putredo, conſcientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis ſepulchro vivo funus animæ jam ſepultæ.*

Lux noſtra, Sol noſter eſt Chriſtus, & is quidem in medio noſtrûm omnium. Fatendum enim (quod & res ipſa docuit) Chriſtum in omni vita locum adamaſſe medium.

In nativitate.

Cùm primùm lucem hanc aſpexit, cùm in cunis jacuit, & paupere fœno, viſus eſt *in medio duorum animalium*; bovem inter, & aſinum, ut *cognoſceret bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Iſa. c. 1.

Et verò agnovit, & hic, & ille, & quà leni ſpiritu, quà flexo poplite veneratus eſt; ut ſua illi vaticinio eſſet fides: *Domine opus tuum, in medio duorum animalium cognoſceris.* Habac. c. 3.

Cùm è pueritia exceſſit, & prima ſapientiæ ſuæ lumina ſpargere cœpit, tum etiam ſedit in medio Doctorum, quaſi *ſtella matutina in medio nebulæ.* Alta quippe Rabbinis illis ſuperinfuſa erat ignorantiæ nubes, quam excutere, ac diſſipare venit, qui in medio ſedit puer, ceu *ſtella matutina.* Eccl. c. 50.

In vita.

Ubi adolevit, ubi in virum abiit, ſtetit ad Iordanem etiam inter Judæos medius, ceu inter infirmos medicus: & tamen, ô dolor, ô pudor, ô malum! nec agnovere, nec ſuſpexere medium. Hinc illæ Joannis querelæ: *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis*; & quidem ingenti damno veſtro; ſciviſſe enim ad ſanitatem fuiſſet ſatis. Ioan. c. 1.

Cùm ad extrema vitæ confinia deſcendit, cùm diſcipulorum pedes lavit, fuit in eorum medio *ſicut qui miniſtrat*, ſicut inter ſervos Dominus, inter filios amans pater. Luc. c. 22.

In morte.

Cùm ad ævi metam propiùs acceſſit, cùm in crucem aſcendit, ceu lectulum amoris, ceu proſcenium ignominiæ, ac doloris, ei ſic affixus eſt, ut terram inter, & cœlum medius eſſet. Quidni enim medius eſſet, qui terram cœlo, ima ſummis, humana divinis reconciliare venerat, imò & fœlici pacis connubio copulare? Vidiſti Salvatorem, qui

Pſal. 73. *operatus eſt ſalutem* noſtram *in medio terræ*. Hoc eſt Jeroſolymis, quæ terræ habitabilis veluti medium erat, atque umbilicus. Specta modò, & geme, ac ſtupe, quòd etiam medius inter latrones, ceu Judex, reprobum inter, atque electum. Hoc, inquam, ſpecta & time, ne dum ſic medius inter te & alios ſtat Jesus, ſis ipſa à ſiniſtris ut reprobus. Ne te à bono latrone, Chriſtóque mors ſeparet; ut olim malum illum latronem, de quo ſic Villalpandus in Jeroſolymæ delineatione. Cùm terræ motu concuſſus Calvariæ mons, cùm diſciſſæ rupes, non ſine numine ſic diſciſſæ: ut hinc eſſet crux Chriſti, & optimi latronis; & inde latronis quàm peſſimi, infœlici ſanè hiatu, qui cruces inter apertus erat, ut vel ex eo appareret, quàm inter ſe diſſiti latrones, & quantùm à Jesu, ceu medio infœlix, atque impœnitens latro receſſiſſet: ſed ne longiùs. *A morte.* Vidimus quì naſcens, qui vivens, quì moriens ſuos inter medius fuerit Jesus; attendamus etiam quì reſurgens. Nam & tum ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit eis: *Pax vobis.* *Ioan. c. 20.* Sic etiam cœlis additus, in Franciſci & ſociorum medio apparuit. Agebant illi de Deo, rebúſque divinis, cùm ecce derepentè ſeſe inter eos medium oſtentat Jesus, aſſumptâ, in eam amoris ſcenam, ſpecioſiſſimi juvenis formâ; ut vel inde noſcas, ubi de ſummo Numine, de cœleſtibus injicitur ſermo, tum medium adeſſe Jesum; crederes iis colloquiis paſci, ac delectari; velleſque medium videri, & eſſe inter eos, qui in ejus nomine convenerunt. *Wadingus tom. 1.*

Ita Joanni exhibitus *in medio candelabrorum aureorum*, hoc eſt Eccleſiarum, in quarum medio apparet Chriſtus lux noſtra, de qua ille ipſe diſcipulus quem diligebat. *Apoc. c. 1.* *In cœlo.*

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus eum non cognovit. *Ioan. c. 1, v. 9.* Quis ille mundus? ne crede, mi Lector, eſſe Univerſum hóc aſpectabile: ſed potiùs homines mundo deditos, carni inhærentes, nec ſapientes divina: ii enimverò Deum hominem factum non cognoverunt, etſi medius inter eos inambularet, etſi lucem, & cœleſtem quidem in eorum oculos effunderet. Hinc illud ejuſdem Apoſtoli. In ipſo, ſcilicet Chriſto, *vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt:* *verſ. 4.* quod profectò mirum, & inſolens videri debuit; lux enim exoriens tenebras diſſipare, & noctem quantumvis profundam excitare ſolet; At Chriſtus, etſi eſſet Sol aureus, à Judæis tamen nec viſus, nec agnitus, adeò illi ſua vel infidelitate, vel obduratione mentis oculos occluſerant, erantque ad Chriſti doctrinam, quod cæci ad Solis radios.

Sicut Sol à cæco, inquit Auguſtinus, *quamvis eos ſuis radiis quodammodo veſtiat; ſic à ſtultitiæ tenebris, lumen Dei non comprehenditur:* *Lib. 2. de pec.* lumen, inquam, fidei, cui obſiſtebat in Judæis alta nox infidelitatis, à qua occidebat juſtitiæ Sol. Ne porrò etiam aliis ſic occideret benè monebat D. Auguſtinus:

Noli cadere in peccatum, & non tibi occidet hic Sol; ſi tu feceris caſum, tibi faciet occaſum. *Tract. 1. in Ioan.*

QUÆSTIO NONA

MORALIS.

Ad illa verba: *Cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti.* verſ. 27.

QUIS HUMILIS ANIMÆ SENSUS, & quæ in ſublime ſit via?

Humilis Joannes exaltatus. EXCELSÆ mentis eſt de ſe abjectè ſentire, & loqui. Vadem habeo Joannem Baptiſtam, quo, vel ipſo primæ Veritatis oraculo non ſurrexit in terris major; demiſit ille ſeſe ad Chriſti pedes, nec dignum ſe credidit, qui etiam ſolveret ejus corrigiam calceamenti.

Vidiſti demiſſionem, attende exaltationem, *manum, quam calceamento dicit indignam, ſuper caput ſuum Chriſtus attraxit*, inquit ore aureo Chryſoſtomus. *Hom. 38.*

Ita nimirum habent cæli leges, ut exaltetur ad ſumma, qui ſe ad ima depreſſerit. *Etiam alii humiles.* Sic lapſis deindè ſæculis Coriarius ille Alexandrinus, qui, & optabat reliquis paradiſum, & locum in cœli regia ſublimem aliis deſignabat: ſibi verò uni infernum reſervatum opinabatur, & magni Antonii conſummatam perfectionem ſuperavit, & præmia beatitatis eſt conſecutus.

Sic humilis frater Vrigman è Dominicana familia, cùm nullum ſibi congruum locum reperire poſſet, niſi in profundo inferno ſub ipſomet Lucifero, hanc è cælo vocem accepit: Citò huc aſcende ad thronum altiſſimum in ipſum cor Dei Patris.

Sic Beatus Franciſcus Borgia ſeipſum ſtatuere ſolitus ſub ipſis infandi proditoris pedibus, à quibus etiam deceſſit, ubi ſenſit, & hunc ipſum locum à Chriſto fuiſſe priùs occupatum: hac animi demiſſione gradum ſibi fecit ad inſignem vitæ ſanctimoniam, & gloriæ coronam in cœlis: adeò certum illud Servatoris oraculum: *Qui ſe humiliat exaltabitur*; & hoc Maximi pronunciatum:

Humilitate pervenitur ad Regnum, ſimplicitate penetratur ad cœlum. Quiſquis ergò cupit divinitatis tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur: *Serm. de S. Michaële.* quod equidem ita verum eſt, ut, & in ipſo Chriſto, filio ſuo locum habere voluerit Æternus Pater: nec enim illi flecti voluit omne genu, niſi poſtquam ad ima deſcendit, & *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine* Jesu, *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* *Ad Philip. c. 2. v. 8. 9.*

Erat Dei filius ante ſæcula jam inde ab æternitate ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ ejus, neque tamen indè ei flectitur omne genu. *Etiam Chriſtus.* Erat increata Dei ſapientia, æternúmque Patris Verbum, neque tamen ex eo flectitur illi omne genu.

Erat ei cœlum ſedes, ſcabellum terra, thronus ipſe Patris immenſi ſinus, & tamen etiam inde non flectitur illi omne genu. Nimirum id inſigne honoris; non potentiæ, non ſapientiæ, non majeſtati reſervatum; ſed demiſſioni; ſed profundæ humilitati: qua ſe etiam infra omnes abjiceret, qui ſupra omnes erat: quod dum æqua lance perpendit Ambroſius:

Factus eſt, inquit, *miniſter omnium Dominus, & author omnium vapulavit, pedes lavit, crucifixus, mortuus eſt: ſed in his omnibus detrimentum nullum video Divinitatis ejus, profectum operationis ejus agnoſco, qui* *Serm. 14. in Pſ. 118.*

nihil

nihil habebat quod ad poteſtatem ſuam adderet; habuit quod ad cultum majeſtatis ſuæ adjungeret.

Hoc nempè unum ut ei curvaretur omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et hic cultus, fructus fuit *operationis ejus*, hoc eſt humilitatis, atque abjectionis. Ut enim ejuſdem melleı Doctoris verbis proſequar:

Audeo dicere operationis ſuæ munus amiſerat niſi id humilitas recepiſſet; itaq́, nos quidem redemit, ſibi etiam acquiſivit: ſuſcepi quem neſciebam; agnovi quem non cognoſcebam; confiteor quem negabam; ipſi genu corporis flecte, ipſum adoro, quem antea fugiebam.

Ei, inquam, genuflecto, eum adoro, non quia, & me, & hunc mundum aſpectabilem creavit: non quia ſingulari providentia rexit; ſed quia inſigni demiſſione redemit: ut enim ille ipſe Ambroſius, quo authore hîc utor: *Quanta fecit Dominus audeo dicere, & non flexi genu: ſed flexi ei poſtquam ſe humiliavit.*

Hoc ipſum nos probè doctos voluit Sancta mater Eccleſia, inter ipſa Miſſarum ſolemnia; etſi enim in ipſa Symboli ſerie Servatorem agnoſcat Deum de Deo, lumen de lumine, Patri conſubſtantialem, & per quem facta ſunt omnia; non tamen tum ex recepto ritu, ei genu flectendum ſtatuit: ſed tum primùm, cùm ait, *& homo factus eſt*; tum enim & capita ſubmitti vult, coronatóſque vertices, & omne genu curvari. Ut inde noveris eam reverentis animi ſubmiſſionem, ſpeciménque honoris fructum eſſe humilitatis. Et ſola humilitas.

Quæ Chriſto, cœlo judice poſita lex: eadem & Chriſtianis: eadem, & omnibus, quibus non alia ad ſublime eſt via, quàm ſingularis quædam animi demiſſio, à qua tolluntur ſupra ſe, ſine qua etiam cadunt à ſe; ut enim D. Bernardus:

Oportet humiliter ſentire de ſe nitentem ad altiora; ne dum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe. Serm. 34. in Cant.

✲✲

DOMINICA QVARTA ADVENTUS.

DESCRIBIT hîc ſacer Hiſtoriographus primùm Ioannis prædicationem, & habitas frequenti populo conciones: tum etiam earum argumentum ex ſacris litteris, & Prophetarum oraculis petitum: tum denique illius baptiſmum, quo ſic eluebat corpora, ut ſalutari deinde pœnitentia probè elueretur animus. Et hæc eſt brevis Evangelicæ hiſtoriæ ſeries; in qua pauca

EX D. THOMA.

EXCUTIT illa verba S. Doctor: *Parate viam Domini*, & ait: præparat Domino viam.

1. *Humilitas*, huic planum fieri vult iter, & tumeſcentes à ſuperbia montes, id eſt animos, humiliari.

2. *Puritas*, inde aſpera vitiorum reduci jubet in vias planas, qualis eſt virtutum ſemita, in qua nihil eminens, nihil aſperum; ſed plana omnia.

3. *Æquitas*, quæ cuique reddi mandat quod ſuum eſt; & his tribus perficitur animus; & ad Deum, ad proximum, ad ſe dirigitur: *Humilitas enim ordinat nos ad Deum, æquitas ad proximum, puritas ad nos ipſos.*

EX D. BONAVENTURA.

Luc. c. 3. DIVUS BONAVENTURA fuſiùs examinat illa verba: *Parata viam Domini.*

Via Domini, inquit, *quadruplex eſt:*

Dom. 4. Advět. Ser. 4b. Prima, *Vera converſionis*; habet hæc via tres dietas: *Prima eſt amara contritionis: Secunda integra oſtentionis: Tertia digne ſatisfactionis*; per hanc viam venit Dominus ad peccatorem; & hæc eſt, de qua Sapiens, *via viri in adoleſcentia*, via ſcilicet converſionis, & pœnitentiæ.
Prov. c. 30.

Secunda via eſt *bona actionis*; in hac curritur *obſervatione mandatorum*: & in hac cucurrit olim David, qui hæc de ſeipſo: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Iſta eſt, de qua Sapiens, *Via navis in mari*; via ſcilicet, *actionis*, in qua agendo quàm optimè navigant Juſti per mare mundi non ſine periculo: unde & exclamare poſſunt, ac debent, *Domine ſalva nos, perimus.*
Pſal. 118.
Matth. c. 8.

Tertia via eſt *meritoria Paſſionis*; via utique aſpera: aſperæ quippe ſunt *via perſecutionum & tribulationum*: dicteria, injuriæ, calumniæ, aſpera verba. Sed moneo cum D. Bonaventura: *Suſtineas verbum aſperum proximi tui, ut evadas verbum aſperum Chriſti*; hoc ſcilicet: *Ite maledicti in ignem æternum*; hæc eſt *via colubri ſuper petram: via paſſionis.*

Quarta via eſt *devota contemplationis*; in hac eſt *homo in lumine cognitionis & accenditur igne dilectionis*: & hæc eſt *via aquila in cælo.* hactenus D. Bonaventura: qui deinde cum magno Baptiſta exclamat, *Parate viam Domini*, & huic congruam, & vobis: *Domini*, inquit, *in qua eſt*: 1. *Profunditas Sapientiæ, ratione cujus eſt magiſter ſapientiſſimus*; 2. *Sublimitas Potentiæ, ratione cujus eſt Rex potentiſſimus*; 3. *Equitas Iuſtitiæ, ratione cujus eſt judex æquiſſimus, & rectiſſimus.*

Et hæc ſunt Incarnati Verbi attributa, hæ perfectiones, quas ſpectare debet, qui viam parat: & inde

Primò, quia Magiſter eſt ſapientiſſimus, præparet ſe ut diſcipulus anhelans ad credendum magiſtro docenti per captivitatem intellectus.

Secundò, quia Rex potentiſſimus, præparet ſe ut ſervus obſequens ad obediendū præcipienti per executionem effectus.

Tertiò, quia Iudex rectiſſimus præparet ſe, ut verus pœnitens ad reſpondendum Iudici per emendationem defectus.

Hæc enim attendere debet is, qui viam parat: attendere, inquam quis, cui paret. Deinde videre modum, ac rationem parandi; ea petetur à via materiali, à qua ad ſpiritalem gradus fiet.

Sicut enim via materialis bene præparatur: Primò, per ſordium amotionem; Secundò, per veſtium proſtrationem; tertiò, per florum ſuperpoſitionem.

* *Sic via ſpiritualis bene præparatur: Primò, per immunditiæ & fœditatis expulſionem in completa confeſſione; Secundò, per laſciviæ carnalis proſtrationem in diſcreta, & debita caſtigatione; Tertiò, per floridæ caſtitatis ſupererogationem in pura mentis, & corporis conſervatione.*

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Anno quinto-decimo Imperii Tiberii Cæſaris procurante Pontio Pilato Iudæam, &c.* Luc. c. 3. v. 1.

CUR EO LOCI AC TEMPORIS EVANGELISTA tam operosè meminerit Principum, ac Pontificum?

I. Ratio litteralis. PRODUCI poſſunt aliæ, atque aliæ rationes, quarum aliquæ ad hiſtoriæ fidem faciunt: aliæ ad mores. Recenſet Evangeliſta longa ſerie Principes utriuſque fori, ſeu Eccleſiaſtici, ſeu etiam ſæcularis, ut inde liquidò conſtet, quo tempore, quo anno primùm ad populum dixerit Joannes: Hebræi enim tempora, & annos per Pontifices, per Reges denotabant, uti deinde Romani per Conſules.

II. Myſtica. Deinde myſterio etiam ſervit is Principum, & Tetrarcharum catalogus; oſtendit enim ſceptrum Juda ab Hebræis ad exteros, ad Romanos defeciſſe, adeòque adveniſſe Meſſiam, tot votis expetitum, tot Prophetarum oraculis prænunciatum: hi enim multis ante ſæculis prædixerant, tum cœlo propitio dandum eſſe Salvatorem Univerſi, cùm Iudæ Regnum, ad exteros tranſiiſſet. Acceſſit & altera ratio; hi enim Principes, qui in medium producuntur, venturi erant in aliquam hiſtoriæ partem, quam tum temporis Lucas meditabatur.

Tiberius enim Chriſtum inter Deos referre voluit.

* Pilatus morti addixit, & per ſummum nefas adjudicavit.

Herodes Antipas Philippo fratri ſuo uxorem eripuit contra tori leges, & juſtitiæ pacta: & hinc à Ioanne vapulavit acriter, & juſtam tanto ſceleri reprehenſionem incurrit, & ab hac Ioannes, etiam mortem pretium rei benè geſtæ.

Denique Annas, & Caiphas Synagogæ præſides, ac pontifices Chriſtum, mundi Servatorem ad uſque crucem perſecuti; & hinc eorum omnium numerus ab hiſtorico iniri potuit, imò & debuit.

Sed hæ rationes ad hiſtoriam conducunt, quas ſubjungam etiam ad mores.

III. Moralis ut noterentur mali Superiores. Voluit primùm divina providentia notare, quàm parum tunc eſſet ſperandum, ubi ii eſſent, qui clavum tenerent, vel ſupremi principatus, vel Sacerdotii; homines nimirum, qui, vel cum ſcelere Imperium invaſiſſent, vel cum flagitio retinerent, non ſine ſubditorum periculo, & lue quadam, quæ ad eos etiam longiùs emanaret. Solent enim virorum principum vitia in ſubjectos populos derivari; ut rectè dixerit Latinus orator:

L. 3. de Leg. *Perniciosè merentur de Rep. vitioſi principes, qui non ſolùm vitia concipiunt ipſi; ſed ea infundunt in civitatem: neque ſolùm obſunt, quod illi ipſi corrumpantur: ſed etiam quod corrumpunt: pluſq; exemplo, quàm peccato nocent.*

Adamo ſimiles. Hinc à Scriptura, atque Interpretibus componi ſolent cum Adamo; quia ut hic originariam labem tranſmiſit in poſteros omnes miſerabili, & damnanda propagine; ſic, & illi: *Pater tuus*, inquit Iſaias, *primus peccavit, & interpretes tui prævaricati ſunt in me.* Cap. 43. v. 27. Filii utique mali interpretes primi parentis, ceu doctoris peſſimi: à quo, & malè agere docti, & facti etiam ipſi è diſcipulis doctores. Ex infelici illa vitia propagandi ratione, factum, ut Scriptura, & SS. Patres, malos principes alia atque alia ſimilitudine nobis expreſſerint.

Divus Cyprianus cenſuit eſſe *Typos*, qui omnium oculos animoſque offenderent. Typi.

Typi, inquit, *& exemplaria fuerunt aliis vitæ execrabilis.* Exemplaria.

Oſeas credidit eſſe *laqueos, & velut rete* expanſum ſuper Thabor: rete, inquam, quibus implicentur ſubditorum pedes, id eſt affectus, & in malum etiam ipſi trahantur. In cap. 5. Oſeæ. Laquei.

Ezechiel *Arietes* eſſe dixit, & veluti bellicas machinas, ad quatienda, convellenda, & evertenda civitatis mœnia: *Pone*, inquiebat, *arietes in gyro*, qui in ſubditorum animos incurrant, eóſque de virtutis ſtatione dimoveant: hoc mali genus altiori voce, lugubrique ſtylo deplorat D. Bernardus: Cap. 5. v. 2. Arietes. Cap. 4.

Heu, heu Domine Deus, inquit, *quia ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Syon occupaverunt, apprehenderunt munitiones, & univerſam deinceps liberè poteſtative incendio tradunt civitatem. Miſera eorum converſatio, plebis tuæ miſerabilis ſubverſio eſt.* Serm. 1. in converſ. Pauli.

Compoſuerunt alii principes cum *Regula*, quæ ſi curva ſit & contorta, neceſſe eſt ea omnia, quæ ad illius normam exiguntur, etiam curva eſſe, atque contorta. *Falſa regula prima, omnia mendoſa fieri, & diſtorta neceſſe eſt*; inquit Horatius. Ita ſi Regi, ſi Pontifici curvæ ſint in terras animæ, & ſubjectæ plebis curvas mentes eſſe oportebit. Regula curva.

Comparant nonnulli cum *capitibus platearum, & viarum terminis*, è quibus addiſcit viator, quæ, & quò ducat ſemita; quæ incunda ſit, quæ declināda. Hujus ſimilitudinis meminit Jeremias non ſine triſti nænia: Capita platearum.

Diſperſi ſunt, inquit, *lapides Sanctuarii in capite omnium platearum*; lapides Sanctuarii dicuntur, & ſunt Sacerdotes, ac Præſules, qui ut ait D. Hieronymus: *In platearum ſunt capite ex honore ſanctitatis*; hi docere debent quæ anguſta ſit via, quæ ad ſuperos ducit; non quæ lata, quæ rapit ad inferos: hanc ſi vitæ exemplo monſtrarint, non ſibi tantùm; ſed & aliis, ingens malum creant: hinc illud D. Bernardi: *Si quis de populo deviat, ſolus perit; verum Principis error, multos involvit, & tantis obeſt, quantis præeſt.* Dicuntur deinde mali Principes quaſi lapides viarum indices: quia ut hi viam indicant, non arripiunt: ſic, & illi recta docent; ſed non faciunt. Thren. c. 4. v. 1.

Volunt plerique Principem ac Præſulem eſſe veluti *ſpeculum*, ad quod ſe ipſi examinent, atque exigant Speculum.

gant

gant ſubditi, eorum mores in ſe exprimendo, ſic eos appellandos eſſe cenſuit Oſeas vates:

Cap. 5. v. 1. *Domus Regis*, inquit, *auſcultate, quia vobis judicium, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi*; hoc eſt, iis, qui vos ſpeculantur, ac contemplantur, facti eſtis, quaſi ſpecula quædam animata.

In Oſeæ ſuprà. *Architecti errorùs Reges*, inquit Cyrillus, *proinde ad illos, ait, Laqueus facti eſtis ſpeculationi; ſpeculantur quippe ipſi, & reſpiciunt ſubditos, aut etiam viciſſim inſpiciuntur à ſubditis, & quò viſum fuerit ſubditos avertunt*; eſt enim, ut rectè Tacitus, *obſequii in Principem, & æmulandi amor longè validiſſimus*; quia ut ferè Pacatus in Panegyrico ad Theodoſium, *blandiſſimè jubetur exemplo.*

Lib. 9. Hiſt.

Fermentum Alii malos Principes *Fermento* ſimiles eſſe credunt, & populum maſſæ, quæ ab illo fermentatur tota; ſicque intelligi cenſent illum locum Oſeæ: *Quievit paululum civitas à commixtione fermenti, donec fermentaret totum*, ideſt à ſuorum Principum deplorata vita, perditiſque moribus penitùs inficeretur; & quia à Romanis Præſidibus, ac Pontificibus, ita infici contigit Iſraëlem ſub tempore Baptiſtæ prædicantis, ideò eorum Catalogum contexi placuit, vel ut difficilior ejus curatio probaretur, vel ut benignioris cœli indulgentia commendaretur. Et hinc elabor ad alteram rationem: Ea liquidò oſtendit, tum demùm admoveri divina remedia, cùm humana deeſſe videntur omnia: ille quippe ludus eſt divinæ providentiæ; ut novas ſpes immittat, cùm deſperata creduntur omnia.

Cap. 7. v. 4.

IV. Ratio oſtenſio divinæ miſericordiæ.

Certè ſi quis ſub ipſa Baptiſtæ tempora animo, & cogitatione luſtraſſet Iſraëlem, & longè latéque fuſos Judææ populos; non exſpectaſſet aliud, quàm irato cœlo horrendum tonitru, & ultricia fulmina: exulabat enim orbe propè toto pulſa virtus, nulla in ſuperos pietas, in Deum religio nulla; nulla in proximos charitas; ſed fœda undique, & undique ſcelerum colluvies, & tamen ut ea foret, & liquidi facti ſunt cœli, & nubes viſæ ſunt pluere Juſtum, & aperiri terra, & germinare Salvatorem.

Serm. 1. de Advent. *Verè*, inquit D. Bernardus, *adveſperaſcebat, & inclinata erat jam dies; receſſerat paulò minùs Sol juſtitiæ, ita ut exiguus nimis ſplendor ejus, & calor eſſet in terris; nam, & lux divinæ notitiæ parva admodum erat; & abundante iniquitate fervor refrixerat charitatis. jam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta, ceſſabant velut deſperatione victi, præ nimia utiq; duritia hominum, & obſtinatione. At ego, (ait filius Dei) tunc dixi ecce venio.*

Ex circumſtantia temporis. Tunc, inquam, cùm à nocte peccati, gratiæ dies occidit.

Tunc, cùm profunda ignorantiæ caligo, triſtéſque tenebræ.

Tunc, cùm hyems frigida, deficiente æſtu, ſoléque charitatis.

Tunc, cùm Angeli, beatæ illæ mentes, à terris abiêre longiùs, cùm Angeli pacis amarè flere viſi.

Tunc, cùm exules, extorres, exanimésque Prophetæ altùm ſiluêre.

Tunc, cùm adverſa cœlo capita, & obduratæ Judæorum cervices.

Tunc denique, cùm jacta ſalutis alea, cùm de univerſo conclamatum videbatur: tunc, inquam, ſtupente cœlo, plaudente terra, gementibus inferis, ait Dei filius: *Ecce venio* in mortales oras, & immortalis licet, mortalis tamen venio.

Et hæc eſt ſumma divinæ bonitatis inclinatio, hic abyſſus increatæ Sapientiæ, cujus rationem ſi quæras, hanc affert Apoſtolus: *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum.* Sed, quæ fuit illa plenitudo temporum? illa fuit, in qua impleta menſura ſcelerum, in qua abundavit, & ſuperabundavit in terris iniquitas.

Ad Epheſios c. 1. v. 10.

Appello Prophetæ regii fidem, atque authoritatem; ſic ille ad Meſſiam, fatidico ſpiritu, & præſaga mente, calamóque: *Tempus faciendi Domine, diſſipaverunt legem tuam. Tempus*, inquit, *faciendi*: ô Deus immortalis! ô Reparator univerſi! ô Deus homo, tum ſcilicet tempus, cùm ingrati, perditique, *mortales diſſipaverunt legem tuam*, & ſancta per nefas conculcaverunt; quaſi diceret Propheta. Ecce Domine plenum, opportunum, & maturum tempus hominibus benefaciendi, cùm ipſi faciunt quàm peſſimè. *Pſal. 118. v. 126.*

Sic illum locum explicat D. Auguſtinus; in ea quippe Vatis regii verba; *Tempus faciendi Domine diſſipaverunt legem tuam: hoc faciendi Domine tempus*, inquit, *quid eſt niſi gratia, quæ fuit in Chriſto, ſuo tempore revelata.* Cum Auguſtino ſenſit D. Ambroſius; ſic enim ait: *In Pſ. 118.*

Cùm videret in Spiritu Sancto Propheta prævaricationes, populi luxuriam, delicias, dolos, fraudes, avaritiam, temulentiam, quaſi pro nobis interveniens currit ad Chriſtum: & hæc illi in aurem, animùmque ingenti ſpiritu: *Tempus faciendi Domine, hoc eſt tempus ut pro nobis crucem aſcendas, mortem ſubeas.* *In Pſ. 118.*

Perſonarum

Ita nimirum in denſiſſima humanæ perfidiæ caligine, lux orta divinarum miſerationum, ut eam ſuſpicere, amaréque diſcas impenſiùs. **Dei miſerentis.**

Nunquid enim, ut D. Bernardi verbis utar, *miſericordia Dei eſt, quòd non ſumus conſumpti nos; qui nos? nos perjuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamenta utique mundi hujus*, quæ tamen benigniore divinæ mentis oculo, & aſpexit Servator, & quod ſtupeas, etiam amore dignatus eſt ſuo; quod ſummæ, & infinitæ fuit bonitatis; ut enim rectè S. Valerianus Epiſcopus: *Serm. de Nat. Virg.*

Infinita virtus eſt odia viciſſe beneficiis. Et ea Dei fuit, & Salvatoris quàm optimi, qui in hoc, & parentis, & medici officio probè functus: ille infantuli ſui etiam maledictis arridet, eáque hilari, amœnóque cultu tolerat: hic ægri deliria, imò & ſcommata ſi voles petulanter jacta deſpicit, nec proinde de eo curando cogitationem deponit. Et ita ſe cum genere noſtro geſſit, geritque in dies Deus ter Opt. ter Max. qui illi, & parens, & medicus; de quo Senecam audi ſuo licèt ſenſu, bellè tamen Philoſophantem. *Hom. 12.* **Hominis ingrati, & perditi.**

Non eſt mihi, inquit, relata gratia, quid faciam? *Quod Dii rerum omnium optimi authores, qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perſeverant: alius illis objicit negligentiam noſtri, alius iniquitatem, alius illos extra mundum ſuum projicit, & ignavos hebeteſq; ſine luce, ſine ullo opere deſtituit. Nihilominus tamen more optimorum parentum, qui maledictis ſuorum infantium arrident, non ceſſant Dii beneficia congerere de beneficiorum authore dubitantibus: ſed æquali tenore bona ſua per gentes, populóſque diſtribuunt, unam potentiam ſortiti, prodeſſe. Spargunt opportunis imbribus terras: maria flatu movent; ſiderum curſu notant tempora; hyemes, æſtatéſque interventu lenioris ſpiritus molliunt; errorem labentium animarum placidi, ac propitii ferunt.* *Lib. 7. de benef. c. 31.*

Hæc ubi de Diis ſuis edixit Seneca, tum ad eorum imitationem provocat: *Imitemur*, inquit, *illos. Demus, etiamſi multa in irritum data ſint.*

Quæ Philoſophus ex ſuo calculo, captúque cenſuit; hæc, & longè majora, de uno ſummo, ſupremóque Numine, de Salvatore quàm optimo, qui viſus eſt terris prodeſſe voluiſſe quàm maximè, cùm cœlis minati, & propè nocere velle ingrati mortales viderentur; tum enim in mortales auras elabi, carnem induere, ad homines dicere, pati, ac mori viſus eſt, inuſitato prodigio charitatis; quod notatum voluit Evangeliſta, cùm exactam illius temporis rationem iniit, cùm longam Principum, Pontificúmque ſeriem contexuit.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba : *Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caïpha.* verſ. 2.

CUR EVANGELISTA HORUM Pontificum meminerit ?

I. Ratio ut doceat etiam malos ſacerdotes honorandos.

NE caſu factum crede, ne facili calami lapſu; ſed amabili Dei providentia, quæ dum horum Pontificum nomina ſtylo notat, ſimul etiam præclara morum documenta præſcribit.

II Nec inde petendam peccandi licentiam.

Lit ille vulgi genius, iſque omninò malus, ubi vitium videt in clero, in Sacerdoobus, in Epiſcopis atque Eccleſiæ Præſulibus, primùm inde ſibi viam facit ad paria ſcelera; tuto etiam venit in contemptum ipſius Ordinis, nec honore dignatur, nec ſacro nomine.

Ita ſuo quoque ævo factum teſtatur, & luget D. Auguſtinus; audierat ille querelas Laicorum; ſi quando alicujus flagitii rei reprehenderentur, obtrudebant illud, ſacris initiatos iiſdem quoque implicari ſceleribus, imò ad ea duces eſſe, atque authores: ſic enim ex iis unum aliquem dicere conſueviſſe prodit S. Præſul:

Serm. 49 de Verb. Dom.

Quid mihi loqueris? Ipſi Epiſcopi, ipſi Clerici non illud faciunt?

Hæc ille, quem ex eo carpit, quòd *quærat ſibi non patronum ad cauſam malam; ſed comitem ad pœnam:* neque enim ex eo quòd aut Clericus, aut Sacerdos aliquis malè agat; id Laicus ſibi licere conficiet; niſi velit eſſe quàm peſſimus Logicus.

III. Nec ordini detrahendum.

Neque etiam inde meritò aut Ordini, aut Sacerdotio detrahet, condignóſque honores denegabit: manet quippe ſemper ordinibus ſacris ſuus honos, nec Religionis dignitas, hac myſtarum colluvione funeſtatur. Ut diſertè Helvidio reſpondet D. Hieronymus: virginitatem ille impugnabat, vel ex hoc tantùm, quòd quaſdam virgines diceret eſſe tabernarias; cui ita S. Doctor:

Ego tibi plus dico eſſe in his, & adulteras, & quò magis mireris Clericos eſſe caupones, & Monachos impudicos.

Sed quis ſtatim non intelligat, nec tabernariam virginem, nec adulterum Monachum, nec Clericum poſſe eſſe cauponem? Numquid virginitatis eſt culpa, ſi ſimulator virginitatis in crimine eſt? Hæc S. Hieronymus, qui ea vitia qualia qualia demum ſint, perſonarum eſſe vult, noo Ordinis, aut ſtatus: nec virgini quà virgo eſt; nec Monachi, quà Monachus; nec Clerici, quà Clericus. In his enim, & illis neceſſe eſt, duplicem quaſi agnoſcere perſonam; & quidem ut ſiſtam in Sacerdote, ac Pontifice (de quo mihi in præſens eſt quæſtio) humanam unam, alteram divinam. Illam haurit unà cum parentum ſanguine; hanc ex myſteriis induit, in quibus latet divina quædam poteſtas, ut rectè notat Jamblichus.

De Myſter.

Hinc ſuus illis manere debet honos, ſuúmque apud omnes nomen, etſi à moribus, à vitæ licentia, & immani ſi voles ſcelere damnandi videantur, & è cœli tabulis, è terræ faſtis eradendi.

Et hoc eſt, quod nos probè doctos voluit Evangeliſta, ubi Annæ, & Caiphæ meminit, eorúmque nomina in poſteros extulit. Tacere poterat, & alto ſilentio premere infanda nomina: voluit tamen, ut inde diſceres etiam ſceleratos Pontificibus locum pro dignitate concedendum, & meritos honores eſſe deferendos. Cujus ratio eſt, ea quam ante protuli; duplex ſcilicet perſona: humana una, quæ à ſuo vitio poteſt eſſe deſpectui; altera quaſi divina, quæ à Sacerdotio ſemper eſſe debet in honore.

Quia in illis duplex perſona.

Hoc diſcrimen rectè advertit author operis imperfecti: *Homines*, inquit, *ab initio creati ſunt propter ſe, poſtea autem ordinati ſunt propter vos. Propterea ergò natura ipſorum, eorum eſt: ordinatio autem veſtra: ſi benè vixerint, eorum eſt lucrum. Accipite ergò quod veſtrum eſt, & nolite diſcutere quod alienum eſt.*

Hom. 10. in Matth.

Hæc ille, qui ut rem explanet magis, & quaſi ſub oculos ponat, Sacerdotes componit cum ſolo, quod auri ferax eſt, ideóque ſummo in pretio; ex quo ita ratiocinatur:

Doctrina, & vita.

Ecce, inquit, *& vobis terra pretioſum aurum producit. Nunquid propter vilem terram pretioſum aurum contemnitur? Non: ſed aurum eligitur, & terra contemnitur: ſic, & vos doctrinam accipite, & mores relinquite.* Apis ſcilicet matinæ more, modóque, quæ floribus inſidet, non herbis: illos ambit, ac ſtudioſè venatur; has deſerit: ſic, inquit, idem author: *Flores doctrinæ eligite, & converſationem relinquite, ut quaſi inutilis herba creſcat.*

Hos ſeu doctrinæ flores, ſeu ſacræ dignitatis coronas legerunt ii omnes, qui rem iſtam metiuntur non oculo corporis; ſed mentis, & intelligentiæ altioris, id eſt, fidei: in Sacerdotibus illi dignitatem propè ipſi Deo parem agnoſcunt, ad illam ſpectandam benè oculati; ad cætera, quæ in Prælatis ſunt, ſeu naturæ, ſeu vitii ca ſunt, propè cæci.

Illa ſpectanda non hæc.

Is olim ævo ſuo fuit Conſtantinus, & nomine, & re etiam ipſa magnus Imperator; qui cùm libellos Antiſtitum multos excepiſſet, quibus querelæ continebantur, igne omnes abolevit, cùm diceret nefas ſibi eſſe Deos judicare. Et tu puſillus homunico, terræ pulvis, abjectaque vilior alga, quis es, qui, & Sacerdotes, & Ponofices judices, iiſque, & infulas detrahi velis, & ſpecioſa nomina, quòd ea videas aliquo peccati nævo infici atque commaculari? Certè ſi is eſſes, quem te avita fides eſſe vult, non conjiceres oculos in eam veſtem, quam devenuſtant mali mores; ſed in florem ſacræ dignitatis, qui ab illis minimè marceſcit.

Greg. Mag. l. 4. Ep. 31.

Non ignoro tamen etiam hac qua vivimus ætate, jactari poſſe illud D. Chryſoſtomi.

Multi Sacerdotes, pauci Sacerdotes; multi nomine, pauci re.

Hom. 43 in Matth.

Scio, & hoc D. Gregorii Nazianzeni objici poſſe: *Inane jam nomen eſt Sacerdos;* inane, inquam, quia detritum, & propè obliteratum aliis atque aliis ſceleribus. Verùm ut ab his inane ſit, & omnis propè boni vacuum: attamen ab indito charactere, ab ordinis ſanctitate, ab conceſſa divinitùs authoritate longè ſpecioſiſſimum eſt nomen, & plenum gloriæ, ac majeſtatis; quam unam intueri debes, ſuſpicere, ac venerari.

Orat. 21.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba : *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, &c.* verſ. 2.

QUÆ POTISSIMÆ CIRCUMSTANTIÆ prædicationis magni Baptiſtæ, quæ illius fulmina?

Serm. 137. VT eas ſub oculos ponat D. Chryſologus, omnia & ſingula Evangeliſtæ verba accuratiùs expendit, & meritò: nihil enim in Scriptura, ne apex quidem myſterio caret & myſtico ſenſu, quem ut aperiat S. Præſul ſtylum figit in ſingulis etiam voculis, & quidem:

1. In eò quod *factum* dicitur *verbum*, non dictum: quia, inquit, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.*

2. *Verbum Domini*, quia *Ioannes vox eſt, & Deus verbum.*

3. *Super Ioannem*, non autem *ad Ioannem*; *quia Deus ſuper Ioannem, ſuper ſervum Dominus, ſuper vocem verbum.* Et rectè quia *verbum indicat, vox prætonat, & jubentem poteſtas reſpicit, non clamantem*: jubere autem eſt Verbi, & clamare vocis: *in hac terror eſt, in illo ſententia.*

4. Et *venit ad Iordanem, quia Iudaïcas ſordes non poterat hydria jam lavare; ſed flumen*: neque ſufficiebant hydriæ lapideæ ſecundùm purificationem Judæorum; ſed opus altiore, & copioſo Jordanis flumine.

5. *Venit ad Iordanem, ut pœnitentes potaret aqua, non vino*, hoc enim polluit animos, eluit illa.

6. *Venit prædicans baptiſmum, quo purificabatur homo ad pœnitentiam, non tamen promovebatur ad gratiam.*

7. *Pœnitentiæ*, quia etſi erat *penes Ioannem venia; ſed non ſine pœnitentia erat remiſſio; ſed luctibus comparata, erat cura vulneris cum dolore.*

Ubi has & perſonarum, & loci circumſtantias examinavit, tum elata ut aliàs ſolet oratione aſſurgit ad fulmina, quæ in Iudæos, ceu rebellia cælo capita, vibravit; inter quæ

Primum illud *progenies viperarum, ecce ut exemplo corripit, comparatione notat, figura prodit: ut jam non mores ſolùm; ſed ipſam naturam poſſit venenoſi germinis immutare.* utque poſſit, in aperto ponit inſanam Judæorum malitiam, qua non Deo tantùm: ſed & ſibi ſunt injurii; ſic enim urget belluinum illud: *Progenies viperarum, quia quos Deus creaverat homines, fecerat filios Abrahæ; malitia peperit & convertit in viperas, & quos conditos cœleſtis dulcedine pietatis infuderat, hos impietas amara, fecit letales vomitus; ſerpentium virus effundere, & infando crudelitatis auſpicio de morte patris concipi, matris de morte generari*: Ita nimirum *ea ſoboles ingrata natura, cujus ortus eſt genitoris exitium, cujus vita eſt mors parentis.* Ut autem eſſe probet, pergit, & ait: *Matris uterum viperæ dicuntur exſcindere, & ſceleſtum conceptus ſui domicilium adhuc immaturis viſceribus, maturo furore confringere; ut hoc illis ſit vivere, matrem ſuam, quæ illos tales genuit, non videre.*

Hæc ubi de immani viperæ ingenio dixit: tum *Synagogam, ejuſq; filios tales fuiſſe demonſtrat, ad quam Chriſtus affectu Conjugis cùm veniſſet inter amplexus, & oſcula cruenta Iudæ, Chriſti caput eſt expetitum, & ore petitum cùm dicitur, crucifige; unde pignora ſanguine concepta tanto mox ad matris armantur interitum, ut diſrupto ſynagogæ utero, ad vocem Ioannis concurrerent & regenerarentur ad Dei progeniem.* Poſtquam iſta ſic extulit, tum pergit altiore voce, & his compellat:

Quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Quæ autem, & quàm formidabilis ſit illa ira, quæ aliquando ventura eſt, ſic explicat:

Illa, quæ non habet finem, quæ hominem non abſolvit morte; ſed colligat: nec jam veniæ ſpem habere permittit quem ſemel tartari deputarit ad pœnam.

Hac Ioannis oratione, hac ira Dei aliquando tandem ventura, ceu fulmine perculſi Judæi, *cognoſcunt & genus, & crimen*, quod incredulitate ac duritiâ contraxerunt. Hinc facti pœnitentes imminenti malo remedium quærunt, ac petunt.

Quid faciemus ut ſalvemur? brevis quæſtio, ſi verba ſpectes; longa, ſi rem ipſam.

Quid porrò ad illam Joannes, paucis accipe: *Qui habet duas tunicas det non habenti: & qui habet eſcas ſimiliter faciat.*

Ecce ut eleëmoſynam commendat, quæ ſcilicet Dei iram extinguit, ut luculentum incendium ſuperinfuſa copioſiùs aqua.

Sed putàſne ſatis petit qui de duabus tunicis unam petiit? Non ſatis petit, quia non petit geminam, ſed tunicam; non aurum, ſed panem.

Et dum tunicam, dum panem petit, petit quod obvium eſt, & pauperi ſemper paratum, ut nullus excuſationi ſit locus, ſi negaris.

Et verò, *ſi qui de duabus tunicis non dederit unam, reus eſt; qualis eſt, qui unam de plurimis negarit, qui ad hoc veſtes ſuas carcerat, & panem claudit ut pauper fame pereat, frigore conſumatur? ille veſtes ſepelit, non reponit: non credit diligentiæ; ſed ſepulchris: qui quod negat pauperi, dat tineis, & ipſe veſtibus ſuis voratur eſt.*

Quod quàm atrox, quàm immane ſit crimen, ex eo liquet, quod in Chriſtum ipſum immiſericors ſit, atque injurius, qui talis in egenum fuerit: ut enim ille ipſe S. Præſul:

Chriſtum contuſſit pauperis fames; dolor hominis Dei proſilivit ad viſcera; captivi gemitus ad Chriſti penetravit interna; Inopis contemptus ad Creatoris ſui redundavit injuriam. profitente ipſo cùm dicit: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: nudus fui & non veſtiſtis me. Matth. c. 25.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* verſ. 2.
CUR FACTUM VERBUM, ac non potius dictum?

Serm. 167.

HANC quæſtionem, quod ad Joannem attinet, ita ſolvit D. Chryſologus: *Opportunè nobis Ioannes beatiſſimus jejunii tempore, pœnitentiæ doctor advenit: doctor dicto, factóque, magiſter verus quod verbo aſſerit, demonſtras exemplo. Magiſterium ſtat de ſcientia, ſed magiſterii authoritas conſtat ex vita: docenda faciens obedientem perficit auditorem, docere factis ſola eſt norma doctrinæ. Doctrina in dictu ſcientia eſt: in factu virtus.*

Hæc de Joanne S. Præſul, ex quo facilè ſolvetur nodus quæſtionis, cur verbum potiùs fieri debeat, quàm dici? Cur opere magis, quàm ore proferri? ut olim in Joanne factum; cujus vita, mores, & geſta priùs altùm audita ſunt loqui, quàm lingua.

I. Ratio ab ipſo Dei verbo.

Variæ produci poſſunt ſuper ea re rationes, quarum una ducetur ab ipſo Dei verbo, altera ab hujus præcone, poſtrema ab illius auditoribus.

Cum variis rebus componi ſolet Dei verbum, & rectè.

Quod ſemen eſt.

Luc. c. 8. v. 12.

Primùm enim oraculo ſummæ Veritatis dicitur *ſemen: ſemen*, inquit, *eſt verbum Dei*, cur ita? ſemen ut fideli committatur ſolo, ut germinet, ut fructum edat, & ab ariſtis excuti debet, & à paleis exui; & qui eum his, aut illis jacere velit, næ ille amens reputabitur; ſimiliter & inſanus ille, qui ſemen aut melle, aut ſaccharo condire velit, aut auro conveſtire. Sapiens ille, qui purum, putúmque terræ commiſerit: ſic, & Dei verbum ut in animas, ceu molle ſubactúmque ſolum mittatur, ab omni ſeu voluptatis melle, ſeu mundi fuco, ſeu avaritiæ libidine liberum eſſe oportet. Quod ſi ita liberum ſit, verè non tam videbitur dici, quàm fieri.

Depoſitum.

Cap. 2.

Appellatur deinde Dei verbum, *depoſitum*, ſic audiit apud Apoſtolum, qui hæc olim ad Timotheum: *ô Timothee depoſitum cuſtodi.* Eſt illud ſecundùm Interpretes Evangelica prædicatio, & Dei verbum, quod magna puritate mentis, magna doctrinæ ſinceritate reddi debet, non immutari, non corrumpi, non adulterari, non infringi, aut enervari vitæ morúmque mollitie. De illo ſic olim magnificè Vincentius Lyrinenſis:

Libel. adv. Hæreſ. c. 27.

Depoſitum cuſtodi, quod tibi creditum eſt; hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepiſti, aurum redde. Nolo mihi pro aliis alia ſubjicias. Nolo pro auro plumbum, aut æramenta ſupponas. Nolo auri ſpeciem; ſed naturam. Quaſi diceret nolo levia, pro ſolidis; nolo ſplendentia, pro utilibus: nolo æramenta, ſed aurum: hoc eſt doctrinam, & ſapientiam, quæ non in aures tantùm illabatur: ſed & animum penetret, ac pervadat. Quod ubi datum fuerit, tum verbum Domini factum crede, non dictum.

Talentum.

Matth. 25.

Audit præterea Dei verbum *Talentum*, quod ſcilicet ad ſpiritualem quandam negotiationem, ad cœleſte lucrum impendi debet; & quod ipſe Servator quàm Optimus apud ſervum ſuum depoſuit, ea lege ut daret ad uſuram, non autem reponeret in ſudario: quod feciſſe viſus eſt ſervus nequam, qui eo nomine à Domino vapulavit; ut contrà, & laudem retulit ille, & præmium rei benè geſtæ, qui, & quinque talenta accepit, & lucratus alia quinque: quod indubiè facitis, ſuper quem factum eſt Dei verbum, non dictum, hoc eſt, qui opere priùs exprimit in ſeipſo, quàm in aliis imprimat voce.

Ignis.

Ad eum finem, & ſcopum collimat alia divini verbi metaphorica appellatio, qua *ignis* dicitur, de quo Verbum Æterni Patris:

Ignem veni mittere in terras. Utque mitteret abundantiùs ab eodem æterno Patre audit: *Imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper civitatem*, Græcè legitur διασκόρπισον, hoc eſt, *diſſemina.* Ita Meſſiæ dixit Propheta præſago ſpiritu; ita illius ore Pater æternus, qui ideò dilectum ſibi filium in terras demiſit, ut *prunas ignis*, id eſt, Dei verbum diſſeminaret ſuper civitatem Jeruſalem, imò ſuper orbem univerſum, ſi tamen priùs ex iis ipſe manum implevíſſet: ut jam inde doceret, neminem divini verbi præconem in alios effundere poſſe cœleſtem illum ignem, de quo manum ipſe ſuam non implêſſet. Atque eodem verti poteſt, quod Dei verbum dicatur *in manu fieri.* Ita Aggæo, aliiſque Prophetis olim uſu venit: habuerunt enim illi Dei verba, non tam in ore, quàm in manibus, de quo ne cuiquam dubium eſſet, ita Prophetiam exorſus ipſe Vates:

Luc. c. 12. v. 49.

Ezech. c. 10. v. 2.

Factum eſt Verbum Domini in manu Aggæi. Cur, inquies, in manu? Cur non potiùs in ore, in lingua? Quid commune verbo, & manui? multum enimverò; cùm enim Dei verbum ſit gladius, manu tractari debet, non lingua. Lubet è Petri ſede audire Gregorium magnum tot oracula fundentem, quot verba. Ubi exponit illud: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Non dicitur*, inquit, *omnes habentes; ſed tenentes gladios: quia videlicet verbum Dei, non eſt mirabile ſolùm ſcire; ſed facere: habet quippe; ſed non tenet gladium, qui divinum quidem Eloquium novit: ſed ſecundùm illud vivere negligit, & doctus eſſe ad bella jam non valet, qui ſpiritualem, quem habet gladium, non exercet.*

Aggæi c. 1. v. 1.

Gladius.

L. 19. Mor. c. 19.

Hæc S. Pontifex, cui pondus addet Hebræa lectio, quæ verbum (in quo pro præſenti argumento vis ineſt) uſurpat in paſſiva, non in activa ſignificatione! ubi enim communis verſio habet *tenentes gladium*, legitur *ipſi tenti, poſſeſſi, occupati*, quaſi non tam gladium teneant, quàm ab illo vincti teneantur, ut apertè indicetur præconem Divini Verbi, ita ab eo teneri, poſſideri, occupariqúe totum, ut illo regi debeat, eumque præſtare ſe vitâ, quem linguâ; ad hanc cœleſtis Verbi appellationem metaphoricam alluſiſſe viſus D. Gregorius Nazianzenus: ſic enim olim ad ſuos:

Orat. 1. de Theol.

Cur manibus vinctis linguam armamus? quaſi diceret, incaſſum tonat lingua, incaſſum Dei verbo, ceu ferro armatur; ſi interea temporis vinctæ, & otioſæ ſint manus, ſi in bona opera ſeſe non explicent, atque expediant.

E contrariò, & fortiter dimicat ille, & animas cœlo, Deoque rebelles ſternit, ac vincit, qui non tam lingua, quàm manu pugnat; non tam doctrina, quàm exemplo vitæ ſanctioris. Quod ipſum

præclarè

præclarè expendit D. Gregorius, ubi docet quis Eccleſiaſtes pro virtute, & animarum lucro decertet die ſuo; quis alieno die; quis diebus omnibus:

Lib. 5. c. ult. in 1. Reg. *Quod bellum*, inquit, *Doctoris eſt aliud, quàm quod lingua conficitur? in die autem ſuo pugnat, qui verba prædicationis, ex propria trahit luce virtutis: in die verò alieno pugnare vult, qui contraire reprobis ſpiritibus ſatagit, non loquendo quæ agit: ſed prædicando quæ novit. Sed omnibus diebus pugnat, qui multa alios docet: ſed nihil docendo profert, niſi quod priùs fulget opere: omnibus diebus pugnat, qui omnia præcepta Dei oſtendit in luce operis, quæ ſubſequendo vult pandere per lucem prædicationis. Meritò itaq; bellum potens dicitur, in quo cùm omnimoda virtutum, vel operum luce pugnatur.*

II. Ratio à Præcone verbi Dei. Hæc magnus Pontifex, à quo delabor ad ſecundam propoſitæ quæſtionis partem: & ſtatuit Concionatorem debere docere opere illud ipſum quod linguâ. Seneca licet Ethnicus hoc ipſum natura duce ſenſit, & magnificè ad Lucillium ſcripſit:

Illud admoneo, inquit, *auditionem Philoſophorum, lectionemq; ad propoſitum beatæ vitæ trahendam, non ut verba ficta aut priſca captemus, & tranſlationes improbas, figuratq; dicendi; ſed ut profutura præcepta, & magnificas voces, & animoſas, quæ mox in rem transferantur, ſic iſta diſcamus, ut quæ fuerunt verba, ſint opera.* Epiſt. 108.

Hæc diſcipulo ſuo Seneca, quem & alio loco magis ac magis urget, atque exſtimulat.

Quando, inquit, *quæ didiceris affiges tibi? quando illa experieris? Non enim ut cætera memoriæ tradidiſſe ſatis eſt: in opere tentanda ſunt. Non eſt beatus qui ſcit illa: ſed qui facit.*

Hæc omnia ad Eccleſiaſten transferre potes, ut quæ docet ille affigat ſibi, illa experiatur, illa in opere tentet. Si enim ille ipſe Seneca verè pronuntiavit illud: quod *exigit Philoſophia, ut ad legem ſuam quiſque vivat, nec orationi vita diſſentiat, ut ipſa inter ſe vita unius, ſine actionum diſſenſione, coloris ſit.* Si inquam id ſuo quaſi jure poſtulat Philoſophia quantumvis profana, quantò magis ſacratior illa ac divinior, quæ è cœleſtibus paginis, ac ſcripturis hauritur? Epiſt. 20.

Epiſt. 16. Si *Philoſophiam* ſuam *non in verbis: ſed in rebus eſſe* dixit Seneca; quid de Chriſtiana dicendum eſſe cenſebis? Hoc unum certè, & potiori quidem jure: *non in verbis: ſed in rebus eſſe.*

Rationem ſi quæras, eam illicò menti, oculiſque objiciet Iſidorus Peluſiota: quia *fabulæ videntur verba ſine operibus*, adeóque qui illa dederit, neque hæc præſtiterit, hiſtrio profanus potiùs dicendus erit, quàm ſacer Eccleſiaſtes; hunc enim exhibent opera, non verba. Lib. 0. Epiſt. 114.

Volebat olim Epictetus ſibi dari Stoicum, qui is eſſet non voce tantùm, & inani nomine; ſed re etiam ipſa.

Apud Arian. l. 2. diſſert. *Age*, inquiebat, *Stoicum mihi aliquis oſtendat, ſi habetis, ubi igitur? Nam qui ſtoicos ſermunculos ediſſeret, mille dabitis: ſed volo ſtoicum. Quis ergo is eſt? ut Phidiacam ſtatuam dicimus ab arte Phidiæ exactè factam; ita illum mihi oſtendite, ad ea, quæ profitemini dogmata, expreſſum.*

Stoicum Epictetus, & ego Eccleſiaſten requiro, ubi, ubi is eſt? qui dicat è pulpito, qui declamet frequenti concione, qui verba jactitet, & ſpecioſa quidem, atque exculta: mille dabitis; at qui Eccleſiaſtes ſit, vix è multis unum aliquem: & tamen hunc volo, hunc vult Eccleſia, & Deus ipſe: erit autem Eccleſiaſtes, qui ad ea, quæ profitetur dogmata, veluti expreſſus, ac factus erit.

Epictetus, quo authore hic utor, ſtoicum nomine, componit cum eo qui ſtomacho laborat, & cibum ſtatim ejicit, nec in ventrem admittit, nec vertit in ſubſtantiæ ſuæ partem aliquam.

Lib. ſodiſſert. 21. *Sicut*, inquit, *ii qui ſtomacho cibum ſtatim ejiciunt, ſic qui præcepta nuda acceperunt, ſermone effundunt. At concoque priùs, & in ſuccum verte, & mutationem in*

mente factam oſtende. Ecce faber, qui peritus artis eſt, non obambulat clamitans, audite me diſſerentem de re fabrili: ſed tacitus domum, & tabernam conducit, inſtruit, & operibus oſtendit ſe eſſe peritum. Talia tu fac, ede, bibe ut decet; matrimonium contrahe, liberos gigne, Rempublicam gere; convitium tolera, & talia nobis oſtende, ut verè te Philoſophum cognoſcamus.

Quod in ſtoico Epictetus, hoc ego in concionatore deſidero; commendat ille demiſſionem animi; agedùm ſeipſe demittat, & ad ima abjiciat. Deprædicat patientiam, illatas injurias æqua mente, lætáque fronte excipiat. Vocat ad excelſa, ad ardua contemplationis, & ignitæ orationis æſtus: & huic priùs vacet ipſe, incumbátque totus; nec tam ore pugnet, quàm prece. Ita pugnavit olim Moyſes magnus Iſraelis dux, & populi ductor; de quo iſta magnificè Philo:

Animo vivere malebat, quàm corpore; Philoſophiæ Lib de vita *præcepta quotidie factis repræſentabat; mentem verbis ex-* Moſ. *primens, facta dictis accommodans; ut cum ſermone vita congrueret. In ſumma qualis erat vita, talis & oratio, ut nihil diſcreparet, haud aliter quàm in inſtrumento muſico.*

Ecce harmoniam, quam amat rerum omnium moderator Deus in eo, qui animas regit, atque è pulpito ſuſpenſas tenet; harmoniam dico, & quaſi conſonantiam linguæ, ac vitæ. Hanc niſi dederis ad auditorum quidem aures allabetur prædicantis ſonus; ſed ad animos non appellet: ut enim piè, & acutè D. Gregorius Nazianzenus:

Doctrina rebus inſtruit. Vel ne doceto, vel doceto moribus; ſermone non tam, quàm manu paſtor docet. In Iambicis.

Ita ex voto, calculóque D. Hieronymi docuere primi naſcentis Eccleſiæ Patres, de quibus ſic olim In Tetraſtichis. contra Jovinianum: *Licet ſermone taceamus, habitu loquamur, & geſtu*, quaſi diceret, etſi muta conticeret Lib. 0. lingua, altùm tamen loqui debet & ipſe habitus corporis, & geſtus, & tota exterioris hominis compoſitio.

Ita quoque docuit D. Athanaſius, de quo magnificè Nazianzenus:

Contemplatione vitam obſignans, ſeu ut Græca habent: *Sigillo vitæ utens*; ſic enim orabat, ſic perorabat, ſic dicebat è pulpito Athanaſius, ut ea quæ diceret obſignaret ſigillo vitæ, ut majus iis ineſſet pondus, ac fides. Orat. 21.

Ita denique (ne omnes conſecter) docuit D. Baſilius, de quo hoc elogium à D. Gregorio Nazianzeno prolatum: *Sermone ad animarum curationem haud multùm indigens.*

Ratio ſi quæritur, eam addit: *Tonitruum erat oratio, quia vita fulgur.* Tonabat ore, quia opere fulminabat, & priùs lucebat à vita, quàm tonaret à lingua. Et hinc deſcendo ad tertiam injectæ mihi quæſtionis partem, quæ ſpectat divini Verbi auditores, quos non tam inſtruit lingua docentis, quàm vita. Orat 20 de laud. Baſil. III. Ratio ab auditoribus

Seneca, (quo authore libentiùs utor, ut etiam Chriſtianis ruborem injiciam) eam Philoſophiam hominum generi inutilem, imò & noxiam oſtendit, quæ ad præcepta rectè vivendi, non adjungit etiam exempla:

Nullos, inquit, *pejus mereri de omnibus mortalibus* Epiſt. 108. *judico, quàm, qui Philoſophiam velut aliquod artificium venale didicerunt. Exempla enim ſeipſos inutilis doctrinæ circumferunt, nulli non vitio, quod inſequantur, obnoxii. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Tenendum eſt rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipſo mari, eripienda ſunt vento vela. Quid me poteſt adjuvare rector navigii attonitus, & vomitans? Quantò majori putas vitam tempeſtate jactari, quàm ullam ratem? non eſt loquendum: ſed gubernandum.*

Quod Seneca de ſua illa Philoſophia, quæ benè vivendi præceptiones tradebat; hoc ego de doctrina

Digitized by Google

Chriſtiana dictum velim; hoc etiam de illius præconibus; nullos eſſe, qui pejùs meteantur de genere noſtro, quàm eos, qui aliter vivunt, quàm vivendum eſſe præcipiunt; qui ſe præbent exempla doctrinæ prorſus inutilis? Quidni enim inutilis dicatur, & ſit ea doctrina, quæ non firmatur exemplis, ſed potiùs deſtruitur?

In cap. 1. ad Galat.

Non potes ædificare eum, cui non placuerit per exemplum, inquit Primaſius, *quia nequeunt ædificari verbis, qui deſtruuntur exemplis.*

Matth. 23 v. 4.

Ita deſtruebant olim Phariſæi, qui Scriptura teſte alligabant onera gravia, & importabilia, & imponebant in humeros hominum; ipſi autem digito ſuo nolebant ea movere; & hinc poſtituta eorum authoritas, & nulla propè dictis fides, vis omninò nulla: contrà Servator optimus *loquebatur*, inquit Evangeliſta, *tanquam poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ*; quia ſcilicet non tam verbo, quàm exemplo docebat; adeóque cum poteſtate, cum imperio, cum pondere authoritatis; & meritò, quia ut disertè notavit D. Gregorius: *Cum imperio docetur, quod priùs agitur, quàm dicatur.*

Luc. 7. v. 19.

L. 23. Mor. c. 9.

Et quia ſic docere te volo, benevole lector, ad extremum tibi ſub oculos pono illud S. Paulini ad Jovium: *Non tam lingua, quàm vita erudias: non tam diſſeras magna, quam facias.*

QUÆSTIO QUINTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, & venit in omnem regionem Iordanis.* verſ. 3.

AN HINC IN IOANNE PETI POSSIT eximia quædam obedientiæ vis, & alacritas?

Lux obedientiæ promptæ symbolum

CUm hujus univerſi molitionem explicaret Moſes, non ſine amabili quodam ſtupore, primæ lucis mentionem fecit; *Fiat*, inquit, *lux, & facta eſt*, nihil omninò interjacet: dictum, & factum; non ſic in ipſius firmamenti, aliorúmque creatione; non eruperunt illa ad primam vocem *fiat*: ſed alia, atque alia interceſſerint; appello ad ipſa hiſtoriographi verba, ſic ille de firmamento:

Gen. c. 1. v. 3

Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diviſitq́ue aquas, quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum; & factum eſt ita.

Ecce ut multa intercurrunt, ut alia atque alia ipſius Creatoris molimina, poſt quæ tandem accedit illud, *& factum eſt*, ut ipſa quodammodo narrationis prolixitas, atque tarditas, parendi difficultatem oſtenderet. Quod ipſum doctè advertit D. Auguſtinus:

L. 2 de Gen. ad Litteram c. 8.

Notandum eſt, inquit, *quòd primâ die cùm facta eſt lux, dictum eſt tantum; fiat lux in verbo, & facta eſt lux in opere, ſtatimq́ue adhæſit increatæ luci, lux creata, ut vicinior, & omni creatura capacior; in ſecunda autem die quadam mora eſt, & verborum multiplicatio, ut intelligamus iſtas naturas ad deficiendum pronas eſſe, ad obediendum minùs aptas.*

Quod in creaturis illis ſpiritu, & anima vacuis prima vidit ætas, hoc poſtera in homine, qui parvus quidam, ſpirabilis, & rationalis eſt mundus. In hoc enim nonnulli ſunt luci non abſimiles, quibus, ut ſeſe ſiſtant, atque ad authoris ſui voces in opus erumpant, ſufficit una vocula *fiat*, & factum eſt.

Joannis obedientia prompta.

Is fuit Joannes, de quo facet Hiſtoricus: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, & venit.* Nihil intereſt inter factum eſſe ſuper eum verbum Domini, & veniſſe in omnem Jordanis Regionem, quo evocabatur Dei ſui voce, ut Baptiſmum pœnitentiæ prædicaret; & poſteris omnibus daret exemplum obedientiæ ſingularis. Et verò quidni daret adulta jam ætate, qui dederat cùm adhuc ætatis expers eſſet, ac lucis; in materni uteri carceribus, profundáque nocte. De hâc bona mater Elizabeth: *Vt facta eſt*, inquit, *vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo.*

Luc. 1 v. 44.

Lib. de Virg. inſtit.

In quæ verba D. Ambroſius: *Ad vocem Mariæ exultavit infantulus obſecutus antequam genitus.*

Ecce promptam, alacrem, expeditam obedientiam, quam etiam ex utero hauſit, & primùm reddidit ad Mariæ vocem; deinde luci datus ad *verbum Domini.*

Et hæc eſt perfectæ obedientiæ norma, ad vocem, imò ad nutum Imperantis eſſe quàm promptiſſimum.

Dixit olim, & rectè Seneca: *Fertilibus agris non eſt imperandum*: nimitùm illi ſuo quaſi de ſinu ſementem efferunt nullo imperante: ſic & obediens omnes animi ſui vires, & promptæ voluntatis niſus expedit, & quaſi fertilis ager in cultoris, Dominíque ſui gremium deponit; & quidem ſponte ſua, jubente nullo.

L. de tranq. anim. c. 26.

Terra obedientiæ ſymbolum.

Is olim fuit genius Monachorum in vaſta Ægypti ſolitudine degentium, de quibus S. Hieronymus: *Subditi antea conabantur juſſa implere, quàm forent emiſſa, & quibuſdam quodammodo indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis.*

Obedientia Monachorum

In Reg. monachor. c. 10.

Sic antequam hæc in actum, in imperium abiiſſet, jam parebat ſubditus; & non tam ſibi impoſita, quàm imponenda complebat.

Ita quàm maximè verum illud D. Bernardi:

Lib. de præcep. & diſpenſ.

Verus obediens parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & ſe totum intùs colligit, ut mandatum peragat imperantis; peragat, inquam, etiam antequam emanarit.

Is olim fuit Iſraël cùm adhuc Dei eſſet, ac ſuus. *Omnia*, inquiebat, *verba Domini quæ locutus eſt, faciemus, & audiemus.*

Iſraëlis.

Exod. 24. v. 3.

In quibus verbis D. Auguſtinus expendit veluti præpoſterum aliquem ordinem; *faciemus, & audiemus*, cùm potiùs dicere debuiſſet, audiemus, & faciemus.

Sed hinc apparet ingens quidam ardor animorum, incenſúmque obſequendi ſtudium, quia, ut notat ille ipſe S. Doctor: *Ad facta magis quàm ad verba properant. Cùm enim alii audita faciant, iſti quod mirandum eſt, præ divino quodam impetu, aiunt, facturos ſe priùs; deinde audituros. Vt non propter doctrinam, & admonitionem: ſed ultrò, & ſuapte ſponte videantur ad bona opera accurrere.*

Ex illa parendi promptitudine, ac celeritate factum exiſtimo, ut ſponſam ſuam compoſuerit animorum noſtrorum ſponſus cum equitatu.

Sponſæ.

Equitatui meo, inquit, *in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea*: cui enim potiùs?

Cant. c. 1. v. 9.

Erant

Erant equi Pharaonis, & optimi, & velociſſimi, quos proinde ex eo ſibi quæſierat, curruique ſuo admoverat Salomon. Iis comparatur ſponſa, ſeu anima fidelis, quæ & Deum, & à Deo etiam hominem, ſeu Præſulem, ſeu ſeſſorem admittit. regiturque obedientiæ fræno, & quaquà-verſùm flectitur, mirabili quadam, & amabili ſimul celeritate, à qua etiam dicitur eſſe adinſtar fulguris: ſic enim ad Deum ſuum obediens Jobus: *Mittes fulgura, & ibunt: & revertentia, dicent tibi, adſumus.*

Fulguris.

Cap. 38. v. 35.

Vides ut tonanti Deo parata ſint ſemper fulgura? Exeunt illa, atque emittuntur de gravida nube, & revertuntur, imò priùs eunt, ac revertuntur, quàm dicant *adſumus*; quia ſcilicet Dei ſui mandata ea promptitudine præſtant, ut cùm ſe ad præſtanda offerunt, jam præſtita videantur.

Quod fulguri, hoc viro obedienti, qui inſtar fulguris evibrari ſolet, & incredibili velocitate eò deferri, quò de præſulis manu, de Religionis ſinu emittitur.

Et certè ut ab inanimatis, & me ipſe damnem, & Religioſos majorum dictis tardiùs, quàm par eſt obſequentes; argumentum ſumam, quod olim D. Ambroſius in illa verba Geneſeos: *Congregentur aquæ*, &c.

Elementorum.

Dictum eſt, inquit, *congregetur aqua, & congregata eſt; & frequenter dicitur, congregetur populus, & non congregatur: Non mediocris pudor eſt, imperio Dei inſenſibilia elementa parere, & homines non obedire.*

L. 3. Hexam. c. 4.

Nimirùm ut infrà idem S. Præſul, *ſurdiora corda hominum ſunt, quàm dura ſaxorum.*

Ibid. c. ult.

Terra indebitos fructus nobis miniſtrat, dum obſecundat authori: nos debitum munus negamus, dum non veneramur authorem.

Hæc ille, quem velim audiant illi, quibus tardi, & plumbei ad obediendum ſunt pedes, quibus pigra manus, quibus mens hebes, atque obtuſa, ad ea, quæ Dei ſunt, ad juſſa majorum ſuorum; quæ contrà, & ſedulò, & quàm citiſſimè ſequuntur excelſæ mentes, & ſuperis natæ. Teſtem volo Heliſæum magnorum ſpirituum hæredem, & dignum Eliæ diſcipulum: hic cæptum arandi opus, & boves ſine ductore, ſine cuſtode deſtituit in aperto campo, ut magiſtri evocantis, non tam vocem, quàm nutum ſequeretur: *Miſit Elias pallium ſuum ſuper illum, & relictis bobus cucurrit poſt Eliam.*

Heliſæi in antiqua lege.

3. Reg. c. 19. v. 20.

Habes, amice Lector, illuſtre promptæ obedientiæ exemplum: nec enim aut imperio compulſus, aut voce compellatus, aut nutu accitus fuit Heliſæus; ſed ſolo ſigno, eóque perobſcuro evocatus advenit, imò accurrit, ac propè advolavit.

Hoc ſingularis obedientiæ ſpecimen exhibuit lex antiqua: vis non abſimile etiam in nova? illud dabunt Apoſtoli, magnæ illæ cœli novi (hoc eſt naſcentis Eccleſiæ) Intelligentiæ: Petrus, & Andreas: hos ut vidit Salvator *mittentes rete in mare, ait illis venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum*; quod ſuo more dum obſervat D. Chryſoſtomus:

Apoſtolorum, in nova.

Matth. c. 4. v. 19. 20.

Perpende, inquit, *fidem & obedientiam vocatorum; ſiquidem in medio ipſius operis conſtituti (ſcitis autem quam avida res ſit piſcatio) cùm illum audiſſent jubentem, nihil diſtulerunt, nihil omnino cunctati ſunt. Non dixerunt, revertemur domum, loquemur propinquis; ſed cuncta illicò relinquentes, fecerunt quod Heliſæus quoque ſub Helia legitur impleſſe.*

Hom. 14.

Audiſti qui ſpirarit, qui viguerit inter vivos obedientia, audi qui etiam inter mortuos.

Lazari etiã mortui.

Jacuerat Lazarus in alta ſepulchri nocte, & quidem quatriduo toto, cùm à Domino juſſus eſt rurſum in auras, in lucem prodire: *& ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus inſtitis.*

Ioan. c. 11. v. 44.

Sed cur inquies, ligatus? cur non ſolutus priùs? Reſpondet ore aureo Chryſoſtomus: *Lazarus exivit de ſepulchro cum linteaminibus, ne more tarda juſſionibus Dei notaretur, ſi vel breviſſimum tempus in ſolvendis linteaminibus conſumeret.*

Ecce facilem, expeditam, ac celerem obedientiam, cui ne ipſa quidem mortis vincula moram ullam poſſunt injicere.

Ut ad eam primùm immortali Deo; deinde etiam ſecundùm illum, ſuperioribus præſtandam, te ipſe exſtimulem, benevole Lector, pro coronide adjiciam quæ ſit Cœlo merces, quod apud ſuperos pretium.

Præmium obedientiæ promptæ.

E Sanctis Patribus unus aliquis Rufino teſte, vidit in alto mentis exceſſu quatuor hominum claſſes in ipſo ſummi Numinis conſpectu.

Prima, *erat hominum infirmantium, & gratias Deo agentium.*

Lib. 3. v. 141.

Secunda, *eorum qui hoſpitalitatem ſectantur.*

Tertia, *aliorum qui ſolitudinem amant, & perennem ab hominibus ſeceſſum.*

Quarta denique, *iſtorum qui Dei cauſa ſuis ſeſe ſubjiciunt Præſulibus, vitamq; degunt ſub arctiori obedientiæ jugo.*

Hæc porrò claſſis cæteris altior eminebat, quà loco, quà etiam ornatu, cultuque corporis: pendebat enim his è collo torques aurea, dignitatis inſigne, & nota gloriæ; quam dum in extaſi mentis oculis aſpicit pius ſenex, ſimul rogat, cur hi cæteris anteſtent? & audit: quia cùm aliis ſua quandóque ſit voluntas etiam in opere bono, his voluntas omnino nulla; ſed ea ſemper pendens, ex alterius nutu ac voluntate; quod quia toleratu longè difficillimum, ita ſummi apud ſuperos pretii, atque æſtimationis. Hanc ſi ambis, & amas, etiam obedientiam ambias, amesque eſt neceſſe.

QUÆSTIO SEXTA

MORALIS.

Ad illa verba: *In deſerto.* verſ. 3.

CUR IN DESERTO MESSIÆ præuntius?

HIc quæri poteſt, ac debet cur in deſerto Joannes, vox verbi & præco veritatis? Certè ut vox allabatur ad hominum aures, & animos eorum feriat, frequentem auditorem requirit, & urbes amat populoſas. Cur igitur in deſerto Joannes? in eo volvitur cardo quæſtionis; ad quam diſertè SS. Patres.

D. Hieronymus cenſet Ioannem abiiſſe in vaſtam ſolitudinem impulſum amore caſtitatis, quæ 1.
ferè viget, ac viret in deſertis locis; in urbibus autem, non rarò deflorescit, ac penitus exareſcit.

Ratio amor caſtitatis.

Joannes Baptiſta, inquit, *ſanctam habuit matrem, Pontificiſq; filius erat; & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum, cum periculo viveret caſtitatis.*

Ep. 4. ad Ruſtic.

D. Thomas in Catena aliam ſubjicit rationem, ut ſcilicet è ſolitudine, ſilentiique eremo, egregius concionator evaderet, & à divina ſapientia apprimè inſtructus.

II. Concionatoris munus. *Amotus*, inquit, *à converſatione humana inviſibilium ſpeculationi vacans; ne hujuſmodi fallaciis, quæ per ſenſus ingeruntur, aſſuetus, quandam confuſionem, ac errores incurreret erga veri diſcretionem.*

Exiſtimabat Angelicus Doctor, difficile eſſe in mundi ſtrepitu, loquenis ſapientiæ voces excipere, & falſum à vero diſcernere. Hæc Divi illi Patres, quorum opinioni affinis ea ratio; quæ generatim probat in deſerti avia, atque invia exceſſiſſe Baptiſtam, ut omnem peccandi occaſionem fugiſſe videretur.

III. Peccatorum fuga. & occaſionum. Ut celebris, ita quàm veriſſima Probi Æmilii paræmia. *Timidi mater non flet*, quia videlicet timidus non modò non quærit pericula; ſed ab iis fugit quàm longiſſimè; adeóque anſam non præbet, unde in lacrymas abeat miſerans mater; qui enim abiret cùm ſemper in tuto ſit filius: Unde porrò in tuto? Quia timidus eſt, quia timore, ceu pædagogo regitur.

Hunc timorem, & providam cujuſvis periculi præcautionem mirùm quantùm commendant Sancti Patres, & ſcriptores.

Tertullianus ut diſcrimen ſtatuat inter eum, qui prudenter timidus eſt, & illum, qui impudenter, & temerariè audax, ſic habet: L. de cultu fœm. c. 2.

Qui præſumit minùs veretur, minùs præcavet, plus periclitatur. Utiliùs ergo ſi ſperemus nos poſſe delinquere, ſperando autem timebimus, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus.

Ut porrò ſic caveas, amice lector, pauca ſub oculos ponam, quæ tibi non leve ſaluos periculum creant, ni abis à mundi ſtrepitu, & Ioannis exemplo probè doctus etiam ad ſolitudinem, velut aſylum, confugias.

In cap. 19. Geneſ. Dixit olim, & rectè venerabilis Stephanus Cantuarienſis: *Quidam peccatum oderunt: ſed non nimis, quia peccata fugiunt: ſed occaſiones ſequuntur*, & hoc quia ſunt in mediis ſæculi tumultibus, in quibus velis nolis, aliæ atque aliæ incurrent peccandi occaſiones; ſive eas admittat, invitétque procax ſenſus; ſive eaſdem ingerat ipſe mundi genius, ac loci, in quo degimus, natura.

Quæ à ſenſibus. Et quidem ad ſenſus quod attinet, quia multas à mundi faſtu, ac vanitate habent illecebras; iis quoque malè capiuntur, unáque etiam incautas animas in ruinam trahunt; ut disertè animadvertit D. Ambroſius:

Lib. de ſæcul. fug. c. 1. *Adſpexit oculus*, inquit, *& ſenſum mentis evertit; audivit auris, & intentionem inflexit; inhalavit odor, & cogitationem impedivit; os libavit, & ignem adolevit: intravit mors per feneſtras.* Non intraret porrò niſi mundus importunè obtruderet alia atque alia objecta, quæ blandæ voluptatis titillatione primùm moverent ſenſus; deinde etiam ad animum allaberentur, eúmque de ſede ſua, hoc eſt ratione, dimoverent.

Quæ à mundo qui eſt velutı. Ea nimirùm eſt humanorum ſenſuum in ſcelus inclinatio, ad quam, ab ipſo loco pugnæ accedunt plurima ſeu irritamenta malorum, ſeu pericula ſalutis; quæ SS. Patres bellè exprimunt; dum huic mundo alias atque alias affigunt notiones.

Tertullianus gravis author Chriſtianam mentem componit cum navi; ſæculum autem hoc, quo circumfertur, cum procelloſo mari, in quo Scyllæ, & Charybdes, innumeráque vitæ diſcrimina, horrendúmque ſalutis naufragium.

Lib. de Idololatria. c. 24. *Inter hos ſcopulos*, inquit, *& ſinus: inter hæc vada, & freta veliſicata ſpiritu Dei fides navigat; tuta ſi cauta, ſecura ſi attonita.*

Quaſi diceret tot ac tanta eſſe in hoc mari turbulentiſſimo pericula, tam frequentia, támque fœda naufragia, ut nemo unus omnium ex iis emergere poſſit; niſi aut fugam maturè adornet, aut longè maxima utatur præcautione; & totis remis, veliſque incumbat.

Alia ſimilitudine, eáque perquàm accommoda, utitur ille ipſe Tertullianus; eum enim, qui mundi graditur viâ, comparat cum funambulo, & quidem illius artis parum gnaro, cui proinde miſerabilis caſus immineat. Corda funambuli.

Age, inquit, *tu funambule, pudicitiæ & caſtitatis, & omnis circa ſexum ſanctitatis, qui tenuiſſimum filum diſciplinæ ejuſmodi veri avia pendente veſtigio ingrederis, carnem ſpiritu librans, animam fide moderans, oculum metu temperans. Quid itaque in gradu totus es? perge ſimè ſi potueris, ſi volueris dum tam ſecurus, & quaſi in ſolido es.* L. de pudicit. c. 10.

Perſtringit his author petulantem, ac temerariam eorum audaciam, qui in hoc mundo (in quo tamen omnia ſunt quaſi tenui pendentia filo) ita ſecuri inambulant, quaſi in ſolido pedem fixiſſent.

A Tertulliano non multùm abiit Chryſoſtomus; qui hujus ævi incolas ſimiles eſſe voluit iis; qui ad ipſas immanis præcipitii oras inambulant; quos ſtupidos eſſe oportet, ac proſtitutæ ſalutis, niſi cautè, & perenni metu, ac trepidatione procedant. Præcipitium.

Iuxta præcipitium, inquit, *vadens tremit, & ſæpenumerò ab ipſo ſubverſus tremore decidit; ita non procul peccata fugiens; ſed ſecus ipſa vadens, in timore & periculo vivit, ſæpiùs & in ipſa prolabitur.* Hom. 15. ad populum.

Hactenus aureâ facundiâ Chryſoſtomus, à quo haud recedunt ii, qui latam hujus ſæculi viam componunt cum glacie, cui ſi inambules, facilè prolabêris, niſi caveris; proindéque opportunum illud Senecæ monitum: *Quantum poſſumus nos à lubrico recedamus, in ſicco quoque parum fortiter ſtamus.* Glacies. Epiſt. 116.

Sic à lubrico receſſit Joannes dum avia deſerti penit.

Sic mundi ſcopulos, Syrtes & Charybdes declinavit.

Sic longiùs receſſit à ſæculi voragine, timendíſque præcipitiis, ne in ea fallente veſtigio labi contingeret.

Sic denique laqueos, & hujus vitæ retia fugit, dum ad ſolitudinem, eremúmque confugit. Fuga profectò plena laudis, ac gloriæ; fuga, quæ non imbelles, non ignavos animos arguit: ſed generoſos, ſed fortes, ſed avidos victoriæ.

IV. Amor victoriæ, quæ à fuga mundi. Appello D. Hieronymi fidem, atque authoritatem; Romam ille reliquerat, fælici elapſus fuga, quam dum exprobrat nonnemo, ſic reſpondet contra Vigilantium:

Cur, inquit, *pergis ad eremum? videlicet, ut te non audiam, ut te non videam, ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis. Reſpondebis, hoc non eſt pugnare, ſed fugere; Sta in acie, adverſariis armatis obſiſte; ut poſtquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam: Nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam victoriam.*

Quod Vigilantio, quod aliis, ſibi fugam illam objicientibus dixit, & ſcripſit Hieronymus, hoc quiſque noſtrûm, Mundo, Carni, Dæmoni fugam illam diſſuadenti; reſpondere poteſt, ac debet.

Quæris, ô munde, ô mundi quiſquis es aſſecla, cur pergam in aviam ſolitudinem? Pergo enimverò, *ut te non audiam*, nec ſyrenum, quæ in te ſunt nimis blandos, ac fallaces cantus; *ut te non videam*, nec tuos faſtus, & perditæ vanitatis inſignia; *ut tuo furore non movear*; nec inſanis, quæ in te ſunt cupiditatibus; *ut tua bella non patiar*, tua non excipiam tela, & illa quidem multo toxico illita: *ne me capiat oculus meretricis*, & frons nimiùm effrons.

Quod ſi mihi importuniùs obtrudas illud, *hoc non eſt pugnare: ſed fugere*; reponam, & ego iſtud; in ea fuga genus eſſe pugnæ, ſpem victoriæ, imò & ipſam propè victoriam.

At

Solitudo mentis ſi non corporis.

At objiciet unus aliquis, non omnes in eremum duci vocante cœlo, jubentéque Numine; ſunt quibus per ſuperos licet, lubetque eſſe in mediis mundi turbis, in urbium, populique frequentia; an ii te judice damnandi? an à ſalute procul amandandi? minimè genuum; ſi eò Deus evocet: at illos ego ſic eſſe velim in mundo, quaſi extra mundum; quaſi in ſilenti eremo, vaſtâque ſolitudine: Ita mihi fuiſſe viſus Rex David, qui hæc ingenuè de ſeipſo: *Singulariter ſum ego, donec tranſeam*, hoc eſt ſolitarius vivo. Pſal. 140.

At quæ, inquies, eſt illa ſolitudo? in urbe? in Regia? inter populi, aulicorúmque turbas? inter æſtus, ac tumultus negotiorum? Eſt enimverò ſolitudo, eáque mentis; de qua D. Chryſoſtomus: *Solitudo non facit eſſe ſolum: ſed mens. Ita qui habitant in mediis urbibus poterunt eſſe ſingulares homines, dum corruptos cœtus fugiant, & ſe juſtorum conciliis adjungant.* Ibidem.

QUÆSTIO SEPTIMA
MORALIS.

Ad illa verba: *Venit in omnem regionem Iordanis; prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* verſ. 3.

AN POENITENTIA BAPTISMVS ESSE, & dici poſſit?

Pœnitentiam baptiſmum eſſe probatur.

IN hac quæſtione primùm authoritate mihi pugnandum erit, tum etiam exemplis, denique, & ratione, quæ lectori fidem faciat.

Qui ſanctos Patres vel à limine ſalutarit, fatebitur is omninò Pœnitentiam velut alterum Baptiſmum Dei miſerentis beneficio fuiſſe conceſſum.

I. Authoritate.

Gregorius Magnus, à quo petuntur tot propè oracula, quot verba, hæc olim in poſteros emiſit:

Lib. 27. Mor. c. 12.

Polluta dudum conſcientia lacrymis baptiſata renovatur; renovatur, inquam, tum quia vetuſtatem, & peccati ſordes deponit, tum quia nitori priſtino redditur, & probè eluta ſpecioſiſſimam divinæ gratiæ veſtem induit, quam priùs improbè exuerat.

Hom. 10. in Evang.

Hinc illæ magni Pontificis voces, illa ad peccatores adhortatio: *Quia poſt Baptiſmum, inquinavimus vitam, baptiſemus lacrymis conſcientiam.*

Gregorio Magno ſubſcribit Bernardus, acutò ut ſolet ac ſuavi ſtylo:

Serm. 1 de Reſurrect.

Communicavimus, inquit, *paſſionibus Christi; complantati ei denuo ſumus per baptiſmum quendam lacrymarum, pœnitentiæ, confeſſionis.*

Baptiſmum appellat lacrymarum, ac pœnitentiæ ſalutaris; quo Chriſtianos omnes intingi, elui, mergique volet, ut ex eo emergant quàm mundiſſimi, & verò priùs intinctus ipſe, elutus ac merſus: ſic enim de ſe concitato quodam piæ mentis æſtu, votoque *baptiſabor uberrimo quodam profluvio lacrymarum.*

Serm. 13. in Pſ. 90.

Non vult leviter aſpergi, non guttatim, & quaſi modico, tenuique imbre perplui: ſed uberrimo quodam profluvio abripi, atque ſubmergi: exemplo ſcilicet regii pœnitentis; qui hæc olim de ſeipſo, & candidè, & verè:

Pſal. 6. v. 7.

Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo; vel ut alia lectio habet: *Mergam, natare, & putreſcere faciam, imo & diſſolvam lacrymis ſtratum meum.*

II. Exemplis.

Et hæ ſunt regiæ voces, teſtes pœnitentis animæ, & illius profluvii, quo non per unam dumtaxat noctem; ſed & per ſingulas ſtratum ſuum lavit, ac merſit, fœlici ſanè baptiſmate: in quod utinam venirent ii omnes, qui Davidis inſtar aliquando in culpam venere; ſed veræ nimiùm illæ D. Auguſtini querelæ:

Serm. 1. in Pſ. 115.

Neſcit flere, qui flenda committit, & cum ipſe ſit lacrymabilis, non habet pœna lacrymas ſuas.

Luc. c. 7. v. 38.

Sed ab his diſcedo, venióque ad mulierem illam, quæ teſte Evangeliſta, *fuerat in civitate peccatrix*; ad Chriſtum venit illa, & *ſtans retrò ſecus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus.*

Bonæ lacrymæ, inquit Ambroſius, *quæ non ſolùm noſtrum poſſunt lavare delictum; ſed etiam Verbi cœleſtis rigare veſtigium. Bonæ lacrymæ, in quibus non ſolùm redemptio peccatorum; ſed etiam refectio eſt juſtorum.* Ibidem.

Et hanc, & illam adepta Magdalena vel ſolo lacrymarum Baptiſmate; à quo eam animi munditiem hauſit, ut & ipſis dæmonibus, impuris illis ſpiritibus, eſſet horrori, ac formidini.

Exſtat ea de re luculentum D. Brigittæ teſtimonium: memorat illa ſe Servatore magiſtro didiciſſe: tres præ cæteris mirè ei placuiſſe, videlicet B. Virginem, Joannem Baptiſtam, & Magdalenam, de qua ſic loquitur:

Quando Maria Magdalena converſa eſt, dixerunt dæmones: quomodo reducemus eam? pinguem enim prædam perdidimus. Ipſa quippè in tantum ſe aquis lacrymarum lavat, quòd non audeamus aſpectum noſtrum in eam infigere: ſic ſe tegit bonis operibus, quòd nihil accedit ad eam de macula: ſic fervens & calida eſt in Dei ſervitio, ac ſanctitate, quòd non audemus ei appropinquare. L. 1. Revel. c. 108.

Hæc S. Brigitta in ſuis revelationibus. Tranſeo ad Petrum Eccleſiæ primipilum, & Apoſtolici Senatus Principem: abierat ille à ſeipſo, à data fide, à magiſtro quàm optimo, adjiciens illas voces teſtes infidelis animæ, *non novi hominem*; quid deinde? *Gallus cantavit*, & reſpexit Dominus Petrum, ſibi, ac magiſtro redditus eſt; imò & divinæ luci, quia ut piè notat D. Hieronymus, *fieri non poterat ut in negationis tenebris permaneret, quem lux reſpexerat mundi.* Et verò non diu manſit, mox enim *egreſſus foras flevit amarè.* Matth. c. 26. v. 72. V. 75. in 22. Luc.

Quare flevit? inquit Ambroſius, *quia culpa obrepſit ei, Petrus doluit & flevit, quia erravit ut homo: commune quod labitur, fidei quod pœnitet.*

Si porrò quæras cur flevit? cur non potiùs oravit? Audies, ab eodem Præſule, *lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Lacrymæ veniam non poſtulant: ſed merentur. Invenio cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet; ante flendum eſt, ſic precandum*; nimirùm plus in fletu, lacrymiſque eſt momenti, quàm in prece; quia illæ vim quandam habent Baptiſmatis. Hinc S. Leo Petri *lacrymas ſalutes* appellat, *quia ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuere Baptiſmatis.* Serm. 9. de Paſſ.

Et verò quidni haberent, cùm eas miſericors Dominus, & in oculis, & in rationibus reponat?

Appello Vatis regii fidem, duas ille pagellas ponit, eáſque in conſpectu Judicis altiſſimi. *Poſuiſti*, inquiebat, *iniquitates noſtras in conſpectu tuo.*

Ecce pagellam primam multa peccati fuligine turpem, & atram: cui ſupponemus alteram, eámque

que candicantem, & mundam, quam etiam ſuæ menti objicit Deus: verùm enimverò illud Davidis:
Pſal. 55. v. 9. *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo*; vel ut Pagninus legit: *Poſuiſti lacrymas meas in libro tuo*; vel ut Campenſis: *Poſuiſti lachymas meas in rationibus tuis.*

Poſuiſti, inquam, ô Deus iniquitates meas in conſpectu tuo, ut in eas animadverteres tanquam juſtus, ſed ſeverus Judex; verùm etiam poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo, ut iis illas ipſas iniquitates meas dilueres, atque deleres de libro tuo; verè pius, ac miſericors Dominus, quem dum ſuſpicit, amátque ille ipſe Regius pœnitens, exclamat:

Pſal 50. v. 3. *Dele iniquitatem meam, amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*; quæ verba ſic expendit Urbanus Pontifex in Metaphraſi: *Domine qui non deſpicis gemitus contritorum, tu noſti quod ſicut ſuper deletas litteras, quadam ex ipſa littera remanet turpitudo, per quam adhuc perpendi poſſint ipſa deletarum veſtigia, & ſignificatio litterarum, niſi littera, & litura penitus eradatur: ita & deleta à te iniquitas in anima mea quandam deformitatem relinquit: per quam à te qui ſolus es inſpector cordium, & conſcius ſecretorum, & ab illo, qui eſt animarum improbus accuſator, poteſt adhuc perpendi, quanta fuit iniquitas mea, niſi poſt deletionem à te amplius abluatur; & ideò peto humiliter, amplius lava me, & ita perfectè lava, qua imperfectionis opera noviſti, ut in me peccati veſtigium non relinquas.*

Hactenus Urbanus, à quo diſcet peccator, quiſquis is eſt, anteactæ vitæ ſcelera amplius, & amplius eluere perenni lacrymarum imbre, fluentiſque pœnitentiæ ſalutaris; exemplo vel Davidis vel Auguſtini, cujus hæc verba:

De die in diem plangam, & faciam omnia, quæ facienda ſunt ad abluendum, & ſanandum peccatum meum. Richard. de S. Vict. in c. 3. Matth. v. 2.

Facit autem omnia, qui *tria facit*, *quæ ſunt in pœnitentia*: ſcilicet, *dolor*, *cuſtodia futuri*, *ſatisfactio delicti*. *Dolor culpam placat, ſatisfactio vitium ſanat, cuſtodia ſanitatem ſervat, in hæc fructus pœnitentiæ conſtat. Sit autem dolor plenus, cuſtodia perfecta, ſatisfactio condigna.* Delabor ad poſtremum, quod initio mihi propoſui; & unica ratione evinco, Pœnitentiam eſſe velut alterum baptiſmum.

Eſt in miſeris mortalibus pleriſque, aliud atque III.
aliud peccati genus. Unum toti ferè ſpeciei com- Ratione.
mune, quod ab ipſa ducitur origine, ideóque *originale* appellatur, & hoc diluit Baptiſmi Sacramentum, uti & alia peccata, ſi quæ fuerint illi prævia. Alterum *perſonale* dicitur, & eſt illud, quod quiſque, jam adultus contrahit, vel malitia perverſæ mentis, vel depravata corruptæ naturæ inclinatione; & huic à Pœnitentiæ ſacramento, velut altero baptiſmate paratum eſt remedium; quod quia Catholicos inter (quibus hæc pagella cuditur) extra litem eſt, ac controverſiam; ideò pluribus duxi ſuperſedendum.

QUÆSTIO OCTAVA
MORALIS.
Ad illa verba: *Parate viam Domini.* verſ. 4.
QVÆ SIT ILLA VIA DOMINI?

CUM Romæ in viam ſe daret Conſul unus aliquis, præibant armati faſcibus ſatellites, ac præcones, altáque voce ingeminabant illud: *Date viam Conſuli, Quirites, date viam Conſuli.* E cœlo, ſinúque Patris elapſus *magni Conſilii Angelus*, Deus homo, mortales vias ingreditur, præcedit Baptiſta divini Verbi præco, & hæc ad humanas aures: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Quæ ſit autem illa via Domini, in quæſtione eſt.

Via Domini eſt, qua ad nos venit. Via Domini eſt illa, qua ad nos venit, qua menti noſtræ illabitur, & in ea ſedem figit. Ut porrò figat, neceſſe eſt patens ſit, libera, & aliis rebus vacua. De vera, ac germana ſapientia pronuntiavit illud Seneca:

Epiſt. 88. *Magna*, inquit, *& ſpatioſa res eſt ſapientia, vacuo illi*
I. Sit ab aliis vacua. *loco opus eſt. Ut habere poſſit liberum hoſpitium; ſupervacua ex animo tollenda ſunt. Non enim dabit ſe in has anguſtias virtus, laxum ſpatium res magna deſiderat; expellantur omnia, totum pectus illi vacet.*

Quæ Philoſophus de ſua illa ſapientia; hæc ego ad æternam, atque increatam jure potiori transferri vellim: primum enim ejus hoſpitium aliis rebus omnibus liberum ſit oportet; liberum, inquam, terrenis ſordibus, & hujus ſæculi impedimentis. Deinde latum atque explicatum, ut Deum; hoc eſt, immen-
II. Sit lata. ſum hoſpitem, capiat; qualem nec capiunt, nec verò etiam capere poſſunt peccatores; quia ut rectè D. Hilarius: *Anguſta ſunt peccantium corda, & hoſpitio*
In Pſ. 118. *Deum mens polluta non recipit. Patulum enim hoſpitium inconceptibili Deo opus eſt*; patulum dico & amplum, de quo non ſine amabili quodam ſtupore D. Am-
Serm. 7 in Pſ. 118. broſius: *Alii generantur de ſui ruris anguſtiis, in te Deo eſt ampla poſſeſſio. Et cui mundus anguſtus eſt, tu ei ampla es domus.* Tu ſcilicet qui intus es, & quem inſtar
Sap. c. 1. alterius Jacobi (hoc eſt ſupplantatoris) *deduxit Dominus per vias rectas*: quæ ſint illæ ſi quæris, audies interprete D. Bernardo:

Via Domini, via recta, via pulchra, via plena, via plana. Recta ſine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchra ſine ſorde, quia docent munditiam. Plena multitudine, quia totus jam mundus eſt intra Chriſti ſagenam. Plana ſine difficultate, quia donant ſuavitatem. Iugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve. Serm. in ea Sap. verba.

Ecce vias Domini, quas vel ipſe tenet, ac ſervat III.
Dominus, vel nos tenere vult, ac ſervare. Sit recta.

Sunt illæ rectæ: quia *ducunt ad vitam*, id eſt, ad Deum, qui eſt *vita prima*, & principium, ac fons omnis vitæ; & qui ideò uni ſibi vivit, & ſibi vivere vult quidquid à ſe, & per ſe vivit.

Sed proh dolor! incauti mortales, alias, atque alias vias ineunt; non vias Domini rectas; ſunt enim, qui modò ad dexteram, hoc eſt, ad viam virtutis, declinent: modò ad ſiniſtram, id eſt, vitiorum confinia deflectant, in ſua inconſtantia malè conſtantes.

Sunt alii, qui circulares vias ineunt, quales ſolent eſſe *impiorum*, qui *in circuitu ambulant*, hoc eſt, inter- Pſal. 11. v. 9.
prete D. Bernardo, *in ſpatioſa via, cujus latitudinis ſpatium nullis clauditur metu, ubi nec lex eſt, nec prævaricatio.* Serm. de fallacia vita.

In circuitu, hoc eſt in cæcis anfractibus, in quibus *ludit ſecum vanitas, & mentitur iniquitas ſibi.* Tract. de diligendo Deo.

In circuitu, hoc eſt, *naturaliter appetentes unde finiant appetitum, & inſipienter reſpuentes unde propinquent fini. Fini dico, non conſumptionis: ſed conſummationis.* Ad Ibidem. Lib 7. Mor. c. 13.
illum accedunt, & ab hoc recedunt quàm longiſſimè *impii, qui in circuitu ambulant*, id eſt, ut exponit D. Gregorius.

In circulo rerum hujus ævi, ac temporis laborant improbè; & vires, ac vitam atterunt, eo ferè modo, quo admolam vertendam, damnatus Sampſon poſt pudendam excæcationem.

In

In circuitu denique *ambulant impii*, quia ſemper incedunt in eadem hujus orbis peripheria, nec unquam ad centrum, qui Deus eſt, pertingunt, nec evadunt in domum æternitatis. Ut in hanc aliquando penetres, amice Lector, unum illud cura, & ſedulus obſerva; ut ambules per vias Domini; ſunt illæ ut jam probavi rectæ, quia ducunt ad vitam, id eſt, ad Deum, pura ſcilicet intentione, quæ Deum unum ſpectat, Deum quærit, & amat: non ſe, non terram, non lutum; hoc enim ſi amaris, non intras viam rectam: ſed turpiter curvam, quia te creaturis inclinas, atque incurvas, cui tamen Creator, os erectum, ac ſublime dederat, cœlúmque tueri juſſerat ut eſſes in viis Domini; hæ enim rectæ ſunt: ſed & pulchræ, animo & cogitatione ſi potes ingredere vias omnes Domini, & videbis quàm ſint pulchræ.

IV. Sit pulchra. Prima via fuit ab æterno Patre per generationem æternam, & hæc quàm pulchra, ſine ſorde, ſine matre: via ſcilicet divini Intellectus: ſeipſe enim cognoſcens Pater Æternus, Verbum produxit, generavit filium.

Altera via fuit in tempore, & temporali generatione; & hæc quidem in matre: at ſine patre, hæc in Virgine longè puriſſima.

Tertia via Domini fuit è ſinu Virginis, in humile, abjectúmque præſepium per temporaneam nativitatem: & hæc ſine matris læſione, ſine injuria clauſtri virginalis.

Quarta via fuit ipſa Domíni vita, quanta, quanta fuit: & hæc etiam pulchra, & ſine ſorde, ſine ulla peccati etiam leviſſimi macula.

Teſtes illæ Domini ad Iudæos voces, liberæ quidem, ſed tamen veræ, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* teſtes & illæ populi univerſi, *Benè omnia fecit.*

Quinta via Domini fuit è vita ad mortem, cujus innocentiæ, viſo terræ motu, cæli luctu, ac tenebris, revertentes Judæi, pectoraque tundentes, acclamarunt illud, *Verè hic homo juſtus erat.*

Poſtrema denique Domini via fuit è cruce ad ſepulchrum: & hæc quoque pulchra, quia in ſepulchro, in quo necdum quiſquam poſitus fuerat; hoc eſt, in impolluto, ut longè mundiſſimo, in terra virgine: Ecce viæ Domini pulchræ: & tales ut tuæ ſint oportet; pulchræ primùm ab inſigni & angelica caſtitate; imò ſi pateris & pluſquam angelica: eſt enim quid amplius, quid illuſtrius animum geſtare in carne virginem; quam ſpiritum expertem corporeæ molis: *Chryſol. ſerm. 143.* nimirum eſſe *Angelum felicitatis eſt: virginem eſſe, virtutis.*

Sint deinde pulchræ ab exacta mandatorum omnium obſervantia: *Pſ. 118.* *Beati*, quippe, *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

Sint denique etiam pulchræ in ipſo brevioris ævi, ac vitæ exitu, & via in domum æternitatis: dum eam inituris nihil erit quod conſcientiam oneret, quod iter retardet ad beatitatem. Ubi vias Domini feceris ſic pulchras, feceris indubiè etiam plenas: ſunt enim *viæ Domini plenæ.*

Et has plenas fecit Servator Optimus, primùm ab ipſis cunis, paſtores vocante Angelo, Reges ſtella duce ad præſepium adducendo.

Deinde in omni vita quà exemplis melioribus, quà verbis, & concionibus, quà etiam miraculis intra ſagenam Evangelicam populos cogendo.

Denique in ipſa morte, dum exclamans voce magna ſic expirat, ſic moritur; ut omnes in ipſo, & ſpiraremus cœlo, & Deo æternùm viveremus; & ita nos quoque facere voluit ſingulari quodam animarum zelo, quem quiſquis induit, vias Dei ſui plenas facit.

V. Sit plena lucro animarum. Ita fecêre quondam Apoſtoli, magnæ illæ mentes, & cœli novi, hoc eſt Eccleſiæ, ſpirituales Intelligentiæ.

Ita S. Vincentius Ferrarienſis illuſtre decus Dominicanæ familiæ, qui Judæos, obdurata licet capita, ad Evangelii ſemitam deduxit ad quinque ſupra viginti millia; ex aliis autem multitudinem propè innumerabilem.

Ita hac, quâ vivimus ætate, S. Franciſcus Xaverius è minima Societate JESU, Chriſto atque Eccleſiæ addidit plus duodecies centena animarum millia: ita denique (ne omnes conſecter) Vias Domini plenas fecit Benjaminus Diaconus Perſa, quem nulla Tyrannorum vis, nulla vincula impedivêre, quò minus animas Eccleſiæ adduceret. Habes illuſtre illius facinus, cujus ad omnem poſterorum memoriam meminit Nicephorus.

Fidei, ac Religionis cauſa conjectus is erat in carcerem, ibíque duos annos in pædore, ac ſordibus latuerat, cùm ecce à Romanis miſſus orator, ſanctiſſimi hominis ærumnis, atque innocentia extimulatus, à Varane Perſarum Rege, maximè importuno, & crudeli, petit ut Diaconus liberaretur. Rex, impius licet, ac ferox; id donaturum ſe promiſit, ſi qui vinctus erat polliceretur, ſe deinceps neminem ad Chriſtianam religionem invitaturum. Eo nuntio lætus orator in carcerem deſcendit, rem ad ipſum defert, ad lucem invitat, ac libertatem. *L. 14. c. 2.*

Quid ad hæc Benjaminus? negat omninò, negat fieri unquam poſſe, ut è vinculis excedat ea lege; ſibi certum, fixúmque fuiſſe ſemper, & fore, quotquot orbe toto poſſet ad Chriſtum adducere: ita dixit, ac fecit S. Diaconus, totus flammeus, & regius in ſquallore ipſo, & calamitate.

Ita porrò facient ii omnes, quibus aliqua incumbit animarum cura, & qui ſingulari Numinis gratia in Cleri ordinem ſunt vocati; his enim ſcripta eadem lex, quam olim Dracontio inſcripſit D. Athanaſius, qui ſic ad illum:

Id ſcire oportet, & nequaquam ambigere, te priuſquam ordinareris tibi vixiſſe: ordinatum autem illis vivere, quibus ordinatus es; illis inquam vivere, ut & ipſi tecum in Chriſto vivant, & cœlo, ſuperíſque aliquando reddantur. *Ep. ad Dracontium.*

Ab illo caritatis officio factum autumo, ut homines initiati ſacris, dicantur modò *venatores Domini*, *Ierem. c. 16. v. 16* *qui*, ſcilicet ut ait D. Ambroſius, *inveſtigant eos, qui capiuntur ad vitam.* *In Pſal. 118. Serm. 6.* Modò *Dei cooperatores in reductione animarum ad ſuum creatorem*, ut vult Dionyſius. Modò διόσκυροι σωτῆρες, velut *Dioſcuri ſervatores*, utpote qui alios ſervant Deo, ſervant beatæ æternitati; dum errabundos, ac palantes, in viam virtutis, ac ſalutis reducunt: & hi ex vero parant vias Domini, dum faciunt ut omninò plenæ ſint; imò & *planæ*; & hæc ex D. Bernardi ſenſu poſtrema Domini eſt via; via plana, & facilis, quam ſcilicet, & aperit, & ſternit amor; cui plana, levia, & ſuavia ſunt omnia, nihil arduum, nihil grave, amarum nihil. *VI. Sit plana, id eſt ab amore facilis.* Appello Chriſti cunas, in his vagit Verbum Infans, non in anſere, mollique lectulo: ſed in præſepio, & rudi ſtramine, & hæc via aſpera videri potuit; at planam fecit Amor.

Appello ejuſdem in Ægypto fugam; audit enim ab Angelo *fuge in Ægyptum. A tuis ad extraneos; ad ſacrilegos à ſanctis: à templo tuo ad dæmonum fana; ad idolorum patriam è regione Sanctorum.* *Chryſolog. ſerm. 151.*

Audit, inquam, & fugit, *nec intuetur verecundiam Virginis, laborem matris, ſexus pudorem, periculum Ioſeph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus;* à qua ſanè via aſpera, via dura, & videri, & eſſe debuit: at planam fecit amor.

Appello Chriſti vitam, exantlatóſque labores, ſudores, fatigationes, calumnias, ſcommata, enormèſque in famam, bonúmque nomen injurias; à quibus etiam Samaritanus audit, & dæmonium habens: & hæc quoque via dura, aſperáque videri potuit: at planam fecit amor.

Appello

Digitized by Google

Appello denique extrema vitæ illius, mortisque confinia, ipſámque per acerba ſupplicia crucem, & funeſtam illam crudeliſſimæ paſſionis tragœdiam; in hac *deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, ſædioribus coronatur, adducitur ut pecus ad victimam.* Et hæc profectò via aſpera videri, & eſſe debuit: at planam fecerat amor, qui *ſaginari voluptate patientia diſceſſurus volebat.* Ecce *via Domini, via plana.* Vis illas quoque in martyribus intueri? videbis in militibus, apud eos *omnia ſudore conſtant; de umbra ad ſolem: de ſole ad cœlum: de tunica ad loricam: de ſilentio ad clamorem: de quiete ad tumultum.* Et hoc ſæculi milites, majora Christi pugiles: hi enim etiam de carcere ad ſupplicium, de ſupplicio ad mortem ire: & hæc quoque via moleſta, gravis, aſpera videri, & eſſe debuit; at planam fecerat amor: *abſtulerat ille carceris nomen, ſeceſſum vocabat, & nihil crus ſentiebat in nervo, cum animus in cœlo eſſet: & nihil intererat ubi eſſent in ſæculo, qui extra ſæculum erant.*

Tertull. l. de Patientia. c. 3.

Tertull. l. ad Mart. c. 3.

Cap. 2.

Ecce *via Domini plana.* Vis etiam eas in aliis inſpicere, & unà illius cauſam, ac rationem?

Appello fidem eorum, atque authoritatem, quos aliquando ille ipſe crucifixi amor, exempláque martyrum à ſæculo in clauſtra, ab aula in ſolitudines, à mundi jugo ad Christi jugum tranſtulere: dicant illi, quàm planæ in divino obſequio viæ, quàm faciles ſint amanti, & quæ in caſto illo amore facilitas, imò ſuavitas.

Verus amor non ſentit amaritudines, ſed dulcedines; quia amoris ſoror, dulcedo, ſicut ſoror odii, amaritudo, inquit Auguſtinus; cui conſonat ore aureo Chryſologus:

Lib. 13. Conf.

Nihil durum, nihil amarum, nihil grave, nihil lethale computat amor verus; quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœnæ, quæ mortes, amorem valent ſuperare perfectum? Amor *impenetrabilis eſt lorica, reſpuit jacula, gladios excutit, periculis inſultat, mortem ridet; ſi amor eſt, vincit omnia.* Quod ſi omnia vincit amor, quidni & difficultates, & ſpinas, & tribulos, quibus aſpera videtur virtutis, ac cœli via, quæ amanti ut plana, non amanti ſpectatur ut ardua?

Serm. 40.

VI. Sit etiam dura.

Et hæc paucis dicta ſint ad aperiendas quatuor illas Domini vias, quas ſtylo notavit D. Bernardus. Tranſeo ad aliam, ad quam me manu ducit regius vates; ea apud illum audit, *Via dura*; ſic enim inquit; *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*; hoc eſt interprete Hugone Cardinali, *vias pœnitentiæ*, quæ duræ ſunt quatuor ab cauſas.

Pſal. 16. v. 4.

Qualis via Pœnitentiæ.

Primùm propter importunas Diaboli tentationes. Deinde fomitis recalcitrationem; tum propter externa impedimenta mundi, vel inſultantis, vel irridentis ſpem vitæ melioris; tum denique propter amorem voluptatis, ad quam ſuo pondere inclinat, & trahit naturæ noſtræ corruptela.

Propter hæc, *via pœnitentiæ, via dura*, quam tamen ut ineat eſt neceſſe, quiſquis magni Baptiſtæ vel conſilio, vel exemplo parare volet *viam Domini.*

QUÆSTIO NONA

MORALIS.

Iterum ad illa verba: *Parate viam Domini.* verſ. 4.

QVÆ SIT ILLA VIA DOMINI? Et quam varia?

SUPERIORI quæſtione alias, atque alias aperuimus *Vias Domini*; ad quas nos quodammodo manu duxêre Sancti Patres: in præſentia verò in alias ibimus, aditum recludet, oſtendétque objecta quondam è cœlis amœna lucis ſpecies, atque imago.

B. Eliſabetha Schonaugienſis cœnobii Abbatiſſa in finibus Trevirenſis Diœceſis, Virgo à virtute, & morum innocentia longè clariſſima, ipſo die Pentecoſtes in exceſſu mentis vidit montem præcelſum, cúmque cœleſti quadam luce conſpicuum; atque ab illius imo ad ſummum uſque verticem veluti tres vias. Et quidem à dextris *viridis* erat: à ſiniſtris *purpurea*: media verò coloris *hiacynthini*, qualis eſt ſudi, ac ſereni cœli.

Viæ tres.

Henriquez. tom. 1. Diſtinct. 6. c. 1.

In montis illius culmine, qua ſcilicet aſſurgebat via media, ſtabat vir forma ſpectabilis, ac verendus, cui facies lucida ſolis inſtar, oculi verò ad inſtar ſtellarum: & hic aureus, argenteúſque ſeu faciei, ſeu oculorum fulgor, nitórque amorem conciliabat; at timorem gladius, qui ex illius ore prominebat; venerationem autem quæ viſebatur in dextra clavis, in ſiniſtra verò ſceptrum.

Et hæc fuit imago objecta illius menti, quam dum avidiùs contemplatur, adfuit illi è cœlo beatus genius, qui diſerta, hoc eſt, angelica lingua, expoſuit quid ſibi illa vellet. Ita enim, inquiebat, *Mons* eſt cœleſtis beatitas. *Claritas*, qua nitet ille, lucétque, eſt *lumen gloriæ*, quo in cœli regia illuſtrantur fœlices animæ. *Viæ* autem tres, ſunt quaſi ſemitæ, quibus Electi ex infima, abjectáque mundi hujus valle aſſurgunt, evadúntque in culmen excelſum, montémque æternæ beatitatis.

I. Hiacynthina.

Ex his porrò *via* una, eſt *Hiacynthina*; hæc eſt altiſſima quædam cœleſtium, ac divinorum *contemplatio*, qua mens humana & terris, & ſeipſa ſublimior abit à ſe, & in Deum quodammodo tranſit.

Ita tranſiêre Franciſcus, Ignatius, Tereſia, aliæque cœleſtem in terra vitam degentes animæ; in ipſo ſcilicet orationis æſtu, raptúque.

II. Viridis.

Altera *via*, eáque *Viridis*, eſt *vita activa*, qua humanus animus zelo quodam alienæ ſalutis, totum ſe effundit in proximi bonum; & hæc ridet amœna quadam bonorum operum viriditate, proventúque animarum.

III. Purpurea.

Poſtrema eſt *Purpurea*, ac veluti cruenta. Et in hanc veniunt invicti Christi pugiles, grandes animæ, fortia pectora, inclyti martyres, qui *laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*; imò & ſuo.

Et hanc in primo ſurgentis Eccleſiæ limine ingreſſi ſunt Apoſtoli omnes; Stephanus, Laurentius, aliique de virili ſexu propè innumeri, quos pari paſſu ſecutæ ſunt Agnes, Catharina, Cæcilia, aliæque, quas naſcentis Eccleſiæ cunæ Chriſto, cœlóque dederunt; ſed via *purpurea*, hoc eſt per equuleos, cataſtas, rotas, ferrum, & ignes.

Et hæc paucis de triplici illa via; qui mediæ imminet eſt *Chriſtus*, ſplendor gloriæ, lux increata, ac veluti radius quidam Æterni Patris, ſeu ſolis; imò ſol ipſe, ac lumen de lumine.

Oculi porrò radiantes ſtellarum more, modóque; eſt divina Providentia, quæ juſtis invigilat, lucétque; quæ illos regit, ut oculus corpus ipſum.

Gladius

Gladius autem, & is quidem *in ore*, eſt ſententia ſeveri Judicis, qua percellet, imò & feriet improbos in extrema illa pereuntis mundi ſcena.

Clavis verò eſt poteſtas, quâ cœlum bonis aperit, clauditque malis.

Denique *Sceptrum* eſt regia poteſtas, quâ donatus ab Æterno Patre Chriſtus, & à quâ etiam *in femore*, hoc eſt in ipſa humanitate ſcriptum: *Rex Regum*, & *Dominus dominantium*.

Et hæc interprete Angelo portendebat oblata illa B. Eliſabethæ ſpecies, atque imago. Alia deinde annis ſubſequentibus.

Aliæ viæ Domini. Illo ipſo die Pentecoſtes non ſine Divini Spiritus illapſu, apertæ viæ aliæ, eæque etiam tres. Et quidem

I. Conjugatorum. Prima *lata, & trita*; ſed vepribus, & ſpinis aſpera, atque horrida. Ea Doctore eodem Angelo, eſt *Via conjugatorum*, quæ ſpinis, & ſentibus, id eſt curis ſecularibus, implexa: quot enim curæ, & quàm edaces in ſuſcipiendis, alendiſque liberis; quot in re familiari vel retinenda, vel etiam augenda; quot ut uxor viro, & vir uxori conſentiat.

Secunda *arcta* quidem erat, & *parum trita*: ſed amœna quadam herbarum ſuccreſcentium viriditate, & florum gratia, atque ubertate conſpicua, atque amabilis. II. Continentium. Et hæc monitore eodem cœleſti genio, eſt *Via continentium*. Hæc quippe & curis libera ſecularibus, & à negotiis expedita, totáque ſui juris: & inſuper pulchra quadam bonorum operum viriditate, & florum, id eſt virtutum varietate ſpectabilis.

Tertia, eáque inter utramque media, *lata* quidem, & *plana*; ſed pavimentum opere lateritio, eóque rubenti inſtratum. Et hæc interprete bono Angelo, III. Prælatorum eſt *Via Rectorum, ac Prælatorum*; quibus ſcilicet incumbit id oneris, ut & conjugatos, & continentes regant; at non ſine ingenti curarum mole, ac ſollicitudine, quam indicant multo igne excocti lateres, & quidem duri, atque rubei. Ut enim lateres coquuntur, & durantur igne: ſic & animus Præſulum à curis & ſollicitudine, ceu igne quodam animum depaſcente, excoquitur, atque rubeſcit.

Et has vias B. Eliſabethæ in alto mentis exceſſu recluſit Dominus; alias deinde, & quidem omninò quatuor; è quibus Aliæ viæ quatuor.

Prima in ima ſui parte *dumetis aſpera* videbatur; in ſumma verò *florida*. I. Virorum. Ea eſt illorum, qui primos brevioris ævi annos dant carni & ſæculo: poſtremos deinde ſpiritui, ac Deo.

Secunda penitùs arida, exſucca, & glebis aſpera, qualis eſſe ſolet terra recens aratro domita. Et hæc II. Eremitarum. eſt *Eremitarum, ac Religioſorum*, qui flagellis, cilicina veſte, ac jejuniis carnem atterunt, ſulcant, atque edomant; fructus deinde daturi cœlo, atque æternitati, ut terra ferro fracta, ac domita. Cùm ſic frangitur, atque domatur, diceres injuriam illi eſſe: at ex vero non eſt; ſed potiùs beneficium. Sic corpuſculo cùm maceratur, cùm tunditur, cùm frangitur, non injuria; ſed beneficium reputari debet. Sic enim aptatur ut cœleſte ſemen excipiat, ut fructus edat cœlo dignos, atque æternitate.

Tertia via *expedita eſt ac facilis*: & ea eſt *Infantium*, III. Infantium. qui recens Baptiſmi aquis eluti, mundo ſubducuntur innocentes animulæ, ut cœlo inſerantur, ac beatitati.

Quarta, eáque *difficilis*, eſt *Adoleſcentum*; qui ſæpè IV. Adoleſcentum. dum florent annis, non florent virtutibus; ſed potiùs deflorescunt, ut ignores quæ illis, & ad quam æternitatem aperiatur via, beatam, an infelicem. Ut meritò inter ea, quæ ignorabat Sapiens ipſe, repoſuerit *viam viri in adoleſcentia*.

Et hæ univerſim ſunt viæ, quas Domino parari vult vox Æterni Verbi, dum olim è deſerto, & modò è cœlo [illegible]lamat illud: *Parate viam Domini*. Parabimus [illegible]i conſonas cujuſque ſtatui virtutes paraver[illegible]as tibi explicandas relinquo benevole Le[illegible]

QUÆSTIO DECIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Rectas facite ſemitas ejus.* verſ. 4.

CUR VIÆ IUSTORUM RECTÆ, peccatorum obliquæ?

VIA mortalium via eſt, & ea quidem alia, atque alia: juſtis enim recta; impiis autem incurva, atque obliqua. Tam hujus, quàm illius ratio, paucis explicanda.

Via peccatorum obliqua. Incurva dicitur, & verò etiam eſt peccatoris via, quia eâ dum graditur: primùm à ſe recedit longiùs; deinde etiam à Deo quàm longiſſimè.

Ita receſſit, & à ſeipſo, & à patre peroptimo filius In prodigo. prodigus, qui tandem miſeriæ ſuæ pertæſus & *in ſe reverſus dixit. Quanti mercenarii.* Luc. 16. in quæ verba S. Chryſologus. *In ſe ante redit, ut rediret ad patrem, qui à ſe ante receſſerat, cùm receſſit à patre.*

Ita etiam à te ipſo, & à Deo tuo ceu amantiſſimo Patre longiùs abis, & per obliquas peccati vias incedis, quiſquis illius prodigi malus æmulator, aut ventri vacas, aut veneri, aut alteri cuipiam letali peccato te mancipas, & Deo terga vertis, ut creaturæ faciem obvertas; quod & olim feciſſe viſus Iſraël, dum etiam ipſe obliqua vagatus eſt via, de qua proinde triſti nænia Ieremias, aut potiùs Dominus In Iſraële. illius voce graviter ſic conqueſtus: *Verterunt ad me* Cap. 2. v. 27. *tergum, & non faciem.*

Enimverò ſic ſe res habet; tergum authori ſuo vertit peccator, & faciem, (hoc eſt intelligentiam, quæ mentis quædam imago, & facies eſt) ad creaturam per ſummum nefas convertit, & in hoc quoque obliqua ducitur via, & quidem in barathrum æternæ perditionis. Quis enim alius tam perverſæ, tam incurvæ ſemitæ terminus eſſe queat?

Iſraëli, (cujus antè memini) fatidica voce ſic olim minatus eſt juſtus ſcelerum vindex Deus: *Si ambulaveritis ex adverſo mihi: ego quoque contra vos ad-* Levit. c. 26. *verſus incedam.* Ubi ſeptuaginta ad inſtitutum noſtrum accommodatiùs vertunt: *Si ambulaveritis ergà me obliqui, ego quoque cõtra vos; incedam in furore obliquo.*

Quod ipſum expreſſiùs Sanctus Clemens Roma- L. 2. Conſt. nus ſic exponit: *Si obliquè coram me ambulaveritis, ego quoque contra vos obliquè ambulabo.* Apoſt. c. 47.

Ecce quomodo culpam par pœna premit.

Ad te, ô infelix animula, venire debuerat Deus via recta, ſi tu viam rectam tenuiſſes, at quia obliquam injuſtè ingreſſus es, & ipſe quoque (juſtè tamen) ad te pergit via obliqua, & quod ſanè perhorreſcas; contra te incedit *in furore obliquo*, à quo quid expectes, niſi cladem, & æternam quidem?

Non ſic ad juſtos venit, non contra illos venit, non obliquè, non obliquus, non obliquo in furore: ſed ad illos properat, & rectà quidem, & in miſericordia, ac miſeratione: his enim oſtendit, imò & quodammodo lucere facit faciem ſuam; quod in ſummo ſupremi Numinis beneficio reponi debet; appello Scripturæ fidem.

Num. c. 2. v. 23 25.

Populo benè apprecari ſic doctus olim Aaron: *Benedicat tibi Dominus, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi*; vel ut Hebræi vertunt: *Lucere faciat Dominus faciem ſuam ad te.*

Hæc fuêre Aaronis vota, ut Deus author lucis, Iſraeli faciem benignam oſtenderet, ceu amœnum increati ſolis jubar. Et hoc quoque nobis eſſe debet in votis, primíſque curis, ut miſericors Dominus ad nos accedens via quàm rectiſſima, faciem ſuam objiciat, omni luce, ſoléque clariorem: objiciet autem, ſi ad eum & ipſi pergamus via recta, via juſtorum; non obliqua ut impii, qui per mortale ſcelus Deo ſuo terga vertunt, quod ſummæ genus eſt impudentiæ. Sed & alii ſunt, qui obliqua gradiuntur via, primis paulò meliores, non tamen omninò boni: ii ſunt,

Via tepidorum obliqua.

quos SS. Patres in Aſceticis ſuis *Tepidos* appellant, & in via divini obſequii ſocordes; qui ſcilicet neque Deo terga vertunt, neque tamen faciem ejus exquirunt; ſed obliquè ante Deum incedunt. Hoc eſt, ut clariùs eloquar; peccata mortalia averſantur, ac fugiunt; at de cavendis venialibus parum ſolliciti ſunt, nec omninò ſe in ſcelera agunt præcipites, nec ad ardua virtutis aſcendunt: ſed quaſi medii ambulant inter virtutis, àc vitii confinia; quod argumentum eſt malè ſanæ mentis, teſte vel ipſo Seneca:

Epiſt. 120.

Maximum indicium, inquit, *malæ mentis, eſt fluctuatio, & inter ſimulationem virtutum, amoremq; vitiorum aſſidua jactatio.*

Hujus generis, ac farinæ homines D. Bernardus ſimiles eſſe credit ei, qui duas inter menſas jejunus hæret: ſic enim tepidos illos alloquitur:

Serm. 4. in Aſcenſ.

Nonne, inquit, *velut inter duas menſas poſiti epulantes hinc inde ſpectamus jejuni? ſic ſumus*; ſic ſumus omninò, inter ſæculi Chriſtique menſas, inter hujus, illiúſque delicias; à quibus tamen, neque expletur fames, neque jejunæ mentis aviditas: quia ſcilicet, neque de his, neque de illis guſtamus quicquam. Hæc ex D. Bernardi ſenſu, à quo & aliud accipe.

Tepidos illos, & huc, illucque obliquo pede fluctuantes, nec inter vivos, nec inter mortuos reponi oportere; ſic enim ſcripſit ſanctimoniali cuidam, quæ à devotionis ſtudio plurimùm intepuerat, & inter religionis, & ſæculi menſas jejunam vitam agebat.

Epiſt. 114.

Vivens mortua eras, vivens mundo, mortua Deo; ſive ut veriùs loquar, nec mundo vivens, nec Deo. Volens quippe ſub habitu, & nomine Religionis, inſtar unius de ſæculo converſari, ſola Deum à te voluntate repuleras; non autem valens, quod ſtulta volebas, non tu quidem mundum, ſed te mundus repulerat; Deum ergò repellens, & à ſæculo repulſa, inter duas, ut dicitur, ſellas corrueras, nec Deo itaque vivebas, quia nolebas, nec ſæculo, quia non poteras: alteri quidem volēs, alteri invita: ſed tamen utrique mortua.

Hactenus Bernardus ſuavi ut aliàs ſemper; ſed forti tamen eloquentia, à qua diſcedo, ut redeam ad metaphoram, unde paululum degreſſus ſum.

Via malæ intentionis obliqua.

Videre eſt, & alios, qui obliquis viis vagantur errabundi; ii ſunt, qui ſi opus ipſum ſpectes, recta virtutis ſemita incedere videbuntur: attamen ex vero per obliquam deflectunt, quia à bono deviat eorum intentio; in eos torqueri poteſt fulmen illud Eccleſiaſtici.

Eccl. c. 2. v. 14.

Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.

In hoc loco, utpote difficili, pius ludit Interpretum labor, & in alias atque alias elabitur ſententias.

Sunt enim, qui velint peccatorem ingredi duabus viis, cùm aliud opere protendit; aliud animo intendit.

Serm. 40.

Duo in intentione, inquiebat D. Bernardus, *neceſſaria res & cauſa; id eſt quid intendas, & propter quid.* Veritatem unus aliquis indagat, & venatur ſtudioſiùs, benè habet; res enimverò bona veritas: at ſi eam inanis gloriolæ ſtudio quærat, malè omnino cedet; quia rem optimam appetit quàm peſſimè, adeóque duabus viis ingreditur miſellus peccator. Hujuſce interpretationis authorem habeo è Petri ſede D. Gregorium. *Duabus* inquit *viis peccator terram ingreditur, cùm Dei videtur eſſe quod agit; ſed ex omni, quod Religioſum foris exhibet, intùs ſæculi intentionem tenet.*

L. 5. in 1. Reg. c. 6.

Via hypocritarum obliqua.

Hos inter recenſere velim, & illos, qui veſte aut Clericum aut Monachum mentiuntur, cùm animo, ac mente ſæculares; & profani ſint toti; in eos ex veritate verti poteſt, quod D. Bernardus ex inſigni animi demiſſione in ſe torſit:

Epiſt. 249.

Clamat ad vos mea monſtroſa vita, mea ærumnoſa conſcientia: Ego enim quædam Chymera mei ſæculi; nec clericum gero, nec laicum. Nam Monachi jam dudùm exui converſationem, non habitum.

His affines ſunt etiam, qui in alta pace, tranquillóque hujus vitæ mari, Deum, ac ſuperos ſequuntur; at ubi tempeſtas ingruerit, ubi ſævus tyrannorum turbo: tum ab eo recedunt, & ad ſæculum, ſæculíque ſolatiola deflectunt; & hi quoque ingrediuntur terram duabus viis, ut & qui duobus dominis ſervire volunt, Deo & mammonæ, quos ſic arguit Auguſtinus:

Via inconſtantium obliqua.

Tract. 9. in Ioan.

Non vult Chriſtus communionem; ſed ſolus vult poſſidere quod emit: tanti emit ut ſolus poſſideat. Tu facis ei conſortem diabolum, cui te per peccatum vendideras: væ duplici corde, qui in corde ſuo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia fit ibi pars diabolo, diſcedit: & totum diabolus poſſidebit.

3. Reg. c. 18.

Ex hoc hominum genere fuerunt Iſraëlitæ, qui, & Deum colere, & Baal venerari volebant; quos, utpote, duas vias ingredientes, ſic carpit Elias Propheta:

Vſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum: Hæc entheo ſpiritu magnus Vates, qui totus in iras ibat, vindicéſque flammas, vel eò ſolum, quòd ita malè claudicaret Iſraël, & per obliquas graderetur vias; uti etiam fecerunt Samaritani, qui genua ſua, & Deo vero, & diis gentium ſubmittebant.

Via Politicorum obliqua.

His ſuppares videri poſſunt, & nihilò meliores ii, qui cum Catholicis, Catholicè vivunt, ac loquuntur; cum hæreticis, hæreticè; cum caſtis, caſtè; cum inceſtis, inceſtè: Similes omninò muſcis, quæ in rota duobus feruntur motibus, & quidem contrariis, ſcilicet antrorſum ex ſe, retrorſum ex revolutione rotæ: ſimiles etiam ſtellis errantibus, quæ præter motum ſibi proprium moventur etiam, atque raptantur motu contrario primi mobilis.

Ita hoc ſæculo abripiuntur plerique mortales, qui intrinſecùs Catholici, extrinſecùs hæretici, intùs Deo, foris mundo famulari volunt; ut feciſſe viſus unus aliquis in aula Elizabethæ Reginæ Angliæ: qui apud Anglos, & Dominam hæreticus, apud tranſmarinos Catholicus audire cupiebat; cui roganti, quid de ſe ſentirent tranſmarini, ſic reſpondit vir ſapiens: *Domine dicunt te imitari planetas, qui præter motum proprium ſinunt ſe rapi motu primi mobilis.*

Si ex me quæſieris, quod illud primum mobile; ne crede de ſuperis eſſe, de cœli vertice: ſed potiùs

de

Digitized by Google

de inferis, deque terra; hoc eſt de principibus terrenis, quorum motus, nutúsque ſequuntur aulici, ceu errantes ſtellæ. Non ſic juſti, non ſic, unde feruntur illi motu, quò ſcilicet conſcientia flectit, quò ratio ducit, quò Dei voluntas rapit; una gradiuntur via, eáque quàm rectiſſima, cùm & bonum ament, & ament benè: quia ut verè D. Gregorius: *Uno itinere graditur, qui virtutem, quam prætendit in bono opere, in recta ſervat intentione*: contrà, quàm turpiter peccant hypocritæ, qui etiam duplici ſunt corde, duplici gradiuntur via: *Oves ſunt habitu, aſtutiâ vulpes, actu lupi*, inquit Bernardus, *boni videri, non eſſe; mali non videri, ſed eſſe volunt.*

Lib. 3 in 1. Reg. c. 6.

Serm. 66. in Cant.

Flores oſtentare, non fructus edere. In eos cadit apologus elegans D. Cyrilli libro ſecundo Apologorum capite tertio ſupra vigeſimum, cui titulus: Contra apparentes, & contrarium exiſtentes.

Spina, inquit, *florebat; & ficus, ante eam frondens ac groſſos ſuos producebat; cui mox tumefacta ex floribus ſpina dixit. Ficus ubi ſunt flores tui? at illa reſpondit: Spina ubi ſunt fructus tui? Tum ſpina: Non dedit mihi natura fructus; neque mihi ſubjungebat ficus, flores addidit. Verum cùm flos derivetur in fructum, melius eſt ſine flore fructum producere, quàm fructu privatam florere: attamen, quia non floreo, fructum ſuaviſſimum gigno.*

Hactenus S. Præſul, qui eo apologo nos probè doctos voluit, quàm improbè ſibi plaudant, & aliis fucum faciant hypocritæ; qui inſtar ſpinæ gloriolam quærunt è floribus, hoc eſt è ſpecie quadam externæ converſationis, cùm potiùs è fructu vitæ bonæ, ac integræ conſcientiæ, inſtar frugiferæ ficus, petere debuiſſent.

Sed abeo longiùs, & à metaphora mihi initio propoſita recedo: veniam dabis, amice Lector, & ſi me audis, in hac mortali peregrinatione, in unum illud, vires omnes, animique conatus conferes, ut rectas in te Domini ſemitas feciſſe videaris.

QUÆSTIO UNDECIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.* verſ. 5.

QVÆ VALLIS? QVISVE MONS, ET COLLIS? Et quomodo impletur illa, atque aſſurgit? Quomodò è contrario exhauritur hic atque deprimitur?

Qui montes? I. Superbi.

IN hoc ſacræ Scripturæ loco SS. Patres diſcedunt in varias ſententias: Chryſoſtomus, Auguſtinus, Beda, aliique per montes intelligi putant, ſuperbos, qui alto vertice cœlis ipſis minari videntur; ut olim nominati illi gygantes: per valles autem humiles, qui ſeipſi deprimunt, atque ad infima quæque abjiciunt.

II. Judæi.

Origenes per montes Judæos interpretatur, fortè quia tumenti ac ſuperbo erant ingenio: per valles autem Gentiles, quia hi de ſeipſi abjectiùs ſentire, & loqui ex aliqua ſcilicet animi demiſſione: illos gratiâ, ac fide in mediatorem vacuandos; hos implendos Propheta vaticinatur.

Quæ valles? I. Gentiles. II. Puſillanimes.

Cornelius aliique interpretes per valles accipi volunt puſillanimes; per montes verò, animos alta ſapientes, ac de ſe præſumentes, & ſuperbos: illos in ſpem erigi, attollique vult Vates: hos autem à timore ſancto deprimi, atque humiliari; eſt enim ut nonnullis placet, ea magni Baptiſtæ concio, non tam prædicentis futura, quàm adhortantis, ut is ſit ſenſus:

Omnis vallis impleatur, & omnis mons, & collis humilietur, ut adventanti Domino plana, & æqualia ſint omnia; nihil pravum, diſtortum, inæquale; ſicque *implebitur* pro *impleatur*, & *humiliabitur* pro *humilietur*, Hebræo more qui futura pro imperativis ſæpè ſæpiùs ponunt.

Humiles eriguntur.

Et hæc eſt authorum inter ſe pugna, à qua digredior, ut adhæream Auguſtino, Chryſoſtomo, & in ſuperbos illos, ac tumentes detonem, oſtendamque eam eſſe divinæ providentiæ legem, ut elatos deprimat, humiles attollat.

Chilo Lacædemonius quæſivit olim ex Æſopo, quidnam faceret Iupiter, & audiit ſapienter dictum illud:

Laërt. l. 1. in Chilone.

Excelſa humiliat, & humilia extollit. Digna profectò Philoſopho reſponſio, & quidem veriſſima, ſcripta enim hæc cœlo lex, editaque oraculo primæ veritatis. *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*; quod ipſum confirmare placet, primò SS. Patrum ſententiis, deinde etiam exemplis.

Optimos quoſque mortalium altiſſima cupere, pronuntiavit Tiberius Cæſar: & benè, ſi eo quò par eſt modo; hoc eſt, per inſignem animi demiſſionem, quæ unica eſt ad ſublimitatem via. *Tacitus 4. Annalium.*

A D. Auguſtino, *Chriſtiana humilitas Altiſſima* appellatur, non aliam ob cauſam, quàm quia per eam fit gradus ad altiſſima; hoc eſt ad gratiam, qua nihil in hoc ævo mortali eſt altius: & ad gloriam cœleſtem; qua nihil apud ſuperos elatius. *Lib. 4. de Civit. c. 30.*

Pythagoras, qui veritatem Symbolis obſcurioribus tegere ſolebat, cenſebat in Luna ac ſideribus eſſe depreſſas valles; hoc eſt interprete Cœlio Rhodigino, eſſe illuſtrem aliquam animi demiſſionem, quæ mortales, ſupra mortalium ſordes evehit, ac ſideribus infert. *L. 1. lect. Antiq. c. 4.*

Ex illo ſeu naturæ ſenſu, ſeu rationis dictamine factum autumat Seneca, ut Romani, qui cæteris orbis partibus eminere volebant, Reipublicæ ſuæ, Imperiique ſublimitatem cenſuerint ab humilibus initiis eſſe repetendam; eaque non ſuppreſſerint modò; ſed & jactarint impenſiùs.

Romani, inquit, *cùm humilitatem ſuam obſcurare poſſint, oſtendunt*; & rationem addit, *quia hæc non putant magna niſi apparuerint ex parvis ſurrexiſſe.* *Contro. 6. l. 1.*

Ita enimverò ſe res habet; celſitudinis origo prima eſt humilitas, nec excelſum quicquam eſſe, aut cenſeri debet, quod non è parvis aſſurrexerit; ut proinde rectè dixerit D. Auguſtinus. *Menſura humilitatis cuique ex menſura ipſius magnitudinis data eſt.* *De S. Virg. c. 13.*

Vides aliquid, ac ſtupes re ipſa magnum, vide quàm humile; & contrà miraris atque amas quàm humile, conſidera quàm magnum; quia menſura humilitatis data eſt ex menſura magnitudinis. Ubi Deus è ſpecula æternitatis vidit unum aliquem ac voluit eſſe apud ſuperos magnum, vidit quoque,

ac voluit eſſe humilem; & hoc quidem eadem menſura, qua magnum eſſe æterno, atque incommutabili decreto ſancivit. Ita Beatam Virginem eximia quadam animi demiſſione infrà omnes abjici voluit, quia donorum cœleſtium magnitudine ſuprà quidquid eſt, aut in terris mortale, aut in ſuperis immortale cenſuerat extollendam: & idem de aliis eſto judicium.

Hæc veritas, quæ viris ſanctis probè innotuit, eos omnino permovit, ut humilitatem mirùm quantùm commendandam putaverint.

D. Bernardus, è cujus calamo nihil effluxit niſi pium quiddam, & humile; ſic olim ad eum, qui gloriæ cœleſtis eſſet amantior:

Serm. 39. *Si humilitatem tenueris, habebis gloriam; quantò enim humilior fueris, tantò te major ſequetur gloria altitudo. Deſcende, ut aſcendas: humiliare, ut exalteris, ne exaltata humileris: quia qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur: de excelſo gravior caſus eſt; de alto major ruina eſt. Humilitas caſum neſcit; humilitas ruinam nunquam incurrit; humilitas lapſum nunquam eſt paſſa.*

Superbi deprimuntur. Serm. 152. At ſuperbia omni ævo paſſa eſt, & certè etiam patietur; ut veriſſimum ſit illud D. Chryſologi: *In altum tendens cadit ab alto: Cœlum pulſans intrat profundum. O ambitio quàm cæca ſemper! ò quàm ſemper præſumptio peſſima! ò quàm perdit conceſſa, qui inconceſſa captat.*

Ita perdidit olim infœlix Saul, qui ut notavit D. Lib. 26 Mor. c. 21. Gregorius: *Per humilitatem prælatus eſt; per ſuperbiam reprobatus Domino atteſtante, qui ait: Nónne cùm eſſes parvulus in oculis tuis, caput te conſtitui in tribubus Iſraël? Parvulum ſe ante poteſtatem viderat; ſed fultus temporali potentia, jam ſe parvulum non videbat. Cæterorum namq; comparatione ſe præferens, magnum ſe eſſe judicabat. Meritò autem, modò cum apud ſe parvulus, apud Dominum magnus*: cùm verò apud ſe magnus, apud Dominum parvulus fuit, & ita quidem parvulus, ut pedibus teri, atque conculcari poſſet; adeò etiam in Saule verum illud Iſaiæ: *Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ.* Cap. 28. v. 3.

Eſt corona veluti ſedes quædam gloriæ, ac inſigne majeſtatis, ſub ea ſi lateat ſuperbum caput, illicò vindice Dei manu decutitur illa, in terram abjicitur, & per ſummam ignominiam pedibus calcatur.

Juſto ſanè judicio, à quo dum ſibi metuit Rex David, his pium Numen interpellat: *Ab alienis parce ſervo tuo*; vel ut Hebræi legunt: *A ſuperbis parce ſervo tuo.* Psal. 18. Superbiam alienum ſcelus appellat, quia à naturæ noſtræ conditione eſt quàm alieniſſima: hæc quippe luto, atque argilla viliore ficta, originis ſuæ probè memor eſſe debuit, tenaxque inſitæ quodammodo demiſſionis, à qua dum alto vertice recedit, cœli iras, & fulmina in ſe provocat.

Movebuntur enim omnia fundamenta terræ, hoc eſt interprete Agellio: *Judices, Principes, Reges, quibus* Psal. 81. v. 5. *tanquam baſibus, & columnis humani generis conſtructio, & moles impoſita eſt. Movebuntur*, inquam, *illi, dum & à ſuo pondere ſcelerum nutabunt, & Deo ſic faciente de faſtigio honorum, ac dignitatis ruent*; & quidem uſque ad abyſſos. Ut verum ſit illud: *Aſcendunt uſque ad* Richard. in Abacuc. *cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos.*

DE SACRA CHRISTI DOMINI NATIVITATE.

EVANGELICÆ hiſtoriæ ſeries aperta eſt, ac plana, & cuique ſacras paginas legenti ſatis obvia: ideóque eâ omiſsâ, deſcendam ad nonnulla, quæ à vulgo, communique ſenſu remotiora videntur. Inter illa primùm reponam prodigia quædam, quæ eò loci, ac temporis contigerunt: tum quæram, quæ Nativitatis Dominicæ circumſtantiæ? tum etiam quis finis? tum denique, quis illius apud Majores noſtros cultus, ac veneratio? Hæc omnia breviter agitabo, ubi tamen prius

EX D. THOMA.

Cap. 9. DIVUS THOMAS ad illa Iſaiæ verba: *Parvulus natus eſt nobis.* Parvulus quidem, ſed cujus nomen:

Serm. 1 de Nat. Domini.

I. *Admirabilis*, ex triplici capite: 1. *quia Creator creatura efficitur.* 2. *Quia virginitas in ejus partu non perditur.* 3. *Quod ab homine rationali creditur.*

II. *Amabilis* propter bonitatem, quæ ex tribus patet & quidem: 1. *Ex ſui effuſione*, hodie ſeipſum effundendo. 2. *Ex benignitatis ſuæ oſtenſione.* 3. *Ex optimorum adductione*, optimo ſcilicet *ſcientia, gratia, gloria.*

III. *Ineffabilis* propter tria: 1. *Propter æternitatem.* 2. *Propter eandem cum Patre æqualitatem.* 3. *Propter Divinitatem.*

IV. *Deſiderabilis* propter ſpecioſitatem, quæ petitur ex lumine quodam divino: eſt enim *ſplendor* Cant. 8. *gloriæ*: & ex colore; *candidus* enim eſt, & *rubicundus.*

V. Eſt etiam *Formidabilis*: 1. *Quia lux, ut omnia videat.* 2. *Potens, ut omnia valeat.* 3. *Juſtus, ut de omnibus juſtitiam faciat.*

Et hæc ſunt auguſta Parvuli nomina, ex quibus hæc confice; ex Admirabili obſtupeſce; ex amabili inardeſce; ex Ineffabili humiliare; ex Deſiderabili ad eum feſtina; ex Formidabili timere diſce.

Addit

Addit deinde S. Doctor, tria alia Parvuli nomina:
Serm. 2. Primum enim dicitur *Verbum*, & hoc à *docendo*. Docet autem tria:

I. *Rerum qualitatem*, id eſt *Mundum ſallacem*, *Diabolum mendacem*, *Deum veracem*. 2. *Scriptura veritatem*. 3. *Vitæ ſanctitatem*. *In* 1. *Phyſicam*, *quæ inquirit naturas rerum*. *In* 2. *Logicam*, *quæ probat verum*. *In* 3. *Ethicam*, *quæ docet honeſtatem morum*.

II. Dicitur *lux ab illuminando* tripliciter: 1. *Noctem culpæ expellendo*. 2. *Diem gratiæ inducendo*. 3. *Luminaria magna, id eſt ſanctos per mundum diffundendo*.

III. Dicitur *vita*: 1. *Vitam noſtram reparando*. 2. *Vitam gratiæ largiendo*. 3. *Vitam gloriæ tribuendo*.

EX D. BONAVENTURA.

Pſal. 18. Divus Bonaventura in illa Pſalmiſtæ verba: *A ſummo cœlo egreſſio ejus*; ait Filium Dei egreſſum per Incarnationem.

In Nat. Dom Serm. 1. I. *Ad clarificandum*: ut Sol ab Oriente, ut ſplendor Patris Æterni, *ſplendor gloriæ*, *qui per Mariam integram egreſſus eſt*, *ut ſplendor per vitrum integrum tranſit*.

II. *Ad irrigandum*, *ſicut fluvius de ſonte*, *neceſſarius*
Serm. 3. *mundo ariditate deficienti*.

Egreſſus ille fluvius de loco voluptatis, id eſt Mariæ matris, *ad irrigandum Paradiſum*, id eſt *Eccleſiam*; & in quatuor flumina diviſus.

Primum flumen eſt lacrymarum; cœpit illud jam inde
Ioan. 19. ab infantia fluere: *me illius infantiæ fletus abluerunt*, *illæ lacrymæ mea delicta laverunt*, inquiebat Ambroſius.

Secundum flumen eſt ſudoris.

Tertium eſt ſanguinis per vulnera effuſio.

Quartum eſt flumen aquæ, *quod de latere fluxit*; *continuò enim exivit ſanguis*, *& aqua*.

III. *Ad reparandum generis humani*, ceu ædificii, *ruinas*, *egreſſus eſt ſicut lapis*, *qui de monte*, *id eſt Maria abſciſſus eſt ſine manibus*, *id eſt ſine virili contactu*; *ſicut lapis angularis*, *qui duos parietes*, *id eſt homines & angelos in ſtructura cœleſti jungit*.

IV. *Egreſſus ad expugnandum*; *ſicut leo de antro virginalis uteri contra diabolum*: de illo prænuntiâ voce; hæc
Cap. 4. v. 7. olim vates Hieremias: *Aſcendit leo de cubili ſuo*, *& prædo gentium ſe levavit*; nobilis utique animarum prædo: *Hic eſt ille leo in cujus ore mel fuit*. quod illud quæris?

Pſal. 4. *Mel eſt dulcedo doctrinæ*: *dulcia* quippe *faucibus meis eloquia tua Domine*.

Mel eſt dulcedo gratiæ: *ſpiritus meus ſuper mel dulcis*.

Eccl. 24. *Mel eſt dulcedo gloriæ*: *hæreditas mea ſuper mel*, *& favum*.

Iudic. c. 14. *Habuit leo noſter mel iſtud in ore*: *Primum effudit prædicando Evangelium*: *Secundum ſufflando Spiritum*. *Tertium dando latroni Paradiſum*.

Hæc Seraphicus Doctor, qui ex multiplici illo Incarnati Verbi exitu conficit jure meritiſſimo bonum Angelum Paſtoribus dixiſſe:

Luc. 2. *Evangelizo vobis gaudium magnum*; verè magnum gaudium: *ipſe enim qui natus eſt*, *redemptio eſt captivo*,
Serm. 5. *illuminatio cæco*, *theſaurus mendico*, *vita mortuo*.

I. *Redemptio captivo*, eaque vel maximè opulenta: nec enim auro, vel argento ſtetit; ſed pretioſo Agni ſanguine: *ſtultus* qui eo pretio *redemptus*, *ſe iterum pro pomo captivum tradet*.

II. *Illuminatio cæco*: *lumen* enim *cæli Chriſtus eſt*; *lumen ad revelationem Gentium*.

III. *Theſaurus mendico*; quem invenit in agro ſuo.
Ager eſt humana natura: *Theſaurus eſt divina natura*. *Matth. c. 13.*
Infinitus utique Theſaurus. *O avare hunc Theſaurum quære*, *qui finiri non poteſt*; *qui erogatus non minuitur*.

IV. *Vita* denique *mortuo*: de hac Joannes altiore
ſtylo: *Annunciamus vobis vitam æternam*, *quæ erat* *Cap. 1.*
apud Patrem, *& apparuit nobis*.

Vis illius vitæ ſignum? hodie datum eſt, & quidem tale, quale quondam Ezechiæ: *Retrò rediit Sol*, *& addidit Regi vitam*.

Sol eſt Dei Filius, *retroceſſit ille in decimam lineam*: *novem lineæ*, *novem ſunt ordines Angelorum*, *quaſi novem pertranſiens in decimam venit*, *quando humanam naturam aſſumpſit*.

In hac quæri à mortalibus, imo & inveniri voluit:
hinc illud Angelorum ad paſtores: *Invenietis infantem* *Luc. 2.*
pannis involutum; in quæ verba ſic D. Bonaventura: *Quatuor modis invenitur Chriſtus*:

Primo modò corporaliter invenitur in terra.

Secundo ſacramentaliter in altari. *Serm. 5.*

Tertio ſpiritualiter in anima.

Quarto intellectualiter in ſcriptura.

Et hi reſpondent quatuor aliis modis, quibus inventus eſt in terra: *Scilicet in utero à Ioſeph*, *ab Elizabeth*, *à Ioanne Baptiſta*: *In Præſepio à paſtoribus*; *In Præſepio pabulum jumentorum*; *In Altari pabulum noſtrum*.

In domo à Magis, *qui ei obtulerunt aurum*, *thus*, *& myrrham*.

In auro dilectio, *in thure devotio*, *in myrrha contritio ſignificatur*: *ſine his tribus non invenitur* IESVS *in domo mentis*: *Invenitur autem ſi ei dilectio*, *devotio*, *contritio intus offeratur*.

In Templo poſt triduum eſt inventus: *Primus dies eſt doctrina Moſaïca*; *Secundus Prophetica*; *Tertius Evangelica*. Poſt hanc inventus eſt: ut autem quatuor
modis inventus; ita & quatuor involutus: 1. *In* *Iſai. c. 37.*
natura corporea obvolutus eſt ſacco, *& Sol factus niger*, *Apoc. 6.*
ſicut ſaccus. Saccus eſt humana natura, Sol Divinitas. 2. *In ſpecie Sacramentali*. 3. *In ænigmate ſpirituali*; obſcuræ fidei involucro, quo dum tenetur oculus mentis, involvitur Jesvs, cujus cauſa triplex: *Turbatio extra nos*, *Obſcuratio intra nos*, *Immenſitas luminis ſupra nos*. 4. In ſenſu litterali, & allegorico ſcripturarum.

QUÆSTIO PRIMA.

QVÆ PRODIGIA SACRAM CHRISTI NATIVITATEM magis ſpectabilem reddiderint?

Est ille ludus divini amoris, cœleſtiſque Providentiæ, ubi unum aliquem cæteris illuſtriorem in auras efferre parat, inſignibus prodigiis, aut præludere naſcenti ſolet; aut jam natum comitari; aut etiam inſequi. Lubet è profanis, ſacriſque pauca petere.

Cùm primùm in lucem venit Plato, quaſi præ- *Prodigia in Nativitate virorum illuſtrium.*
ſentiret terra, quis ille, quantuſque futurus eſſet aliquando, & Græcia univerſa, & Sicilia tota ſubito motu concuſſa, convulſaque dicitur contremuiſſe.

Cùm orbi datus Alexander, fulmen illud belli, martiaque propago, & Templi Delphici fores apertæ nemine manum admovente, & oracula non in-

terrogata, multùm tamen profari, ac disertè eloqui audita. Cui affine eſt, & illud, quod de eodem Alexandro memorat Plutarchus, cùm ſcilicet illum concepit Olympias, per quietem ſibi viſa eſt ipſum è cœlo fulmen vtero recipere; & ipſe parens Philippus leonem generare ſe credidit: ſcilicet fuere hæc portenta, ac veluti Symbola quædam Alexandri magni, qui hoſtibus ſuis fuit, quod ætheri fulmen, quod feris leo.

Ejus generis alia ſunt quàm plurima, etiam in ſacris hiſtoriis. Mater S. Andreæ Carmelitæ, viſa ſibi in ſomni unius imagine lupum concepiſſe, qui deinde mutaretur in agnum. Viſo reſpondit eventus: primùm enim ſolutioris vitæ fuit, ingeniique ferocioris; deinde miteſcere cœpit, ac manſueſcere adinſtar Agnelli.

D. Bernardi parens adhuc prægnans in ſomnis velut catulum vidit, quem utero geſtaret ipſa, dein emitteret ex eo, velut è cavea ut latratu ſuo feriret auras, aureſque mortalium. Omitto alia propè innumera his ſimilia, neque enim longam eorum texere ſeriem mihi fuit animus: ſed paucis tantùm præfari, ac docere, amabilem Dei providentiam ita futuris eventibus præludere. Quod ſi in aliis id uſu venit, ita vel maximè in Patris Æterni Filio cùm lucem hanc mortalem primùm aſpexit.

In Chriſti Nativitate. *Durand. l. 6. c. 13.*

Dies, quæ Deum hominem naſcentem prima vidit, ea fuit, quæ Romanis audiebat dies ſolis, nobis autem Dominica; cùm videlicet media orbi ſublunari nox incumberet, quæ illicò non ſine cœleſti prodigio diſſipata eſt, & clara luce perfuſa; non in Judæa tantùm, ſed & in aliis Univerſi partibus.

I. Prodigium nubes lucida.

Refert Lucas de Tuii Hiſtoriographus Hiſpanus ea ipſa nocte media, qua generis noſtri Servator in Bethleem natus eſt, viſam eſſe in Hiſpania nubem medio æthere pendulam, quæ incredibilem ex ſe lucem emittebat, diemque faciebat longè amæniſſimum, qualis eſſe ſolet ipſo meridie, cùm Sol altiùs verticibus noſtris incumbit. Ejuſdem prodigioſæ nubis meminit Pedro Mexia, & ipſe Hiſpanicus ſcriptor.

Lib. 2 de la Sylva de varia letion. c. 33.

Portendebat illa Meſſiæ Nativitatem ex Prophetarum oraculis, & hoc Iſaiæ voto: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum.* Et hoc eſt miraculum, quod favente cœlo vidit Hiſpania; Roma orbis Domina, ſpectavit alterum, cujus meminit Freculphus Lexovienſis Epiſcopus.

C. 45 Tom. 2. l. 7. c. 13.

II. Tres Soles.

Sub ipſam Chriſti naſcentis diem ſimul exorti Romæ tres ſoles, qui paulatim in unum, eundemque orbem coierunt. Quid portenderint illi in aperto eſt; natum orbi ſolem alterum, hoc aſpectabili longè potiorem. Ut verum eſſet illud D. Lucæ: *Viſitavit nos oriens ex alto.* Sed cur, inquies, primùm tres ſoles, iique diſcreti? cur deinde in unum compacti? Hîc piis conjecturis eſt locus. Fortè quia nato jam Chriſto nova fidei lux oriebatur, & unius Dei, Trinique notitia. Fortè, quia duæ naturæ, divina, & humana in unam tum temporis coaluere perſonam, ſtupendo amoris miraculo.

Cap. 2.

III. Stella. *Auguſt. ſer. 2. de Epiph. P. 131.*

Omitto ſtellam illam, quæ Magos ad præſepe duxit, & novi Regis cunas; fuit illa tanquam lingua cœlorum, & interpres Verbi divini jam infantis. Fuit lucerna Salvatoris; de qua Regius vates Dei vice, ac voce: *Paravi lucernam Chriſto meo.* Fuit illa dux viæ, & comes ſacræ peregrinationis ad domum Bethleëmiticam, ad Dei hominis præſepe; de illa ſic Chryſologus: *Ambulante Mago ſtella ambulat, ſedente ſtat, dormiente excubat.* Fuit denique illa ſignum nati Regis Judæorum, qui *pauper erat & dives; humilis, & ſublimis; qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus; parvulus in præſepio, immenſus in cœlo: vilis in pannis, pretioſus in ſtellis.*

Serm. 156.

Fulg. Ser. 5. de Epiph.

IV. Fons aquæ. *Baron.*

Et hæc ferè ſunt prodigia, quæ naſcenti Chriſto cœlum dedit: quæ ſubjiciam terra tulit, & quidem primum.

In ſpelunca Bethleëmitica effluxit è petra fons aquæ uberrimus ad uſque Bedæ tempora inexhauſtus, quia ſcilicet ibidem ortus erat vitæ fons.

In Ægypto fons Balſami, cujus odore caperetur ætas omnis.

Buchardus Oriſius l. 4. c. 20.

V. Fons olei.

Trans Tiberim Romæ tota die fons olei manavit è taberna meritoria, quia ſcilicet oleum effuſum futurum erat nomen ejus, Oleum, inquam, quod non corporibus; ſed animis pro remedio foret adverſus illata à peccato vulnera.

Epiſt. ad Heron.

Et hæc deforis petita miracula. Aliud domi, aliud in Deipara: quæ, & virgo erat, & mater. Nimirum ut pulchrè S. Ignatius: *Decebat creatorem uti non uſitato partu; ſed peregrino, & admirando.* Et hoc illuſtre fuit in Maria prodigium: cui acceſſere alia duo. Primum, quòd *concepit ſine corruptione, tulit ſine gravamine, peperit ſine dolore*, ut piè notat D. Bernardus.

Bern. Ser. in vigil. Nat.

Valderam tom. 1 Ser. 2. de Nativit.

Alterum, quòd ut virgo eſſet, infantem tamen lactarit, *ubere de cœlo pleno.* Opinantur aliqui Patres contemplativi, Virginem matrem filium recens natum excepiſſe primùm brachiis, maternóque ſinu: deinde cùm tremulum videret, admoviſſe uberibus, ut lactaret: ſed ubera lac negaſſe, utpote arida atque exſucca; qualia virginibus eſſe ſolent: quibus natura lac negat, quod matribus benignè indulget: tum etiam depoſuiſſe in præſepio, ut calido bovis, aſinique halitu foveretur; intereáque ſeſe totam orationi dediſſe, & à cœlo expectaſſe; imò expetiviſſe ardentiùs ut quæ mater jam eſſet, etiam & nutrix foret. Orantem audiit Deus, & miraculo virginis ubera puro, putóque lacte complevit; tùm reſumptus è præſepio filius, grata matris ſarcina, è ſinu pependit & largiùs bibit. Hæc authores illi, penes quos ſit dictorum fides. Ego unum illud aſſero, quod extra litem eſt: Virginem lac filio propinaſſe ſupra naturæ vires, ac ordinem; *ubere* ſcilicet, *è cœlo pleno*, ut piè concinit Eccleſia.

VI. Virgo & Mater. Lac virgineum.

Et iſta fuere miſerantis cœli prodigia; quæ ſubdam etiam vindicantis. Natus enim eſt JESUS, ut & Salvator eſſet, & Judex, ultórque ſcelerum. Et verò eò loci, ac temporis is etiam fuit.

Opuſc. de 5. feſtivit. pueri Ieſu.

Teſte D. Bonaventura in ipſa naſcentis Chriſti nocte quotquot erant Sodomiæ rei, ſubita erepti morte. Nimirum qui è virgine naſci voluit Deus; ut virgines amavit, pudicáſque mentes, ita impudoratos illos, ipſiſque etiam naturæ injurios odio habuit: neque diutiùs tantum nefas ſuſtinere potuit. Sed ad ipſos quoque inferos, dæmonúmque ſimulachra evaſit orientis Meſſiæ manus, ac potentia; quotquot enim orbe toto ſparſa erant Dæmonum ſimulachra, quotquot oracula fundebant, illicò conticuere: tantùm potuit etiam in cunis Verbum Infans; de quo ne dubia cuiquam eſſet fides, etiam à dæmone, cæteroquin mendaci, datum veritati teſtimonium. Cùm enim Auguſtus nullum ab Apolline reſponſum acciperet, cauſam rogavit, & hanc audiit.

VII. Sodomitæ mortui.

VIII. Idola muta.

Me puer Hebræus, Divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet; triſtemq; redire ſub orcum.
Aris ergò dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Nicephor. L. 1. Hiſtor. c. 17.

Hoc Sibyllarum reſponſo commotus Cæſar Romæ in Capitolio grandem aram erexit, cum hac epigraphe: *Ara primogeniti Dei*; cui deinde Conſtantinus ſuperſtruxit templum, quod etiam hodie audit: *Ara cœli.* Iſti addo etiam cœlo teſte prodigium. Ille ipſe Auguſtus Cæſar in Sibyllinis codicibus legerat aliquando fore, ut Rex ſe longè ſuperior naſceretur. Altè menti inhæſerat illud vaticinium, cui fidem conciliavit objecta eidem Auguſto ſpecies. In amœna ſomni imagine Dominam vidit, & pulchritudine amabilem, & majeſtate verendam, quæ filiolum ulnis geſtaret. Ratus eum eſſe, de quo Sibylla; vetuit ſe in poſterum Dominum appellari. Nimirum hunc titulum, plenum gloriæ, ac dignitatis ei ceſſit, in cujus femore ſcriptum erat: *Rex Regum, & Dominus dominantium.*

Nicephor. ſuprà.

IX. Viſio illuſtris.

dominantium. Hujus porrò rei meminit etiam Tertullianus:

In Apolog. *Auguſtus*, inquit, *Imperii formator, ne Dominum quidem dici ſe volebat; hoc enim Dei eſt cognomen.* Et hæc è multis prodigia collegi, quibus veluti pro coronide, addo miraculum aliud, quod non ita procul à Nativitate vidit, ac ſtupuit Ægyptus. In hanc unà cum matre, ac Joſepho intrabat Deus Infans, quem non agnoſcebat, non verebatur, non adorabat homo; agnoſcere, revereri, imò & adorare viſa eſt arbor. Sita erat illa in ipſo aditu urbis Hermopolis, *arbor decora, & fulgida.* Hæc tranſeunti Deo Homini ramos demiſit in terras uſque, quaſi venerabunda, Dominoque ſupplex. Hujus officii, tactæque venerationis meminit Sozomenus; cui adjicio & illud
L. 5. c. 22. ex D. Athanaſio, idola, ſeu ſimulacra Ægypti ad
De Incarn. Verb. Domini ingreſſum cotruiſſe: ut jam inde verum eſſet hoc Iſaiæ vaticinium: *Ecce Dominus ingredietur*
Cap. 19. *Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti.* Mitto illa, quia dubiæ fidei.

Ad prodigia, quæ Chriſti nativitatem anteceſſere, addo alia, quæ deinde eam ſecuta.

Ad *Lboram* Germaniæ urbem, Francofurtum inter, & Herbipolim, eſt monaſterium D. Benedicti nomine *Neuſtadium*, in quo S. Gertrudis dum viveret, appetente hyeme ſurculos pomorum ſua manu *Silveſter Petra ſancta Taumaſia, Tom 3. c. 16.* inſerere ſolebat, & hoc ad venerationem divinæ Incarnationis, in qua divinitas velut inſerta humanitati. Ex eo tempore ſemper continuata eſt ea arbuſcularum propago, in qua illud admirabile, quod ipſa nocte divinorum Natalium, dum ex hyeme, gelúque acriore inareſcunt omnia, eæ refertæ pomis inveniuntur, colore, ac ſapore haud abſimili pomis, quæ alia anni tempeſtate producuntur. Diſcrimen tantummodo eſt, quod ſecta ea poma nullum ſeminis indicium faciunt. Porrò eæ arbores juſſæ ab Archiepiſcopo Moguntino juxta noſtrum Kalendarii uſum eſſe frugiferæ, paruerunt, ac tempus immutarunt admirandæ illius fœcunditatis.

QUÆSTIO SECUNDA.

QVÆ POTISSIMVM CIRCVMSTANTIÆ Chriſti Nativitatem magis amabilem fecerint?

AD circumſtaotias ſpectare videntur, locus, tempus, perſonæ, ipſáque naſcendi ratio, quæ Chriſto Domino obvenit non temerè aut caſu aliquo: ſed amabili Numinis providentia, de qua mihi in præſens eſt diſceptatio.

Locus Nativitatis. Ad locum attinent tria; videlicet Bethleem, diverſorium, & præſepium. Bethleem oppidulum fuit ſat ignobile, Hieroſolymis diſſitum, ſtadiis quinque
Apolog. 2. ſupra triginta, ut vult Juſtinus; vel ſex milliaris, ut opinatur D. Hieronymus de locis Hebraicis.

Audiit primum *Ephrata*, hoc eſt *fructifera*: deinde *Bethleem*, id eſt *domus panis*: addi placuit à vate *Bethleem Iudæ*, ut diſcerneretur ab alia Bethleem, quæ erat in Tribu Zabulon.

Utriuſque nominis Etymologia apprimè myſterio convenit, & naſcenti Deo homini, qui & panis vitæ fuit, & fructus mundi longè nobiliſſimus.

Quod ſi ex me quæras, cur inter omnes hujus orbis aſpectabilis civitates Bethleem elegerit, cùm in oculis, in manibus eſſent aliæ, eæque nominatiſſimæ, quarum erat Dominus, uti & totius Univerſi: ſi inquam, id ex me quæras: audies primò, quia ea Domini fuit voluntas, quæ rationum eſt inſtar omnium. Deinde quia Bethleem Davidis erat patria, è cujus ſtirpe originem trahere placuit. Denique quia humile, atque abjectum oppidulum. *Qui ſervi*
Serm. 2. de Epiph. *ſuſceperat formam Bethleem praelegit Nativitati: Hieroſolymam paſſioni*, inquit S. Leo: ſic amat, atque ambit parva, atque excelſa magnus, & excelſus Deus, quia nimirum ut ſcitè notavit D. Gregorius: *Magna eſt*
L. 6. in 1. Reg. c. 3. *celſitudo humilium*, & in Chriſto Servatore longè quàm maxima.

Celſitudinem interminabilem, immenſam, infinitam ab æterno Patre unà cum eſſentia; ac divinitate acceperat: at celſitudinem, quæ humilium eſt à ſua Incarnatione, illiúſque ratione, ac modo mutuari voluit, quod piè animadvertit Divus Bernar-
Serm. 4. in die Aſcenſ. dus:

Chriſtus, inquit, *cùm per naturam Divinitatis non haberet quò creſceret, quia ultra Deum nihil eſt: per deſcenſum quomodo creſceret, invenit. Veniens incarnari, pati, mori, propter quod & Deus exaltavit illum.* Sed redeo ad inſtitutum; & quæro paucis, quod fuerit Chriſti naſcentis diverſorium?

Locus is fuit in ſubutbiis Bethleëmiticis; ad quem velut publicum, & commune receptaculum & pauperes, & paſtores, & peregrini urbe excluſi ſeſe recipiebant, ne jacerent ſub nudo Jove. Eum D. Gre- *Epiſt. 17.*
gorius appellat *ſpeluncam Salvatoris, & parvum terræ foramen.* Eo capitur ille, quem cœli ambitus, & *Pſal. 49.*
univerſi vaſtitas non capit, & qui ex vero dixit: *Meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus.* *Serm. 4. de Nativit.*

Elegit ille *ſtabulum planè, ut reprobet gloriam mundi, damnet ſæculi vanitatem.* Elegit ille naſci in via, quæ ducebat in Bethleem: planè. *Vt Via naſceretur in via, ut omnis aditus excluderetur erroris; & viator tandem cœlum peteret, qui terreni itineris in caſum diu ſudores pertulerat, & labores.*

Elegit denique ille exiguum *terræ foramen*, noctemque ſpeluncæ, utpote conſentientem ei, quam exemplo docere vellet humilitatem; quam dum animo memori ſpectat, D. Bernardus exclamat: *Stu-* *Serm. 3 ſuper miſſus.*
deamus effici ſicut parvulus iſte, ne magnus Deus, ſine cauſa ſit factus homo parvus. Erit enimverò, erit ſine cauſa ſi alios ab illo geramus animos, hoc eſt ſuperbos, atque elatiores ſpiritus, à Chriſtiana profeſſione mirum quantùm alienos; & abhorrentes ab illa demiſſione, quam muta voce prædicat ſtabulum Dei naſcentis; de quo rurſus audire juvat D. Hieronymum:

Ecce, inquit, *in hoc parvo terræ foramine cœlorum con-* *Epiſt 18 ad Marcellam.*
ditor natus eſt, hic involutus pannis, hic viſus à Paſtoribus, hic demonſtratus à ſtella, hic adoratus à Magis.

Hæc D. Hieronymus, ex quo id conficio, locum illum qui Chriſto naſcenti ſervit, non tam ſtabulum fuiſſe, quàm ſpeluncam exciſam in rupe ad plagam Orientalem: ſed iſta attigiſſe ſit ſatis; deſcendo ad Præſepe, in quo primùm jacuit mundi Salvator, de illo ſic D. Hieronymus:

Præſepe in quo Infantulus vagiit, ſilentio magis, quàm *Idem ſuprà.*
infirmo ſermone honorandum eſt. Nimirum eximium quoddam honoris genus eſt reverentis animi, oriſque ſilentium: quo tum opus, cùm adeò recondita ſunt, & tremenda myſteria, ut ea proloqui vix homini fas eſſe videatur. Et hujuſmodi eſt illud, Deum ter Opt. ter Max. in præſepio paupere repoſitum; quod proinde verecundo quodam ſilentio potiùs honorandum, quàm debili mente, nutantéque lingua explicandum. Quia tamen etiam de hoc ipſo fari

jubet

Digitized by Google

jubet Deus infans, tanti myſterii rationes pauculas proponemus.

Prima hæc eſſe potuit, impoſita non tam caſu, hominumque malevolentia, quàm Dei nutu neceſſitas, quæ vero Salomoni non alium eò loci lectulum offerebat, præter abjectum, nudumque præſepe; in quo, & molliùs jaceret, quàm in nuda humo, & ab aſini, bovisque halitu caleſceret, rigentisque cœli frigora temperaret.

Altera ratio, quæ conducit ad mores, & plurimùm confert ad conciliandos hominum animos; ut & homines, & jumenta ad ſe alliceret, ac ſalvos faceret Verbum infans: ſic enim futurum aliquando per Prophetam ſpoponderat: *Homines, & jumenta ſalvabis Domine*, inquiebat olim David, è progenitoribus tuis unus, ô dilecte Meſſia: *homines*, inquam, id eſt humanitate præditos, & ratione utentes: & *jumenta*, hoc eſt pecorinam vitam agentes, non ſine probro, & ignominia quadam naturæ ſuæ. Et hos tamen, & illos (quæ amabilis fuit conniventia) ad ſe evocavit Deus è præſepio, ceu lectulo amoris, ceu cathedra miſerationis.

Hom. 1. in Luc. Itaque ut Chryſoſtomi verbis utar: *Si homo es, panem comede: ſi animal es, ad præſepe accede*; panis eſt Deus infans, & vitæ quidem: age, *ſi homo es*, panem illum comede, & vives: ſin autem *animal*, accede ad præſepe, fœnumque, ut animal, comede; hoc eſt diſce, quod *omnis caro fœnum*, & homo etiam eſſe diſces, deſinésque eſſe, quod vitio tuo fueras, irrationale, ac veluti brutum quoddam animal. Sed de his ſatis, ad Chriſtum redeo, à quo paululum digreſſus ſum, & quæro, quis eum locus primò naſcentem exceperit? Conſtat enim ex Evangelicæ hiſtoriæ ſerie non fuiſſe præſepe.

Quis ergò? Barradius cenſet fuiſſe terram, in quam ex utero molliter elapſus, ut ſolet ex arbore maturus fructus: Ea quondam exceptus Salomon,
Sap. 7. v. 3. qui hæc de ſeipſo: *Et in ſimiliter factam decidi terram.*

In 3. p. q. 35. art. 6 L. de Cardin. oper. Cajetanus opinatur primùm incidiſſe in manus, & brachia Virginis, utpote quæ teſte D. Cypriano: *Genitrix* fuit, *& obſtetrix; & devotam dilectæ ſoboli exhibuit clientelam, in qua tamen nullus dolor, nulla naturæ contumelia.*

In 3 p. q. 36. ar. 6. Diſp. 13. ſect. 3. Franciſcus Suarez piè magis, ac quidem meo judicio veriùs autumat, mox natum ab Angelis ſuſceptum: deinde in amantiſſimæ matris brachia depoſitum.

Lib. 8. Revel. S. Brigitta inſinuare videtur Chriſtum naſcentem ſua ſponte veniſſe in dulciſſimæ parentis manus, ac brachia; à quibus deinde, & pannis involutus, & in præſepio reclinatus.

Adjecit Virgo mater, eadem Diva teſte, hæc verba amoris plena, ac venerationis: *Exoptatus ades, Deus meus, Dominus meus, & Filius meus.*

Tempus Nativitatis.

Et hæc de loco: Elabor ad annum, menſem, diem, horam: qua primùm lucem aſpexit Servator optimus, nam, & hæc inter circumſtantias debent recenſeri. Ex Græcorum ſupputatione fuit annus tertius Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ.

Ex calculo Romanorum annus quadrageſimus ſecundus Imperii Auguſti. Menſis fuit December, dies vigeſima quinta: Sed quæ inquies?

Voluerunt nonnulli fuiſſe feriam ſextam illius hebdomadæ; Dominicam aſtruunt alii, quibus favet ſexta Synodus, quæ idipſum diſertis verbis affirmat: Hora autem noctis fuit, eáque paullò poſt duodecimam, quæ ſcilicet diei inſequentis initium daret. Et hinc in Eccleſia manavit ille mos, Sacrum celebrandi poſt horam noctis duodecimam.

Et hæ circumſtantiæ ſpectant ad locum, & tempus Dominicæ Nativitatis. Addo, quæ ad perſonas.

Perſonæ.

Deo Homini naſcenti proximè aſtitit MARIA Virgo, terræ corculum, cœli delitiæ, Dei mater: tum etiam JOSEPHUS, illuſtre virtutum omnium exemplar, & ſanctitatis prodigium: tum denique Paſtores, iique Beda teſte omnino tres. Sic enim
De locis ſanctis, c. 8. ille: *Ad Orientem in turre Ader, id eſt gregis, mille paſſus à civitate Bethleem, ſegregata eſt Eccleſia trium Paſtorum divinæ nativitatis conſciorum monumenta continens.*

Paſtores quot, & qui?

Contendunt tamen alii fuiſſe quatuor, quorum hæc nomina, Miſaël, Achaël, Cyriacus, Stephanus. Et hæc eruta dicuntur ex antiquo codice Græco, qui exſtabat olim in Bibliotheca Electoris Palatini. Ego in re dubia nihil ſtatuo, nec huic traditioni fidem aſtruo, nec derogo. Unum addo, quod extra litem eſt, in Paſtoribus illis amare nos, ac ſuſpicere generis Chriſtiani primitias, de quibus ita magnificè Ambroſius:

Videte Eccleſiæ ſurgentis exordium, Chriſtus naſcitur, & Paſtores vigilare cœperunt, qui Gentium greges, pecudum more antea viventes, in caulam Domini congregarent. *L. 2. in c. 2. Luc.*

Et hæc paucis de circumſtantiis, quæ vel amabilem, vel admirabilem reddidere Chriſti IESU Nativitatem; ad quas addi poteſt diſcrimen longè maximum inter hujus, & communem aliorum in ortu rationem. Et quidem ad filium quod ſpectat: Primùm ille ſibi matrem delegit, quod nec faciunt, nec facere poſſunt cæteri mortalium, quibus ea mater obtingit, quam aut ſors, & fortuna dederit, aut natura, vel potiùs ejus author deſignarit.

Dei filius (inquit Zeno Epiſcopus Veronenſis) *Serm. 8. de Nativit.*
diſſimulata interim majeſtate ab æthereа ſede profectus in prædeſtinata virginis templo ſibimet caſtra metatur. Deinde elapſus è virginis Matris utero ſine ullo partus dolore; aut ejus, quæ in aliis eſſe ſolet, naturæ contumelia.

Tum etiam in lacrymas non abiit IESUS, non iis diluit, atque imbuit prima miſellæ vitæ limina, ut alii infantes aſſolent: ſed eam à dolore cœpit, invictaque in malis patientia, qui pro genere noſtro paſſurus advenerat. *Vitam non à lacrymis; ſed à doloribus auſpicatur*, inquit Zeno.

Tum naſcitur ſine patre filius, totus matris; ſibi debens, quod conceptus eſt: donans matri, quod natus. *Suprà.*

Tum denique ea ſapientia præditus in cunis, qua deinde in cœlis, qua in omni vita, imò quam tota, quanta quanta eſt, æternitate. Refert Patriarcha Photius Hermiæ, & Ædeſiæ filium, die à nativitate ſua ſeptimo ea fuiſſe ſapientia, qua Philoſophi poſt multas elucubrationes, ſtudiumque quadraginta etiam annorum.

Id ſi verum fuit (de quo non diſputo) prodigio aſcribi debuit, & ejus, quæ in humanis ludit, divinæ potentiæ. At Chriſto datum ampliùs à prima luce: imò etiam à primo conceptionis momento. Et hoc, quia Deus erat, & homo. Et iſta in filio præter conſuetum morem paſſa eſt, ſtupuitque natura, nec multò inferiora vidit in matre.

Primùm enim ut magni Præſulis verbis utar: *Suprà.*
Maria ſuperbus emicat uterus, non munere conjugali: ſed fide.

Deinde *decem menſium faſtidia neſcit.* Tum etiam non doleris (ut aliæ paſſim matres.) Sed *exultans exponit infantem totius naturæ antiquitate majorem.*

Denique *concepit Maria de ipſo, quem parit.* Et hæc digito notaſſe ſit ſatis, ea fuſiùs deducere potent orator ſacer, ego more meo quàm breviſſimè, quia non tam rerum, quàm verborum compendia quæro.

DISPU-

QUÆSTIO TERTIA.

QVIS FINIS NATIVITATIS DOMINICÆ?

I. Gloria Dei. ALIVS fuit, atque alius: fuit enim qui Deum ſpectaret altiſſimè; fuit etiam, qui ad humana reſpiceret: & hunc & illum hoc brevi cantico ex-
Chryſol. ſerm. 149. preſſere cæleſtes genii: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus: Gloria quidem Deo, qui humiliavit diabolum, & exaltavit Chriſtum ſuum,*
II. Pax *qui diſcordiam fugavit, & pacem ſtatuit:* ab hac etiam alius fuit.

Gaudium ſcilicet *magnum, quod erit omni populo*, & hujus quoque teſtes, ac præcones iidem Angeli.

III. Gaudium. Gaudii materiam ſic expoſuit ore aureo Chryſologus: *Hodie Eccleſia in pace eſt, & hæretici in ira; hodie Eccleſia navis in portu eſt, & hæreticorum furor jactatur fluctibus. Hodie paſtores Eccleſiæ in ſecuritate, & hæretici in perturbatione: Hodie oves Domini in tuto, & lupi inſaniunt. Hodie vinea Domini in abundantia & operarii iniquitatis in indigentia; hodie populus Chriſti exaltatus, & inimici veritatis humiliati: hodie Chriſtus in lætitia; & diabolus in luctu; hodie Angeli in exultatione, & dæmones in confuſione.*

Sed alius quoque finis, iſque ex bono & commo-
IV. Amor. do mortalium. Deum illi non viderant, ideoque minus amabant: ut ergo amarent impenſiùs, ſic naſci voluit, ut poſſet videri, & viſus amari: hunc finem aurea fandi copia explicat D. Chryſologus; illum audiamus, ſic ait:

Serm. 147. *Deum quia videre creatura non poterat, ferebatur ſervitute dura, triſte exhibebat obſequium pro inviſibili majeſtate: obſederat pavor omnia, timor ſolverat univerſa, cuncta concuſſerat terror, in cælo divinus ſplendor proſtraverat Angelos, in terra tonitrua, & fulmina corda mortalium quaſſabant; ſic nimius pavor amorem Dominantis excluſit, angelos fugavit ad terras, homines traxit ad idola, mundum vanis erroribus occupavit, fecit omnes creatorem fugere, colere creaturas: amare non poteſt qui ſatis timet.*

Ne porrò ſic timeret, amari voluit, adeoque etiam videri: nec enim amari poterat niſi videretur. *Sciens Deus viſendi ſe deſiderio cruciari, laſſariq́, mortales, unde ſe viſibilem faceret; hoc elegit quod eſſet & terris magnum, & non minimum ſupernis. Et rectè, ſi enim de cælo ſumpſiſſet Angelum nihilominùs inviſibilis haberetur, ſi de terra minus homine, & Divinitatis eſſet injuria, & dejeciſſet hominem, non levaſſet.* Igitur neceſſarium fuit *ut Deus ad homines per hominem veniret, & aſſumeret ex nobis, ut videretur à nobis, & viſus amaretur.*

At cur inquies ſic venit? cur infans? cur in cu-
Serm. 158. nis? hanc ipſam quæſtionem movet S. Præſul; *Sæpè quærimus,* inquit, *quare ſic mundum Chriſtus intrat ut ventris experiatur anguſtias, partus patiatur injuriam, ſuſtineat vincula pannorum, cunabula toleret imbecilla, lacrymis uberum nutrimenta diſquirat, ætatum gradus, neceſſitateſq́, perſentiat?* & reſpondet, *& qualiter venire debuit qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem:* hæc ubi dixit, tum ad extremum conficit illud, *ſic ergo naſci voluit, qui amari voluit.*

Quod ſi voluit, quidni & velimus ipſi & cum S. Franciſco Seraphico patre exclamemus, *Amemus, amemus parvulum de Bethleem.*

Et verò quidni amemus eum, in quo ſunt omnes & divini, & humani amoris illecebræ. Si enim in infante Deum ſuſpicio, invenio ſummum bonum: ſi hominem, video ſpecioſum formâ præ filiis hominum, adeóque ſummè amabilem.

Eum certè vidit B. Bonifacius, primùm monachus Ciſtercienſis, dein Epiſcopus Lauſanenſis. Jacebat hic affixus lectulo ipſa naſcentis Chriſti vigilia, hinc mœror, dolor, gemitus, & mixtæ lacrymis querelæ; quas in auribus Divæ Matris deponere placuit.

Audiit illa, eíque concubia nocte ſeſe ſpectandam
Henriquez. l. 1. Diſt. 32. c. 7. dedit, unà cum puellulo JESU, quem pannis involutum ſinu geſtabat, & virgineis ulnis, & quem etiam (ex ſummi in eum amoris indulgentia) in jacentis lectulo depoſuit. Sed ô malum! & brachiola pannis involuta, & facies velo obtecta: ſed ô bonum! & ſummè bonum Infans JESUS! Exemit ille brachium, & ſervulo ſuo Bonifacio benedixit, velum ſuſtulit, faciem explicuit, viſendámque dedit. Quâ ita captus eſt pius Præſul, ut deinde ſeu amoris, ſeu voluptatis æſtu dicere ſoleret, ſimplici quidem, ſed candido ſtylo:

Si nihil aliud eſſet in cœlo niſi facies iſta benedicta; dignum eſſet omnes tribulationes pati, ut poſſemus tam glorioſam faciem videre.

Sepone in cœli regia beatos illos ſpiritus, & magnas iſtorum Orbium Intelligentias; ſepone auguſta illa Apoſtolorum lumina, fortiſſimos Martyrum cuneos, candidata Virginum agmina, & ipſam Virginum Virginem Dei Matrem: Imò & ampliùs ſi voles, animo, ac cogitatione Deum ipſum ſepone; ſit ſola *benedicta facies* Infantis JESU, ea unica ſatis eſt ad amorem, & ipſam propè beatitatem; emendam utique omni tribulationum genere.

Agglomera Stephani ſaxa, accende Laurentii rogos, & incendia: explica Catharinæ rotas, aliáque omnia immanis laniènæ inſtrumenta, in ea incurrere etiam dignum, etiam volupe, vel eò tantum, ut in conſpectum veniat, amœna, cœleſtis, ac propè divina JESU facies, adeo illa eſt in pretio, & primis amoribus, in quibus quia eſſe voluit, ſic naſci voluit. Sed &

Alius finis, qui ex hoc enaſcitur, eſt ſedula illius inquiſitio; quod enim amamus impensè, quærimus impenſiùs. V. Inquiſitio.

Ita fit, ut qui JESUM recens natum amare didicerit, didicerit & quærere.

Et ita quæſivit P. Marcus de Porras monaſterii S. Mariæ Nucalenſis Abbas. Is ſenio jam confectus, & graviore ægritudine detentus, ipſo die Natalis Domini, una manu ſocio, altera ſcipioni innixus, Henriquez. l. 2. diſt. 29. c. 5.
primò in templum venit, tum ad altare Chriſto naſcenti ſacrum puellulum JESUM in palea jacentem manibus prenſavit, ulnis ſtrinxit, & oſcula dedit, oſcula caſti in JESUM amoris: ita nimirum his officioſæ pietatis obſequiis eum quærere doctus, non ſine ſacro proventu, fructúque; quem vel ex hoc collige, quod puellulus explicata manu ei benedixerit, atque in illius fronte Crucis ſignum expreſſerit,

Ecce ut quærentibus ſe & miſericors, & beneficus eſt Infans JESUS: nec mirum, quia eò natus, ut ab hominibus quæri poſſet, atque inveniri.

Sed ab hoc etiam alius eſt finis, quem ſibi præfixit Deus homo, Infans de Bethleem, eſt imitatio VI. Imitatio.
earum virtutum, quas naſcens expreſſit, non verbo, ſed exemplo; ut enim Origenis calamo, voceque loquar.

Quid mihi prodeſt, ſi in illa tantùm carne, quam de Hom. 13. in
Maria ſuſcepit, dicam veniſſe Chriſtum, & non oſtendam Gen.
etiam in hac mea carne, quòd venerit? Oſtendo autem, ſi & virtutes illi ſuppares oſtendero; ſi ſtudium Evangelicæ paupertatis, ſi patientiæ ſingularis exemplum, ſi deſpicientiam eorum omnium, quæ

mundus hic ſtultè deperit. Ut ea virtutum magnarum decora in nobis oſtendamus, tacitè monet ipſa Chriſtiani, qua nuncupamur, nomenclatura. Ut enim D. Leo *fruſtra appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſumus Chriſti: qui ideo ſe viam eſſe dixit, ut converſatio magiſtri forma eſſet diſcipuli, & illam humilitatem eligeret ſervus, quam ſecutus eſt Dominus.*

Serm 6. de Nativit.

Et hanc cœleſti oraculo eligere docta D. Franciſci mater; ac deinde ex ea etiam Franciſcus. Laborabat illa in puerperio, & quidem per dies plures non ſine præſenti vitæ diſcrimine. Cùm ecce ad januam venit unus aliquis forma, habituque peregrini, monuitque: non in aula, ſed in ſtabulo; non in byſſo & purpura, ſed in fœno & palea parturam. Et ita factum eſt, & factum quàm optimè. Prolem enim feliciter edidit, & in ſtabulo, fœnoque paupere depoſuit, ut jam inde à primo vitæ limine Chriſti cunas, & paupertatem exprimeret, qui in reliqua deinde vita erat expreſſurus.

Wadingus tom. 1. Annal. Minor.

VII. Via in cœlos.

Et hinc clabor ad alium finem, quà ſcilicet nobis in ſublime ſit via, quà fiat ad ſuperos aſcenſus: nempe per deſcenſum ad infima, exemplo Salvatoris, de quo lactea, & ſuavi eloquentia D. Bernardus: *Quia non erat quò aſcenderet, deſcendit altiſſimus, & ſuo nobis deſcenſu, ſuavem, ac ſalubrem dedicavit aſcenſum.* Adhunc aſpiras, ô fidelis anima, agè, deſcende, te ipſam deſpice, & abjice infra quidquid eſt mortalium. Ita abjici te voluit, qui è cœlis in terras, è ſinu Patris in præſepe deſcendit, ibi eum invenies, fruſtra alibi quæſiturus: appello ſponſæ fidem, atque experientiam; dixit illi quondam:

Serm. 2. de Aſcenſ.

In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea; quæſivi illum, & non inveni: Enimverò non invenit, quia quæſivit in lectulo ſuo, ibi autem nec eſt, nec eſſe poteſt Chriſtus; cujus lectulus alius planè ab illo fuit. *An non lectulus uterus Virginis? an non lectulus præſepium?* inquit Bernardus; lectulus certè is eſt, *lectulus*, autem *magni Patris uterus?* ibi à nobis quærendus erit in cœlis; at in terris quærendus eſt in lectulo ſuo (hoc eſt, in præſepio) & ut ego interpretor, cum ſanctis Patribus; in paupertate, in humilitate, in patientia, in afflictionibus; & quia in his plerique cum ſponſa JESUM non quærunt, idcò non inveniunt. *Quæretis me, & non invenietis*, dicebat olim ad Judæos Chriſtus; in quæ verba D. Bernardus:

Cant. c. 3. v. 1.

Bern ſer 75. in Cant.

VIII. Via ad Jeſum.

Ioan. c. 7.

Attendite: *tres eſſe cauſas, quæ interim occurrunt, & quærentes fruſtrari ſolent; videlicet cùm in tempore non quærunt, aut non ſicut oportet, aut non ubi oportet.*

Tempus eſt dies amœna, dies lucida hujus ævi, non vitæ occaſus, & nox atra, in qua, qui JESUM quærit, minimè inveniet. *Nox eſt Iudaica perfidia, paganorum nox, hæretica pravitas, nox etiam Catholicorum carnalis, animaliſve converſatio;* in qua JESUM, qui quærit, minimè inveniet.

Modus quærendi eſt pura, puta intentio divinæ gloriæ, quam unicam ambit, & quærit anima.

Denique quæratur IESUS, *ubi eſt*, in paupertate, non in divitiis; in contemptu, non in hominum æſtimatione; in tolerantia multiſque laboribus, non in otio, ac delitiis; in ſtabulo, non in aula; in præſepio, non in molli lectulo; denique in mediis perſecutionibus, in quibus certo certiùs invenitur.

Multi ſunt, inquiebat Ambroſius, *qui in otio quærunt Chriſtum, & non inveniunt; & quærunt eum in perſecutionibus, & citò inveniunt.* Ita quære, ô anima, & invenies.

L. de Iſaac c. 5.

Poſtremus denique finis, quem ſibi in hoc myſterio præfixit divina Providentia, eſt ſtupor quidam amabilis, quo dum abripitur D. Auguſtinus exclamat:

IX Admiratio.

O miracula! ô prodigia! ô myſteria! fratres, naturæ jura mutantur: in homine Deus naſcitur, Virgo ſine viro gravidatur; viri neſciam ſermo Dei maritat; ſimul facta eſt mater, & Virgo, Mater facta, ſed incorrupta. O mira, & inexquiſita compago! nova, & inaudita commixtio! Deus eſt, & qui erat creator fit creatura; qui immenſus eſt, capitur: divites conſtituens pauper efficitur: incorporeus carne veſtitur. videtur inviſibilis; palpatur inpalpabilis, comprehenditur incomprehenſibilis, quem cœlum, & terra benedicit in præſepio anguſto collocatur. Hæc ille æſtu quodam excitatæ mentis, atque ad ea cœli prodigia obſtupeſcentis, quæ etiam alio loco evolvit, ac prædicat:

Serm. 9 de Nativitate.

Magnus, inquit, *dies Angelorum, parvus fit in die hominum. Conditor ſolis conditus ſub ſole. Effector cœli, & terræ ſub cœlo exortus in terra. Ineffabiliter ſapiens, ſapienter infans. Mundum implens, in præſepio jacens. Sidera regens, ubera lambens. Ita magnus in forma Dei, brevis in forma ſervi. Ut nec ipſa brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine iſta brevitas premeretur.*

Serm. 27. de Temp.

Hactenus Auguſtinus, qui totus abit à ſcipſo, totus mergitur oceano bonitatis illius infinitæ, quæ ea prodigia orbi noſtro dedit; non tam ſibi, quàm puſillo homini, cui uni aperitur ea ſcena amoris; ut enim præclarè D. Ambroſius:

Ille parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir poſſis eſſe perfectus; ille involutus pannis, ut tu mortis laqueis ſis abſolutus. Ille in præſepibus, ut tu in altaribus. Ille in terris, ut tu in cœlis. Ille locum in diverſorio non habebat, ut tu plures haberes in cœleſtibus manſiones. Hæc S. Præſul, qui ex illis hoc quoque conficit:

Meum ergo paupertas illius patrimonium eſt, & infirmitas Domini mea eſt virtus. Maluit ſibi egere ut omnibus abundaret. Me illius infantia vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta lavant. Plus igitur Domine Jesu, injuriis tuis debeo, quòd redemptus ſum, quàm operibus, quòd creatus ſum. Ab his enim accepi ut eſſem homo; ab illis autem ut etiam Deus. *Ideo quippe Deus factus eſt homo, ut homo fieret Deus*, inquit Auguſtinus.

QUÆSTIO QUARTA.

QUÆ MAIORUM NOSTRORUM ERGA Chriſti cunas reverentia, & devotio?

DE Chriſti nati domicilio, déque ſpecu illa, ſeu ſtabulo dici poteſt illud Iacobi: *Verè Dominus eſt in loco iſto.* Verè paradiſus eſt, in quo poſitus ſecundus Adam.

Gen. 28.

Verè Dei templum, longè auguſtius illo, quod olim regio ſumptu erexit Salomon.

Verè propitiatorium, in quo JESUS, hoc eſt propitiatio pro peccatis noſtris; in quo Arca Dei, id eſt Virgo mater; in quo Cherubini, Angeli de Cœlo lapſi ad Regis ſui, Dominique cunas: ad has olim venerabunda accidit Antiquitas, has amavit ſuſpexitque non tam mole, aut artificio ſtructuræ, quàm partus ſanctitate; quamquam neque illis defuit piorum Cæſarum munificentia. Adrianus Imperator, ut loci illius religionem emoliretur, in eo Adonidis ſtatuam erexerat, *ut in ſpecu, ubi Chriſtus parvulus vagiiſſet, Veneris Amaſius plangeretur.*

Hieron. ad Paulinum.

Stetit hic Adonis centum octoginta annis, hoc eſt ad Conſtantini ævum, cujus mater Helena, everſo Adonide, huic cavernæ magnificum templum inædificavit, & ad præſepe, quo reclinatus eſt agnus Dei, aram

Helenæ.

aram exſtruxit: in qua iterum, ac ſæpius æterno Patri offerretur incruenta pro genere noſtro victima.

Hanc ipſam ſpecum Conſtantinus aulæis, aliiſque regiis ornamentis ita decoravit: ut iſtud ſpelæum jam mundi eſſet miraculum. Hîc viſendus ordo quadruplex columnarum è marmore. Ordines ſinguli columnas quinquaginta arte, ac pretio admirandas exhibebant. His nitebatur fornix, opus vermiculatum, quod omnes ab orbe ad Chriſtum nobiliores hiſtorias mira, & colorum, & artificii varietate ſpectandas proponebat. Omne pavimentum marmore ſtratum, parietes alabaſtro veſtiti, templi tectum è plumbo, verbo uno ejuſmodi, cui æmulum orbis non habebat. Et hæc avitæ pietatis fuere monumenta, hoc inſigne venerationis, qua pientiſſimus Cæſar ſpeluncam illam proſequebatur; voluit nimirum auguſta illa mole extrinſecus teſtari, quanta intrinſecus erga illa loca ferretur religione.

Primorum Chriſtianorum.

Venio ad alia, quæ priſca dedit ætas ſuæ erga Chriſtum recens natum devotionis vel teſtimonia, vel exempla.

Primùm enim ſolemni publicoque ritu receptum fuit, ut per Hebdomadas omnino quatuor Servatoris adventui piè admodùm præluderetur, votis ſcilicet in cœlum emiſſis, quibus ex eo in mortales oras devocaretur. Et hoc in Eccleſia Latina jam inde à primis ſæculis uſurpatum: aliquid ampliùs apud Moſarabes Chriſtianos, hi enim totas octo Septimanas adventui ſacras habuere; ſex videlicet adventanti Chriſto, & duas Ioanni Baptiſtæ ejus præcurſori; ut mihi teſtis eſt S. Iſidorus.

His acceſſit, & alia ceremonia, etiam univerſo propè orbe fuſa; nempe Sacræ Cantilenæ, & genethliaca carmina, quibus paſſim inſonaret aer; nec enim in templis dumtaxat, locisque ſacratioribus audiebatur is cantus: ſed & in compitis, & menſe Decembri toto per ſingulas domos diſcurrere mos fuit; & ne quis deeſſet, qui ei muneri vacaret impenſiùs, in Eccleſia Græca etiam dato ſtipendio deſignabatur, qui id obiret officii.

Sed & alius quoque, iſque ſacer ritus fuit, quo ſancitum erat, ut à luce naſcenti Deo ſacra novi anni ſumeretur auſpicium; & hinc audiebat ille dies, *Kalendæ*. Placuit nimirùm inde ineuntis anni ducere exordia, unde & ſalutis, ac beatæ æternitatis. *Froiſſard. Monſtrelet.*

Poſtremus lucis illius cultus (qui etiam per totum orbem invaluit) is fuit, ut die Chriſti natalitio, ter ad aras ſacratiores Deo litaretur, cujus alia, atque alia ratio proferri poteſt. Et hæc ad inſtitutum meum magis accommodata. Miſſa prima, quæ ſub medium denſæ, atque opacæ noctis celebratur index eſt legis naturæ, quam ſcilicet occuparunt triſtes tenebræ, ignara boni caligo, ac veluti media nox: tum enim veritas Evangelica non prodit aperta fronte, non clara luce; ſed veluti tecta, atque involuta obſcurioribus vaticiniis.

Altera Miſſa, quæ ſub auroram, & diei crepuſculum dicitur, nitore quidem ſuo, ſed ſuboſcuro aperit quis olim fuerit legis Moſaicæ ſtatus, cui ſcilicet affulgere cœpit lumen aliquod, & veluti primus radius illius ſolis, qui deinde in Evangelica gratia clariùs enituit, diémque fecit altiorem: & hunc notat poſtrema, quæ adulta jam lûce celebratur. In Evangelica quippe lege, & vaticinia ſiluere, & ceremoniæ legales obliteratæ, & quidquid erat nebulæ, quidquid caliginis, illud omne diſſipatum eſt; & dies orbi redditus longè quàm amœniſſimus. *Rupertus.*

Et hæc pauca de ritibus, qui toti Eccleſiæ communes; quibus addam unum, quod Regibus Chriſtianiſſimis fuit olim ſingulare; ſic enim illi à purpura fulſere, ut tamen à pietate magis, atque in ſacram Chriſti Nativitatem veneratione. Argumento ſit vel unicum illud, quod & nota fuit regiæ mentis, & teſſera Gallicæ Majeſtatis; inclinavit illa ſeſe, & quà licuit, venit etiam in partem illius officii, quod noctè naſcenti Deo dicata, legebatur, quod ut eo, quo par eſt ritu peragerer Rex Chriſtianiſſimus; & Miſſæ (quæ adulta nocte peragitur) intereſſe, & ſeptimam lectionem canere ſolitus erat, & quidem etiam ſuperinducta purpuræ ſuæ dalmaticâ. Regum Galliæ.

Ita nimirùm Reges pientiſſimi naſcenti Deo hominem ſeſe ſubmittere, & majeſtatem ſuam omnem abjicere, ponereque ad Chriſti cunas, velut illuſtre quoddam regiæ pietatis, ac religionis anathema. *Chronica Francia per Savaron.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

VT latæ de cœlo legi fieret ſatis, puellulum IESVM in templum tulerat MARIA, & favente Numine inciderat ille in manum Simeonis, qui plenus entheo ſpiritu de illo multa in Patris ac Matris, & auditorum aures intulerat; & hinc amabilis in omnibus ſtupor, atque admiratio: cui ubi datum eſt ſatis; tum ad MARIAM pius ſenex præſagâ voce: *Ecce*, inquit, *poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur.* *Luc. 2. v. 34.* Hæc ubi de filio protulit, tum ad matrem converſa oratione; & *tuam*, ait, *ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* *verſ. 35.*

Vix abſolverat bonus Senex, cùm ecce in Templum venit Anna Prophetiſſa, non minùs ab annis, quàm virtute, meritiſque nobilis. Et hæc de IESV multa, multa de redemptione Iſraël, quæ à puellulo pendebat. Ita nimirum iis, quæ à Simeone dicta erant pondus addidit Anna, & Servatori teſtimonium tulit uterque ſexus, ne quis ignorantiæ relinqueretur locus. Denique ubi ex legis præſcripto perfecta ſunt omnia, ad ſua rediit Deipara Virgo, & Nazaretho ſuo reddita, ubi & puer, qui ſicut ætate, moléque corporis creſcebat; ita & ſapientiâ & gratiâ. Et hæc eſt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſeries, in qua hæc

EX D. THOMA.

Luc. 2. Serm. 8. EXAMINAT illa verba: *Tuam ipſius animam pertranſivit gladius*; & ait: *Crux gladius fuit*, & quidem: 1. *Acutus*, quia maximè pupugit, & vulneravit. 2. *Limatus*, ſive *Splendidus*, quia in ea pependit ſplendor gloriæ. 3. *Acerbus Virgini*, cui amara paſſio ex quatuor capitibus. Primum, fuit *Filii* Pet. 2. *Bonitas, & Innocentia, qui peccatum non fecit*. Secundum, *Crucifigentium crudelitas*. Tertium, *Pœnæ vilitas*; aiunt Sap. 2. enim impii, *morte turpiſſima condemnemus eum*. Quartum, *Tormenti crudelitas*.

Ex his quatuor facta eſt Virgini Crux veluti gladius acutus, qui etiam intima animi pervaſit, ac penetravit; non ſine inſigni illius patientia, merito, gloria.

At tibi, ô peccator, ni reſipiſcis erit illa ipſa Crux gladius acutus: Chriſtus enim, quem modo cruce, ceu gladio percutis, aliquando *te percutiet gladiis ſuis*, Apoc. 1. è quibus: 1. erit *Pœna præſentis adverſitas*. 2. *Iudicialis ſententia; ex ore quippe ejus exibit gladius acutus*. 3. *Infernalis pœnæ acerbitas; gladius ille devoravit, quia os Domini locutum eſt*. Iſa. c. 1.

His gladiis te percutiet vindex Deus, niſi priùs cruce, ceu gladio te percutias, ut per ſinceram, & humilem confeſſionem revelentur ex corde cogitationes tuæ, quod revelari expedit.

1. *Quia ſic dimittuntur peccata*. 2. *A Deo abſconduntur; ſi revelas, ego celo*. 3. *Gratia infunditur*. 4. *Vita æterna acquiritur*.

Niſi ſic reveles ipſe, revelabuntur aliquando, ſed tuo damno: 1. *A Cælis*. 2. *A Teipſo*. 2. *A Deo*.

EX D. BONAVENTURA.

DIVUS BONAVENTURA accuratiùs expendit illa juſti Simeonis verba:

Luc. c. 2. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum.*

In ruinam non credentium: & in reſurrectionem credentium; vel in ruinam per offenſam, & in reſurrectionem per Dom. infra oct. Nat. Serm. 2. *gratiam; vel in ruinam per pœnam, & in reſurrectionem per gloriam.*

Quomodò autem factum iſtud, ut qui ad omnium ſalutem venerat, ad perniciem multorum veniſſe ſit viſus: docet S. Doctor factum iſtud non illos culpa: ſed horum vitio, qui inde occaſionem cadendi ſumpſerint, unde accipere debuerant reſurgendi.

1. Enim Chriſtus in aſſumpta humanæ naturæ Serm. 1. infirmitate, *benignam* quandam, *humilitatem* prætendebat; hanc dum non ferunt ſuperbi, poſitus eſt in eorum ruinam.

2. Erat Chriſtus ipſa *veritas*, quæ & ſua luce ignorantiæ tenebras pelleret, & falſa dogmatum ſimulacra diſſiparet. Sed neque illam ſuſtinuere Judæi, amantes ignorantiæ, filii tenebrarum; & hinc etiam iis poſitus in ruinam.

3. Erat Chriſtus humano generi *ſalus*, & vita, quam daret vel ſua unius morte; hanc dum irrident, & inſano auſu ſpernunt Judæi, ſibi ruinam acceſſunt.

4. Erat Chriſtus veluti quædam *medicinalis potio* ad expellendum omnes animi morbos; ſed neque illam increduli haurire voluerunt, neque ulla ratione ad ſanitatem uti: ita *quod erat cauſa ſalutis, commutarunt in ruinam mortis.*

5. Erat Chriſtus de cœlo demiſſus veluti quidam animarum *medicus*; ſed neque hunc admiſerunt ægri, imò in illum ſcommata jecerunt, & irarum fulmina, & fortè enamnum inſani jaciunt: inſani, inquam. *Verè hum miſerabilis inſania, iraſcimur ſananti; & non iraſcimur vulneranti*. Hæc S. Doctor, à quibus tranſit ad aliud S. Simeonis oraculum, quo dicitur Chriſtus *poſitus in ſignum, cui contradicetur*: & quidem

Serm. 2. I. *In ſignum caſtitatis, in conceptione*: de quo Cap. 7. Iſaias: *Dominus dabit ipſe vobis ſignum: Ecce virgo concipiet*: ita cœleſti oraculo *virginitas Mariæ ſignum fuit; ſed cum fructu prolis, uti & caſtitas: ſed cum fructu boni operis.*

Huic ſigno continentiæ contradicitur ſigno luxuriæ; & ita quondam contradixit infelix Hieroſolyma, cui Dominus Ezechielis voce objecit pudendum illud: C. 16. v. 25. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ.*

II. *In ſignum humilitatis in converſatione*; de hoc Angeli ad paſtores: *hoc vobis ſignum; invenietis infantem*; Luc. c. 2. Hoc autem ſignum etiam exhibuit in omni vita: *Beatus, qui hoc ſigno Filii Dei ſignatus eſt.*

Sed, ô malum! ô nefas! *huic ſigno contradicetur per ſignum ſuperbiæ*, oſtentatur illud: 1. *In ornatu* corporis immodico. 2. *In verbo* jactantiæ. 3. *In loco*, quem ſemper digniorem affectat ſuperbus. Et hæc ſunt ſigna ſuperbiæ, contra quæ pugnant ſigna humilitatis Chriſti, qui *Infans fuit contra ſuperbiam in verbo. Pannoſus contra ſuperbiam in ornatu; involutus contra ſuperbiam in actu; poſitus in præſepio contra ſuperbiam in loco.*

III. Poſitus eſt Chriſtus *in ſignum charitatis in Paſſione*; quod diu ante mentis oculos aſpexit Jeremias Thren. vates, cujus ore hæc de ſe IESVS, *Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam*: verè *maximum charitatis ſignum, quo ſagittas opprobriorum, irriſionum, ſputorum, colaphorum, clavorum, & lanceæ ſuſtinere voluit.*

Quod Dominus: ſic & nos per charitatem eſſe debemus. 1. *Signum contra ſagittas caſtigationum divinarum*, ut ex vero dicere poſſimus cum patiente Jo- Cap. 6. bo: *Sagittæ Domini in me ſunt*. 2. *Contra ſagittas irritationum* humanarum, de quibus Regius Vates: Pſal. 56. *Dentes eorum arma, & ſagittæ*. 3. *Contra multiplices ſagittas adverſitatum*, quas excipit charitas etiam innoxia, & ſine vulnere. Ut enim D. Auguſtinus: Tract. de laud. Charit. Tom. 9. *Charitas inter opprobria ſecura eſt, inter odia benefica; inter rixas placida, inter inſidias innocens.*

Sed heu! huic ſigno contradicitur per ſignum odii, & fraudulentiæ; ita contradixit olim infamis proditor Judas, *qui tradidit eis ſignum*, extrinſecus Matth. c. 26. amoris ſignum; at intrinſecus odii.

IIII. Poſitus eſt Chriſtus *in ſignum immortalitatis in reſurrectione*, ad quod aſpirans, ad Patrem æternum Davidis ore dicebat: *Fac mecum ſignum in bonum*, Pſal. 86. & verò *fecit ſignum reſurrectionis, ſignum Ionæ Prophetæ: ſicut enim Ionas tertia die in aridam evomitur; ita Chriſtus tertia die in ſoliditatem immortalitatis ſuſcitatur*. Ut ſic aliquando mi lector *in reſurrectione generali in aridam evomaris, dic Domino; Fac mecum ſignum in bonum.*

O ſignum! ô gaudium! quando naufragus venit ad aridam ſalutis.

Huic ſigno contradicitur per inanem, & fluxam lætitiam; qua æterna ſæpè deſtruitur; ita contradixerunt olim apud Sapientem ſtulti mundi amatores, quibus illud profanum in ore: *Venite fruamur* Sap. c. 2. *bonis, coronemus nos roſis.*

Ad hæc adjungit Seraphicus Doctor tres alios modos, quibus Servator optimus dici potuit, & eſſe ſignum.

I. *Signum*

I. *Signum reconciliationis in Incarnatione*: hujus ſymbolum jam inde à primis ſæculis dedit Deus, cùm ait: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram.* (Gen. c. 9.) *Arcus iſte, qui generatur ex radio ſolis in nube concava, & rorida Chriſtus eſt, qui conſtat ex radio divinitatis, & nube humanitatis, quæ concava eſt, & rorida ratione plenitudinis gratiæ.*

Huic ſigno contradixerunt Judæi, Deúmque negarunt, ac Salvatorem, quòd pati viderent; ac in cruce emori, quod erat humanæ infirmitatis; alienæ, ut videbatur, à Divinitate: hinc petulantes illæ voces: (Matth. c. 27.) *Alios ſalvos fecit, ſe ipſum non poteſt ſalvum facere: Si filius Dei eſt deſcendat de cruce, & credimus ei.*

II. *Signum fuit Chriſtus in veritate prædicationis*, de quo Iſaias: (Cap. 11.) *Levabit ſignum Dominus in nationibus, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ*; hoc eſt avertet à quatuor affectionibus, terrenis videlicet, 1. *A tumore vanitatis ad timorem humilitatis.* 2. *A fœtore immunditiæ ad nitorem caſtitatis.* 3. *Ab ardore avaritiæ ad amorem paupertatis.* 4. *A furore invidiæ ad dulcorem charitatis.*

Et hæc quidem omnia virtute illius ſigni, ſcilicet veritatis, cui contradicetur per impoſitionem falſitatis, & blaſphemiæ. Ita contradixerunt impudentes Judæi, qui jactarunt ſæpiùs petulans illud: *Hic blaſphemat. Teſtimonium tuum non eſt verum.*

(Ioan. c. 16. Matth. c. 9) III. *Signum* fuit JESUS *ſalutiferæ curationis* in Paſſione, cujus figura fuit ſerpens æneus poſitus olim à Moyſe, *pro ſigno, quem percuſſi intuentes ſanabantur*, (Num. c. 21.) & Chriſtum quiſquis intuebitur ab omni animi morbo ſanabitur. Si enim plagam intentet ambitio, eam curabit Chriſti morientis humilitas; ſi deliciæ, dolores acerbi: ſi divitiæ, nuditas. Huic tamen ſigno contradixere Judæi obtrudentes illud, ſeductorem eſſe, dæmoniacum, qui in principe dæmoniorum ejiceret dæmonia, & morbos curaret. Hæc ubi dixit, tum delabitur in illud Simeonis ad Virginem matrem: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; id eſt *dolor Dominicæ Paſſionis.* Et hic gladius Virgini unicus eſt: aliis autem quadruplex. (Serm 3.)

I. *Eſt gladius diabolicæ tentationis: hic tranſit animam in conſentiendo.*

II. *Evangelicæ prædicationis: hic tranſit animam in compungendo.*

III. *Tyrannicæ perſecutionis: hic tranſit animam in patiendo. Iſte gladius datus eſt Neroni, Diocletiano, Decio, & aliis perſecutoribus fidelium.*

IV. *Gladius eſt extremæ animadverſionis: & hic tranſit animam in condemnando.*

Iſte gladius eſt ſententia Iudicis, qua dicet, diſcedite à me maledicti. Hunc olim oculo mentis aſpexit Joannes Chriſti ſcriba, qui illud de Meſſia in poſteros emiſit ad terrorem, *Ex ore ejus gladius acutus ex utraque parte exibat.* (Apoc. c. 1.) Hunc capiti tuo impendentem dum cernis, ô peccator, exhorreſce, & dum licet enitere, ut illi te ſubducas: ſubduces autem, 1. Si gladium *diabolicæ tentationis* aut admiſeris nunquam, aut impactum umbone fidei retuderis.

Deinde ſi in apertum animi ſinum exceperis gladium *Evangelicæ prædicationis*, & ſanctæ *compunctionis*: denique ſi adverſo, invictóque pectore tuleris gladium *tyrannicæ perſecutionis*, & unà ſanguinem, vitámque Chriſti cauſa effuderis.

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Erat Pater ejus, & Mater mirantes.* Lucæ c. 2. verſ. 23.

SINTNE DIVINA OPERA OBIECTUM humanæ diſquiſitionis, an ſtuporis?

(Admiratio unde?) ADMIRATIO in Deum non cadit, cadit autem in puſillos mortales, idque ex duplici capite. Primùm ex rei novitate, atque ignorantia. Hinc, *admiratio*, antiquis dicta, *filia ignorantiæ: mali corvi, malum ovum.* Deinde ex rei magnitudine, ac majeſtate: hæc enim mirabilitatem annexam habet, eáque nos attonitos rapit.

Primi generis admiratio Virgini minimè congruebat; tum quia præ ſe ferre videbatur aliquam ignorantiæ maculam: tum quia ea Incarnati Verbi myſteria, futuroſque ex illis eventus apprimè callebat, utpote è cœlo de his probè edocta.

Supereſt ergo ut ei tribuamus admirationem alteram; quæ oritur ex rerum ſenſui ſubjectarum magnitudine, dignitate, majeſtate, raritate, & cauſis aliis harum affinibus.

(In Virginem cadit.) Quamquam etiam fateri poſſumus illud, miratam eò loci, ac temporis Virginem, ea, quæ ſecreto Dei conſilio, monitúque didicerat à Simeone Sene, & Anna Propheteſſa etiam reſciri, atque prædicari. Et hæc pro ſenſu litterali attigiſſe ſit ſatis; tranſeamus ad ea, quæ ad mores ritè formandos conducunt.

(Non inquiſitio.) Mirari Joſeph, mirari & Maria tot, támque recondita redemptionis Iſraëliticæ myſteria: non tamen de iis ſcrutari quicquam, non verbulo inquirere, non jactare petulans illud: *quomodo*, quod poſtea Capharnaïtæ, (Ioan. c. 6.) quod deinde poſteris ſæculis hæretici, quibus ad verenda fidei noſtræ arcana nimiùm familiare illud *quomodo?* Illos acri ſtylo pupugit olim Cyrillus Alexandrinus Præſul: *De Deo*, inquit, *non ſine magna impietate conclamant, quomodo poteſt hic nobis ſuam carnem dare ad manducandum? nec in mentem venit, nihil impoſſibile eſſe apud Deum.* (Lib. 4. in Ioan. c. 13.)

Ut autem & impudentiæ, & impietatis arguat inſulſum illud *quomodo?* Hanc rationem ſubdit, hanc regulam ponit.

Cùm Deus operetur, non quæramus quomodo: ſed operis ſui viam, atque ſcientiam illi ſoli concedamus. (Abſit hæc à fidelibus.)

Hæc ubi dixit S. Doctor, tum ad Judæos orationem convertit, & eadem vocula, *quomodo*, quaſi propriis armis eos impetit, atque expugnat.

Si verò, inquit, *tu ô Iudæe! Quomodo etiam nunc clamas, hanc tuam imperitiam ego quoque ſecutus, libenter quomodo ex Ægypto exiviſti, rogabo? Quomodo in ſerpentem Moſaica fuit virga converſa? Quomodo leprâ manus infecta uno momento temporis in priſtinum ſtatum reſtituta iterum fuit? Quomodo in naturam ſanguinis aquæ tranſierunt? Quomodo Patres tui per media maria, ut per aridam effugerunt? Quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? Quomodo à lapide fontes aquarum fluebant? Quomodo ſtetit Iordanis? Quomodo ſolo clamore inexpugnabilis Iericho cecidit? innumerabilia ſunt, in quibus ſi quomodo quæris, univerſam evertere Scripturam tibi neceſſe erit.*

Poſtquam iſta ad hominem intulit S. Pontifex, tum illud conficit:

Quare credidiſſe Chriſto potiùs vos oportuit, & ſi quid arduum videbatur, ab eo humiliter petere, quam veluti temulentos exclamare, quomodo?

Ubi hæc in Judæos tela vertit; tum ad Chriſtianos ſtylum convertit: *Nos*, inquit, *nunquam in tam ſublimibus rebus, illud quomodo aut cogitemus, aut proferamus. Judaicum enim hoc verbum eſt, & extremi ſupplicii cauſa.*

Hanc quoque voculam, vel infidelis animæ teſtem, vel indicem fluctuantis, vel ſaltem curioſiùs inquirentis à Chriſti fidelibus longiùs abeſſe voluit Tertullianus.

Nobis, inquit, *curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum* Cap. 11 Præſcrip. JESUM, *nec inquiſitione poſt Evangelium.*

Cauſa ſi quæritur, ea in oculis eſt, quia poſt Evangelium fide opus eſt, non indecora & ſtulta rationum indagine.

Qui fidem quærit, inquit Chryſologus, *rationem non quærit, qui divinam poſtulat, ſeponit humanam.* Serm. 158.

Ita ſepoſuit Diva Mater; cùm enim ex Simeone audiiſſet de filio quàm plurima, eàque & ardua, & creditu difficilia, de iis tamen ne unicam injecit quæſtionem, etſi hujus longè graviſſima ſuppeterent argumenta. Ubi & humana ratio in divinis.

Prædixerat annoſus Senex JESUM ſtatuendum eſſe veluti ſignum, & ſcopum quendam maledicentiæ, & malevolentiæ; de eo ſigno ne verbum quærit ſollicita mater.

Addiderat futurum in ruinam multorum in Iſraël, quod mirum & propè inſolens videri poterat, ut is ſcilicet eſſet in aliquorum mortem, qui in omnium vitam venerat: de hoc tamen etiam ne verbum.

Adjecerat & aliud, quod Virginem propiùs attingebat; quod videlicet ipſius animam pertranſiret gladius: ex quo pronum erat inquirere, ecquis ille gladius? Hæc inquam, aliáque plurima peti poterant à Propheta Sene, tanquam interprete Divinæ mentis. Nihil tamen horum inquirit Dei Mater. Nihil ſcrutatur curioſiùs: ſed in ſummo ſilentio, fide reverenti, demiſſione humili ea excipit, tanquam è cœlo miſſa ſibi oracula; nihilque ultrà cenſet inveſtigandum: nimirum ei prima, & ſumma ratio, rationum erat inſtar omnium, cujus luce offuſcari debet, imò & extingui lumen omne humanæ ratiocinationis, ut ad ſolis ortum minora poli lumina: *Non* D. Iulian. in Conc. Tolet. *ſunt divina diſcutienda, ſed credenda: non enim ſe Deus diſcutere jubet, ſed credere*; & ſic credidit Diva Mater.

Neque mihi hîc obtrudat unus aliquis, olim etiam Virginem objeciſſe illud ipſum *quomodo*, quod tamen & damnandum, & eliminandum pronuntio. Cùm enim ei cœleſtis genius dixiſſet *Ave*, cùm prædixiſſet fore ut conciperet, & pareret filium, illicò addidit. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Luc. c. 1. v. 34.

Nemo, inquam, id Virgini longè ſanctiſſimæ vitio vertat, nemo id objiciat. Neque enim ea vox, fuit aut nutantis in Prophetarum fide: aut de cœleſti promiſſo dubitantis (ut blaſphema lingua evomit Calvinus.) Sed modeſtè, ac religioſè inquirentis modum, ac rationem, quam ſibi in hoc divina providentia præfixiſſet. Videlicet an futurum illud eſſet ſoluto, cœli indulgentiâ, concepto Virginitatis voto: an verò (quod maximè erat in amoribus) eodem etiam ſalvo. Quod & Virgini volupe erat, & ipſi Deo (qui ut ait Nazianzenus, *primus eſt Virgo*) perhonorificum, & ſuperis omnibus ſtupendum, atque amabile. In carmine de Virg.

Et hic fuit nodus, quem ſolvi voluit pudica Virgo; hæc quæſtio, quam inter colloquia, æſtuſque ſacratiores, blandula immiſit voce.

In quo profectò ſcioli hominis damnavit curioſitatem, quæ alia prorſus mente, modóque ad objecta ſibi fidei myſteria, jactat ſæpè ſæpiùs petulans illud *quomodo?* & altiora ſe (quæ ſuſpicere debuit ac revereri) rimatur, atque explorat curioſiùs, cum fidei, ſalutiſque jactura: ut proinde D. Chryſologus, *curioſitatem immitem appellarit*; hoc enim epitheto, ceu ſtigmate notandam cenſuit D. Thomæ curioſitatem, qui noluit credere niſi quod oculis hauſiſſet, quod manibus attigiſſet; *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Famulatus curioſitas immitis*, exclamat Chryſologus, ut quæ Chriſti vulnera refricaret, dum palparet. Et curioſitate. Serm. 84.

Et ea eſt quoque Hæreticorum noſtri ævi, qui non credunt, niſi quod ratione humana, ceu oculo debili; viderint: & ſi non viderint curioſiùs inveſtigant abominanda curioſitate, fidei ſacramenta violando, atque adulterando. Certè Plutarchus licet Gentilis, *curioſitatem adulterium* eſſe dixit: quod in ſacris verum eſt quàm maximè. Violatur enim ſponſæ (id eſt Eccleſiæ) data fides eo vitio curioſitatis. De curioſitate.

Imò, & ſacrilegium admittitur. Cujus probè conſcius Salvianus divina ſuſpicere malebat, quàm inveſtigare. Sic enim de arcanis Dei ſecretis ſecum ipſe, & ſentire, & loqui. Et examen.

Quæ cauſa Deus hæc ita faciat, nolo à me requiras. Homo ſum, non intelligo ſecreta Dei; inveſtigare non audeo, & idem etiam attentare formido; quia & hoc ipſum genus quaſi ſacrilegæ temeritatis eſt, ſi plus ſcire cupias, quàm ſinaris. Lib. 3. de gubern.

Rectè adjicit quàm *ſinaris*: Deus enim plurima occulta eſſe voluit, pauca manifeſta. Quæ ratio eſt cur etiam ipſi Seraphini, quos in exceſſu mentis vidit Iſaias, duabus dumtaxat alis volarent, duabus alis faciem velarent, & pedes etiam duabus. Ut inde noſſes, etiam altiſſimis illis mentibus, plura tegi, quàm aperiri. Quod ſcitè notavit B. Petrus Damianus: Cap. 6.

Alarum Seraphim, inquit, *plures ſunt, quæ velant, & paucæ, quæ volant: quia ex divinorum operum celſitudine, cùm perpauca ad noſtram permittantur advolare notitiam, plurima in theſauris ſecretorum cœleſtium ſervantur occulta.* Orat. 24. Lib. 4. ep. 9.

Ad quæ accedere velle puſillo homini temerarium, imò & ſacrilegum. Ecquid enim ea penetrare volet, ac pervidere noctua, quæ nec aquila penetrat, nec videt? ea ſibi aperiri volet terræ pulvis; quæ nec ipſis pateſcunt Seraphinis? Certè, ſi ſapit, non volet: ſed potiùs benè monentem audiet Baſilium Seleuciæ Epiſcopum:

Ne metire quod à menſura alienum eſt: ne partire ſubſtantiam, quam partiri non eſt. Cœlum laudibus effert, tu metiris? Cherubim ſe ſubmittunt, tu examinas? Non examinabis certè, ſi is es, qui eſſe debes, Chriſtianus.

QUÆSTIO

QUÆSTIO SECUNDA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël.* verſ. 34.

QVOMODO POSITVS IN RVINAM MVLTORVM ſit IESVS, *qui in omnium reſurrectionem à Deo Patre miſſus?*

HIc locus utpote difficilis, atque implexus, Authores in diverſas ſententias traxit.

I. Sententia. Origenes ait: JESVM poſitum in ruinam ſibi, aliis in reſurrectionem, hoc eſt ut à morte caderet ipſe, & à vitâ per eum parta, reſurgerent alii. Hæc opinio videtur à communi ſenſu aliena.

II. Sententia. Gloſſa ordinaria horum verborum (de quibus in præſentia quæſtio) ſenſum ita explanat: ut innuat Chriſtum poſitum eſſe in ruinam multorum ſcelerum, quæ priùs quodammodo ſtare, & cœlo inſultare videbantur: & contra in reſurrectionem magnarum virtutum, quæ olim jacere credebantur velut emortuæ. Et hæc ſententia magis ad mores ſpectat, myſticumque ſenſum, quàm ad litteram.

Orat. 19. Divus Gregorius Nazianzenus exſtimat IESVM ab æterno Patre terris datum, ſic ut eſſet in multorum reſurrectionem *cauſaliter, effectivè, & per ſe*: (Utor terminis in ſchola uſurpari ſolitis) at verò in ruinam plurimorum, non niſi *occaſionaliter, & per accidens*. Illis enim, qui in eum prona, faciliſque fide crediderunt, vitam attulit, & cœlo, ſuperiſque ſurgere dedit; his autem, qui animo pervicaci, dura, & fidei impervia objecêre capita, nec doctrinâ vinci, nec miraculis flecti potuerunt, ruinæ gravioris occaſio videri potuit, non ſuo vitio: ſed eorum malevolentia: & hæc videtur eſſe genuina interpretatio, cui favet illud D. Pauli, *Prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* 1. Cor. 1. v. 23.

Chriſtus Judæis in ruinam. Ecquid enim, inquiebat Iudæus, quem mihi Deum fingis? qui & in præſepio jacuit, & abjectam vitam egit fabrili opificio damnatus, & in vincula datus, & per extrema ludibria infami ligno affixus? & hoc mihi Numen eſſe velis? apagè procul, & ſcandalum amove. Deum amo, & volo, qui tribus digitis appendit terræ molem, qui ſolo ſpiritu ſiccat maria, qui Pharaonem, currus, & equites aquis abſorbet, qui manna demittit, & cœleſtem annonam, qui irato tonat æthere, à cujus nutu diſcedit terra, dehiſcunt inferi, & quanta, quanta eſt natura contremiſcit: illum, inquam, Deum agnoſco, colo, ac veneror, non patibularem unum aliquem, in quo nihil videas potentiæ, ac majeſtatis: ſed potiùs extremæ abjectionis, atque impotentiæ; quam arguit vel una crux, cui moriens affixus eſt ille ipſe, quem mihi pro Deo venditas, & qui ob id ipſum mihi ſcandalum. Hæc dicet Judæus unus aliquis, cui ideò IESVS erit aliquando in ruinam.

Etiam Gentilibus. Neque altiora illis ſapiet Gentilis: adorabit hic Iovem, ſed fervido fulminantem æthere; adorabit Neptunum, ſed infeſta componentem maria: adorabit Martem, ſed belli fulmen à ferro, flammiſque formidandum: adorabit Mercurium, ſed eloquentiæ nervo circumligantem, & captivantem omnia; adorabit Venerem, ſed illecebris, molliſque luxu diffluentem: verbo uno illum pro Numine ſuſpiciet, adorabitque, in cujus fronte, ſeu ſede majeſtatis, aliquid humano majus viderit elucere: at in Chriſto, quem inquiet mihi pro Deo jactitas, nihil legitur, niſi plaga, livor, ſputa, & miſerabilis imago mortis, & hic mihi Deus erit? procul, procul amove ea malè ſanæ mentis deliria, hic mihi certè *ſtultitia eſt*. Iſta proferet Gentilis à fide vacuus, cui proinde etiam Chriſtus erit in ruinam.

Chriſtianis in reſurrectionem. At Chriſtianis, at verè fidelibus erit in reſurrectionem. Hi enim opera Dei ſuſpicere, ac mirari didicerunt, non indagare, non ſcrutari, non diſcutere; Hi ſpectare non tam quid egerit indulgens amori noſtro Numen, quàm cur egerit: hi colla fidei jugo ſubmittere, non ſubtrahere docti; & hic potiſſimus eſt Dei cultus, teſte Seneca licet Gentili.

Epiſt. 95. *Primus*, inquit, *Dei cultus, Deum credere, deinde reddere illi majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla majeſtas eſt.* Bonitatem Deo tuo non reddis: ideóque nec majeſtatem, qui Deum eſſe negas, vel ideò tantùm, quod ſe abjecerit. Quomodo?

L. 2. contra Marcion. c. 27. *Deus puſillus inventus eſt: ſed ut homo maximus fieret,* inquit Tertullianus.

Præſepe non abhorruit: at *per quod, cùm alienus eſſes à verbo, nutritus es*: ait magnus Baſilius apologiâ ad Cæſarianos;

Orat. 1. de Paſch. *Pauper factus eſt; ſed eo fine ut nos illius paupertate diteſcamus: ſervi formam accepit, ut nos libertatem recipiamus; deſcendit, ut evehamur; tentatus eſt, ut vincamus: contemptus eſt, ut nos gloria afficiat: mortuus eſt, ut ſervet: aſcendit, ut ad ſeipſum trahat humi provolutos in peccati lapſu*: ut disertè Nazianzenus; Itaque ut D. Hilarii verbis utar: *Humilitas ejus, noſtra nobilitas eſt; contumelia ejus, honor noſter eſt.* L. 2. de Trinitate.

Philo. Carpath. in Cant. *Mortalis venit ut nos redderet immortales; paſſus eſt aliquando, ne nos ſemper pateremur; mortuus eſt ſemel, ne nos in perpetuum moreremur; deſcendit ad ima, ut nos tolleret ad ſuperna, exinanitus Dominus, ut excellentiſſimè dominaretur & ſervus,* inquit author non ignobilis.

Et quia hæc in oculis habet Chriſtianus, hinc ei facilis ad fidem via, & prona in amores divinos inclinatio, adeóque, & animæ vita, quæ in charitate eſt repoſita, & ad quam orbi dandam factus eſt Deus homo, poſitúsque à cœlo in reſurrectionem multorum, ut piè cecinit Simeon ſenex cygnea, & fatidica voce.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba : *In ſignum cui contradicetur.* verſ. 24.

CUR · IESUS DICATUR POSITUS IN SIGNUM?

An Divinitas ſit in ſignum contradictionis?

DIXIT olim Seneca, nec omninò malè : *Injuriam Deo Sacrilegus non facit, quem extra telorum ictus Divinitas poſuit. Injuria*, Ulpiano teſte, *eſt juris læſio*, à qua malè quis afficitur; & læditur.

Hæc in Deum propriè cadere non poteſt, utpotè qui à nullo in ſeipſo malè affici valet, aut lædi. Blaſphema mente, ac voce cœlos onerat, ac fatigat ſacrilegus : at Deum in ſeipſo non tangit, bonum quod eſt ipſe, & quo fruitur non imminuit, non tollit, nec imminuere, aut tollere unquam poteſt. Deo malè precatur, malè vult impius, non ideò erit ei malè, ſed ſemper quàm optimè, quia & à ſeipſo bonus eſt ac beatus, & ſummè quidem bonus, ac beatus.

An Chriſti humanitas?

Verùm ut ea ſit Divinitas, ut extra linguæ, & teli jactum ſit, at non ſic humanitas Divinitati in eadem Hypoſtaſi unita : intra telum eſt illa, imò & ratione unionis in eadem perſona, etiam quodammodo ipſa Divinitas : ut proinde & de hac & de illa, hoc eſt, de utraque Chriſti natura ac perſona, præſagâ voce dixerit, providus Senex : *Poſitus eſt in ſignum, cui contradicetur.*

Quomodo in ſignum?

De hoc ſigno mihi vna, alteráve quæſtio: & quidem prima; Quod illud ſignum ? Secunda, quomodo JESUS ſignum contradictionis, tum in perſona, tum in doctrina, tum in opere ? his enim modis omnibus impetitur JESUS, veluti ſignum, & ſcopus quidam contradictionis.

In hac voce *ſignum* pius ludit Interpretum labor.

Cajetanus opinatur JESUM eſſe *ſignum reconciliationis* cum æterno Patre. Intercefferant enim graves inimicitiæ Deum inter, & puſillum hominem; ut hic reconciliaretur, poſitus eſt IESUS in ſignum redintegratæ amicitiæ.

Euthymius cenſet JESUM ab æterno Patre Orbi datum *in ſignum*, hoc eſt, *in miraculum*, quod ſuperi, inferique demirentur. Et verò miraculum eſt, prodigium eſt θεάνθρωπος, *Deus-homo*, cui Iudæi, Mahumetani, Ethnicique, magnis clamoribus contradicunt.

Iſidorus exiſtimat JESUM dici, & eſſe *ſignum*, hoc eſt, *ſcopum* in quem collimet omnis, ſeu hominum, ſeu Dæmonum malevolentia; diceres eſſe ſagittarios, qui certatim è pharetra educunt tela, quæ Deo homini, ceu albo infigant; ut proinde jure quàm optimo queratur patiens JESUS ore Ieremiæ : *Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.*

Thr. c. 3.

Hæc triſti nænia gemens Vates, nimirum Chriſto Servatori tum accidit, quod olim Iobo mortalium patientiſſimo, qui has Cœlo teſte querelas ſcripſit: *Confregit me, & poſuit me ſibi quaſi in ſignum*; in quod ſcilicet Phariſæi, Scribæ, Sacerdotes, maledicentiæ ſuæ tela jaciant, & jacula linguæ petulantis; jacula, inquam, à quibus nihil liberum, nihil immune ſit, quod in Chriſto ſit, non perſona, non Divinitas, non humanitas, non anima, non corpus, non fama, non opera, non doctrina. In hæc enim omnia, ceu in album, evolarunt malevolentiæ ſagittæ: & primùm quidem

Cap. 16.

Arii, qui blaſphemâ voce Dei Filium Patre minorem proclamavit, nec ejuſdem cum eo eſſentiæ; ſed dumtaxat ſimilis eſſe voluit. Hinc celebris illa de una voce lis fuit, atque contentio, dum apud Catholicos IESUS audit ὁμοούσιος, id eſt, ejuſdem cum Patre eſſentiæ. apud Arianos autem ὁμοιούσιος, hoc eſt ſimilis eſſentiæ. Ita ab vna littera *iota* ſe ſenſit propè totus orbis Arianum. Enata eſt ea hæreſis ſub annum Chriſti vigeſimum quartum ſupra trecenteſimum, quo ſcilicet Divinitas Chriſti Ario atque Arianis ſcopus fuit contradictionis; uti & perſona Valentino & ejus ſectatoribus, qui negarunt eandem eſſentiam Divinam eſſe in tribus perſonis, adeòque impudenti ore pronuntiarunt, & primam, & ſecundam, & tertiam perſonam Sophiſticam eſſe, & quod horribilius eſt, diabolicam; ut videre eſt in Hiſtoria Benedictini Aretii. Ecce ut in divinam Chriſti perſonam valido impetu arietarunt illi hæretici, quibus profectò ſignum fuit maleſanæ contradictionis, à qua ut nec libera fuit Divinitas, ita nec ſacroſancta humanitas immunis erit; in eam quippe inſano niſu varii lapſu temporis incurrent hæretici, è quibus Eutyches proclamabit poſt Incarnationem unam tantùm fuiſſe, & eſſe in Chriſto naturam; ex Divinitate ſcilicet & carne : opinatur enim ſtupenda metamorphoſi Divinitatem in carnem eſſe converſam, ut ſolet aqua mixta vino. Ex quo conſequens Divinitatem Verbi, & natam, & paſſam, & mortuam, & ſepultam. Ecce in quos errorum labyrinthos eum impulit vis inſana Chriſto contradicendi; uti & Cerinthum, ac Neſtorium.

I. Natura divina in Chriſto.

Theodor. Lib. 4. de Hæreſ.

II. Perſona.

III. Humanitas.

Ille damnanda ſubtilitate JESUM à Chriſto ſeparat, ac ſejungit; Cenſet enim IESUM eſſe purum putum hominem ex Maria & Ioſepho natum. Chriſtum autem eſſe Dei filium, qui non niſi poſt annos triginta in Baptiſmo ſpecie columbæ, in Ieſum illapſus ſit; ut refert Irenæus.

In hæreſim illi affinem venit Neſtorius Patriarcha Conſtantinopolitanus; docuit enim Mariam purum hominem genuiſſe, adeòque non Dei, ſed Chriſti genitricem appellari oportere. Ecce ut impio Neſtorio fuit IESUS in ſignum contradictionis. Ea porrò à Divinitate, quæ pars erat princeps illius ſuppoſiti, delapſa eſt ad humanitatem, quam & maledico dente petiit. Ita nihil hæreticis intactum.

Lib. 1. c. 25.

Quoad corpus.

Hi enim etſi aliquod in Chriſto corpus agnoſcerent, phantaſticum tamen eſſe contenderunt, quod oculis tantùm illuderet, non quod eſſet in reipſa; ita ſenſit olim Marcion, contra quem acri ſtylo Tertullianus.

Lib. contra Marcionem.

Alii dedere Chriſto aëreum corpus, quale ſubinde aſſumit angelus aliquis, aut malus dæmon, ut alicui ſcenæ ſerviat: ita docuit Apelles apud Auguſtinum hæreſ. 23. Nonnulli cœleſte corpus eſſe voluerunt; ita Valentinus teſte Auguſtino hæreſ. 11. Denique aliqui etiam Divinum, & ex ipſa Divinitate formatum: ita malè finxit Appollinaris, ut refert Iuſtinus Martyr Apologetico 2. adeò verum hîc, etiam illud, quod Chriſti corpus ſcopus fuerit malignæ cujuſdam contradictionis: nec illud tantùm, ſed & anima, quam & nonnulli ex hæreticis ſuſtulere, dictitantes Divinitatem fuiſſe illi pro forma, & anima; ita malè opinati ſunt Ariani,

Epiphanio

Epiphanio teſte hæreſi 69. Alii in Chriſto animam *Quoad animam.* quidem reliquere, ſed ſentientem duntaxat, non tamen mentem: ita Appollinaris apud Epiphanium hæræſi 77. Sic in varia rapitur inſanus error, ſic in ſæcula verum illud Simeonis de Chriſto Servatore vaticinium. *Poſitus eſt in ſignum, cui contradicetur.*

Quoad famam. Spectaſti, benevole Lector, quomodo ſagittas multo falſitatis oxico illitas in Jesum emiſerint omni propè ævu hæretici; audi modò, quas in ejus famam, bonumque nomen olim jecerunt Scribæ, ac Phariſæi.

Erat Ieſus, ter Opt. ter Max. ter Sanctiſſimus, & tamen in eum infami auſu debacchati, quaſi ſentina eſſet malorum omnium, & graveolens vitiorum cloaca.

Hic, illum notare quaſi nutans eſſet, ebrius, & vini guloſus potator; ille, denigrare, quòd peccatorum, & Publicanorum amicus eſſet, & hoſpes; alius, quaſi Samaritanus atque excommunicatus: ille, quòd ſeductor rudis, & imperitæ plebeculæ; iſte, quod infandus regiæ dignitatis candidatus, & malus æmulator; alii Dæmoniacum clamitare: imò, quod malorum omnium inſtar erat, & veluti calumniæ caput, quod etiam in cœlum, Deumque blaſphemus eſſet, ideoque minimè dignus, quem aſpicerent ſuperi, quem terra ſuſtineret, & hinc addicitur Cruci, infami poſt homines natos ſupplicio. Et tamen à vitæ morumque innocentia nulli ſecundus; is quippe erat, in quo virtus omnis, omnis ſanctimonia ſedem poſuerat; imò fons erat, & origo totius ſanctitatis, qui & à ſeipſo ſanctus, & à quo ſancti omnes, & ſine quo ſanctus omninò nullus. Et ut is eſſet, fuit tamen & ſignum, & ſcopus omnis contradictionis, ac maledicentiæ; adeò verum illud Divi Hieronymi: *Semper virtutibus contradicitur, & omnis contradictio eſt ſanctitatis.* *In l. 2 Ezech c. 47.*

Quoad opera. Hanc etſi loquerentur, altéque prædicarent opera, & prodigia poſt homines natos inaudita, in iis tamen invenit, quòd carperet maledicentia.

Ibat Jesus per omnes Judeæ vicos, & oppida veluti communis, & corporum, & animorum medicus, & quà morbos, quà dæmones è miſeris mortalibus, quaſi per injuriam uſurpatis hoſpitiis, expellebat, & in hoc reperire potuit, quod arroderet invidia.

Cœcus erat non caſu aut morbo, ſed naturæ vitio, talem quippe hæc effuderat: ut eum vidit Jesus, *Ioan. c. 9. v. 6.* *fecit lutum ex ſputo, & linivit ſuper oculos ejus*, & dein eluere juſſit in natatoria Siloë: paruit cœcus, abiit, lavit, & vidit. Hoc prodigium attonitos, ac reverentes habere debuit Phariſæorum animos; at contra immani armavit invidia, & in maledicas voces impulit: audio enim, exclamant illicò, non eſt hic homo à Deo, qui ſabbathum non cuſtodit. *verſ. 16.*

Ad Chriſti pedes deponitur in grabato paralyticus non corpore tantum, ſed quod vero ſimilius, etiam & mente: tam hujus, quàm illius miſertus Jesus, dixit: *Homo remittuntur tibi peccata tua.* Vis *Luc. c. 5. v. 20.* illa Dei hominis, quæ etiam ad animum pervadebat, Scribas, & Phariſæos allicere debuit, ut & ipſi benè ſibi fieri precarentur, & peccata, quorum infandâ mole obruebantur, dimitti: at contrà in tranſverſum egit, & in verba impulit, plena ſceleris, ac contumeliæ; aiunt enim: *Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus.*

In Chriſti oculos incurrit miſellus homo, quem occuparat dæmon, malus omninò hoſpes, à quo, & mutus, & elinguis: cœpit aliqua illius miſeratio, & *erat* Jesus *ejiciens dæmonium, & illud* quidem *mutum.* Quid ad hæc, quæ circumſtabat turba? quæ miraculum illud, & oculis, & auribus hauſerat? pars admirari, pars laudare, pars etiam potiſſima carpere, & jactare petulans illud atque infandum: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* *verſ. 15.*

Ecce ut nullum eſt Chriſti opus, quod non petat, velut ſcopum aliquem invidia, & malesana contradicendi libido; quæ etiam in illius dogmata, doctrinámque unguem immiſit, ut quà poſſet vel diſcerperet illam, vel fœdaret. *Quoad doctrinam*

Venerat Jesus, Capharnaum, & occaſionem captarat explicandi novum illud atque ineffabile Euchariſtiæ myſterium, quod ut apertiùs faceret, ediderat oraculum illud:

Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi; ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. *Ioan c. 6. v. 51.*

Ea doctrina primùm Judæos pupugit, & in diverſa traxit; deinde etiam, & diſcipulos impulit ut abirent longiùs à magiſtro quàm optimo: hinc litigare illi ad invicem, & jactare incredulum, infidumque illud: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Hi verò inter ſe muſſitare, & *verſ. 53.* dicere: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* *verſ. 61.* Vides, amice Lector, etiam ut diſcipulorum aures offenderit ea Chriſti doctrina, ut eos æſtu quodam contradictionis abripuerit; ut & à fide, & à magiſtro diſceſſerint. Atque ex hoc uno de reliquis ſacræ doctrinæ capitibus facilis erit conjectura; conſultò enim ea prætereo ne longior ſim in argumento tritu, & cuique ſatis obvio. Venio ad alterum, in *An etiam Chriſtianis ſit in ſignum contradictionis?* quo plerique etiam cum Judæis conveniunt Chriſtiani, qui etſi verbis Chriſto conſentire videantur, factis tamen omninò ab ejus doctrina diſſentiunt, non ſine inſigni in Deum, & Servatorem ſuum injuria; ita enim doctè Salvianus:

Omnis Chriſtianorum culpa, divinitatis injuria eſt. Atrocius ſub ſancti nominis profeſſione peccamus. Ipſa enim errores noſtros, religio, quam profitemur, accuſat. Et verò quidni accuſet? quem ipſe Chriſtus, & verbo, & exemplo accuſat, ac damnat. *4. De gubern. Dei.*

Dixit olim ille: *Beati pauperes ſpiritu.* Et quod *Luc. c. 6. v. 21.* ore docuit, reipſa firmavit extremam egeſtatem amplexus; at tu contrà Chriſtiane, audiu, pronuntias, *Et quomodo?* & infœlices pauperes, & fortunatos divites; utque ex iis ſis nulli operæ, nulli labori parcis, ne animæ quidem, quam immani avaritia diſtendis: *Beati*, inquiebat ipſe Servator optimus, *qui eſuritis*, qui *fletis*, *verſ. 22.* qui perſecutionem patimini, utque beatos doceret exemplo, & eſurire ipſe, & flere, & perſecutionem pati voluit. Contrà verò qui nomine Chriſtianus es, & miſeros proclamas qui eſuriunt, & miſeriores qui flent, & miſerrimos qui perſecutionem patiuntur, in quo profectò, & ab ea, quam profiteris religione, & à Chriſto diſſentis quàm maximè.

Addidit & ille: *Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos.* Hoc Dei hominis placitum eſt, *verſ. 27.* hæc maxima religionis noſtræ; contra quam inſano auſu jactas illud, & odio habendos inimicos, & malefacta malefactis eſſe compenſanda; in quo Servatori tuo improbè contradicis.

Adjecit & ille pronuntiatum aliud è Cœli ſchola petitum: *Qui te percutit in maxillam, præbe & alteram, & ab eo qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Tu contra niteris Chriſtiane: ſi enim *verſ. 29.* quis te pugno petit, tu eum ferro fodicas, & viſcera crudeliter rimaris. Veſtimentum aufert tibi latrunculus aliquis, tu ei vitam rapis, ſi potes. Ecce ut cum Deo tuo, cum Chriſto tuo pugnas, & tamen ut ita pugnes impiè, Chriſtianus eſſe & videri vis; at nec es, nec unquam eris cœlo judice. Si fidem quam tenes, intueor, Chriſtianus es; at ſi vitam, & infidelis, & atheus; ore quippe Chriſtum fateris, at opere negas, & quem voce allicis, manu removes, à teipſo diſſonus, atque diſſentiens.

Quiſquis es, velim audias quid olim ad nepotem ſuum Picus Mirandulæ Comes, vir omninò magnus:

Magna inſania, inquit, *Evangelio non credere, cujus veritatem ſanguis Martyrum clamat, Apoſtolica reſonant* *Epiſt. 1.*

voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur: ſed longè major inſania, ſi de veritate Evangelii non dubites, vivere tamen quaſi de ejus falſitate non dubitares.

Et ita hoc, quo ſpiramus ævo, vivere mihi videntur è Chriſtianis plerique, in eo magis damnandi, quàm infideles, Ethnici & Pagani; hi enim etſi in hoc inſani videantur, quòd amœnum fidei jubar, quod ſub oculis eſt, non videant; at inſani magis, atque amentes Chriſtiani, qui, etſi fidei lucem aperto mentis oculo hauriant; ſic tamen vitam omnem exigunt, quaſi eo lumine penitùs deſtituti; imò contra illius ductum ita connituntur, quaſi ridicula, adulterina, & falſiſſima crederent ea omnia, quæ in oculis poſuit ea fides.

QUÆSTIO QUARTA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* verſ. 35.

QVIS ILLE GLADIVS? & cujus impactus manu?

Quis ille gladius?

DE hôc ſua inter authores lis, atque contentio; & prima quidem de voce: altera de re etiam ipſa.

In Latino textu dicitur *gladius*, in Arabico, *lancea*: in Græco *ρομφαία*, quæ vox & gladium, & jaculum ſive lanceam ſignificat. Et hoc de voce; de re major omninò controverſia, ecquis ille gladius? ecquæ lancea, cui pervia erit aliquando Virginis anima?

I. Verbum Dei. *Hom. in Dom. poſt oct. Nat.*

S. Eucherio, eſt *gladius ſpiritus*, hoc eſt Dei Verbum. Quod ex vero gladium eſſe probat Apoſtolus; dum enim ſacratiori militiæ invictum pugilem parat, armátque: dat illi in manus *gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei*, à quo ſcilicet penetretur, ac diffindatur anima etiam ad ſanitatem, hoc eſt, ad vitæ in melius commutationem.

Et ita Dei Verbum, ceu gladius anceps penetravit, pervaſitque animum illius, qui deinde ab Imperatore, propter concinnam verſuum inventionem, creatus eſt Rex, & *Rex verſuum* appellatus.

Wadingus tom. 1. Annal. Minor.

Audierat ille D. Franciſcum Aſſiſium, ſacrum illum, & peccatoribus timendum oratorem, nec ſolùm audierat: ſed etiam dum è pulpito diceret, duobus enſibus, iiſque tranſverſis formidandum viderat, atque coruſcantem, è quibus unus à capite ad pedes defluebat: alter autem à manu ad manum per medium pectus portendebatur.

Et hæc illi de Franciſco concionem habente, exhibita de cœlo ſpecies, atque imago: utique illius gladii, de quo Apoſtolus, *gladius ſpiritus, quod eſt Dei verbum.*

Et hoc percuſſus Regulus ille noſter D. Franciſco ceſſit, Deóque ad meliora vocanti aures, animúmque inflexit, auláque omni valere juſſa, & mundo renunciavit, & purpuram ſceptrúmque poſuit, & humilem illius Divi habitum induit, atque ab illo dictus *Frater pacificus.*

Sic illum ad ſanitatem animæ pertranſiit gladius: at non ſic Virginem, in qua nihil erat ſanandum, aliter tamen, atque aliter eam pertranſiit: ad aliquem ſcilicet doloris ſenſum, ad tenerum quemdam compaſſionis affectum; dum enim Virgo intima Scripturariſm quæ de filio erant, penetrat: ab illis etiam penetratur. Et hic primus gladius, de quo præſaga voce pius ſenex.

In cap. 2. Lucæ. II. Mariæ ſapientia

Alter eſt, D. Ambroſio, gladius ſcilicet Mariæ prudentia, non ignara myſterii cœleſtis, quod altè infixum fuit ſanctiſſimæ illius animæ.

In Pſ. 118. III. Judicii rigor

Divo Hilario gladius ille eſt terror extremi judicii, qui etiam Virginis animam ſubire poterit, quamvis vel maximè innocentem.

Orat. de propb. Simeon. IV. Dolor.

Timotheo Jeroſolymitano Præſuli, *gladius* eſt ille dolor, qui Virginis animam occupavit eo triduo, quo filium amiſit.

V. Martyrium non corporis; ſed animi.

Aliis *gladius* eſt Martyrii, quo percuſſa Virgo vivere terris deſiit, & cœlis cœpit illuſtris victima. Verùm hæc ſententia ab omni hiſtoriæ fide eſt aliena: nec enim violenta manu, ferróque, vitam dedit Chriſti mater, nec martyrium ſubiit, niſi fortè mentis illud eſſe velis, non corporis.

Euthymio, Bedæ, aliiſque & communiùs, & veriùs, *gladius* eſt arctiſſimus ille dolor, quo perfodi potuit, atque etiam debuit Virginis anima, primùm cùm lingua, ceu gladio, ceu jaculo petita fama, vitáque innocentis filii: deinde etiam cùm ſuppliciis, tormentis, clavis, lancea, immaniſque cruce. Eò quippe loci ac temporis Judæis alius, atque alius gladius fuit, unus linguæ; *Exacuerunt* enim *ut gladium linguas ſuas.* Alter ferri, hoc eſt clavorum, lanceæ, aliorúmque inſtrumentorum, quibus hauſtus Chriſti ſanguis, & vita. Tam hic, quàm ille Divæ matris animam pertranſiit: ſed cujus, inquies, adactus manu? Hîc vertitur cardo ſecundæ quæſtionis.

Pſal. 63. v. 4.

Cujus impactus manu.

Gladium illum altè infixit, hinc dolor & inde amor; ab hoc & ab illo mirum quantùm pati potuit, ac debuit Dei Mater; cui tum evenit, quod deficienti Lunæ: ſi enim Eclipſim aliquam, ſi lucis ſuæ defectionem Sol patiatur; & Lunam quoque pati neceſſe eſt; hoc paucis indicavit illâ ſponſæ voce:

Cant. c. 1. v. 1.

I. Doloris.

Nolite, inquiebat, *mirari quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol.* Interprete Halgrinio Cardinali, *loquitur beata Virgo de dolore, quem habuit tempore paſſionis filii ſui, & convertit ſermonem ſuum ad adoleſcentulos dicens, nigra ſum animi mœrore confecta; vel ſic nigra ſum deſpecta, obfuſcata, decolorata, quia decoloravit me Sol moriens; decolorem me fecit Sol obſcuratus, & obfuſcatus*, meus, inquam filius, qui mihi fuit quod Lunæ Sol iſte aſpectabilis, ubi illum atra tormentorum nube involvi ſenſi, ubi profunda mortis nocte mergi, ubi deficere penitùs, atque occidere: tum & ego involvi cœpi, & eadem caligine tegi, atque obrui. Et verò quidni obruerer? Filio meo, Chriſto meo, Deo meo Crux erat, eáque unica; at mihi (quod venia tua dixero fili) trina crux erat: primùm ea è quâ pendebas ipſe, tum etiam tu ipſe, denique & ipſa mihi quoque crux eram.

Serm. de laud. Virginis.

Hæc ex veritate dicere potuit Virgo mater, mater doloris; quam ideò D. Epiphanius *Cruciformem* appellare conſuevit, ut quæ cruci conformis, imò conformata in crucem videretur, non per paſſionem in carne: ſed per compaſſionem in mente; itáque crux Chriſti & Mariæ crux erat, & ipſa *ſibi*,

per

per affectum quodammodo crux erat, inquit idem Epiphanius.

Et hic fuit ille doloris gladius, de quo pius Senex Cygnea ad Virginem voce. Hunc porrò altiùs, & fortius imprimebat amor, de quo illud Amedæi: *Maria vicit ſexum, vicit hominem, & paſſa eſt ultra humanitatem: torquebatur enim magis, quàm ſi torqueretur ex ſe, quia ſupra ſe incomparabiliter diligebat id, unde dolebat.* Hom. 5. de Virg.

Dixit olim D. Damaſcenus, dixit, & Juſtinus Mariam librum fuiſſe animatum, in quo ſtylum duxit amor, dolórque. Quòd ſi liber fuit, videamus qui fuere typi; quæ papyrus, quis typographus, quis color, qui eam imbuit, & characteres expreſſit? Non erit hoc à ſcopo meo alienum, etſi paululùm à propoſitâ gladii ſimilitudine recedat.

Anima papyrus fuit miri candoris, miri nitoris, quem ſcilicet dabat tota candida, tota lactea virginitas.

Typi fuere malleus, clavi, lancea, ſpinea corona, crux ipſa; rudes omninò, craſſi, & duriores adamante typi.

II Amoris. Typographus amor fuit, qui Virginis animam, ceu mollem, ſubactámque papyrum prælo ſuppoſuit, & characteres ſuos valido niſu impreſſit.

Characteres fuere vulnera, plagæque, ſeu quæ vertici à ſpinis infixæ, ſeu quæ clavis trabalibus impreſſæ manibus, pedibusque, ſeu quæ à lancea lateri profundiùs immiſſæ, ſeu denique toto corpore à flagris diffuſæ.

Color denique, quo imbuti atque expreſſi in Virginis anima characteres illi, ſanguis fuit. Ecce liber omninò novus, cui in fronte pro titulo appingere poſſumus illud lemma: *Liber doloris*; doloris inquam, cui parem nulla vidit unquam, aut videbit ætas.

Rationem ſi quæras, eam exhibet ille ipſe, quo authore utor, Damaſcenus, quia alii in corpore patiuntur; at Virgo in anima.

Orat. de Aſſumpt. *Alii ſancti*, inquit, *etſi paſſi ſunt pro Chriſto in carne, tamen in anima pati non potuerunt. Beata Virgo Dei genitrix in ea parte paſſa eſt, quæ impaſſibilis habetur; Ideò quia ſpiritualiter, & atrocius paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti, plusquam Martyr fuit.*

Damaſceno conſentit D. Bonaventura, cujus hoc de Virgine effatum: *Maria quia mente paſſa eſt, plusquam Martyr fuit*: quî autem mente paſſa ſit, ſuo more, id eſt piè, explicat ille ipſe S. Doctor:

C. 5. Stimuli amoris. *Stabat*, inquit, *juxta crucem* JESU *Mater ejus. O Domina ubi ſtas? nunquid juxta crucem? imò in cruce cum filio cruciaris, ſingula vulnera per ejus corpus diſperſa, in tuo corde generaliter ſunt unita: tu Domina in tuo corde es lanceata; tu amaris clavis inclavata; tu de ſpinis coronata; tu illuſa, & exprobrata; tu contumeliis, & maledictis affecta, etiam felle, & aceto potata; ô dulciſſima Domina cur iviſti immolari pro nobis! nunquid non ſufficiebat nobis Chriſti paſſio, niſi crucifigeretur & mater?* Ecce judice D. Bonaventura etiam cruci affixa fuit mater, non carne; ſed ſpiritu, qui ex mirabili quadam ſympathia, & amoris æſtu, eos in ſeipſo exprimebat cruciatus, quos in Chriſti corpore ſæva tyrannis ante expreſſiſſet.

Quod opportuna ſimilitudine declarat B. Laurentius Iuſtinianus: ait enim eò loci, ac temporis cor Virginis fuiſſe inſtar ſpeculi. Huic ſi objicias miſellum aliquem multo vulnere cruentum; eundem tibi reddet illud, & hiantia vulnera, & cruoris fontes, & ſpirans cadaver. Quod ſpeculo, hoc cordi Virginis; excipiebat illud, reddebatque, & vincula, & flagella, & ſpinas, & clavos, & crucem, & vulnera morientis filii; imò, & ipſam infandæ mortis imaginem. *Cor Mariæ*, inquit, *clariſſimum paſſionis ſpeculum, & perfecta mortis imago effecta eſt.* Hinc ille doloris ſenſus; hinc uberes lacrymæ fontium inſtar, imò, & torrentium. Referunt Patres Contemplativi Virginem Matrem tum morienti filio, tum etiam mortuo infudiſſe lacrymas nongentas ſupra triginta millia, quas inter (teſte S. Germano) pleræque cruentæ, imò purus, putuſque ſanguis. Nimirùm areſcente humore aqueo, excitus vi doloris erumpebat ſanguis. L. de triumphi agone.

Sic in ea (ut rectè D. Bernardus) *corporeæ paſſionis ſenſum exceſſerat compaſſionis affectus*; & is quidem tantus, ut ſi natus ex eo *dolor Virginis, in omnes creaturas divideretur; omnes ſubitò interimeret*, ut mihi author eſt D. Bernardinus Senenſis. Serm. in c. 12. Apoc. Tom. 2. Serm. 6. art. 3. c. 4.

Si doloris illius portio, vel exigua, vel delibata tantum cuique etiam fortiſſimo mortem attuliſſet; imò toti hominum generi fatalis fuiſſet, etiam in varios diſtractus, & partitus: quantùm neceſſe fuit in una Virgine extitiſſe cruciatum, qui naſcebatur ex collecto cumulo totius doloris? tantus is certè fuit, ut mente concipi non poſſit, nedum verbis explicari.

Non credo, inquit D. Bernardus, *plenè enarrari poſſe dolorem Virginis, niſi tantùm fuiſſe credamus, quantùm unquam dolere potuit de tali filio talis mater.* Quantum autem illud, explicabit ipſa, & in aures noſtras influet blandâ D. Anſelmi voce, apud quem ſic plangebat Virgo mater inter extremos filii morientis anhelitus. De Lament. Virg.

O fili chare, ô benigne nate, ô amor unice fili mi dulciſſime, da mori tecum, & ne derelinquas me, nil mihi dulcius verè, quàm mori tecum amplexatâ cruce, & nil amarius certè, quàm vivere ſine te. Tu mihi pater, tu mihi filius, tu mihi ſponſus, tu mihi theſaurus, tu mihi omne bonum. Nunc orbor patre, viduor ſponſo, deſolor prole, omnia perdo perdito uno te, quia doloris gladius animam meam atrociſſimè pertranſiit. De Lament. Virginis.

QUÆSTIO QUINTA
THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Puer autem creſcebat ætate, & confortabatur; plenus ſapientia; & gratia Dei erat in illo.* verſ. 40.

QVI CRESCERET CHRISTVS? Qui creſcere debeat & Chriſtianus?

Quomodò crevit Chriſtus? CRESCEBAT puer JESUS ut annis, atque ætate; ita membrorum robore, ac viribus, imò, ut habet Græcus textus τῷ πνεύματι creſcebat, & *ſpiritu*: non eo, qui intrinſecus eſt; ſed qui extrinſecus per verba, per opera, per prodigia ſeſe effundit; quod ut in aperto ſit, juvat audire, quid ea de re Interpretes ſacri. Diſtinguunt illi in puero JESU triplicem ſapientiam; una eſt *divina*, cui accedere nihil unquam potuit; decedere omninò nihil. Altera eſt *infuſa*, atque ingenita jam inde à primo conceptionis momento; & huic quoque nulla facta eſt acceſſio. Triplex in Chriſto Sapientia.

Experimentali crevit.

Poſtremâ denique eſt *experimentalis*, & illi lapſu temporis addi quàm plurimum potuit, imò, & additum re etiam ipſa: puer enim majora in annos, in menſes, in dies latenus ſapientiæ dabat argumenta: *Non aſſumens ſapientiam; ſed paulatim illam denudans;* inquit Theophylactus.

Eu ferè modo quo Zeuxis, atque Apelles; quo pictor unus aliquis tabellam à ſe affabrè elaboratam non illicò nudaret univerſam; ſed modò hanc, modò illam partem ſpectantium oculis objiceret, dum interim obducto velo celaret alteram.

Quod venia tua dictum ſit, bone JESU; pictura erat, anima tua; pictor, Spiritus Sanctus; colores, virtutes, è quibus efficta imago quædam animata longè pulcherrima; hanc porrò celaſti diu, texiſti diu ſingulari demiſſione ceu velo: aperuiſti tandem, atque explicuiſti non quidem ſimul univerſam (hanc enim nec hominis oculus, nec mens caperet) ſed paulatim, pro ut occaſio ferebat, & gloria Patris Æterni, cujus nutu & claudi omnia, & recludi neceſſe fuit.

Id autem dum feciſti, puſillis mortalibus exemplo fuiſti, atque documento; ut & ipſi ſicuti ætate, & annis; ita & virtute, ſapientia, gratiaque creſcerent: & hoc eſt quod ſecundo loco mihi propoſitum volui. Error fuit, & immanis quidem Iovinıani aſſerentis neminem unum aliquem creſcere poſſe juſtitiâ, ac virtute, uti neque à vitio cœlo Judice decreſcere, atque deficere.

Manavit ea hæreſis ex alio infami placito, quòd & virtutes pares, & vitia omnia paria; quod ipſum diu antè cenſuere Stoici.

His affine fuit Lutheri dogma, qui & ipſe pernegavit mortales creſcere poſſe in juſtitia; eò quòd illa non eſſet intrinſeca, atque inhærens; ſed extrinſeca, & quaſi aſcititia, puta, imputatio juſtitiæ, quæ in juſtis omnibus par fuit, atque æqualis.

Contra hos ſtetit, ſtabitque in ævum omne recepta cœlo, terriſque veritas. Chriſtianum juſtitiâ, gratiâ, charitate, cæteriſque virtutibus creſcere ſemper poſſe: imò & debere, niſi & à ſe, & à Chriſto ſuo deficere velit, atque degenerare.

Creſcat & Chriſtianus.

Appello Sapientis fidem, atque authoritatem; hoc ille quondam è Cathedra edidit oraculum:

Prov. c. 4. v. 18.

Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem. Ubi à ſomno tibi redditus es, ubi ſoporem excuſſiſti, vides aſſurgentem auroram; ea tenebras diſcutit, profundamque noctem, & ſenſim aſſurgens procedit, creſcitque, dum altiùs vertici incumbens meridiē faciat, plenamque lucem. Quod in orbe Sol ille aſpectabilis, hoc in Eccleſiæ cœlo juſtus omnis: ſurgit ille inſtar auroræ, & hoc quidem primo ætans diluculo; deinde perenni curſu longiùs elabitur, & creſcit, procedens ab una virtute ad aliam, veluti per quoſdam gradus, uſque dum optatæ perfectionis, vel ſi voles beatitatis meridiem attingat; tum enim in ea ſiſtit tanquam in ſuo Zenith, petitoque culmine; adeò de illo verum iſtud Vatis Regii. *Ibunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion;* & ita ivit S. Furſeus, qui in quodam mentis exceſſu audivit de ſe, ſuique ſimilibus, hoc ipſo verſiculo gratulantes Angelos.

Pſal. 83. v. 8.

I. Vitia calcando.

Si porrò ex me quæras, qui ſic eat juſtus? audies primum, vitia calcando, deinde virtutes conſectando.

Inveſtigavit olim Euſebius Emiſſenus, quæ eſſet ad perfectionem via? quæ deinde ad ſuperos? & poſt longam indaginem, hanc tandem invenit; ſi ſcelera noſtra, ſi inſultantes rationi paſſiones ſub pedibus poneremus, & iis quodammodò nobis aſcenſum pararemus ad cœlum. *Sublimabunt nos,* inquit, *ſi fuerint infra nos: de noſtris etiam vitiis ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus.*

Hom. de Aſcen. Domini.

II. Virtutes erigendo.

Altera ratio magni in ſpiritu profectus, hæc eſt, ſi virtutibus, veluti quibuſdam gradibus, facilem nobis ad ſuperos aſcenſum paramus; utque paremus, triplicem in capita noſtra gratiam diffundit omnis boni largitor Deus.

Serm. 1. de Aſſumpt.

Vnam qua convertimur, aliam qua in tentationibus adjuvamur, tertiam qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur; ſecunda provehit, quâ juſtificamur: tertia conſummat, quâ glorificamur. Prima beneplacitum eſt; ſecunda meritum; tertia præmium. Ita ſtylo aureo Bernardus de divina gratia, quâ probè inſtructus juſtus omnis *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*, vel ut ex Hebræo vertit D. Hieronymus, *ſemitas in corde;* vel ut alii, *vias altas in corde diſpoſuit:* quæ ſint illæ petis? ſunt pia deſideria, quibus veluti pedibus extra ſe abit animus, curritque per aſperos, atque eminentes virtutum colles; & ex iis, veluti gradus quoſdam ſibi facit, & aſcenſiones diſponit in corde ſuo. Primus gradus figitur *in valle lacrymarum*, in pœnitentiæ humilitate: alter in ſpe veniæ, & conceptâ de Dei bonitate fiduciâ; alius attollitur æſtu quodam, impetéque charitatis; quæ etiam elevat ad altiora, ad gradum quendam præcellæ contemplationis, cui *benedictionem* dabit legiſlator, ut ſic eat *de virtute in virtutem;* vel ut alii vertunt, *de opulentia ad opulentiam, de doctrina in doctrinam, de Academia in Academiam.*

Pſal. 83. v. 6.

Fit enim per virtutes opulentus animus, veræ quippe divitiæ virtutes ſunt, & qui eas obtinuit, næ ille cœlo judice, dives eſt: & is fuit Iſaac, de quo illud Scripturæ oraculum: *Locupletatus ibat proficiens, atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt.* Et is quoque erit quiſquis erit à Dei donis probè inſtructus, magnus erit à cœleſti opulentia, magnus etiam à doctrina; qui enim animum virtutibus imbuit, eam acquirit ſcientiam, quâ Deo & ſuperis ſapit, ideóque verè magnus; ut qui de doctrina in doctrinam, & de Academia in Academiam tranſeat, hoc eſt à ſæculari profanáque doctrina, & Academia, ad cœleſtem ac divinam gradum faciat, eáque addiſcat, quæ æternas veritates explicent, Deumque aperiant, qui bonæ menti liber eſt, in quo & videat omnia, & extra quem omninò nihil dignum, in quo intelligentiæ obtutum defigat.

Gen. 26. v. 13.

Motiva.

Et hæc pauca dicta ſint de modo, quo Chriſti exemplo creſcere debeat Chriſtianus; addamus jam nonnulla, quæ etiam ſtimulo ſint, atque incitamento.

Quiſquis & nomine, & re etiam ipſa eſſe volet Chriſtianus, imitetur ſtultos mundi amatores, & procos, qui capti amore labilis formæ, nullam elabi ſinunt occaſionem, qua placere poſſint illi, cujus gratiam ſtudioſè venantur. Imitetur & negotiatores, qui in omne lucrum intenti, etiam de minimo lucello ſollicıti ſunt, & anxii, rati per modica lucra non modicam fortunarum fieri acceſſionem.

Imitetur & Philoſophos profanæ ſapientiæ alumnos, ac ſtudioſos in paucis, qui tota vita literis aſſident, qui chartis impalleſcunt, & diem ſibi periiſſe opinantur, quo non aliquid evolverint: ſimiles Tito Imperatori, qui ſi quo die amicum ſibi non feciſſet, dicere ſolitus: *Amici diem perdidi.* Si amaſio cuipiam tantus ardor, tanta cupido placendi: ſi negotiatori tam impenſa cura lucelli, vel exigui. Si Philoſopho id ſtudium, is amor profanæ ſapientiæ, ut in ea ſeſe magis promoveat; quanta in Chriſtiano ſolicitudo eſſe debet profectus in ſpiritu? certè quantùm intereſt corpus inter & animam; cœlum & terram; tempus & æternitatem: tantùm neceſſe eſt intereſſe inter proventum, qui fieri poteſt, vel in fortunis; vel in ſcientia; vel in alicujus homuncionis, quiſquis ille ſit, gratia; & eum, qui in virtute, & veris animi bonis, quæ ipſam ferent æternitatem.

DOMINI-

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

EDucitur è Nazareth puer Jesus, & comite Maria, ac Ioſepho, Ieroſolymam pergit; aſcendit in templum; ibique manet etiam triduo toto, & quidem inſciis parentibus, quos illicò invaſit mira ſollicitudo, à qua regreſſi in Ieruſalem; medium invenerunt Doctores inter ſedentem, audientem illos & interrogantem, non ſine amabili aſtantium ſtupore; nec enim capiebant, quî in puerum duodennem, & fabri, ut rebantur, filium, ea divinorum oraculorum ſcientia caderet. Cùm eò loci ac temporis in filium incurriſſet Virgo Mater, pauculas de abſentia depoſuit querelas, ſed doloris, ſed amoris, quas illicò diluit Jesus; docuitque ſic omninò factum oportuiſſe, ut & à patre, & à matre abeſſet longiùs, & intereſſet iis, quæ erant Æterni Patris. Hæc ubi dicta, actáque veluti jam ſcenâ, cujus ergò Ieroſolymis manſerat, Nazarethum cum illis deſcendit, & miro demiſſionis prodigio ſeſe ſubjecit & patri fabro, & virgunculæ matri: itáque & ſapientia, & ætate, & gratiâ profecit. Et hæc de te tum geſta, cui adjicio.

EX D. THOMA.

Luc. c. 2. AD illa verba: *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te*; cenſet tria notari oportere.

Primum: *Quærentes*, ii ſunt *Maria*, & *Ioſeph*: *Maria*, id eſt, *illuminata*, & per hanc deſignantur contemplativi, qui divinis illuſtrationibus ad altiora evecti, Deum quærunt.

Ioſepho, hoc eſt, *augmentum*, per quem intelliguntur *activi*, qui dum externa miſericordiæ opera exercent, Deum & ipſi quærunt: & hoc de primo.

Secundum, eſt *modus quærendi*, qui ut is ſit quem oportet, ſeptem omnino requirit: 1. Enim quæri debet Jesus *cum mentis puritate*. 2. *Cum intentionis ſimplicitate*. 3. *Ex toto corde*, ut eum ſolum cogitemus. 4. *Ex tota voluntate*, ut eum unum velimus. 5. *Cum feſtinatione*, ne elabatur tempus, quo inveniri poteſt: hinc illud Iſaiæ monitum: *Quærite Dominum dum inveniri poteſt*. Cap. 55. 6. *Cum perſeverantia*, & *ſine ceſſatione*. Ita docuit Regius Vates: *Quærite faciem ejus ſemper*. Pſal. 104. 7. *Cum dolore peccatorum*: *Dole*, & *ſatage filia Sion*, inquiebat Micheas: & hæc de ſecundo. Cap. 4.

Tertium, *Inquirendus*, & quidem *propter tria*: 1. Quia *Iuſtus*, ut qui quærenti non deſit; 2. Quia *manſuetus*, ut qui ad ſe allicit, ac benignè ſuſcipit; 3. Quia *bonus*, ut qui remuneret, & abundè compenſet quærentes ſe. *Quærite Dominum*, & *vivet anima veſtra*, inquiebat Vates: vivet vita beatiore, atque æterna.

EX D. BONAVENTURA.

EXpendit ille primum iſtud Virginis Matris ad Filium: *Fili quid feciſti nobis ſic? ego*, & *pater tuus* Luc. c. 2. *dolentes quærebamus te*. Amica, & materna expoſtulatio, in qua exprimitur

Dom. infra Oct. Epiph. Serm. 1. 1. *Dulcedo benignæ allocutionis in ore, hîs ſcilicet: Fili quid feciſti nobis ſic?*

2. *Amaritudo magna tribulationis in corde, cùm ſubditur: Ego, & pater tuus dolentes.*

3. *Sollicitudo diſcretæ inquiſitionis in opere, cùm ſubinfertur: Quærebamus te.*

Et hi fuere ſenſus materni pectoris, quos eliciebat, quæ erant in filio potentes amoris illecebræ.

1. *Pulchritudo venuſtatis*, & *pudicitia in mente & corpore*.

2. *Dulcedo pietatis*, & *ſapientiæ in ore*.

3. *Manſuetudo tractabilitatis*, & *patientiæ in opere*: hæc ubi dixit

Expendit deinde illud ejuſdem Virginis: *Quærebamus te*; & ait: *Quærendus eſt Chriſtus per fidem, per amorem, per juſtitiam, per bonam operationem*.

At quando, inquit? reſpondet *Per triduum*, *Contritionis*, *Confeſſionis*, & *Satisfactionis*.

Vbi? In toto corde, inquit, & *non in uno angulo cordis, ſicut illi, qui in una parte cordis diabolum, in alia Dominum quærunt.*

Vbi? In templo; id eſt in contemplatione, in oratione, in prædicatione.

A quibus? A Maria, *à* Joseph. *In Ioſeph, proficientes; in Maria, perfecti; in Ioſeph, activi; in Maria, contemplativi ſignificantur; & hæc eſt generatio quærentium Dominum.* Sed ad quid? inquies, reſpondet, *Vt inventus nobiſcum ſit per gratiam.*

Denique *Quomodo? Dolendo*, & *flendo*; *ſic enim quærere debemus Chriſtum, ſicut quæreret fontem, vel aquam cujus domus arderet; panem, quem fames urgeret; dilectum, qui amore langueret, vitam, qui ſuſpendi deberet: nimirum fons eſt Chriſtus extinguens ardorem vitiorum, panis confortans in via mandatorum, dilectus amplexans in*

oblectatione meritorum, vita conſervans à morte damnatorum.

Quando ſic quæritur, invenitur, ut olim à MARIA, & IOSEPH; ſed non niſi *poſt triduum.*

Serm. 2. Quod illud ſi petis, audies, ex eodem Doctore, quod ſicuti *tres ſunt ſtatus quærentium Dominum, videlicet, incipientes, proficientes, & perfecti.*

Ita & triduum incipientium, proficientium, perfectorum.

Tridui incipientium, primus dies eſt Contritionis; ſecundus Confeſſionis; tertius Satisfactionis.

Serm. 3. *Tridui proficientium, ſive religioſorum, primus dies eſt Paupertatis voluntariæ; ſecundus dies Continentiæ; tertius dies eſt Obedientiæ.*

Serm. 4. *Tridui perfectorum, primus dies eſt quietis internæ,* cujus tres ſunt conditiones: *debet* enim *anima quieſcere 1. à prava cogitatione; 2. à curarum oppreſſione; 3. à phantaſtica imaginatione.*

Cap. 17. Has expreſſit Hieremias vates, dum ſic olim ad Iſraelem: *Cuſtodite animas veſtras.*

Ecce quietem *à carnali cogitatione: Et nolite portare pondera in die Sabbathi.* Ecce quietem *à ſollicitudine temporali*, quæ pondus eſt, & quidem immenſum: *Nec inferatis per portas Hieruſalem*, id eſt per ſenſus, qui animi portæ ſunt: *ne inferatis imagines corporales, & vana phantaſmata*; & ecce quietem *ab imagine corporali.*

Secundus dies eſt contemplationis; in hac invenitur *Deus, qui eſt lux in cogitatione, ſplendor in meditatione, perfectus dies in contemplatione.*

In hac dum eſſet Auguſtinus, ſic ad Deum ſuum: *Vbi te inveni veritas Deus? niſi in te, ſupra me.*

Tertius dies eſt perfecta dilectionis; ad hanc tria accedunt: 1. *Sponſi humiliatio.* 2. *Beneficiorum multiplicatio.* 3. *Gloriæ æternæ præparatio.*

Hæc tria expreſſit animarum ſponſus, qui ſic olim ad filias Hieruſalem:

Egredimini filiæ Sion, id eſt, bonæ mentes, à mundi turba, ac tumultu; *Egredimini per quietem, videte per contemplationem Regem Salomonem in diademate carneo, quo coronavit eum mater ſua Maria; Diademate ſpineo quo mater Synagoga*, ſi tamen mater, ac non potiùs noverca; *& ecce humiliatio. In die deſponſationis*, hoc eſt *Fidei, ac juſtitiæ* quibus animam ſibi ſponſam facit; & ecce *beneficiorum multiplicatio: In die lætitiæ cordis ejus; corde enim lætatur Chriſtus, de præparata prædeſtinationis gloria, ac beatitate; & ecce gloria æternæ præparatio.* *Cant. 4.*

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti.* Luc. c. 2. v. 42.

AN MATER, AN FILIVS EA CONSVETVDINIS lege teneretur, & ſi non teneretur cur tamen ei ſeſe ſubmiſerint?

LATA, cœlo Judice, lex erat, qua jubebantur viri Iſraëlitæ ter in anno adire templum, Numénque inibi publico cultu venerari; ſic enim olim ad Moyſem Legiſlator Deus.

Exod. c. 23. v. 17. *Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo*, ſcilicet in tribus præcipuis anni ſolemnitatibus, Paſchate, Pentecoſte, feſto Tabernaculorum.

Obedientia D. Virginis. Legis hujus apprimè retinens Joſephus, Ieroſomam aſcendit ſtata die; eunti comes fuit Virgo Mater, comes & parvulus JESUS; licet neque hic, neque illa, lege teneretur. Voluit nimirum poſteris omnibus eſſe documento, atque exemplo, ut & ipſi Deo jubenti ſeſe ſubmitterent, & avitæ conſuetudinis eſſent obſervantiores.

Poterat enimverò Virgo Mater in occulto, ſecretóque conclavi Deum orare, atque etiam exorare; maluit tamen in publico, ſacráque Jeroſolymorum æde, ne ſi ſecus feciſſet, in eo ſingularis eſſe, ac videri poſſet.

Poterat JESUS, tenellulæ ætati parcere, nec ſe in viam dare, fortaſſis incommodo cœlo, auráque inclementiore, eò maximè, quòd neque mater, neque filius lata tantùm pro viris lege aſtringeretur; voluit tamen ſeipſe Jeroſolymis ſiſtere, ut poſteris relinqueret præclara quædam morum documenta. Et quidem primò, ut in ſuperos, Deíque ſui obſequia effuſi, ea etiam ultrò obirent officia, ad quæ nullâ lege tenerentur. Videas Chriſtianos inter, qui ex ſeipſis quærant, qui ſecum ipſi diſputent, an aliqua fortaſſis incumbat ex divino præcepto neceſſitas, & tum illi cedunt: ſecus autem ſi nulla adſit; tum enim ſui juris eſſe, ac videri volunt. Ita ſtatutos ab Eccleſiâ ſolemnis jejunii dies obſervant: ita Dominicis, ac feſtis Sacro interſunt: aliis verò minimè, in Dei cultu parci, atque avari; in aliis liberales, ac prodigi. Hos D. Auguſtinus appellat *pecora campi*, qui ſcilicet libero vagantur campo, ad mundi oblectamenta celeres, ad divina obſequia nobiléſque virtutum actus lenti, ac pigri.

Non ſic mens bona, & Dei ſui amantior. *Aſcenſiones illa in corde ſuo diſponit*: nec præcepto trahitur; ſed prona quadam rectè agendi voluntate.

Ita Alexander Luſacius, homo cæteroquin laicus, implexúſque negotiis hujus ſæculi, Canonicas horas diebus Jovis, & feſtis accuratè evolvere. *Pſal. 83.*

Ita B. Aloyſius adhuc octennis, ſeptem Pſalmos pœnitentiales quotidie flexo genu legere. *Ex Sanctis etiam ſine obligatione*

Ita S. Angelus Carmelita præter diurnum officium, quot diebus pſalterium totum, & quidem de genu percurrere.

Ita S. Thomas Aquinas, ubi ſacrum fecerat ipſe, etiam alteri inſervire. *Ferroel. Laerius.*

Ita S. Henricus Imperator etiam ſub purpura, ſceptróque, & mole incumbentis imperii, quot diebus tria Sacra ſolemnia audire, præter privata, quæ in numerum illum non veniebant. Nimirum excelſi animi eſt etiam ſedulò obire ea pietatis munia, ad quæ nulla lege aſtringeris. Et hoc primùm nos probè doctos voluit puellulus JESUS, ubi in templum aſcendit.

Deinde etiam alterum, non eſſe recedendum à communi cœtu, publicoque religionis cultu. *Fuga ſingularitatis.*

Præclarum ſanè documentum iis, qui cœnobiticam vitam agunt, ut & ipſi tenaces ſint inolitæ conſuetudinis, & ab ea nulla ratione avocari ſe patiantur. Si laborandum ſit, laborent ipſi; ſi quieſcendum, quieſcant; ſi orandum, orent; & eo quidem loco, ac tempore, quod religioſæ leges præſcripſerint.

Hanc

Hanc olim benè vivendi præceptionem diſcipulo ſuo poſuit Seneca:

Epiſt. 5. *Intus omnia diſſimilia ſint, frons noſtra cum populo conveniat*; quaſi diceret: ſi quid in te ſingulare, & à communi vita abhortens, aut diſſimile eſſe velis, intus illud contine; at foris teipſe exhibe, eumque præſta, quem cæteri; amans ſcilicet jam inductæ conſuetudinis, quod intelligi velim, ſi ea cum ratione, cum virtute, cum Deo conſentiat. Sic nunquam incurres vitium ſingularitatis, quod ſcitè in Monacho quodam deſcribit, ac damnat D. Bernardus:

5. Gradu humil. *Non melior*, inquit, *eſſe ſtudet; ſed videri: non meliùs vivere; ſed videri vivere geſtit. Plus ſibi blanditur de uno jejunio, quod cæteris prandentibus facit, quàm ſi cum cæteris ſeptem dies jejunaverit. Commodior ſibi videtur una oratiuncula peculiaris, quàm tota pſalmodia unius noctis. Vigilat in lecto, dormit in choro. Cumq; aliis pſallentibus ad vigilias tota nocte dormiet; poſt vigilias aliis quieſcentibus ſolus in oratorio remanet, excreat, & tuſſit, gemitibus, ac ſuſpiriis aures foris ſedentium de angulis implet.*

Exemplo Chriſti. Hæc S. Præſul de Monacho, qui à religioſa vivendi ratione, communique norma diſcedebat longiùs; culpa ſanè, & ſibi, & aliis noxia, quam exemplo ſuo damnavit Salvator Optimus, ubi ſecundùm conſuetudinem aſcendit in templum oraturus; nec ſe domeſticis parietibus paſſus eſt contineri. Et ſanè qui ſe contineret, cùm iis excederet Joſephus, excederet & Maria, quam ſequi etiam à ſanguine, hauſtâque carne jubebatur; cùm enim eſſet filius quàm optimus, totus ibat in parentis voluntatem, & quò pergebat illa, pergebat & ipſe. Atque hinc mihi proponitur argumentum aliud, ad formandos ritè mores opportunum; hoc ſcilicet, virtutem à parentibus, in filios hæreditario quodam jure tranſire.

Exemplo & Matris. *In liberis*, inquit Euripides in Archelao, *virtus nobilium concipitur, & generoſæ nuptiæ præſtant opulentis*: nimirùm opulentæ gazas implent auri, argentique maſſa; at generoſæ mentem cumulant virtutibus; illæ corpus ornant, hæ animum excolunt; illæ ſerviunt huic vitæ brevi perituræ, hæ autem beatæ æternitati; cujus veluti ſemina quædam accipimus unà cum materno ſanguine.

Exemplo erit magnus ille Baptiſta, qui, ut advertit S. Paulinus, *Sanctis parentibus reſpondit ſanctitate, ingenita quaſi quadam juſtitiæ hæreditate.* Epiſt. 10.

Bona profectò hæreditas, quam adiit Joannes ſimul cum vita, & quam adire ſolent & alii, quibus ſancti parentes obtigere; niſi ab ea ſeſe ſuo vitio excluſerint quaſi proles illegitimæ, & alieno toro genitæ per infame adulterium.

Ne te offendat, amice Lector, ea vox, adulterium; verè enim poteſt cenſeri is partus adulter, qui non trahit unà cum ſanguine progenitorum virtutem, atque ſanctitatem. Quales fuere Judæi, in quos ore aureo Chryſoſtomus. Jactabant illi antiqua nomina, Abrahami, Iſaaci, Jacobi, & iis ſibi famam faciebant: & certè etiam feciſſent, ſi majorum virtutem, geſtáque pro cœlo fortia, & ipſi factis expreſſiſſent; at quia minimè expreſſerunt, hinc in eos illa Chryſoſtomi oratio:

Quid prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Meliùs eſt enim alicui, ut in eo glorientur parentes, quia talem filium habent, quàm ut ipſe in parentibus glorietur. Sic, & vos nolite gloriari, dicentes quia patrem habemus Abraham: ſed magis erubeſcite, quia filii eſtis ejus, & ſanctitatis ejus non eſtis heredes.

De adulterio enim natus videtur, qui non aſſimilat patrem. Meritò ſanè de adulterio, quia ſi de legitimo toro ſit editus, utique patrem non ore tantum, ſed & moribus, & virtutis imagine referre debuit, & is videtur eſſe tacitus quidam naturæ ſenſus, ac totius antiquitatis; è qua illud Plutarchi: *Latentia quædam principia, & ſemina virtutis in generatione liberis communicari*; ut proinde plurimùm interſit, quos cenſeas avos, proavóſque, quóſve progenitores; ab illis enim, ceu fonte quodam in te derivabis fluenta quædam virtutum, ac ſanctitatis, quæ niſi tuo vitio exareſcant, effundent ſeſe latiùs, atque explicabunt in maria gratiarum. Apud Stob. Serm 20.

QUÆSTIO SECUNDA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Remanſit puer* IESVS *in Ieruſalem.* V. 43.
QVOMODO, ET CVR REMANSIT?

Occaſio cur remanſerit. INVALUIT olim ille mos apud Hebræos, ut ſi quando ſacram ad Solymæ limina peregrinationem inſtituerent, irent hinc viri, inde fœminæ ſeorſim; nec hæ cum illis ulla ratione de via miſcerentur: adeò diſcretum eſſe voluerunt utrumque ſexum viri ſapientes; quòd non ſolùm in hac vita, quæ peregrinatio eſt; ſed & à morte factitatum lego: nec enim idem tumulus, virum, & fœminam capiebat, ſed iſte hanc, illum alius, loco ſitúque diviſus.

Gen c. 23. Ita de Abrahamo legimus, quod *ſepelivit* Saram *in ſpelunca agri duplici*, hoc eſt, ſecundùm Interpretes, in ſpelunca, in qua viſebantur ſepulchra duo; unum Abrahamo, & viris; alterum Saræ, & fœminis reſervatum. Ex hac conſuetudine, cujus tenax fuit Maria, fuit & Ioſephus, evenit ut puer JESUS, iis penitùs inſciis, remanſerit *in Ieruſalem*; potuit enim vel ſe matri jungere, vel patri; & hinc amabilis tam hujus, quàm illius error, dum illa credit puerum eſſe marito comitem, & hic uxori adhæſiſſe.

Unde minùs probo quod cenſuit olim Origenes puerulum JESUM, tum temporis, ſe inviſibilem reddidiſſe, & ita parentum oculis ſubtraxiſſe: neque enim ut horum aſpectum effugeret, blandéque falleret, opus erat miraculo, quod non ſolet concedi niſi neceſſitati.

Magis probarem illud, quod opinatur Cornelius, JESUM acceptâ à parentibus venia amicos nonnullos officii cauſa inviſiſſe: itáque ab eorum oculis abiiſſe, & quod inde conſequens fuit, etiam à conſortio, atque comitatu. Ut ut ſit, quamvis ratio, modúſque, quo Jeroſolymis, cæteris abeuntibus, hæſerit, ſit adhuc in occulto; in aperto eſt ibidem remanſiſſe: cujus rationem ſecundo loco inquirimus.

Intimos parentis optimæ ſenſus, mentémque pervadebas, ô divine puellule; præſentiebas quis in ea ſeu doloris, ſeu amoris futurus eſſet æſtus, & quantùm abſentia tua, ceu frigidâ perfuſus, effervEſceret magis, atque in immenſum excreſceret incendium, quod quia excitari ardebas ipſe, ita ad tempus declinas oculos, & fallis amores blandæ matris. Et Rationes.

Amor magis ſentitur, cùm eum prodit indigentia, inquiebat olim Auguſtinus. Nimirum ad inſtar ignis lucplenti ſe habet, cui ſi modicum quid aquæ ſuperinfuderis, Lib. 10. de Trinit.

Digitized by Google

I. Amoris in matre augmentum.

infuderis, adeò ab ea non repeſcit, ut potiùs accendatur magis, atque exardeſcat.

De 4 Grad. viol. Charit.

Supra modum, inquit Richardus Victorinus, *imò ſupra naturam ignis convaleſcit in aqua; quia amoris incendium magis exæſtuat ex alterutra contradictione, quàm invaleſcere poſſet ex mutua pace.*

In Pſ. 118.

Cum Richardo convenic D. Ambroſius: *Quò magis*, inquit, *laſſatur affectus, eò magis amor creſcit, & quò diutiùs abeſt qui deſideratur, eò expectantis deſideria majori quadam vi Amoris igneſcunt*; Quod ipſum alia ſimilitudine ſic exprimit Gilbertus Abbas:

Serm. 19. in Cant.

Muſti præfert amor inſigne, quod nativitatis ſuæ fervore quodam, & velut ætatis laſcivia excreſcit, & ſuperfluit, capi neſciens, & novo ſemper efferveſcit, & fermentatur affectu.

Et is erat virginis in filium amor, ignis imaginem, & muſti præferebat inſigne; eoque aſſurgebat magis, quò dilecti abſentia ampliùs quodammodo contineri videbatur, & cohiberi, ne in eum ſeſe effunderet; ne ei tanquam ſuo centro redderetur.

Ut porrò redderetur, Ioſeph, & Maria non invenientes IESUM, ſine mora *regreſſi ſunt in Ieruſalem*, imò propè eò devolarunt; nimirum, ut inquit, Divus

In Pſ. 118.

Ambroſius: *Alæ Charitatis, alæ ignis: quibus dilectionis inflammat ardorem.*

II. Æſtimationis & deſiderii.

Et hic primus legitur fructus ex abſentia Chriſti, quem deinde excipit alter, & is eſt admiratio quædam major, & ſtupor amabilis tanti boni, cùm eo vel ad momentum caremus. Puſilli homines abſentia mirari magis ſolent, ac ſuſpicere; præſentia verò ſi non deſpicere (quod culpæ majoris eſſet) at certè minoris facere (quod humanę infirmitatis eſt.)

Et hinc factum autumo, ut Deus ter Opt. ter Max. qui à Judæis eximiam quandam ſui venerationem cum ſtupore junctam exigebat, ſeſe illis quaſi abſentem effinxerit.

Ierem. c. 23. v. 23.

Putaſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus? & non Deus de longè? quæ verba ſic exponit Clemens Alexandrinus:

Deus appropinquans ego, inquit, *Dominus: procul enim eſſentia.* At quomodo *procul* cùm ſit immenſa, adeóque intimè præſens cuicumque loco, ac rei? Eſt enimverò divina eſſentia homini quàm maximè propinqua, quia immenſa; longinqua tamen, quia latens, atque inviſa: & inde ſibi conciliat venerationem, attonitóſque mortales rapit: nimirum hi vitio ſuo, quæ ſemper ſub oculos habent, contemnere ſolent, ac nihili pendere; è contrario quæ ſubtrahuntur, amàre atque demirari. hinc illud Horatii:

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Et hoc vetus pronuntiatum:

Quatuor ſunt bonæ matres, quæ quatuor peſſimas filias pariunt; veritas, odium; ſecuritas, periculum; proſperitas, ſuperbiam; familiaritas, contemptum.

Et hoc in pleroſque mortales cadit: at in Virginem ſimile quippiam cadere non potuit; nec enim illa filium abſentem ſuſpiciebat magis, quàm præſentem; idem, illi indubiè, ſemper erat ſenſus, eadem æſtimatio, admiratio eadem: attamen ex abſentia qualicumque, etſi ad breve tempus, enaſci in ea potuit experimentalis quædam ſcientia, ſtupor amabilis, & novus ardor amoris, ac deſiderii, quo in abſentem magis, ac magis ferretur: *Amor enim exæſtuat, ſeipſum non capit; ſuperfluit ſibi*, inquit Gilbertus, Serm. 19. in Cant.
maximè ſi deſit vel abſit in quem effluat; tum enim modum quærit, quo ſe jungat amanti; ſi tamen amori ullus poteſt eſſe modus; quia ut bellè D. Bernardus: *Modus diligendi Deum eſt ſine modo diligere*, Lib. de dilig. Deo.
& quia ſic diligebat Virgo mater, hinc omnes vias inveſtigavit, ut filio ſe ſiſteret, & filium ſibi; quod & fecit; ſed non niſi poſt triduum. ſed cur, inquies, poſt triduum, cur non citiùs?

Verè, inquiebat olim Iſaias, *tu es Deus abſconditus,* Cap. 45. v. 15.
Deus Iſraël Salvator, amas abſcondi non ambitione latendi, ſed arbitrio æſtimandi; pluris enim æſtimatur, quod longiore mora, & labore diuturniore quæritur.

Facilè vileſcit, inquit Nazianzenus, *quidquid facilè* Ora. de amore paupert.
percipitur; quod autem ingenii noſtri aciem ſuperat, quò aſſecutu difficiliùs, eò etiam majorem ſui admirationē movet.

Videlicet, ut ille ipſe author, *à natura compertum eſt,* Orat. 27.
ut ea ſegniùs concupiſcamus, quibus facilè, & liberè frui licet; & quia hujus imbecillitatis probè conſcius eſt Salvator, hinc ſeſe ſæpiùs oculis noſtris eripit, ſeſe abſcondit, ut longiùs ac diutiùs abeſſe videatur, ut & æſtimatio creſcat, & exquirendi labore, moráque etiam meritum: illa in Virgine locum non habuit, (quia juncta eſt cum aliquo imbecillitatis humanæ nævo) at hoc ſedem invenit etiam in Dei Matre, in qua mirum quantùm excrevit, ex illa tam diligenti, conſtantique indagine. Sed erit unus aliquis, qui Ubi illo triduo Chriſtus.
ex me quæret, ubinam eo triduo hoſpitium invenerit Chriſtus? & unde victitarit? hîc alta nox, & profundum ſilentium. Fortè ſub dio, & nudo Iove, ut jam tum de eo verum eſſet illud: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, & filius hominis non habet ubi caput reclinet*, ſunt tamen qui credant communi cum egenis uſum hoſpitio; uti & cibo. Malunt alii primam, & ſecundam noctem exegiſſe apud Sacerdotes, quibus probè nota mater. Videri poteſt Salmeron. Tom. 9. Tract. 46.

De annona verò: unde tum quæſita puellulo JESU; ſunt qui velint mendicatò. Ita piè opinatur S. Baſilius, & S. Bernardus, & favet illud Apoſtoli de eo pronuntiatum: *Propter nos egenus factus eſt*, vel ad inſtitutum noſtrum; Græca lectio, *mendicus factus eſt.* 2. Cor. 8.

Malunt tamen alii lapſos è cœli regia beatos Angelos, qui ei ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſubminiſtrarunt. Et hæc eſt pia ſententiarum inter ſe pugna, quam dirimet, ubi cœlo propitio, quæ jam latet, pandetur veritas.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad eadem verba: *Remanſit puer* IESVS *in Ieruſalem.*
VTRVM IN DIE SOLEMNI, AC SÆPE ſæpiùs non emaneat, atque amittatur IESVS?

Die feſto Deus per peccatum amittitur.

HÆC quæſtio facit ad mores, docebitque, ſi ullo unquam die, maximè feſto, ac ſolemni emanere, amittique à pleriſque JESUM; fidem facient exempla ex omni antiquitate petita.

Exod. 32.

Dies ille, quo Moſes aſcendit in montem, ut à DEO ter Opt. ter Max. legem acciperet, feſtivus omninò fuit; at eodem infœlix popellus, non ſolùm à datis ſibi legibus abiit; ſed quod infandum fuit, etiam à Deo ſuo; & vitulo aureo ſupplex accidit, & genua, mentémque ſubmiſit. I. Probatur in Iſraelitis.

Dies ille, quo Jobus ævi ſui miraculum, immortali Cap. 2.

tali Deo ſacrificium obtulit, precéſque fudit effuſo ſinu corporis; dies utiquam, ille feſtivus fuit; at eodem incauti filii, & lautiùs epulari, & indulgere

III. In filiis Jobi.

geuſo, & unà in ſe miſerabilem ædium ruinam trahere, obruique atque inſepeliri decidua ædificiorum mole, in quam arietarat invidus Dæmon, excuſſerátque in miſeranda capita. Non excuſſiſſet porrò, ſi Jobo parenti comites fuiſſent filii, ſi ſacrificanti interfuiſſent; neque Iſraël idola ſibi finxiſſet, ſi unà cum duce ac Legiſlatore ſuo in montem evaſiſſet.

Tantùm ad ſalutem intereſt, ut & parenti ad ſacra pergenti jungatur Soboles, & populus accedat ſuo duci: quod dictum velim, ut alieno periculo cauta Chriſtiana mater, filias ſuas domi non relinquat, dum ipſa vel ad divina officia, vel ad ſacras conciones procedit: tum enim maximè inſidiari ſolet malus genius, & caſtis, incautiſque puellis retia texere, laqueóſque impuri amoris. Sed ne longiùs, inſtitutum teneamus. Dies erat, iſque ſacer, quo Machabæi, fortiſſima pectora, & grandes animæ à patriis legibus diſcedere juſſi ſunt.

In Machabæis.

L. 2. c. 6.

Ducebantur cum amara neceſſitate in die natalis Regis ad ſacrificia, & cùm liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circumire. Id ne facerent per extrema ſupplicia vitam poſuere victimæ cœli nobiles.

Marc. c. 6.
In Joannis decapitatione.

Dies erat, & feſtivus, quo vox clamantis in deſerto, Vox incarnati Verbi obmutuit, adverſo, inimicóque ferro unà cum cervice revulſa.

Petri vinculis.

Dies erat, & is etiam Azymorum, adeóque ſolemnis quàm maximè, quo ab Herode Petrus datus in vincula.

Christi crucifixione.

Denique dies erat, & quidem Paſchæ, cùm & JESUM infami ligno affixere Judæi, & ſeipſi per ſummum nefas divino illo ſanguine polluere. Adeò verum eſt quod hîc probare molior; à multis abeſſe longiùs JESUM in die feſto; à multis per ſcelus amitti, damno profectò, jacturaque miſerabili, & nunquam fortè reſtauranda; ut proinde benè monuerit S. Ignatius Martyr inclytus.

Ep. ad Philippo.
Primi Chriſtiani quomodo colerent dies feſtos.

Feſtos dies ne dedecore afficiatis, quod multis modis fieri poteſt, tum maximè luxurioſo veſtium apparatu, tricliniis ebrioſis, ſaltationibus indecoris, aliiſque id genus inſaniæ mentis deliriis. Invaluit olim ea conſuetudo, ut Chriſtiani dies feſtos colerent etiam ipſa veſtis mutatione, quæ interiori intelligentia mentis quoque mutationem deſignabat. Hinc illud D. Hieronymi ad Julianum, virum nobilem, qui pullatus conjugem vita functam mœrebat.

Epiſt. 34.

Dedicatio oſſium Martyrum candidata tibi veſtimenta reddiderunt. Erat ille exterior ornatus veluti quædam corporis lingua, quæ Dei, Cœlitúmque laudes prædicaret: & ſanè prædicavit, tamdiu, quamdiu ſeſe Chriſtianæ modeſtiæ finibus continuit; at ubi illis exceſſit, ubi ſeſe petulanter oſtendere, & ex indumento captare vani nominis auram cœpit; tum & ab inſtituto defecit, & à Chriſto JESU, quem eo veſtium luxu etiam in die feſto, ac ſolemni amiſit.

Erant & olim in feriis honoratis convivia; ſed quæ modeſtia, & religioſa quædam parſimonia condiebat. Ortum illa habuere ex cœna, quam *Agape* vocitabant; deinde cœptæ fieri amicorum invitationes ad fovendam mutuam benevolentiam. Denique etiam domi adornatum epulum; ut & familia lautiùs exciperetur, & cum aliquo moderatæ voluptatis ſenſu dies ſolemnis tranſigeretur. Hujuſmodi epulum appellavit Sidonius *luxum Sabbathorum*; à

L. 1. ep. 2.

quo tamen aberat omnis ille luxus, qui vitio verti poſſet: at modo quæ temporum, ac morum eſt in malum inclinatio, ea diebus feſtis inſtituuntur convivia, in quibus regnat, & luxus, & profuſio, & omnia gulæ, ac libidinis incitamenta; à quibus & JESUS amittitur; & Cœlites, qui coli debuerant,

Quomodo nunc polluant.

offenduntur, & meritò; ut enim D. Hieronymus: *Valdè abſurdum eſt nimia ſaturitate velle honorare Martyrem, quem ſcimus Deo placuiſſe jejuniis.*

Epiſt. 19.

Ab intempeſtivis illis, ac redundantibus menſis, alia levitas conſecuta plena inconſideratiſſimæ temeritatis: videlicet *balationes, & ſaltationes*, in quas acri ſtylo invehitur D. Auguſtinus, & jure ſanè quàm optimo; quia, ut ait S. Epiphanius, *non corporis tripudio; ſed mentis motu, ac religione dies feſti celebrandi:* qui ſecus fecerit, IESUM die feſto non inveniet, ſed amittet.

Serm. 215.
In feſt. palm. p. 153.

Tertullianus gravis ac ſeverus morum cenſor in Gentilibus reprehendebat malè ſanam quandam agendi licentiam, quæ maximè inſolens fuit feſtivis diebus, & quæ lapſu temporis, ac morum etiam in Chriſtianis ſolemnitatibus viſa, non ſinè probro ac dedecore ſacri illius nominis. Iuvat hic illum audire:

Grande, inquit, officium focos, & thoros in publicum educere, vicatim epulari, vino lutum cogere, catervatim curſitare ad impudentias, ad injurias, ad libidinis illecebras; ſiccine exprimitur gaudium per publicum dedecus? haccine ſolemnes dies Principum decent, quæ alios dies non decent? ô nos meritò damnandos! Cur enim vota, & gaudia Cæſarum caſti, & ſobrii expungimus! cur die læto non laureis poſtes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? honeſta res eſt ſolemnitate publica exigente, inducere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris?

Hæc Tertullianus de Ethnicis ſolemnitatibus: quorum pleraque ad Chriſtianos tranſferri poſſe videntur, non ſine nota, & macula quadam hujus ætatis; in qua profectò *exprimitur gaudium per publicum dedecus*; eáque ſpectantur, quæ non dico ſacros dies decent; ſed ne alios, ne profanos quidem, in qua denique Chriſtianæ domus induunt *habitum alicujus novi lupanaris*; ita, proh dolor! *exigente*, ut aiunt improbi illi, *ſolemnitate publica*; quaſi hæc eſſet inſtituta ad immanem in veſte luxum, ad ebrietates, & intempeſtiva convivia, ad inſana tripudia, ac ſaltationes, à quibus cùm longiùs abeſſe debeat JESUS, amittitur in die feſto.

Verùm erit unus aliquis, qui me tanquam nimis auſterum, & ſeverum cenſorem arguet, atque damnabit; quis enim neſciat die bono, ac ſolemni, aliquid lætitiæ, ac voluptatis indulgeri poſſe, & hoc etiam ex ſenſu, calculóque totius antiquitatis, & SS. Patrum placitis, atque decretis; è quibus nonnullos audire lubet.

Quæ tum licita recreatio?

Epiphanius ubi totius Eccleſiæ convivia inſtituta exponit. Catholica, inquit Eccleſia, *Dominicas omnes feſtas hilareſq́; decernit.*

In expoſit. Fidei.

Tertullianus *die ſolis*, ait, *lætitiæ indulgemus.*

In Apolog. c. 16.

Evagrius agens de feſto die Martyris Ignatii, eum appellat *popularem, & communem omnium lætitiam.* Igitur judicio etiam ſanctiſſimorum virorum aliquid poteſt dari alacritati, publicóque gaudio: nec illud abnuo; ſed ultrò etiam tibi concedo; & certè conceſſit S. Gregorius Nazianzenus, tibíque pro feſtiva illa voluptate hanc regulam poſuit:

Lib. 1. hiſt. cap. 16.

Non veto animi recreationem; ſed petulantiam coërceo. Hoc ſedulus obſerva, & nunquam in die feſto te deſeret JESUS, nunquam ſua gratia deſtituet; uti deſtituit è Chriſtianis pleroſque, quos tamen illius jacturæ nec tædet, nec pœnitet. Pro liberando Ioſepho fratre, fortiter olim certarat Ruben: Et jam ab imminente cæde exemerat, commiſerátque ciſternæ veteri, utique brevi recipiendum: at ubi redit, nec ampliùs viſus innocens Ioſeph; tum ingenti dolore excitus, exclamavit: *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Et hic ſenſus, hic luctus Rubenis fuit: anxius erat quò ſe verteret, quò pedem, quò mentem flecteret, qui veniret in conſpectum Patris amiſſo Ioſepho fratre.

Orat. 6.

Ita contrà Iesus amiſſus.

Et tibi, ô Chriſtiane, etiam in die feſto, quodammodo

modo periit JESUS: à te enim longiùs abiit, nec impatiens tantæ jacturæ ingeminas illud: JESUS *non comparet, & ego quò ibo?* Quò animum flectam, quò oculos? An fortè in cœlum? at hinc imminent irata fulmina. An ad inferos deflectam? & iſtic parata mihi ſupplicia, & quidem æterna. An ibo in conſpectum Æterni Patris? *At puer non comparet*, à quo tamen uno ſalus. An pergam ad Virginis aras? an me ſupplicem ad ejus abjiciam pedes? at ejus *puer non comparet*, & *ego* igitur *quò ibo?* Ut ingenuè tibi dicam quod ſentio, ô miſelle peccator, non video quò ſecurè iturus ipſe ſis, niſi ad eum, qui à te abiit JESUS, vel potiùs, à quo per peccatum ipſe prior abiviſti.

Quomodo requirẽdus? Igitur authore me, & duce bono Angelo, abi, propera, JESUM require, & dic amantiùs cum ſponſa: *Quæſivi quem diligit anima mea.* Quidni enim quæras? ſi ovem amiſit Paſtor, per avia, & invia quærit, ac requirit. Si mulier drachmam unam; & lucernam accendit, & domum evertit, & omnia ſúſque déque vertit.

Longè potior oviculâ JESUS, longè pretioſior drachmâ: imò orbe univerſo, nec tamen requiris? requires enimverò, niſi mentem omnem exuiſti, & cœleſtium amores.

Perſarum metu in Salaminam Inſulam enavigabat Xantippus, relicto domi catello, qui impatiens avelli à Domino, ſeſe in mare abjecit, & navis oræ adnatans in Inſulam quidem exſcendit, at ſubitò deficiente ſpiritu extinctus eſt: quid amabo te, mi Lector, ab hero catellus? fruſtulum panis, & ſubinde etiam verbera, & fuſtes; & tamen herum quærit ille: nec tu JESUM, à quo corpus, ſpiritum, & vitam hauris? quæres certè vel à cane probè doctus. *Plut. in Themiſt.*

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Et non cognoverunt parentes ejus.* V. 43.

CUR REMANSERIT IESUS IN IERUSALEM? Et quidem inſciis parentibus, quorum tamen erat obſervantiſſimus?

I. Ratio. PROFERRI ſolent à variis rationes vanæ cur JESUS, etiam tantùm duodennis, remanſerit Jeroſolymis. Una ut daret ſpecimen aliquod divinioris ſapientiæ, quæ latebat, & in ea ætatula admirationem conciliare poterat.

II. Altera illi affinis, ut inde quaſi manu ducerentur ad fidem & cognitionem Meſſiæ. Alia, ut anno ætatis duodecimo, quaſi ſacro numero ſignaret Apoſtolos duodecim, quos deinde ad ſe vocaturus, & in Orbem univerſum erat emiſſurus. Ita Ambroſius, & Beda cenſuere.

Sed cur, inquies, remanſit iſtic etiam inſciis parentibus? an non moneri debuit bona Mater? an non venia peti à filio, qui ut virtutum omnium exemplar eſſet, ita & maximè obedientiæ, ac ſubmiſſionis?

III. Hìc mihi ſolvendus eſt nodus. Venerabilis Beda cenſet puerum IESUM, nec parentes eadẽ re conſuluiſſe, nec monuiſſe, tum ut liquidò oſtenderet, alium ſe habere in cœlis patrem, cui ſubeſſet totus, & cujus juſſa, nutùſque obſervaret; tum ut exemplum poſteris daret, ac documentum, in iis, quæ Patris Æterni ſunt, quæ ſalutis, quæ divinæ vocationis, non debere quemquam à mundo, carne, parentibus, ac propinquis conſilium petere.

Imitatio Chriſti in ſequenda vocatione. Primum igitur qui Deo vocanti parere volet, caveat ne ſua conſilia, temerè mundo, ac parentibus aperiat; quia ut eleganter D. Gregorius: *Gravi damno ſcientia divina minuitur, ſi cum carnis notitia partitur.* *Lib. 7 Mor. c. 14.*

Deinde exuat affectum omnem, quem à natura perverſa induit, erga ſibi ſanguine junctos, nec ad illos etiam mentis oculum inflectat; quia ut ſcitè D. Hieronymus: *Dum propinquitatem reſpicimus corporum; & corporis, & animæ offendimus creatorem.* *Epiſt. 128 ad Fabiolan.*

Tum etiam ne ſe ulla ratione moveri patiatur, ne de ſua ſtatione deturbari, aut ſeveri patris ira, minísve; aut blandæ matris lacrymis, atque illecebris, aut carnis lenocinio, aut mundi fuco; memor illius quod olim ad Heliodorum D. Hieronymus: *Licèt ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te nutrierat Mater, oſtendat: licèt in limine Pater jaceat; per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola; ſolum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.*

Hæc olim S. Doctor Heliodoro, quæ modò tibi: ſi in eadem carnis vincula veneris, ſi iis implicari te ſentias; facilè rumpet hæc vincula Dei amor, & gehennæ timor.

Denique, & hoc caveat, qui à mundo, & carne abire volet, & ad Chriſti, crucíſque vexilla transvolare; caveat, inquam, ne aut huic aut illi dicens extremum vale, oſculum præbeat; hoc eſt aut hujus, aut illius delitias libet, & guſtet etiam extremis tantùm labellis; ab his enim plurimùm eſt bonæ menti periculi: ut hoc declines, pone tibi ſub oculos exemplum, fugámque magni Patriarchæ Jacobi. Abiit ille, exceſſit, evaſit è domo Laban; domo, inquam, Idolis malè pervia: at quomodo inquies? audi quid de illo Laban:

Cur, inquit, *ignorante me fugere voluiſti, neque indicaſti mihi, ut proſequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis. Non es paſſus ut oſcularer filios meos, & filias. Cur furatus es Deos meos.* *Gen. 31.*

Hæc ad Iacobum Laban; qui de tribus perperam queritur.

Primò quidem, quòd ignorante ſe transfugerit, quòd non indicarit, etiam verbulo, fugæ locum, rationem, ac modum.

Deinde, quòd non licuerit inter extrema verba, & filiis, & filiabus oſculum dare, paterni amoris Symbolum.

Denique, quòd Deos ſuos, idola ſua, malo dolo ſit ſuffuratus.

Hæ, inquam, ſunt Laban de Iacobo querelæ, & quidem præpoſteræ. Eædem, & mundi hujus.

Si Jacob unus aliquis, (hoc eſt ſupplantator) è ſæculo in religioſam domum, id eſt, è cœno in cœlum abire velit; conqueritur mundus id tractari, id agi ſe inſcio, atque inconſulto; ambiret nimirum fugientem ſequi cum gaudio, & canticis, & tympanis, & cytharis, & eo vanitatis apparatu delinire, imò, & diſtinere; ne porrò ſic deſinat, agè elabere, & eo ne monito quidem, nedum conſulto.

Vellet

Digitized by Google

Vellet in limine domus jam abiturienti oſculum figere, & unà cum oſculo impuri amoris ſpicula altiùs animo infigere: ne infigat, & oculos, &c. vultum averte ab impudico amaſio, nè ſaluta quidem, multò minùs oſculo dignare.

Dolet denique mundus generoſum illum transfugam, ac ſui deſertorem, Deos ſuos, hoc eſt, idola vanitatis, terere, atque conculcare, dum & opes, & inanem gloriam, & aulæ fucum, & omnem hujus ſæculi pompam ſub pedibus ponit. At quantùm volet, quantùm nolet indoleat, hoc deſpiciet, atque irridebit, quiſquis unà cum puero Jesu erit in iis, quæ ſunt Æterni Patris, quæ divinæ vocationis, quæ ſalutis, ac beatitatis.

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Invenerunt illum in medio Doctorum.* verſ. 46.

CUR IN MEDIO INVENITUR IESUS?

Macrob. l. 1 Satur. c. 6. TACEAT Roma Papyrium prætextatum adhuc infantem, & tamen inter Romanos Senatores conſpicuum.

Taceat Ægyptus puellulum Joſephum medium inter Satrapas, & fortunatiſſimum ſomniorum Interpretem.

Taceat Iſraël Salomonem, qui anno ætatis ſuæ duodecimo, ſapientiam à Deo petiit, & impetravit.

Taceat Judæa puerum Danielem medium inter populi Seniores pro morientis Suſannæ vita, ac libertate perorantem.

Hos, inquam, alioſque taceat Judæa; at Iesum loquatur, atque extollat inter Doctores medium, audientem eos, & interrogantem; atque inter audiendum, & interrogandum oracula fundentem; & quidem in medio. Medium enim ſemper amavit Iesus, & nos amare docuit. At cur inquis? Hic vertitur cardo quæſtionis.

Jesus ſemper in medio. Cùm primum in templum illatus eſt puer Iesus, de eo, præſago ſpiritu, cecinit Propheta: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, in medio templi tui. In medio templi*, inquit Bernardus, *miſericordia eſt, non in angulo, aut diverſorio; quia non eſt acceptio perſonarum apud Dominum; in communi poſita eſt, offertur omnibus, & nemo illius expers, niſi qui renuit.* *Serm. 1. de Purif.*

Luc. c. 22. v. 27. Ubi ætatis annum duodecimum attigit Jesus, auditus eſt in templo in medio Doctorum. Ubi adolevit, & in virum abiit, ad diſcipulos ait; *Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat.*

Ubi è vivis exceſſit, ubi vitæ immortali redditus diſcipulis longè chariſſimis ſeſe oſtentans *Stetit in medio, & dixit eis, pax vobis.* *Ioan. c. 20.*

Apoc. c. 1. v. 2. Ubi denique in cœlos abiit, ſeditque ad Patris dextram, viſus eſt Ioanni *in medio ſeptem candelabrorum aureorum*, hoc eſt ſeptem Eccleſiarum, quæ ſunt veluti candelabra in Domo Dei. Adeò verum eſt, *Ejus ratio.* quòd ſemper medium amarit Jesus; cujus ratio eſt, quam inſinuavit Bernardus; & quam diu ante extulit Tertullianus, quod æquus ſit in omnes, nullique propinquus magis: *Non Regis apud illum major gratia, non barbari alicujus imperioſi lætitia, non dignitatum, aut natalium cujuſquam diſcreta merita: omnibus æqualis, omnibus rex, omnibus Deus, & Dominus eſt.* *Lib. adverſ. Iudæos c. 7.*

Nimirum ſe habet Jesus, ut hic Sol aſpectabilis, qui ut ſcitè advertit Divus Ambroſius: *A nullo diſtat, nulli præſentior, nulli abſentior eſt.* *L. 4. Hexam. c. 6.*

Quod in Chriſto Jesu, hoc & in Deo notat D. Auguſtinus in illa Pſalmiſtæ verba: *Deus in medio ejus. quid*, inquit eſt, *Deus in medio ejus, hoc ſignificat æquus eſt omnibus Deus, & perſonas non accipit: quo modo enim illud, quod in medio eſt, paria habet ſpatia ad omnes fines; ita Deus eſſe dicitur æqualiter omnibus conſulens.* *In Pſal. 45.*

In medio quoque ſit ſuperior. Et is eſſe debet quiſquis favente Numine in Regem, in Principem, in Præſulem eligitur, eſſe debet in medio eorum quibus præeſt, hoc eſt æqualis in omnes, æquè diſſitus, æquè propinquus omnibus, æqua manu beneficia ſua, favoréſque diſtribuens. Non in unum aliquod caput profusè congens omnia, & alios ſicco alveo deſtituens. Quod *Lib. 2.* eſt contra boni *Principis* officium (*ſub cujus imperio omnium debet fortuna proficere*) & ipſam donorum naturam, de quibus extat illud Regis Theodorici apud *L. 3. ep. 29.* Caſſiodorum: *Hoc ſunt regia dona, quòd ſemina; ſparſa, in ſegetem coaleſcunt; in unum coacta, depereunt.* Ne porrò depereant æquâ manu in omnes ſparge; ut ſparſit olim Rex David, qui populum *deduxit in intellectibus manuum ſuarum.* *Pſal. 77. v. 75.*

Quid inquies *in intellectibus?* an ſuæ manui vis intelligendi? an mentis oculus, & perſpicacia? Eſt enimverò: eſt in manu intellectus, cùm ſua dona largitur cum ratione, ac idcircò non cœco impetu jacit atque effundit; quod maximè fœdum eſt atque noxium; quia ut rectè Seneca: *Turpiſſimum genus damni eſt inconſulta donatio.* *Lib. de benef. c. 10.*

Digitized by Google

QUÆSTIO SEXTA
HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Audientem illos, & interrogantem.* v. 46.

DE QVIBVS INTERROGAT CHRISTVS, Et cur priùs audit, deinde interrogat?

De Meſſia interrogat.

EUTHYMIUS cenſet ſumma quæſtionum capita fuiſſe de Meſſia, an non brevi venturus in mortales oras? an non re etiam ipſa jam veniſſet? quæ illius ſigna proderent? quæ miracula loquerentur? an ille homo purus? an verò Deus homo? has, ſimiléſve quæſtiones à puero JESU injectas fuiſſe credit etiam S. Vincentius Ferrarienſis Dominicanæ familiæ auguſtum lumen. Et ne quis eas temerè motas eſſe putaret, & puerili quadam ſolertia; pondus ingens addidit, ex ipſis Scripturæ oraculis, quæ convincebant re jam ipſa appuliſſe Meſſiam, tum quia ſceptrum à Juda transferat ad Herodem alienigenam; tum quia jam evolutæ hebdomadæ ſeptuaginta, de quibus Daniel; tum denique quia, & alia Scripturæ teſtimonia in id ipſum quaſi manu ducebant. Et quia hæc tantis rationum momentis à puero duodenni jactabantur; hinc Doctores omnes invaſit ſtupor amabilis, atque expectatio, quis, quantúſque aliquando futurus eſſet iſte puellulus; qui pro ea qua erat ſingulari modeſtiâ primùm audiebat; deinde petita, acceptáque venia paucis interrogabat, ut ex tunc adoleſcentioribus eſſet exemplo modeſtiæ, ac documento, ut & ipſi audirent primùm quid cenſerent magiſtri, dein interrogarent, moveréntque ſi quid occurreret dubii, non tam diſceptandi, quàm diſcendi ſtudio, ardoréque; *ne* ſcilicet, ut benè monet venerabilis Beda, *Si nolint eſſe veritatis diſcipuli, fiant erroris magiſtri.*

Ut de eodem edoceat.

Primò igitur ex illo audiendi, rogandíque modo commendatur ingenua quædam pueri JESU modeſtia, tum etiam urbanitas eximia, quæ ſanè decebat eam quam è cœlo proferre venerat doctrinam, de qua poſteris ſæculis extulit illud Baſilius Seleucienſis: *Chriſtianam doctrinam novam eſſe, & de cœlo allatam politiam.* (Orat 30.) Tum etiam ardor quidam entheus docendi ignaros mortales, & quidem quàm citiſſimè; nec enim expectare voluit, vel adoleſcentiæ florem, vel virilis ævi maturitatem, ut eam aſſecutus doctrinæ ſuæ dona hominibus largiretur: ſed ea quàm citiſſimè profudit; quod divinæ munificentiæ fuit, ac liberalitatis. Citò quippe dandum, quod dandum aliquando. *Qui tardè fecit, diu voluit,* inquit Seneca, *& ſerò dedit, qui roganti beneficium dedit.* (L. de benef. c. 1.)

Et quidem citiſſimè.

Ingens erat divinæ doctrinæ beneficium, quod non tardè, non ſerò, extremáque ætate dedit JESUS; ſed quàm celerrimè, & quaſi in primo limine ſuæ ætatis. De Iove ſuo queſtus olim Epicurus, quòd *infinitis retrò ævis fuiſſet in maxima, & altiſſima quiete, & otio plurimo placidæ, & ſapientis Divinitatis,* ſic apud Tertullianum Philoſophus Ethnicus, qui profectò ſtupidè ſtupentem facit Divinitatem. (L. adv. Valent. c. 7.) Verùm ut ſtupida fuerit ficta illa, atque ementita in Iove Divinitas; at non ea fuit, aut eſſe potuit in Chriſto: explicuit illa ſeſe, & ad extrà quodammodo effudit in opus humanæ redemptionis, etiam ex ipſis cunis, ex ſtabulo Bethlehemitico, & ut hic legimus, etiam in templo.

Nimirùm ut ethnicè Seneca: *Vtuntur Dii natura ſua,* ego Chriſtianè dixero: *Vtitur Deus, utitur Ieſus natura ſua,* (L. 1. de benef. c. 1.) cujus ſcilicet eſt benefacere; & quidem, quàm velociſſimè; & hinc modò Doctores audit, modò interrogat; prudenti conſilio, ut ſapientiam quæ latebat, ea ratione occultaret ipſe, & occultare doceret.

Sine oſtentatione.

Nos homunculi, qui tamen ad veritatis, & altioris ſapientiæ lucem, ſumus quod talpæ ad ſolem; ſi quid improbo labore acquiſivimus; illud geſtimus ſtatim objicere mortalium oculis, & in apertum proferre; non tam veritatis ſtudio impulſi, quàm ſpiritu vanitatis; à qua Tertulliano *Philoſophus* dictus eſt, *gloriæ animal,* (L. de Pœnit. c. 1.) & quaſi jumentum, quod circumfert quidem aliquid literaturæ politioris, ſed ad oſtentationem, & inanem gloriam. Ab hac fugere nos docuit puer JESUS, qui ut eſſet ipſa Patris Æterni ſapientia, eam tamen ſuppreſſit ſæpè ſæpiùs ea ſciſcitando, quæ tamen norat ipſe quàm optimè, ut ſic minùs ſapiens poſſet æſtimari.

Dixit Chryſologus, & rectè, *deſipuiſſe prudentia eſt;* (Serm. 62.) nimirùm, qui pro occaſione rationem coërcet prudentiori ratione, qui quaſi ignorans ſapienter diſſimulat, & disertè neſcit, deſipere videtur, & tamen omninò ſapit; & ita ſapuit JESUS, & ſapere nos omnes voluit. Sed aliud eſt in quo ſuſpicere licet, atque amare Chriſti in audiendo, & interrogando ſapientiam.

Sine aliorum rubore.

Erat Doctores inter, pluſquam Sol inter minora ſidera, quorum doctrinam ceu animi quandam lucem ſplendore ſuo offuſcare poterat; imò, & extinguere.

Sole exorto tot Stellæ, quæ apparebant non obſcurantur ſolùm; ſed evaneſcunt etiam præ ſplendore diffuſo, inquit Philo Judæus de mundi hujus opificio.

Sole potior, ſole clarior erat Chriſtus, & in alto quidem meridie.

Rabbini autem etſi eſſent in profunda quadam ignorantiæ nocte, modicum tamen lucis ab eodem ſole petebant; eam in ipſo ortu ſuffocare potuit, ut liquidò appareret, quantæ in eorum mentibus tenebræ, caligo quanta: noluit tamen, ne vel eorum inſcitiam proderet, vel rubore ſuffunderet; vel eorum depreſſione major appareret; quod poſtremum ſæpè moliuntur mortales, quorum magnitudo ab aliorum exiguitate ſublimitatem fœnerari ſolet, & creſcere, dum alii decreſcunt, non ſine aliquo nævo, à quo liberum Traianum cùm vellet Panegyriſta ſic olim ei blanditur:

Tu major omnibus quidem eras: ſed ſine ullius diminutione major.

Quod illi ex quadam aſſentatione dictum, hoc Chriſto ex veritate: Tu major, tu ſapientior omnibus quidem eras; ſed ſine ullius diminutione major, & ſapientior; quod profectò divinum erat. Deus enim ſolus magnus eſt, & ſine ullius diminutione magnus.

QUÆSTIO SEPTIMA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba : *Neſciebatis ; quia in his , quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe ?* V. 49.

CUR IESUS *AIT, QUÆ PATRIS MEI SUNT ; non autem, quæ mea ſunt, & quæ ſint illa ?*

Verſ. 48.

Reſponſio Chriſti à calumnia defenditur.

CUm puellulum JESUM, amores ſuos, ac delitias triduo toto quæſiviſſet pia mater, ac tandem in templo reperiſſet : adeum ita paucis : *Fili quid feciſti nobis ſic ? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te ;* modeſta eſt querimonia, quam expreſſit amor, dolórque ; in qua ne leviſſima quidem culpa, etſi Calvinus gravem eſſe contendat ſuo more, id eſt impiè. Ad eas blandæ matris voces ita filius : *Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe ?* quæ verba non reprehendentis, atque damnantis ſunt, ut perperam opinatur Calvinus ; ſed potiùs blandientis, atque conſolantis ; & ſi voles modeſte inſinuantis, quid cauſæ ſubfuiſſet ; quaſi parenti quàm optimæ diceret filius : Quid opus erat ô parentes, ut tanto dolore, curâ tantâ me quæreretis, neſciebatis mihi majus onus impoſitum ; oportere me eſſe in his, quæ ſunt Patris, & ex nunc jacere prima fundamenta legationis meæ ? omninò hòc non ſciebatis, ideóque tanto dolore me quærebatis ? Hæc puer JESUS ; cujus reſponſio plena in matrem pietatis, atque in Patrem Æternum obſervantiæ, mihi argumentum præbet quæſtionis, quæ plurimùm ad mores conducit. Cur ſcilicet dicat, eſſe ſe oportere in his quæ Patris ſunt : ut ea quæſtio in aperto ſit, hoc ſtatuo ; actiones Chriſti triplicis fuiſſe generis. Quædam *pure divinæ ;* cujuſmodi ſunt ſpirare Spiritum Sanctum, creare, conſervare, gubernare hæc inferiora omnia ; & hæ communes, cum Æterno Patre, imò eædem, atque indiviſæ. Aliæ ſunt *merè humanæ*, & cum cæteris mortalibus communes, quales fuerunt comedere, dormire, ambulare, & his ſimiles. Poſtremæ *Theandricæ*, hoc eſt, *Dei viriles*, quia partim Dei, partim hominis opera ſunt : ejuſmodi fuerunt ducere, miracula patrare, diſcipulos vocare, Apoſtolos creare, & univerſum genus hominum à culpa jam proſtratum erigere ; & his affinia : quæ vocat opera Dei Patris, & in quibus eſſe ſe oportere affirmat ; & hinc mihi facilis ad mores ritè formandos aperitur via. Totus eſt JESUS, in iis quæ ſunt Æterni Patris, à ſe verò, & à ſuis abit quàm longiſſimè : ut nos doceat ea tantùm attendere, quæ ad Dei gloriam faciunt ; ad ea totis viribus, & pura intentione, ceu bonæ mentis oculo, collimare. Ita collimavit ipſe, teſte etiam Apoſtolo dum ait : *Quod mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel ; quod autem vivit, vivit Deo*, hoc eſt, ut Interpretes volunt, *propter Deum*, vel ut D. Chryſologus explicat, *vivit Deo*, id eſt, *vivit Deus*, ſeu vivit in eo Deus.

Ratio illius eſt ; quòd

In omnibus Chriſtus propter Patrem.

Ad Rom. 6. v. 10.

Serm. 75.

Ita vivere nos voluit D. Paulus, cujus illud ad Coloſſenſes monitum : *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in Dei laudem facite.*

Cap. 3. v. 17.

Et propter illum Chriſtianus.

Omnia comprehendis, inquit Theodoretus, *ſedere, & ambulare, & differere, & miſereri, & docere, unus ſit et ſcopus Dei gloria, Dei amor.*

Ita huic uni nos mancipatos voluit D. Auguſtinus, cujus hoc *breve præceptum.*

Tract. 7. in Epiſt. Ioan.

Dilige, inquit, *& quod vis, fac. ſive taceas, dilectione taceas ; ſive clames, dilectione clames ; ſive emendes, dilectione emendes ; ſive parcas, dilectione parcas. Radix ſit intus dilectionis ; non poteſt de iſta radice, niſi bonum exiſtere.*

Illa illa radix eſt, ex qua pullulare debent omnes omninò humanæ actiones, quas non ſæculi hujus, non carnis, non ullius creaturæ ; non denique etiam ſui-ipſius amor exprimere debet : ſed ſolius Dei, ut ex vero quærat homo non quæ ſua ſunt ; ſed quæ Æterni Patris ; ni faciat, vana & boni vacua ſunt omnia, etſi aliquam virtutis ſpeciem præferre videantur. Verè enim, ut inquit D. Bernardus, *Deo quodammodo inſipida eſt noſtra obedientia, inſulſa patientia ; niſi eorum, quæ agimus, & patimur, ipſe ſit cauſa.* Erit autem cauſa, ſi quæ ejus ſunt quæramus impenſiùs, non autem noſtra ; & certè quidni quæramus, cùm ejus unius causâ, & facti, & conditi ſimus ? Appello Iſaïæ fidem, atque authoritatem ; ſic olim ille præſago ſpiritu, calamóque : *Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit. Mihi*, inquit author naturæ Deus, non ſibi formavi, ideóque non ſe quærat oportet ; ſed me : non ſua, ſed mea : hoc ſi fecerit, cum Davide dicet Deo ſuo : *Tuus ſum ego ;* & cum Apoſtolo, *gratias ago Deo meo* : quod bonæ mentis teſtimonium dum expendit D. Ambroſius :

Serm. de Obed. & pati.

Cap. 43. v. 21.

Et propter hunc Apoſtoli.

Ad Philip. c. 1. v. 3.

Apoſtolorum, inquit, *vox iſta eſt, nec omnium tamen Apoſtolorum : nam & Iudas Apoſtolus fuit, & in convivio Chriſti inter Apoſtolos recumbebat, dicebat, & ipſe : tuus ſum : ſed voce, non corde. Venit, & introivit in eum ſatanas, & cœpit dicere, non eſt tuus* JESUS, *ſed meus es ; quia quæ mea ſunt cogitat, quæ mea ſunt in pectore ſuo volvit : tecum epulatur, & mecum paſcitur : à te panem accipit ; à me pecuniam : tecum bibit, & mihi tuum ſanguinem vendit : tuus eſt Apoſtolus, & meus mercenarius.*

In Pſ. 118.

Non ſic Judas.

Quod Judæ proditori, hoc etiam pleriſque mortalium. Deum hi ore tenus quaſi ſuum agnoſcunt, Dominum fatentur : at re ipſa *alios Dominos habent*, & quidem *plures* ; tot ſcilicet, quot indomitas paſſiones. *Venit enim libido, & huic dicit : meus es, quia ea quæ ſunt corporis concupiſcis, in illius adoleſcentulæ amore te vendidiſti : Venit avaritia, & iſti dicit meus es ; argentum enim, & aurum, quod habes, ſervitutis tuæ pretium eſt. Venit luxuria, & dicit alteri meus es. Vnius diei convivium pretium tuæ vitæ eſt. Venit ambitio, & alii dicit, planè meus es, neſcis, quod aliis imperare te feci, ut mihi ipſe ſervires ?* Ecce quot Dominos, imò quot tyrannos habet, & patitur miſellus peccator ; & hoc quidem, quia non quærit quæ Dei ſunt, quæ Patris Æterni ; ſed quæ libidinis ſuæ, ac voluptatis, à qua quamdiu irretitur, verè Deo dicere non poteſt : *Tuus ſum ego. Quomodo enim ſe Dei profitebitur in libidinem calens, in iram mobilis, in avaritiam ſollicitus, in ebrietatem ſitiens, in gloriam ſæculi vanus*, inquit S. Hilarius, quem dum audis, ſimul illud audi, & antiquis illis Dominis, ſeu potiùs inſolentibus tyrannis dic æternùm vale ; dic, inquam, illis, ſi fortè aurem vellicent, ſi cor petant, amoris ſedem, ſi proritent in libidinem, dic age cum puellulo JESU ; *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe ?* Oportet enim verò, & in illis eſſe, & à vobis æternum abeſſe.

Non ſic mali Chriſtiani.

In Pſ. 118.

QUÆSTIO OCTAVA MORALIS.

Ad illa verba: *Et erat ſubditus illis.* verſ. 51.

QVOMODO SVBIICI POSSIT IS, Cui ſubjiciuntur omnia?

Sanctis obediunt. LEGIMUS in ſacris paginis non ſine ſtupore, & miraculo, & aſtra, & elementa, & mixta propè omnia, licèt animâ & ſenſu vacua, hominis tamen voces audiſſe quodammodo, atque exaudiſſe.

Joſue c. 10. Sol. Ita Sol ille aſpectabilis Orbis oculus, & cœli gemma ad unius Joſuè vocem, atque imperium ſtetit, inviſo à ſæculis obedientiæ prodigio.

Num. c. 16. Ita terra, rude quamvis, craſſúmque elementum Moyſem tamen audiit, & ſubito hiatu diſceſſit, ut impia, ac ſceleſta capita Core, Dathan, & Abiron exſorberet.

Elementa. *Math. c.* 4. Ita mare, liquidum illud, ac fluens elementum, quaſi dureſcere viſum, calcarique ſicco Petri veſtigio.

1. Reg. c. 12. Ita levis, ac ſpirabilis aër, & in eo enata nix, aqueum vellus, & grando dureſcens aqua, ad Samuëlis imperium, vocémque fluxit.

4. Reg. c. 1. Ita cæteris altior, atque eminens ignis ad Eliæ nutum, iráſque de ſphæra ſua delapſus in noxia capita, militeſque petulantiores: adeò verum illud, experna vitæ, ſenſúſque corpora, non eſſe tamen obedientiæ. Ita, ut ab inanimis, ad animata gradum faciam, etiam bruta ſuæ oblita feritatis, manſueſcere tamen viſa, & unius Eremicolæ vocem, nutúmque ſequi.

Ita ferocientes lupi S. Kentigerni Epiſcopi Glaſcuenſis in Scotia, impenis obſecuti. Victitabat ille parciſſimè, nec niſi labore manuum ſuarum; aratrum enim ducebat ipſe, & cùm ad arandum deeſſent boves, è vicino ſaltu fugaces evocabat cervos, & verò accurrebant illi quàm promptiſſimè, & cùm diurno labore terram apprimè ſubegiſſent, ad paſcua ſub veſperum ibant, tum illuceſcente Sole ad aratrum ſponte redibant. Sed, ô grande ſylvis, & ſaltibus malum, lupus famelicus! fortè hic incurrit in unum è cervis à labore fatigatum, ac jacentem, eúmque feroci dente laceravit, voravítque, atque in denſa nemora ſatur revolavit. Non multò poſt adfuit vir ſanctus, voraciſque lupi in exeſo propè cadavere, ſcelus conſpexit, atque ingemuit: tum protenſa manu hæc ad ſilentia nemora:

Bollandus 13. Ian. in ejus vita. *In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis præcipio, ut lupus, qui id mihi damnum intulit, ſine mora ſatisfacturus accedat.*

Quid ad hæc? è latebris ilicò proſilit lupus, & immani cum ululatu ad S. Præſulis pedes accidit quaſi culpam ſupplex deprecaturus. Cui ille: *Surge*, inquit. In nomine JESU-CHRISTI tibi impero, mandóque, ut loco cervi, quem ore maligno voraſti, jugum induas, & cervo (qui mihi reſtat unicus) benè copularus, quod reliquum eſt agri mei aratro findas, & ſubigas.

Paruit lupus, & novem omninò jugera, (tot enim reſtabant) arando excoluit; & tum quaſi labore, pœnitentiáque probè perfunctus, abire permiſſus eſt.

Ecce ut Sanctis obediunt & timidi, fugaceſque cervi, & voraces efferique lupi: nec illi tantùm, ſed & alia quoque animantia bruta.

Etiam feræ. Ita hoc quo vivimus ævo, ut antiquiora taceam, & leones, & aves Joſephi Anchietæ imperia exceperunt, ut in eum cadere poſſet illud Eccleſiaſtici: *Cum Leonibus luſit quaſi cum agnis.* Sed quid amabo *Eccleſ. c.* 47. *v.* 3. ſunt iſthæc omnia? ſi cœlum, aſtra, elementa, mixta, bruta, & tota ſi volet, quanta eſt natura; quid, inquam eſt, ſi ea vel uni homini obedit, cui ut obediret aliquando ficta eſt, atque efformata? At ſtupendum illud, & mortalibus juxtà, atque immortalibus inauditum, ut Deus ipſe totius naturæ parens, Etiam Deus & author, homuncioni pareat; imò & ſeipſe illi ſubjiciat; quod niſi factum eſſet, fieri aliquando poſſe omnes negaremus: nec enim capit mens humana, nec ratio naturæ relicta videt qui fiat, ut cuiquam ſubdatur ille, cui ſubduntur omnia. Subditur tamen, Evangeliſtâ teſte, & quidem Mariæ Virgini, Etiam Chriſtus. ac Joſepho fabro. Ubi enim à Solymæa peregrinatione Nazarethum rediit, *erat ſubditus illis. Quis? quibus?* Exclamat Bernardus, Deus hominibus: *Deus* *Homil.* 1. *ſuper Miſſus.* inquit, *cui Angeli ſubditi ſunt, cui principatus, & poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ: nec Mariæ tantùm, ſed etiam Ioſeph propter Mariam.*

Hæc ubi extulit S. Præſul, tum ad Lectorem ſtylum, orationemque ſic vertit: *Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris, ſive filii benigniſſimam dignationem, ſive matris excellentiſſimam dignitatem. Vtrimque ſtupor, utrimque miraculum.*

Dictum olim, & commodè quidem, in legibus Wiſigothorum: *Legem triumphare de hoſtibus.* Ve- *Lib.* 1. *leg.* 6. riùs dixero, & melius, Obedientiæ legem de Chriſto, de Deo triumphaſſe: & quidem ab ipſis cunis ad extrema vitæ confinia, ultimóſque abiturientis animæ anhelitus: cùm adhuc utero Virginis, ceu materno carcere clauderetur, Æterno Patri ſolemne obedientiæ votum nuncupavit. Cùm ex uteri tenebris in auras, & ſolis hujus aſpectum venire debuit, obſtetrice quaſi obedientia venit; nec enim domi naſci voluit, ſed foris in agro Bethleemitico, quo cum unà cum matre Imperatoris edictum evocarat. Cùm ducenda in longum fuit conceſſæ vitæ ſeries, eam duxit obedientia, & quaſi nutrix aluit, fovitque. Teſtes iſtæ ad diſcipulos voces; cùm enim urgerent illi, *Rabbi manduca*; ſubjunxit ille: *Meus cibus eſt, ut faciam* *Ioan.* 6. *v.* 34. *voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* Ita illi pro cibo, pro Nectare, pro Ambroſia fuit Obedientia; hæc una ejus palato ſapere, cætera deſipere.

Eſt in hominibus inſolens quædam cibi appetentia, eáque in variis etiam varia. Hercules bovinis carnibus impensè delectabatur; Achilles Leonum medullis; Tyberius Cæſar, cucumere, Alexander Macedo, pomis; Plato, ficubus; Archeſilaus Philoſophus, uvis; Iaſon magnus jureconſultus clariſſimus, rubro melone; alii aliis cibis capi, atque diſtineri; quandoque non ſine aliquo culpæ nævo, gulæque vitio impotentiore. Iis oblectari nec voluit, imò nec potuit Chriſtus, cui pro cibo una fuit, quam voverat Æterno Patri, Obedientia: ea ipſi pro melle, pro butyro, quod Prophetico oraculo comedere debuit; & verè comedit etiam in ultimo ſpiritu

inter

inter protenſa duræ crucis brachia, amplexúſque, inter quos emoriens caput demiſit, ut innueret ſe magiſtrâ ac Dominâ Obedientiâ mori, capútque, vitæ ſedem, ſubmittere. Collum, ut doctè advertit Origenes, ſymbolum eſt Obedientiæ, quòd cervicibus, & collo jugum excipiatur, quòd ſtudium obtemperandi ſignificat.

Hom. 1. in Cant.

Sed ab ultima vitæ meta ad primos carceres revocor, & cogitatione ceu mentis oculo, JESUM duodennem ſpecto parentibus apprimè ſubditum, & cum D. Bernardo exclamo:

Hom. 2 ſuper Miſſus.

Diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce pulvis obtemperare. Cauſam ſi voles, hanc affert: *De Authore tuo loquens Evangeliſta. Et erat,* inquit, *ſubditus illis. Erubeſce ſuperbe cinis. Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis authori!*

Ejus obedientiam imitetur Chriſtianus.

Quaſi diceret S. Abbas: rem agis, ô homo, tibi pudendam, ſuperis, Deóque abominabilem, qui ut Chriſti obedientis exemplum habeas, illud omni conatu non ſequeris; ſed deſpicis atque contemnis. In quo & tibi noxius es, & Servatori tuo injurius. Si enim *hominis, ô homo, dedignaris imitari exemplum, certè non erit tibi indignum ſequi authorem tuum.*

Obedientiæ motiva.

Ut porrò ſequaris pauca tibi de Obedientiæ virtute ſub oculos ponam, quæ etiam currenti ſtimulos addent.

I. Nota Chriſtianitatis.

S. Ignatius Martyr Obedientiam, debitámque majoribus ſubmiſſionem, ſtatuebat veluti ſymbolum aliquod Chriſtianæ gentis, notámque, qua hæc ab Ethnica natione diſcerneretur. Solent oves in vellere admittere ſtigma quoddam, ex quo noris cujum ſit pecus.

Eſt in hoc mundo, ceu immani quadam caula & hara, Dæmonis peculium; eſt & Chriſti: illud in animo ceu vellere pro nota recipit elationem, ſuperbiam & pervicacem inobedientiam; hoc autem demiſſionem, humilitatem, & obedientiam planè ſingularem admittit. Hæc Dei opus eſt; illa verò mali Dæmonis; ut ſcitè notat Theophylactus:

In Joan. c. 13. v. 3.

II. Opus Dei.

Conſidera, inquit, *quòd humiliari opus eſt ejus, qui à Deo egreſſus eſt, & ad Deum vadit*, ut Chriſtus. *Superbire* autem *& faſtuoſum eſſe opus eſt ejus, qui à dæmonibus exivit, & ad dæmones vadit.*

Ex iſto hujus, illiúſque diſcrimine, vide, amice Lector, unde venias, & ad quem vadas: ſi te ſub Præſulis manu abjicis, benè habet, à Deo veniſti, & ad Deum pergis: ſin autem ſubtrahis, peſſimè tecum agitur, è caula Dæmonis egreſſus es, & ad eum citato gradu properas futurus æternùm miſer; ſicut è contrà beatus, ſi per ſubmiſſionem ut à Deo veneras, ita ad Deum redires.

Ne mirere, quòd te per obedientiam beatum proclamem; id facio ex ſenſu, calculóque Antiquitatis, quæ ingenioſo figmento eam veritatem extulit: finxit enim Æſchylus Poëta, Jovi Deorum maximo uxorem fuiſſe, cui nomen πειταρχία, id eſt *obedientia*, ex qua fortunato ſanè partu genita eſt filia nomine εὐπραξία, hoc eſt *fœlicitas.* Unde natum hoc adagium, πειταρχία τῆς εὐπραξίας Μήτηρ: *Obedientia fœlicitatis Mater.*

III. Mater fœlicitatis.

Eraſmi Adag. 2182.

Hominis fœlicitas una eſt hujus ævi; ea in virtute repoſita: altera vitæ ſervatur alteri, hoc eſt æternitati; & hæc conſiſtit in gloria, ac beatitate: tam hujus, quàm illius fœlicitatis Mater eſt Obedientia.

Teſtem habeo Eccleſiaſticum, qui hæc olim de lege divina, & humili ſub illa demiſſione, ait:

Erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ. Decor enim vitæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutis. *Cap. 6. v. 30.*

Te tuúmque caput impetit hoſtis, ſeu ille mundus ſit, ſeu domeſtica lena; tua, inquam, caro, ſeu invidus dæmon; indue obedientiæ compedes, & erunt tibi in protectionem fortem, atque inexpugnabilem.

Cogitas extruere molem arduam ædificii ſpiritualis, magnæ dico perfectionis; age pro baſi obedientiam ſtatue, huic tutò incumbet totius ſanctitatis altitudo, atque ſublimitas. Aſpiras ad æterna gaudia beantis, collum injice in torques obedientiæ, erunt hi in ſtolam gloriæ nunquam interituræ.

Neque mihi obtruſeris illud, obedientiæ vincula, ut mollia, ut ſerica, ut aurea ſint; vincula tamen eſſe, ab iis hominem quantus is eſt, teneri, atque illigari. Non abnuo; ſed unum illud aſtruo, non tam vincula videri & eſſe, quàm ornamenta.

Vadem habeo D. Ambroſium; ſic ille quondam de amabili Chriſti jugo, & vinculis his: *Portare jugum Chriſti ſuave eſt, ſi ornamenta putes cervicis tuæ eſſe, non onera. Erige cervicem; redimicula, non vincula geris: muta quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari ſibi magis, quàm onerari videntur.* *Serm. 3. in Pſal. 110.*

IV. Ornamentum.

Argumentum petit ab equo, & mulo, quibus etſi non ſit intellectus, geſtiunt tamen ſi phaleras induerint, & redimicula, quibus regantur, flectanturque partes in omnes.

Nobis eſt mens altior, & intelligentia rationis, imò & Dei, authoriſque ſui capax; amet illa, ambiátque obedientiæ vincula; etiam exemplo Salvatoris ſui, qui ea induit jam inde à primis annis, ætatéque tenellula, imò & in ultima propè vitæ ſuæ periodo: paſſus enim eſt vinciri ſe, ac ligari etiam immani carnificis manu. Quæ ſacratioris obedientiæ vincula dum ſpectat, ſuſpicítque S. Mechtildis, ipſo die veneris ſancto, concitata æſtu quodam pietatis, amoriſque, à Chriſto quæſivit ea, quæ ſunt amantium; quæ ſcilicet JESU ſuo, ac Servatori munificentiſſimo, rependere in terris poſſet puſillus homo? & ſtatim audit à Chriſto, facilè cuique eſſe, atque obvium pro ejuſmodi beneficio gratias, & vices reddere: ſi nimirum obedientiæ ſanctæ vincula admitteret homo, & quidem prono quodam impetu cœcæ voluntatis, ac ſubmiſſionis ad Superiorum juſſa, nutúſque. Quod ſanctioris obedientiæ genus S. Vincentius Ferrarienſis appellare ſolebat, *Beatam parvulorum infantiam*: fortè exemplo petito ab infantia JESU, quæ perfectæ obedientiæ norma fuit, atque exemplar, in quod aſpiceret omnis ætas, ſeſéque ad illius inſtar efformaret.

DOMI-

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

Gen. c. 6. NOEMUS à vindicibus aquis, & Orbis univerſi excidio, ſibi quodammodo redditus, & terris; vinum adinvenit, è quo deinde liberaliùs hauſere mortales. Et Chriſtus Noëmus alter, imò longè potior Noëmo, ſtatim ab aquis Baptiſmi, aquas in vina convertit; ut ex iis hilarius biberent ſponſus, & ſponſa; biberent, & convivæ diſcipuli ſine ullo tamen vitii nævo. Et hoc fuit primum ſignorum, quo Divinitatem ſub carne, quaſi Solem ſub nube latentem prodidit Servator optimus.

EX D. THOMA.

Serm. 2. DIVUS Thomas circa has nuptias tria notat. Primum, eſt *tempus*, *dies* ſcilicet *tertia*. Secundum, *Locus*, is eſt, *cana Galilea*. Tertium, *perſona* JESUS, & MARIA.

Deinde ab his nuptiis, quibus junguntur ferè tantùm corpora, tranſit ad ſpirituales, in quibus anima, ceu ſponſa Deo jungitur.

In his etiam tria reperiuntur.

I. *Dies*, & quidem tertius; primum enim diem facit *Fides*; ſecundum *Spes*; tertium *Caritas*; in hac celebrantur ſpirituales illæ nuptiæ.

II. *Locus*, & is eſt *Cana Galilea*; *Cana*, id eſt *zelus*, *zelus doctrinæ*; *Cana* eſt *poſſeſſio*, in qua *opera miſericordiæ*, quæ ſola poſſidemus. *Galilea*, hoc eſt, *volubilitas*, ſeu *pronitas ad indulgendum*.

III. *Perſonæ* JESUS, & MARIA. Beatæ Nuptiæ ad quas, non Venus, non Cupido, non Plutus, aut profanus Deorum aliquis invitatur: ſed JESUS, & MARIA. *Qui ſic celebrat nuptias iſtas, celebrabit æternas.*

Porrò ad has nuptias tria concurrunt. 1. *Iudicium*. 2. *Iuſtitia*. 3. *Miſericordia*, de quibus hîc Deus Oſeæ voce: *Sponſabo te mihi in Iudicio, Iuſtitia, & Miſericordia.* Cap. 2.

Iudicium, quo benè ſit cum ſeipſo. Benè autem erit. 1. ſi malum deſerat. 2. ſi bonum faciat. 3. ſi adverſa patienter ſuſtineat.

Iuſtitia, quâ benè cum Deo. 1. in eum ut ſummam veritatem credendo. 2. Ut ſummam poteſtatem ſperando. 3. Ut ſummam bonitatem amando.

Miſericordia, quâ benè cum proximo. 1. Ignorantem docendo. 2. Indigenti ſubveniendo. 3. Offendenti indulgendo.

EX D. BONAVENTURA.

DE his agens nuptiis, alias, atque alias recenſet; & ait:

Dom. 1. poſt. oct. Epiph. Serm. 1. *Sunt nuptiæ officioſæ, pernicioſæ, gratioſæ, glorioſæ.*

Primæ ſunt viri, & mulieris contrahentis; has Dominus honoravit quadrupliciter. 1. *Inſtitutione; ſunt enim non ab homine, non ab Angelo, ſed à Deo; non in vili loco, ſed in Paradiſo: in ſtatu non culpæ, ſed innocentiæ; non poſt lapſum hominis, ſed ante lapſum.* 2. *Aſſociatione; quia* JESUS, & *Mater, & diſcipuli in nuptiis erant; non hiſtriones, non chorizantes ſicut modò.* 3. *Operatione, quia in nuptiis aquam in vinum convertit.* 4. *Significatione: Sacramentum enim hoc magnum eſt.* Epheſ. c. 5.

Secundæ nuptiæ *ſunt Diaboli, & animæ peccantis. Anima quippe peccatrix ſponſa Diaboli eſt. In his nuptiis non aqua in vinum, ſed vinum temporalis laſciviæ in aquam æterni fletus convertitur.*

Tertiæ nuptiæ ſunt Chriſti & Eccleſiæ militantis; Sponſa enim *Chriſti eſt Eccleſia, & fidelis anima*: ut autem in nuptiis & convivium inſtruitur, & ſponſæ dona parantur; *ſic & Chriſtus fecit*: in Euchariſtia *convivium* paravit, in quo Corpus ſuum ad *comedendum, & Sanguinem ad bibendum dedit; largitus etiam dona in Cruce: dedit enim Corpus tortori, Spiritum Patri, Matrem Ioanni, paradiſum latroni. In his* porrò *nuptiis aqua in vinum convertitur, cum lacrymas doloris conſolatio Spiritus Sancti ſequitur.*

Quartæ nuptiæ ſunt Chriſti, & Eccleſiæ Triumphantis: Apoc. c. 19. & hæ ſunt *nuptiæ Agni*, ad quas Virgines, quæ paratæ erant, intraverunt. *In his aqua in vinum vertitur dum miſeria in lætitias æternas commutatur.* Et hoc ex lata cœlo lege, quæ ſancivit *ut miſeriæ delitiis, & delitiæ miſeriis commutentur.* Hieron. ad Pamp. Ep. 50. in fine. Exemplum hujus accipe in divite Epulone; illius in paupere Lazaro: vide utrum ſequi velis. Pergit interea Seraphicus Doctor, qui uti diſtinxit quadruplices nuptias: ita & vinum quadruplex; videlicet

Serm. 2. *Primum naturale*; & deficiens, quo qui malè potus eſt, deficit; *cui enim væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne iis qui commorantur in vino?* Prov. c. 23.

Secundum vinum eſt mortale, & illud inficiens. Verum enim illud Prophetæ: *Fel draconum vinum eorum.* Deut. c. 32. *Vinum temporaliter, fel æternaliter. Hoc vinum eſt voluptas, & gaudium contra Deum.*

Tertium vinum eſt *ſpirituale*, & *ſitiens, hoc eſt vinum conſolationis, & gratiæ Spiritus Sancti*: quo olim benè poti, & piè ebrii fuerunt Apoſtoli, de quibus illud: *Muſto pleni ſunt iſti*; hoc *vinum Pœnitentibus mixtum eſt aquis contritionis; Proficientibus, mixtum lacte devotionis; Perfectis, mixtum ſpeciebus virtutum.* Act. c. 2.

Quartum vinum eſt *æternale, & reficiens*; quod ubi Deo bono guſtaverimus dicere poterimus

Serva-

Ioan. c. 2. Servatori; *ſervaſti bonum vinum uſque adhuc: aqua enim lacrymarum fiet nobis vinum gloriæ.* Ita nimirum diſponente amabili Dei Providentiâ, ut *aqua lacrymarum fiat nobis vinum in præmio; quæ jam Angelis vinum eſt in cœlo.*

Et hæc de primo Chriſti miraculo, converſione ſcilicet aquæ in vinum, cui ſimilem in teipſe optarim, amice Lector, imò & à te ſi pateris, fieri velim: & verò quidni velim, ac velis etiam ipſe cùm poſſis; & certè potes: *aqua enim in vinum vertitur dum contritio in dilectionem; & lacrymæ timoris, in lacrymas amoris mutantur.* Serm. 3.

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.*
Ioan. c. 2. verſ. 1.

QVÆ POTISSIMVM CIRCVMSTANTIÆ has nuptias illuſtres reddiderint?

INTER harum nuptiarum circumſtantias recenſeri poſſunt, ac debent: Primùm tempus; deinde locus; tum etiam ſponſus, & ſponſa; tum convivæ, tum denique ipſius epuli ratio, modúſque, aliáque his affinia, quæ paucis perſtringere eſt animus.

Ioan. c. 3. Tempus. *Dies*, Evangeliſta teſte, fuit *tertia*: hoc eſt interprete Fabro *feria tertia*. Hebræi enim omnes Hebdomadæ dies à Sabbatho numerabant; ſicque prima Sabbathi ea erat, quæ nobis eſt Dominica; Secunda Sabbathi, quæ feria ſecunda; tertia Sabbathi, quæ feria tertia dicitur.

Vel ſi mavis ex Lyrani ſententia, dies fuit tertia ab abitu in Galilæam, & vocatione Philippi, ac Nathanaëlis.

Vel dies tertia à converſione Andreæ, & Petri, ut opinatur Cornelius; hos enim dies recenſet Salvator, & albo calculo notat; quia è toto hominum genere diſcipulos colligere cœpit, & aperire Orbi, quis & quantus eſſet.

Hæreſi 51. Si D. Epiphanio credimus; dies ille fuit is, qui nobis eſt ſexta Januarii, quo etiam annis longè inſequentibus in tanti miraculi fidem, ac memoriam, quidam fontes in vinum verti ſoliti.

Quapropter, inquit, *in multis locis uſque in hunc diem, hoc fit quod tunc factum eſt divinum ſignum in teſtimonium incredulis. Veluti teſtantur in multis locis fontes in vinum converſi.*

Ita Cyberes in Caria, Geraſa in Arabia fontes longè celeberrimi in vina mutati; eâ horâ, qua olim jubente Chriſto, & miniſtri hauſerant aquam, & tulerant Architriclino.

Et hæc è D. Epiphanio peti placuit, penes quem ſit dictorum fides.

Locus. A die quo celebratæ nuptiæ tranſeo ad locum, qui eas excepit; is fuit *Cana Galilææ*; quo in nomine ne erres, Amice Lector, adverte ab Hebræis duplicem diſtingui Canam. Una eſt in tribu Aſer juxta Sidonem; è qua prognata fuit mulier Chananæa in Scripturis à fide nominata.

Altera eſt in Tribu Zabulon, ſitáque in medio Galilææ, unde, & appellationem hanc ſortita *Cana Galilææ*.

Diſtabat illa Nazaretho, quæ Chriſti ſedes erat, itinere trium non ampliùs horarum.

Cana porrò Hebraicè *Zelum* ſignificat. Bono ſcilicet omine, & nomine, quo decet pio, caſtóque zelo ineundas eſſe nuptias, non inſano libidinis ardore.

Quod olim indicavit amabilis Dei providentia, quæ plerumque matrimonia contrahi voluit ad puteos, gelidoſque fontes, ut iis vel ſopiretur, vel extingueretur æſtus omnis maleſanæ cupidinis.

Ita Rebeccam ſibi deſpondit Iſaac, dum ad puteum, fontemque levi, & officioſo pede pergeret. Gen. 24.

Ita Rachelem ſibi junxit Iacob, dum adaquaret gregem. *adaquato grege oſculatus eſt eam*, inquit Scriptura.

Hunc morem ab antiquis illis uſurpari ſolitum dum attendit Petrus Damianus, ait: *Patriarchæ ad aquas fiunt uxorii.* Serm. 70.

Rectè ad aquas, quæ caſtimoniæ ſymbolum ſunt, innuúntq; in conjugio eam omninò ſervari oportere.

Sed hæc attigiſſe ſit ſatis; venio ad ſponſum, & ſponſam; quis hæc, vel ille, controverſia eſt, eáque adhuc ſub Judice. Sponſus, & ſponſa.

Rupertus, Beda, Lyranus, aliique nec pauci, nec minoris notæ cenſent ſponſum fuiſſe Joannem Evangeliſtam. Cui ſententiæ favet Divus Thomas, & diu antè faviſſe nonnullis viſus eſt D. Auguſtinus, cujus hæc verba: *Ioannem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempeſtate vocavit.* 2. 2. Q. 186. a. 4. Præfat. in Ioann.

Alii tamen æſtimant nec Joannem hic ſponſum fuiſſe, nec aliàs unquam, nec ullis nuptiis implicitum. Ita docuit S. Ignatius, S. Hieronymus, S. Epiphanius, & ea opinio jam omninò invaluit, & meritò; tum quia Joannes diſcipulos inter ſolus virgo fuit, & hinc Chriſto præ cæteris in amoribus; tum quia huic epulo ne interfuit quidem; ſed quinque dumtaxat è diſcipulis; Andreas cum ſocio, Petrus, Philippus, & Nathanaël. At inquiet unus aliquis, ſi Joannes ſponſus non fuit, ecquis ille tandem? Nicephorus opinatur fuiſſe Simonem Apoſtolum, qui à *Cana* dictus eſt *Cananæus*, hoc eſt *Zelotes*, nomine ſanè fortunato. L. 8. Hiſtor. c. 30.

Huic ſententiæ ſubſcribit Baronius, qui, & hoc adjicit ad hiſtoriæ fidem, atque authoritatem, D. Helenam magni Conſtantini matrem eò loci, quo celebratæ nuptiæ, inſignem extruxiſſe Baſilicam, futuram vel monumento rei geſtæ, vel poſteris documento; cui ſerviet, & iſtud: quod Simon à nuptiis ad Apoſtolatum, à conjugio ad cœlibatum, & inſignem poſtea vitæ caſtimoniam vocatus fuiſſe credatur: motus enimverò eo miraculo, quod, & oculis, & linguâ uſurparat, dum aquam guſtat, & bibit, vinum factam.

Et hæc de iſtarum nuptiarum ſponſo, non quidem certa fide, ſed probabili conjectura; huic enim uni locum reliquit Deus, qui multa latere nos voluit.

De ſponſa, quænam illa? alta nox. Putavere nonnulli fuiſſe D. Magdalenam, quæ ſtatim à nuptiis orbata viro (Chriſtum quippe is ſecutus) vagæ libidini ſe dedidit: ita authores pauci apud D. Antoninum. Sed hæc opinio à vero aliena; & eam quiſquis inierit, næ ille temeritatis erit arguendus, uti, & quiſquis de ſponſa illa certi aliquid ſtatuere volet; cùm neque ex hiſtoriæ fide, neque ex veterum monumen- 1 Part. ſum. tit. 21. §. 3.

monumentis, neque ex Sanctorum Patrum placitis, de ea conſtare poſſit: in quo mirabilem Dei providentiam amabis, benevole Lector, quæ multa in tenebris eſſe voluit, quæ nos puſilli homines in luce eſſe optaſſemus. Iis itaque omiſſis, venio ad alia quæ ſole clariora, ſcilicet ad harum nuptiarum convivas; ab his longè plurimùm acceſſit, vel ſanctitatis, vel ornamenti. Ii fuere JESUS, & MARIA; nobiles omninò convivæ; quibus pares nec terra tulit unquam, nec cœlum aſpexit. (Convivæ.)

Fœlices nuptiæ ad quas vocatur JESUS, vocatur & MARIA; vocantur & illibatæ de cœlo mentes, quales olim diſcipuli Chriſti.

(Nuptiæ fœlices quæ?) Fortunatæ nuptiæ, quæ non alium à Deo admittunt, quæ eum unum authorem habent, ac venerantur.

Tales in Adamo vidit, amavitque prima, & innoxia mundi naſcentis ætas; in eum Deus ſoporem immittit: ſed ſoporem entheum, à quo occluſi quidem corporis ocelluli; ſed apertus atque explicatus intelligentiæ oculus, ut in Deo totus eſſet Adam, & à ſe alienus, & tum ei oblata conjux Eva; ut documento poſteris eſſet, qui eſſet quærenda, qui ducenda uxor: ſcilicet ad cætera omnia occludendus eſt mentis obtutus, & ad Deum ſolum engendus; ita disertè notavit Rupertus è primo hujus orbis connubio, quod aliis longè ſequentibus exemplo ſit oportet. Et hinc confici velim. (Ad quas Deus.) (In c. 2 Gen.)

Primò ad contrahendas, vel celebrandas nuptias minime invitari Plutum aliquem, hoc eſt Idolum auri, ac divitiarum; ut olim apud Antiquos, apud quos invaluit ea conſuetudo, ut & uxores maritum, & mariti uxores emerent. Hinc illud Virgilii: (Non Plutus)

(1. Georg.) *Teq; ſibi generum Tethis emat omnibus undis.*

(Ibid.) Hinc & iſtud Servii: *Ad antiquum nuptiarum pertinet ritum, quo ſe maritus, & uxor invicem emebant.* Et inde credit *dictam dotem*, quaſi, *do item: præcedebat* quippe *donatio viri, ſequebatur dos uxoris.*

(Serm. 66.) Hinc, & illæ virginum querelæ apud Stobæum: *Ubi ad pubertatem hilares pervenimus, pellimur foras, atque divendimur; alia quidem peregrinis viris, alia Barbaris.* Et hæc erat miſeranda ſors virginum iſtius ævi, quòd eæ potiſſimùm venales exponerentur, & qui plus dediſſet pretii, illas ipſe duceret; parùmque aut nihil intereſſet, cujus ſoli, aut generis maritus eſſet; peregrinus, an popularis; comis, an barbarus.

Et hoc eſt, quod altiore ſtylo ſic notat, & pungit D. Gregorius Nazianzenus:

(In carm. de Virg.) *Venalis eſt uxori maritus, & quod hoc eſt deterius.* Sæpenumerò neque bonus, *& venalis uxor marito, ſæpe & odioſa.*

Quod ipſum indicat, & damnat S. Ambroſius, libro de Virginibus: *Quam verò*, inquit, *miſerabilis illa conditio, quòd tanquam mancipii forma nuptura licitatur; & qui pretio vicerit, emat. Tolerabilius tamen mancipia veneunt, quæ ſæpe ſibi dominos legunt. Virgo ſi eligat, crimen eſt; ſi non eligat, contumelia:* quod alio loco exaggerat, dum ait: *Meliori conditione mancipia, quam conjugia comparantur. In illis meritum emitur: in iſtis pretium additur ad ſervitutem. Nupta venalis auro gravatur, auro æſtimatur.* (Exhort. ad Virgin.)

Hæc S. Præſul, cui calculum ſuum addit Divus Chryſoſtomus, qui locutionem illam ſugillat, qua nuptias deſcribentes dicebant: ille cum illa contraxit, quo verbo emptio quædam, & venditio indicabatur.

(Hom 74. in Matth.) *Audivi*, inquit, *multos dicentes, ille contraxit cum illa, id eſt, conjugio copulati ſunt; ita donum Dei vituperant, cùm quaſi vendentes, & ementes uxores, viri ducant, & viris nubant mulieres.*

Si S. Pater non ſine ſtomacho, æſtúque concitatæ mentis audire potuit vel illas nudas voces, *ille cum illa contraxit*, quo tuliſſet animo, ſi vidiſſet re etiam ipſa emi uxorem, hoc eſt in ea comparanda non indolis, non virtutis, non vitæ, morúmque rationem haberi: ſed auri, argentique, quod in arca recludit, vel cenſuum, aut fundi latioris, quem poſſidet. Et tamen, quæ macula eſt hujus ætatis, quæ labes inuſta Chriſtiano nomini, hoc quo vivimus ævo nimiùm quantùm familiare eſt illud vitium, & in legendis uxoribus, aut maritis, nimis præpoſtera divitiarum cupido. Ubi dominatur illa; non vocatur ad nuptias JESUS, non vocatur MARIA; ſicuti neque cum forma, decórque nimium eſt in amoribus, ut olim fuit in filiis Seth; qui capti pulchritudine filiarum Cain, eum iis inivere connubia: ſed omninò malè fortunata; ex iis enim in reluctantes auras proceſſere Gygantes illi famoſi, qui cœlo inſultantes improbè, cœleſtes in ſe traxerunt iras, & terreſtres aquas, à quibus obrutus Orbis periit. (Non amor formæ.)

Videntes, inquit Scriptura, *filii Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* In quæ verba ſic Rabbi Ægyptius. (Gen c. 6.)

Prima mundi corruptio orta eſt: quia viderunt filii Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ; & formam, non virtutem, ac pietatem in conjugio quæſiverunt. (L. 3 Deuter. c. 8.)

Quæ naſcenti mundo tabes adhæſit; eadem & ſeneſcenti; quia, & hic in connubio faciem aſpicit, non mentem: & in uxore deligenda, plus oculis, quàm auribus credit; & hinc iis capitur, atque irretitur fluxâ, & labili pulchritudine, quam Clemens Alexandrinus hominum aucupium vocare ſolebat. Ideò hanc legem mulieri ponebat:

Caput tegere, & vultum adumbrare juſſum eſt; neque enim honeſtum eſt corporis pulchritudinem eſſe hominum aucupium. (L. 2 Pædag. c. 10.)

Hoc porrò aucupium exercent illæ, quæ faciem fucant, oſtentant, & promiſcuè ſpectantium oculis objiciunt; quod acriter reprehendit D. Gregorius Nazianzenus:

Membrorum elegantiam, inquit, *domi occultare præſtat, quàm commentitiam, & adulterinam pulchritudinem nefariè proferre. Meritò ſufficit nativa tua pulchritudo; ſi autem ea pluribus viris, non ſecus, ac rete avium gregibus proſtat; quid inde accidet? enimverò ut & capiantur illa à viris, & viros capiant:* itaque nuptias ineant malè ominatas, ad quas nec vocatur JESUS, nec MARIA: & hanc, & illum adeſſe ſi voles, eam legem attende, & ſerva.

(Proſper.) *Virgo virginem ducas uxorem, ſed honeſtam: an pulchra ſit nihil refert; citò enim ſeneſcit, pulchritudo tranſibit, honeſtas manebit.*

Sed & alterum eſt, quod cavere debes quàm impenſiſſimè, ne trahi te ſinas in vincula conjugii, vinculis infandæ libidinis, & carnalis concupiſcentiæ: ne ad nuptias tuas invitetur cupido unus aliquis, & impudici amoris Idolum; ſed potiùs JESUS, & MARIA. Aderit & hæc, & ille, ſi matrimonium meditanti, ea ſit quæ eſſe debet intentio, & is finis qui jam inde ab initio, ab authore Deo propoſitus. Is porrò duplex eſt. (Non Venus & libido.)

Unus eſt propagatio generis humani, & ſobolis procreatio; & hic in natura adhuc illibata, & integra finis unicus fuit, cui in corrupta acceſſit, & alter; ut remedio eſſet effrænis concupiſcentiæ. (Finis Nuptiarum.)

Primum duntaxat finem ſpectavere ſanctiſſimi illi Patriarchæ; quos inter Iſaac, qui teſte D. Gregorio Nyſſeno: *Rebeccam in matrimonium duxit, non ut affectui ſerviret; ſed ob Dei in ſemine benedictionem.* Uti & poſteris ſæculis Tobias, cujus hæc oratio digna cedro: *Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa, accipio ſororem meam. ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicetur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.* (Lib de Virg. c. 9.) (Cap. 8. v. 9.)

Iſta ad Deum Tobias; hæc autem ad conjugem: *Exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras; quia his tribus noctibus Deo jungimur; tertia autem tranſacta nocte, in noſtro erimus conjugio.* (Verſ. 4.)

Hæc

Verſ. 5.

Hæc ubi dixit meliore ſpiritu, ſuam rationem ſubnectit: *Filii quippe ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita conjungi ſicut gentes, quæ ignorant Deum*, quæ proinde non alio ducuntur genio, quàm libidinis. Non ſic Chriſtiani, non ſic fideles animæ: ad nuptias illæ convolant, tum ut ſobolem edant Deo, ac ſuperis dignam; tum ne *in carne periclitantis pudicitiæ naufragium patiantur*, ut ait Petrus Damianus: itaque conjugium illis portus eſt; ſic enim illud appellari voluit D. Chryſoſtomus, cujus hoc fuit effatum notatu digniſſimum: *Sicut portus eſt conjugium, ita & ſæpè naufragium*; cùm ſcilicet illo perperam utuntur conjuges, quorum ſors eò miſerabilior erit, quòd naufragium patiantur in portu, qui in fluctibus non ſunt paſſi: ſimiles infœlicibus Hebræis, de quibus Zeno Veronenſis: *Per mare pedibus ambularunt, ut paterentur in terra naufragium.* Sed de his pro inſtituto ſatis; deſcendo ad poſtremum quod initio mihi propoſui. Erit illud primum, adeóque illuſtre prodigium, quod tum exhibuit Chriſtus dum aquam in vinum vertit miraculo hactenus inaudito; quo ſe Deum probavit.

Opuſc. 22. c. 20.

Serm. de libello repudii

Serm. 2. in Exod.

Mutatio aquæ in vinum.

Hactenus Patris æterni Verbum, ceu novus orbis hujus Sol latuerat ſub humanitate, velut prædenſa nube; ex ea modò fulgentiſſimos radios emittit, quibus hominum oculos feriat, ac recreet. Ii porrò ſunt miracula, ceu fulgor aliquis divinæ illius, ſempiternæque lucis; ſunt ſigilla quædam, quæ & authoritatem concilient, & venerationem. Iis Pater Æternus notari voluit, ſignaríque JESUM, de quo illud amantis diſcipuli: *Hunc Pater ſignavit Deus*: vel ut alii ex græco: *Sigillo notavit.*

Ioan. c. 6.

Ex illo Deum agnovere diſcipuli, qui id miraculum uſurparunt oculis. Ex aliis huic ſimilibus agnovit Nicodemus, Deúmque ingenua, liberáque voce confeſſus eſt. *Scimus*, inquiebat, *quia à Deo veniſti, magiſter.*

Ita ex prodigiis Deum hominem ſuſpexit Nicodemus, & miráculis fidem dedit: atque utinam etiam darent hæretici noſtri temporis; ſub quorum oculos ponam quod memoriæ eſt recentioris, & antiquis illis affine.

S. Lambertus Epiſcopus Vencienſis, die Veneris ſancto ſibi potum ſolius aquæ indixerat: etſi totum triviſſet in precibus. Placuit ſuperis ea abſtinentia, & miraculo etiam probata. Cùm enim famulus pateræ argenteæ puram, putámque aquam infudiſſet; ut benedixit, guſtavitque S. Præſul vinum ſenſit, guſtavitque. Hinc famulo ſubiraſci, vinum effundere, & rurſus aquam infundere: mirum dictu, guſtúque. En illi non aqua ſapere; ſed vinum, idque generoſum. Ratus aliquid ſubeſſe fraudis, nec famulo deinceps fidere, nec aquam, nec pateram credere pius Præſul: ſed ſua ipſe manu aquam affundere; deinde benedicere; denique libare.

Et ecce rurſum ex guſtu, ſaporéque agnoſci vinum, non expreſſum è vite; ſed potenti Dei manu, qui hoc prodigio ſervi ſui abſtinentiam commendare voluit.

Uti etiam & ſanctæ Hedwigis, quam cùm Dux Henricus, pro eo quo erat in conjugem amore, ægriùs ferret aquæ potu contentam victitare, quod crederet inde cauſam moleſtæ ægritudinis, ſcyphum ei à famulo appoſitum tulit, ex eóque bibit. Et ecce guſtavit vinum quàm optimum, cùm tamen prius non eſſet niſi pura, putáque aqua. Quo miraculo probatam voluit Deus famulæ ſuæ abſtinentiam, & importunas mariti reprehenſiones retundere. Uti deinde S. Franciſci febricitantis deſiderio ſatisfacere.

Henriquez tom. 1. Diſt. 5. c. 6.

Juvat illius meminiſſe temporis. In comitatu Narvienſi, non procul à caſtro, cui à S. Urbano nomen; in vaſta ſolitudine, montéque abrupto febri correptus vir ſanctus, necnon & acri ſtomachi dolore, quem ut levaret, vinum expetiit: at eò loci nec vinum erat, nec potus alius, niſi aqua lympida è vicino fonte, quam ſibi deferri voluit, & de more ſigno Crucis benedixit. Et ecce vim ſanctæ crucis, imò & vim animi in divina providentia confidentis, & aquam ſenſit in vinum optimum converſam, & à febri liber, ſibi, ac valetudini eſt redditus: ſic febris ardorem repreſſerat prodigioſus vini cœleſtis ardor.

Lucas Wadingus in Annal. Min.

Quod D. Franciſcò datum eſt ad tollendum febris æſtum: hoc B. Joachimo Abbati Coratio, & fundatori Congregationis Florenſis. Cùm enim apud Dinettum caſtrum in Apulia, monaſterii novi extructoribus vinum deeſſet, aut reparandis, aut refocillandis ex labore viribus, aquam, quæ liberaliùs è fonte fluebat, in vinum convertit.

Henriquez Diſt. 14. c. 2.

Et hæc prodigia labentibus deinde ſæculis dedit amabilis Dei providentia; vel ut fides primi à ſe miraculi per hæc iret in poſteros, vel ut ſervorum ſuorum virtutem, & in ſe fiduciam probaret, vel denique ut apud mortales miracula fidem invenirent. Atque utinam etiam inveniant apud ævi noſtri hæreticos: invenient certè niſi & ſuperis, & ipſi Deo authoritatem negare velint.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, & erat Mater* IESV *ibi; vocatus eſt autem &* IESVS. V. 1.

CVR AD NVPTIAS VOCATVS IVERIT IESVS?

PRo ratione eſſe poteſt, ac debet vel una Dei voluntas, quæ homini Chriſtiano rationum eſt inſtar omnium; quia, ut ſcitè D. Cyprianus: *Apud ſummam rationem nihil expers rationis eſt. Et ſumma juſtitia voluntas Dei eſt*, inquit Salvianus.

De Provid.

Verùm ut ita ſit, & eſſe re etiam ipſa fateamur, nihil tamen vetat, etiam eorum, quæ molitur Deus pia indagine cauſas inquirere. Igitur ut inſtitutum perſequamur; vocatur ad nuptias JESUS. & (quæ ſumma bonitatis illius inclinatio fuit) etiam venit; quæ cauſa? Prima, ac potiſſima hæc fuit; ut convivarum bono, ſalutíque conſuleret; aderant è diſcipulis non pauci, Andreas, Petrus, Philippus, Nathanaël, aderat & ſponſus, iſque Cananæus, id eſt Zelotes; aderant & alii, quos ſilentio Scriptura preſſit; hos ad ſe quà voce, quà prodigio vocare voluit, illos in benè cœptis firmare; verbo omnibus à ſua præſentia eſſe quàm optimè, & hinc ad nuptias venit.

I. Cauſa; ſalus convivarum

Ita deinde ad Simonem Phariſæum venit, & menſæ accubuit, ut & illi mentis oculos aperiret, & Magdalenam fletu ſolveret, opportunáque pœnitentiâ.

Digitized by Google

Ita perrexit ad ſocrum Simonis, ut febrim è corpore velut ex hoſpitio pelleret, & meliore igne, æſtúque recrearet.

Serm. 8.

Videtis (inquit. aureâ ſandi copiâ, Chryſologus) *quæ res ad domum Petri invitaverint Chriſtum? utique non diſcumbendi voluptas, ſed jacentis infirmitas; non prandendi neceſſitas, ſed ſalutis occaſio*, quam ubique locorum operosè quæſivit, & arripuit Servator optimus, & hoc quidem ſine mora: ubi enim ea ſeſe obtulit, *non tardavit; ſed cucurrit clamans dictis, factis, morte, vita, deſcenſu, aſcenſu*, ut piè notat D. Auguſtinus, eíque coævus D. Ambroſius, qui hanc Chriſti in omnes beneficentiam non ſine inuſitato ſtupore deprædicat. Ubique inquit, Jesus *curat, ubique ſanat, in itinere, in domo, in deſerto, ut Deum ſe, & hominem demonſtraret*: ita, inquam, & curat, ſanat non corpora tantùm; ſed & animas, ubi ſe Deum demonſtrat; quod fecit his ipſis, quibus de agimus nuptiis, dum aquam in vinum vertit, & hinc ad eas invitatus prona voluntate, & levi pede advolavit; ut & conjugibus, & convivis, inde faceret quàm optimè, quod adeò illi familiare fuit, ut propè neceſſarium videri poſſet; quod disertè advertit D. Chryſologus, dum ita exclamat: *O quam neceſſitatis eſſe ſua, quod ſuæ poteſtatis eſt, vult videri.* Huic ſuppar eſt & altera ratio, ut probaret naſcente jam Eccleſia ſanctas eſſe debere nuptias, ut olim naſcente mundo. Juvat illius temporis meminiſſe.

L. 4 Conf. c. 12.

Serm. 93.

II. Approbatio nuptiarum.

Erat adhuc innoxia Orbis ætas, & in ea innoxius Adam, innoxia & Eva, cùm conjugali fœdere necti placuit; nuptiis omninò fortunatis, quarum ſi voles, etiam Deus paranymphus fuit.

Expendendum, inquit Rabbinus unus aliquis, *quanto Deus honore conjugalem ſtatum aſſecerit, cùm à ſe procreatam mulierem inſtar pronubi, ac paranymphi adduxit ad virum; & primus quidem omnium vitæ, ac virtutis ſtatus, ac ſtudiorum exſtitit matrimonium à Deo inſtitutum, & in ipſomet paradiſo terreſtri, vigente adhuc, ac florente omnium fœlicitatum fœliciſſimo ſtatu innocentiæ, primævaq; juſtitia: ſciant ergo conjuges, quàm ſanctum, quàm purum ab omni labe, quàm honoratum à Deo ſuſceperint Dei beneficio teſtimonium.*

Habes, amice Lector, quæ in primis mundi nuptiis ames, ac mireris; & quidem quod priùs occurrit, eſt locus, eſt paradiſus, hoc eſt, innocentiæ ſedes, ac fœlicitatis; deinde pronubus eſt ipſe Deus; tum Adam, & Eva puritati, atque innocentiæ priùs inter ſe juncti, quàm conjugio. Ad hoc te provocat Chriſtus, & ipſe quodammodo paranymphus, qui nuptias probat, & conſecrat dum frequentat. Et hinc ducitur tertia ratio; pro ea qua erat divina intelligentiæ vi, ac perſpicacia, jam inde prævidebat aliquando fore, ut multæ de matrimonio opiniones enaſcerentur, eæque à fide, à ratione, à Deo alienæ: & hinc illas etiam tum præſentiâ ſuâ, ceu muta quadam voce, damnare voluit.

III. Approbatio nuptiarum.

Saturninus, Marcion, Encratitæ, Traiani, Priſcillianiſtæ, Adamitæ, aliíque ejuſdem farinæ homunculi, nuptias erant reprobaturi, veluti diabolicum quoddam figmentum, & tanquam infœlicem aliquem peccati fœtum: cenſebant enim Adamum inter & Evam priùs initas eſſe nuptias cùm à peccato exul abiit, atque extorris à paradiſi ſede, locóque fœlicitatis; in quo ſi innoxius manſiſſet Adam, genus humanum omne per unius authoris Dei procreationem fuiſſet propagatum. At ubi & innocentia excidit, & parata ſibi ſtatione; tum contractum matrimonium, ex eóque enata ſoboles, quæ parente pejor progeniem dedit vitioſiorem. Hæc ſunt eorum commenta; quæ ut jam inde ab ipſa naſcente Eccleſia damnaret Servator Optimus, & nuptias ipſe frequentare, & eas inſigni prodigio illuſtrare voluit; ut ſcilicet *approbaret quas fecit*, inquit Auguſtinus: Ut *honoraret quas condidit*, ait Euthymius.

IV. Honor earundem.

Ne tamen ex hoc conficias quod ex hæreticis nonnulli, quos inter Jovinianus, qui delira mente, calamóque, matrimonium cum virginitate ita compoſuit, ut æquaret, imo & illud huic cenſeret anteponendum.

Contra illud infame placitum pugnat hoc Apoſtoli pronuntiatum: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam bene facit: & qui non jungit, melius facit.*

1. Cor. c. 7. v. 38.

Pugnat & iſtud Theophylacti, qui *matrimonium plumbo, viduitatem argento, virginitatem auro ſimilem eſſe contendit.*

In 1. ad Timoth.

Nolim tamen inde conjugatis inſultare virgines; nolim approbatum à Chriſto ſtatum deſpicere. Et ſanè noluit D. Cyrillus, cujus hoc monitum plenum pietatis,

Catech. 4.

Tu qui caſtè vivis nonne natus es à conjugatis? ſi poſſides aurum, non eſt quod reprobes argentum. Sed ne longius: hæc attigiſſe ſit ſatis. Venio ad aliam cauſam, quæ Deum hominem impulit, ut nuptiis intereſſet. Hæc porrò fuit, ut ex eo diſcerent ætates omnes longè conſequentes, quò vocandus eſſet Jesus: ſcilicet uti ad domum luctus; ſic etiam ad domum convivii.

V. Domus convivii, ad quam etiam invitandus Jesus.

Nobile effatum Magni Pontificis: *Aliquando nos mundus delectatione retraxit à Deo: nunc tantis plagis plenus eſt, ut ipſe nos jam mundus mittat ad Deum*; quamquam non opus eſt ut mittat, eò quippè vel ſponte curremus; habent nimirùm illud plagæ, æſtúsque inſolens doloris; habent hoc impendentia capiti noſtro pericula; habet hoc luctus, & obvia imago mortis; ut ad Deum inviter, ac provocet; à quo delectatio, deliciæ, voluptáſque revocarunt: adeò præpoſtera ſunt hominum ſtudia, præpoſteræque cogitationes; vocatur Jesus ad domum luctus, non vocatur ad domum convivii. Et hujus, & illius fidem faciet Propheta Regius, cui certè credendum *poſt tanta authoritatis ſenectutem*; ſic ille de Iſraëliticis: *Cum occideret eos quærebant eum, & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum.*

D. Greg. hom 28. in Evang.

Pſal. 77.

Cùm irato cœlo tonaret Deus; cùm expediret fulmina, cùm in eos Orbem armaret univerſum; verbo uno, cùm occideret eos, tum eum quærebant, & ad ſe, ſuoſque lares ſupplices invitabant. Is nimirùm fuit genius Iſraëlis. At ubi ille ipſe Iſrael *incraſſatus eſt*; tum *recalcitravit*: ubi *impinguatus*; *tum dereliquit Deum factorem ſuum, & rec. ſit à Deo ſalutari ſuo.*

Deuter. 32.

Iſraëli hoc quo vivimus ævo multi non abſimiles. Ubi ex voto fluunt omnia, ubi vino abundant & Cerere, ubi natant in deliciis, ubi menſis accubant, & multo vino madent; tum Dei ſui ſunt immemores, & de eo ad epulas invitando ne cogitant quidem. Ubi adverſa fortuna reflarit, ubi nuda paupertas, & rerum propè omnium indigentia, ubi dolor & luctus, ubi conjugis, ubi prolium, ubi amicorum orbitas; tum opportunè, importunè, tum prece, & pretio invitatur Jesus, invitatur Maria, invitantur cœlites omnes: ſic oculos, ſic vocem, ſic mentem divinis aperiunt adverſa, quæ proſpera occluſerunt.

Poſtrema ratio (neque enim eſt exiguæ quæſtionis omnes conſectari) humilitati ſerviet, cujus exemplum dedit, ac documentum Jesus, cùm ad nuptias venit: *Qui non eſt dedignatus formam ſervi accipere, non eſt dedignatus ad nuptias venire ſervorum*, inquit Chryſoſtomus.

VI. Studium humilitatis.

In quo profectò eſt, quod miretur puſillus homo, eſt quod imitetur, & quo ſeipſe damnet non ſine rubore, pudoréque; qui ut fortè fortuna bonis abundet, pauperculos deſpicit ipſe, ac ne oculo quidem dignatur.

Erubeſcat, inquit Auguſtinus, *homo eſſe ſuperbus, quoniam factus eſt humilis Deus; Ecce venit ad nuptias, qui cùm apud Patrem eſſet, inſtituit nuptias.*

Serm. 42. de verbo. Dom.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba : *Vinum non habent.* verſ. 3.

AN NON PLERVMQVE IN NVPTIIS hujus mundi deficiat vinum ?

VOCATUS erat JESUS ad nuptias, vocata & Virgo mater : ſed, ô dolor, ô pudor! vinum (quod tamen,& amoris pabulum eſt, & anima convivii) in paupere penu defecit: hinc illæ matris ad filium voces:

Serm. in Dom. poſt oct. Epiph.

Vinum non habent. Nimirum ut piè D. Bernardus: *Compaſſa eorum verecundiæ, ſicut miſericors, ſicut benigniſſima ; quid enim de fonte pietatis procederet niſi pietas? quid, inquam, mirum ſi pietatem exhibent viſcera pietatis?*

In nuptiis mundi deficit.

Exhibent enimverò, atque etiam per miraculum indigentibus ſubveniunt, & aquas in vina convertunt, atque utinam in nuptiis longè conſequentibus converterent; verùm enim etiam in his *vinum non habent.*

I. Vinum amoris.

Eſt vinum amoris Symbolum, hieroglyphicum charitatis, & hæc plerumque deficit in nuptiis.

II. Lætitiæ.

Eſt vinum Symbolum lætitiæ, ac fœlicitatis: cujus argumento ſit, quòd vitis quæſita ad aliarum arborum imperium, reſponderit, etiam ore, calamóque divini Spiritus, *non poſſe ſe deſerere vinum ſuum, quod lætificat Deum, & homines.*

Iudic. c. 9. v. 13.

Cauſam ſi quæras, hanc è naturæ ſinu, gremióque eruet Valeſius, tum quia vinum quàm citiſſimè abit & in ſanguinem calidum, & in ſpiritus vitales, adeoque mirum quantùm exhilarat cita illa ſpirituum abundantia, quâ qui præditus eſt, hilaris eſt atque amœnus; qui caret, (ut melancholici) triſtis, & inamœnus; tum quia vinum calefacit, laxat, effunditque cor, ideóque lætificat; eſt enim lætitia quædam cordis laxatio, atque diffuſio: ſicut è contrario triſtitia ejuſdem contractio, & torpor, quem ingenerat frigus.

Et hæc hauſta ſint è naturæ ſinu, à quo ad mores tranſeo, redeoque ad nuptias, à quibus paululùm abii. Deficit in iis vinum ſeu illud eſſe voles charitatis; ſeu etiam lætitiæ, ac voluptatis.

Diſcrimen inter Nuptias Adæ, & poſterorum.

In ipſa naſcentis Orbis infantia Adamum inter & Evam celebratæ nuptiæ longè diſpares ab iis, quas poſteræ viderunt ætates.

Primùm enim, in iis nullus æſtus libidinis, nullus omninò fuiſſet ardor à ratione, à puritate alienus: ſed thorus immaculatus, & ex eo innoxia quædam generis humani, fœtúſque propagatio.

Deinde nullus in partu dolor, anguſtiæ penitùs nullæ; has enim peperit peccatum, à quo fulmen illud divinæ juſtitiæ in muliebre caput incidit: *In dolore paries filios.* Tum nulla in nuptiis diſcordia, rixæ omninò nullæ; ſed perennis, & intemerata pax; & concors uti corporum; ſic & animorum conjunctio.

Gen. c. 3.

Tum etiam nullus in nuptiis dolor, labor nullus, paupertas nulla, matrimonii onera etiam nulla; victum enim abundè dediſſet terra, etiam cultore nullo. Et hinc ſuaviſſima fuiſſet liberorum educatio, expers anxiæ ſolicitudinis, quam parentibus ingenerare ſolet numeroſa ſoboles, cui de amictu, de victu, de fortunis providendum.

Tum denique neque mariti mors uxorem; neque uxoris fatum mariti animum mœſtitiâ affeciſſet, ſolviſſétque dura manu vinculum illud amabile, nexúmque tori conjugalis.

Ex his aliiſque capitibus fœlices, imò & beatæ fuiſſent nuptiæ, in quibus proinde, amoris vinum, vinum lætitiæ, & hilaritatis nunquam exaruiſſet.

At non ſic in nuptiis hujus ævi : iis quippe vino ſuperinfuſa frigida; imò pro vino pura quodammodo, & puta aqua relicta fuiſſe videtur ; adeò illæ charitatis expertes, & vacuæ ſunt innoxiæ voluptatis.

Primùm enim ſi quis è toro conjugali promanat fœtus, is non concipitur ſine ardore quodam, vitióque maleſanæ libidinis.

Deinde non emittitur in auras ſine dolore, non educatur ſine cura, ac labore, quem abundè parit tum educatio, eáque permoleſta; tum rei domeſticæ anguſtiæ, eæque quotidianæ; tum plerumque zelotypia, quæ conjugum animos invadit, lancinat, torquet, & ad rixas, ac jurgia præcipites agit; tum denique mors ipſa, quæ vinculum conjugale diſcindit, ac ſeparat.

Et hinc in nuptiis illis malè fortunatis vinum omninò deficit; & quidem optimis vinum amoris, atque illibatæ charitatis; quam ut retineret ſtudioſa pacis Antiquitas, Junoni nuptiarum præſidi ſacra fieri voluit, & quidem ea lege, ut ab hoſtiis, quæ tum immolabantur, ſel eximeretur; quo ritu innuebant veteres illi ſophi, à conjugibus bilem, iráſque felle plenas quàm longiſſimè removeri oportere.

A nuptiis abſit fel, & ira.

Hujus conſuetudinis ita meminit Cœlius Rhodiginus: *Iunoni nuptiali rem divinam cùm facerent, è victima fel exemptum poſt aram abjicere moris fuit receptiſſimi, innuente (opinor) ejus quiſquis fuit authore, bilem prorſus, iràmve à conjugali ſequeſtrandam jucunditate.*

L. 28 lect. Antiq. c. 22.

Ad quod alludit Poeta non ignobilis:

Iunoni libans, cui vincla jugalia parent,
Fel removet quoties hoſtia cæſa cadit.
Cur hoc? conjugio bilis pellatur ut omni
Semper, & à caſto ſit procul ira toro.

Eodem ſpectavit recepta apud Romanos religio, quâ Deam coluere, cui nomen *Viriplaca*, quòd virum placaret illa, arceretque à conjugio, truces iras, & moleſta jurgia; quæ ut abeſſent ſub ipſum Hymenæum ſupplici voce Concordiam invocabant, ut teſtis eſt Claudianus de Nuptiis Honorii, & Mariæ.

Valerius l. 2. c. 1.

Abſint jurgia.

Tu feſtas Hymenæe faces, tu gratia flores
Elige: tu geminas concordia necte coronas.

Quòd ſi concordiæ, pacis, & amoris conjugalis adeò amans, & retinens cœca fuit Antiquitas; quo in eam animo eſſe debeat poſteritas, quæ in amœna fidei luce, ac ſole eſt educata: eo certè quem exigit vel ipſa Matrimonii ſanctitas, quod Chriſtus inter Eccleſiæ ſuæ ſacramenta reponi voluit; eo quidem fine, ut & conjuges ubere donaret gratia, & ab hac longæva pace, atque concordia. Ea profectò ſi qua decet cura, operáque foveretur, fortunatæ ab illa nuptiæ redderentur.

Adſit concordia.

Verùm enimverò illud Plutarchi apud Stobæum: *Illas fœlices eſſe fœminarum nuptias, à quibus charites non exulant*; magis verè, & Chriſtianè dixero, à quibus charitas non exulat.

Ceremoniæ nuptiarum.

Digitized by Google

Ne porrò exularet unquam, alias, atque alias in nuptiis cæremonias uſurpari placuit: velut teſtes mutuæ illius charitatis.

Lib. de Nuptiis antiq. Apud Elamitas, teſte Bocacio, Vir, & uxor ipſo nuptiarum die è digito cordis ſanguinem ſibi invicem elicere ſoliti, eòque teſtari amores ſuos ad ſanguinis profuſionem, & uſque fata.

Apud Chaldæos in ipſo nuptiarum loco à Sacerdote luculentus ignis accendebatur, quem nemo unus extingueret; oſtentabat ille mutui amoris flammas, atque incendia.

Lib. 2. Offic. Eccleſ. Apud Chriſtianos olim, S. Iſidoro teſte, ipſi conjuges inter ſe nectebantur vittis rubris, & albis; hæ candorem niveæ mentis, atque illibatum torum; illæ mutuos amores prodebant.

Verùm proh dolor! plerumque, & remittuntur hi, & flacceſcit ille, taràque avis in terris, vir aut uxor benè conſentientes; ut proinde uti lepida; ſic & vera fuerit inſcriptio viſa quondam Romæ in via Tiburtina:

Heus tu viator miraculum hic. Vir & uxor non litigant.

Hoc lemma adjici placuit ſepulchro, quod claudebat virum, & uxorem, benè olim dum in vivis eſſent convenientes, nec unquam, quod aliis familiare eſt, litigantes.

Tales fuerunt ii, quorum ita meminit B. Gregorius Turonenſis.

Lib. de glor. Conf. c. 42. Apud caſtrum Divionenſe Hilarius quidam vir Senatorius diem ſuum obierat relicta uxore ſuperſtite: ea deinde gemens inſtar viduæ turturis, poſt annum naturæ etiam conceſſit: cúmque ſublato prægrandi ſepulchrali lapide, in eundem cum marito tumulum demitteretur; exanime viri cadaver elevatâ dexterâ conjugis cervicem amplexari viſum eſt, non ſine amabili ſpectantium ſtupore, qui in eo amplexu, ſeu muto quodam charactere legerunt quàm arctus inter vivos fuiſſet nexus, cùm etiam inter mortuos, & frigida cadavera, is foret amplexus, eáque neceſſitudo. Ut hanc ſervent quicumque conjugii vinculis ſunt impliciti, verum ſibi ſcriptum putent illud: **Conjugum concordia.**

Conjugium quo ſit fælix, experſq́; querelæ,
Surdus vir, conjux cæca ſit, Heſſe domi.

Conjugii boni leges. Sit vir ſurdus, ne plus æquo vel garrula, vel querula uxor aures verberet, animúmque fatiget. Cæca ſit uxor, ne dum nimium eſt oculata, omnia cenſorio notet oculo, carpat, & damnet omnia; itáque domeſticam quietem interturbet.

Et iſtud utrique conjugi commune ſit præceptum; hoc autem quod ſubjungo, uxori peculiare. *Aquam illa in ore ſemper habeat, & virum vincet.* Hanc præceptionem, mentémque altè imbiberat illa mulier, quæ alteri cum marito rixanti dixiſſe proditur. *Semper habe in ore aquam, & illum vinces:* Fecit, & vicit; cùm enim viro tumultuanti reſpondere non poſſet, ſilentio ejus iram mollivit, verborum tonitrua ſedavit.

Quæ ſit aqua illa ſi quæris, eſt ſingularis, & muta quædam patientia, quæ viri iras dum frangit, efficit ut in nuptiis ea parte non deficiat vinum amoris, mutuæque charitatis. Verùm ut ex hoc fonte non deficiat: at certè velis nolis ex alio deficiet, mentemque tuam ſicco, atque arenti alveo deſtituet; tanto quippe curarum æſtu eam aduret, ut nunquam omninò defœcatam è conjugio hauſura ſit voluptatem.

Teſtem volo è ſuperis unum aliquem, is erit Baſilius magnus, qui hæc olim in poſteros emiſit:

Epiſt. 2. *Conjugio mancipatum curarum agmen excipit, in orbitate, deſiderium prolis; in liberorum acquiſitione, pro educatione ſolicitudo: uxoris cuſtodia, domeſtica procuratio, ſervilium officiorum conſtitutio, damna in civilibus contractibus accepta; digladiationes cum vicinis, forenſes concertationes, alea, agriculturæ labores, unaquæque dies ſuam adfert omninò caliginem. Iam verò noctes diurnas curas excipientes, per eaſdem rerum ſpecies impoſturam mentis factitant.*

Ecce quæ curarum agmina, quæ moleſtiarum caterva, quæ laborum moles incumbat; etiam ab uno conjogio, quod ea omnia inevitabili quadam neceſſitate trahit; ut proinde meritò dixerit D. Gregorius Nazianzenus Conjugem eſſe *pondus honoratum*; ſic enim Sermone ad Nicobulum. **Conjugii tribulationes.**

Non mihi ſunt etiam connubia ſplendida curæ,
Pondus honoratum.

Pondus profectò, quod non tam honori ſit, quàm oneri, quod à carne ſpiritui imponitur, & à quo plurima miſellæ animulæ tribulatio. Verùm enimverò de conjugatis illud Apoſtoli:

Tribulationem carnis habebunt hujuſmodi. Etſi enim in primo nuptiarum quaſi limine voluptatulam aliquam percipere videantur, ipſa tamen voluptas tribulatio quædam eſt, quia carnis eſt. *1. Cor. c. 7.*

Hanc ex verbis Apoſtoli agnovit, & latiùs explicuit D. Gregorius, dum iſtam movit quæſtionem.

Cur ineſſe conjugibus carnis tribulatio quaſi ſpecialiter dicitur, niſi quòd frequenter majores tribulationes ex carne ſuſcipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur. *Lib. 12. Mor. c. 14.*

Has porrò tribulationes, quæ miſellos conjoges ſequuntur, ac premunt, belle his duabus voculis expreſſit S. Baſilius, *Nuptiarum tragœdia.* Ut enim in hac primus actus læta omnia exhibet, atque amantia; at ultimus triſtia, ac horrida: ſic, & in nuptiis; habent enim & hæ ſuos actus, in quos quanta quanta eſt conjugum vita ſic dividuur, ut primus actus amœna omnia oſtentet, atque ridentia; at poſtremus inamœna, ac flebilia: cujus præcipua ratio eſt, quòd mutuus amor, qui primùm in ſcenam venit, ſubducit ſe è theatro, ac deinde ejus locum occupent, & tragicam perſonam ſuſtineant odia, rixæ, diſſenſiones, zelotypia, aliaque ejuſmodi monſtra, quæ ferales faciant nuptias. Quod de his dictum hactenus; hoc, & de omnibus hujus ſæculi oblectamentis pronunciatum velim; habent enim, & hæc ſua faſtidia, dolores ſuos, cruciatus ſuos, ut meritò jactarit illud Tertullianus: *Opuſc. de Virgin.* *Et Tragœdia.*

Abundantia in ſe ipſa contumelioſa eſt: quod *in corporis voluptatibus* verum eſt quàm maximè; *quarum ſatietas plena eſt pœnitentia*, ut rectè advertit Boëtius. *Lib. de hab. Mul. c. 7.* *Lib. 3. de Conſol. Proſ. 7.*

Sed hæc contumelia, hæc pœnitentia extrema ferè illarum occupat, poſtremumque actum tragicum facit, atque lamentabilem, cùm primus comicus fuerit, ac delectabilis: hunc proinde, ſi ſapis, ô homo, deſpice, & ab illo diſce ſapere, & his nuptiis, id eſt voluptatibus, nuntium remittere.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.

Ad illa verba : *Omnis homo primùm bonum vinum ponit ; & cùm inebriati fuerint , tunc id quod deterius eſt.* V. 10.

AN MVNDVS ALVMNIS SVIS PRIMO bonum vinum propinet ? An deinde quod deterius eſt ?

Nuptiæ in Cana Galilææ.

HIS avari hoſpitis genius eſt, ſub prima fercula , ſobriáſque menſas vinum promit generoſum ; ut gulam irritet, & fallat improbè : deinde flaccidum propinat, & acidum ; ubi nimirum, & à mero caput incaluerit , & lingua maduerit , & ſtomachus propè merſus fuerit. Tum enim omne vinum ſapit ; cujus ratio peti debet è vitio ſtomachi, qui falerno plenus, qualecumque vinum bonum æſtimat , & priori haud abſimile , quia ipſum ſcilicet ſapit, atque eructat.

Mundi typus.

Et ille eſt typus mundi fallacis, qui nos in hoc ævo, brevi periturо , ut hoſpites, ut convivas habet , & primò vinum offert è meliore cella , ſed vix illud extremis labris guſtaris, cùm aliud depromit , quod inſipidum ſit, & longè teterrimum.

Et divitiarum.

Exemplo res erit illuſtrior : Divitias ubere cornu ubi fundit mundus , ecce bonum vinum ; at cave. Ut enim *ab eodem vino alii contumelioſi, alii benigniores ſunt ; ſic à divitiis alii aliter afficiuntur*, ut inquiebat Ariſton ; hi enim iis utuntur , ut neceſſitati ſerviant ; illi etiam ut libidini ; videbis hoc in filio prodigo, de quo magnificè Chryſologus : (Serm 94.)

Cenſus filium tulit è gremio Patris , ejecit de domo , exemit patriæ , ſpoliavit famâ , exuit caſtitate. (Serm. 1.)

Ecce vinum longè perniciosiſſimum , è quo bibunt largiùs viri divitiarum , *qui divitiis ſimul , & vitiis incubant* , ut inquit Salvianus. (In ſent. Eth.)

Honorum titulos tibi proponit mundus , & illos avida aure , menteque bibis ; nimirum ut doctè D. Cyprianus : *Ambitionis ſalſugo bibulam animam occupat.* (Praef. de Chriſt. oper.)

Et honorum.

Pulchrè ambitionis ſalſugo ; quia in ea plus eſt ſalis , quàm mellis , & in gloriæ culmine , ad quod inſano niſu aſpiras , plus eſt oneris , quàm honoris. Ut enim disertè Seneca :

Eſt inter onus , & honorem non tam alluſio vocis , quàm rei ipſius expreſſa veritas : honor , quippe, *ex onere venit ; aut potius ex honore onus* ; ut ſcitè S. Iſidorus. At quia illum tibi exhibet mundus, hinc etiam primò bonum vinum ponit ; deinde relinquit , quod deterius eſt ; onus ſcilicet , cui ſuſtinendo cùm impares habeas humeros , ei ut ſuccumbas eſt neceſſe ; imò ut labaris in præceps ; hinc apud Senecam ſapientibus *quæ videntur excelſa, prærupta ſunt. Itáque examinantur, & trepidant , quoties deſpexerunt in illud magnitudinis ſuæ præceps. Cogitant enim varios caſus. & in ſublimi maximè lubricos : tunc appetita formidant , & quæ illos graves aliis reddit , gravior illis fœlicitas incumbit.* Non ſic ſtultis , non ſic inſanis mortalibus , quorum oculi à vanæ gloriolæ fumo caligant ; opinantur illi in altiore fortuna ſe beatos cùm ſint miſerrimi : nimirum iis improbè illuſit mundus, ut & voluptas omnis, cujus prima limina , ut facilia ſint , & læta ; extrema tamen confinia , & difficillima ſunt , & injucunda. Ita nimirum ut D. Ambroſii verbis utar : *Sæculi voluptas , nos quadam carnis adulatione delectat , ut decipiat.* Quomodo enim non decipiat , cùm mel proponat, quod deinde multo felle malè condiatur ; & quidem quàm citiſſimè , quia ut verè Euſebius Emiſſenus : (C. 2. de brevi vita. — L. 2. c. 26. — Epiſt 91. — In Pſ. 43.)

Et voluptatis.

Mel eſt quod aſcendit in labia, fel eſt quod deſcendit in viſcera. (Hom. 3. de Epiph.)

Ecce velociſſimam atque admirandam metamorphoſim , etiam ab ore in viſcera : In ore , & incautis labellis mel eſt, ut videtur , ſuaviſſimum ; at vix deſcendit in viſcera cùm illa inficit , ac torquet felle amariſſimo , in quod ſcilicet commutatum eſt. Dixit ex antiquis unus aliquis : *Dulcia ſe in bilem vertunt* , occulto quidem naturæ genio ; ſed documento aperto , quo ritè monentur ignari ſuæ ſortis homunculi , omnem , quæ ex voluptate petitur dulcedinem , citò deficere in amarinem. (Galen. l. de Euchymia, & Cacochymia.)

Appello Jonathæ fidem, atque experientiam. Quid ille quondam in pulvere martio ? *Guſtans* , inquit , *guſtavi in ſummitate virgæ , quæ erat in manu mea, paululum mellis , & ecce ego morior.* (1. Reg 6. v. 14.)

Et gulæ.

Ab æſtu ſolis , & armorum propè exhauſtus Jonathas, ut collapſas vires reſtauraret, guſtavit favum mellis , & ecce patriâ lege, juſſúque damnatur morte , ferroque ſubmittitur ; & verè illud induiſſet , niſi eo exemiſſet una populi vox , atque acclamatio. At te non eximet gladio divinæ juſtitiæ , quiſquis es mortalis , qui contra illius placita non tam guſtas favum mellis (illicitæ inquam voluptatis) ſed & eâ fœdè te proluis : verùm prolue ut lubet , lues certè , & cum Jonatha exclamabis aliquando : *Guſtans guſtavi paululum mellis , & ecce ego morior.*

Et ſanè mortui ſunt omnes , qui ea voluptatum mella incautè delibarunt.

Ab hac funeſti caſus.

Fabius Senator , ac prætor in lactis hauſtu ſtrangulatus interiit.

Anacreon Poëta dum gulæ parumper indulget , acino uvæ paſſæ necatus fuit.

Attila terror orbis , & flagellum Dei , diſruptis viſceribus infœlicem animam expuit , etiam inter delicias nuptiarum.

Amurat Turcarum tyrannus , vinum ſorbillans, mortem hauſit etiam aureo poculo. Adeò in his verum illud Scripturæ oraculum : *Uva eorum uva fellis , & botri amariſſimi.* Sed quomodo , inquies , uva , ſi fellis ? quomodo botrus, ſi amarus ? videntur hæc inter ſe pugnantia : *Fel enim tantam habet amaritudinem , ut etiam à canibus non attingatur* , ut inquit Plinius : uva autem è contrario ſuccum effundit adeò ſuavem , ut omnibus ſit in deliciis ; etiam Superis ſi voles : *Vinum* enim *lætificat Deum & homines* ; qui ergo convenire poſſunt uva & fel ? botrus & amarities ? omninò quàm optimè. Uva ſymbolum eſt lætitiæ , ac voluptatis ; fel autem mœroris , ac triſtitiæ , ut inde noris impiorum voluptatem uvam quidem eſſe ; ſed quæ mox in fel degeneret. Ita ſibi nectuntur quàm arctiſſimè uva , & fel , botrus & amarities, juxta vulgatum illud : *Ubi uber , ibi tuber ; ubi mel , ibi fel* ; fel inquam aſpidum , & inſanabile. Aiunt Scythæ virginem apud ſe natam , cujus forma cingulo tenus fœminam , inferiùs viperam repræſentaret ; cum hac Jovem congreſſum Scythen genuiſſe. Fabula eſt, doctúmque commentum, vel ſi mavis voluptatis imago quædam eſt veris coloribus adumbrata , cujus caput , atque introitus virginem referat pulcherrimam , & amabili venuſtate renidentem ; (Deut c. 32. v. 32. — Iudic. c. 9.)

renidentem; ſuis autem in viperam, & Draconem horribilem defluat. Cum hac Stygius, & luxurians more ſuo Jupiter, ſi commiſceatur, non Scythen; ſed immane quoddam monſtrum, ſceluſque progignet; quis enim alius à voluptate partus exiſtat? At erit unus aliquis qui mihi obſtrepet, qui contrà nitetur, qui contendet, ſuáque etiam doctus experientiâ proclamabit, mundi hujus oblectamenta ſuavia eſſe, dulcia & mellea, & ab iis altam pacem: cui ego facilè concedam, mellea eſſe ſenſibus, at fellea animo; dulcia corpori, at amara cordi; ſuavia carni, at aſpera ſpiritui; cui proinde nunquam dabitur ab illis vera quies, & firma pax;
Triſtis exitus. Quid enim prodeſt, ut bellè Cæſarius Arelatenſis, *Si exteriora ſerenitas teneat, interiora tempeſtas?* Quid inquam prodeſt, ſi carni, ſi luteæ moli, aliqua ſit malacia; ſi intereà temporis alii, atque alii à perturbata conſcientia in animo ſint fluctus, aliæ, atque aliæ tempeſtates? at illæ, velis nolis, hujus vitæ delitias, ac voluptates inſequuntur, ac premunt; ut etiam de his verum ſit illud: *Quod omnis homo primò bonum vinum ponat, deinde quod deterius eſt;* primum enim aliquid eſt quod blanda titillatione ſenſus provitat: at deinde relinquitur aculeus, qui mentem pungat, & lancinet; ut enim non minùs doctè quàm piè Severinus Boëtius: L. 3. Metro 7.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumq́; par volantum
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

AD CHRISTUM ceu communem medicum advenire miſelli omnes, & aliquo morbo tabidi; abire ſine remedio, nemo unus omnium, niſi is quem priùs ſua in eum fides deſtituiſſet. Exemplo erit tum leproſus ille, à quo unâ dumtaxat voculâ *Volo*, luem omnem depulit Servator Optimus: tum etiam puer ille Centurionis, cui ſanitatem impetravit herus pro ſervo opportunè ſolicitus, hac brevi, ſed efficaci prece: *Domine puer*
Matth. c. 8. v. 6. *meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Hæc ille paucis, ſed nervosè,
verſ. 7. ſed piè; qui ſtatim à Chriſto audiit, *Ego veniam, & curabo eum.*

Ea vox indulgentis Domini Centurionem perculit; & quà ſtupore, quà etiam amore attonitum habuit, atque in hæc verba compulit: *Domine non ſum dignus ut*
verſ. 8. *intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Hoc demiſſi animi fuit argumentum, ſimul & fidei ſingularis, quam amavit, & laudavit
verſ. 13. IESUS, & cui ſanitatem dedit; Dixit enim: *Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi.* Et hæc de re tum geſtâ

EX D. THOMA.

LEPROSUS ille, D. Thomæ eſt *peccator;* lepra verò
Serm. 2. peccatum, propter quatuor: 1. Enim *lepra* eſt *Corruptio humorum.* 2. *Conſumptio membrorum.* 3. *Infectio aliorum.* 4. *Separatio hominum.*

Similiter à peccato etiam damna quatuor: 1. *Corruptio naturalium. Peccatum eſt corruptio modi, & ſpeciei, & ordinis,* inquit Auguſtinus. 2. *Amiſſio gratuitorum,* id eſt, gratiæ, *quæ non habitabit in corpore ſubdito pecca-*
Cap. 3. *tis.* 3. *Infectio proximorum:* ita Jeremia teſte, *contaminata eſt terra in operibus eorum.* 4. *Separatio à Deo,*
Sap. 1. *à gaudiis Sanctorum, & Angelorum;* ita nimirum *perverſæ cogitationes ſeparant à Deo.*

Leproſum, & lepram, hoc eſt animæ morbum,
Matth. c. 8. vidiſti: attende hujus, & illius curationem, ac modum.

I. Ex parte Leproſi in cujus curatione quatuor ſpectantur: 1. *Acceſſio ad Chriſtum: Ecce Leproſus veniens.* 2. *Adoratio: Adoravit eum.* 3. *Exclamatio: Domine.* 4. *Humiliatio: Si vis potes;* quaſi dicat, *Tua voluntate, non meis meritis;* quæ etiam attenduntur in peccatore Serm. 5.

In quo 1. acceſſio ad Deum eſt per contritionem, 2. exclamatio per confeſſionem, 3. adoratio per ſatisfactionem, 4. humiliatio per nihili, & impotentiæ agnitionem.

II. Ex parte medici, id eſt Chriſti, concurrunt quatuor: 1. *Tactus*, & in tactu *Humilitas.* 2. *Locutio*, & in ea, *Sapientia.* 3. *Voluntas*, & in hac *Bonitas.* 4. *Curatio*, & in hac *Obedientia:* & per hæc quatuor operatus eſt Chriſtus ſalutem noſtram.

EX D. BONAVENTURA.

SINGULA verba, quæ Sacer Hiſtoricus expreſſit, æqua judicii lance expendit S. Doctor, & quidem hæc:

Primò, Ecce Leproſus, in quo *notatur propriæ tranſgreſſionis deformatio;* ut enim lepra carnem deformem reddit; ſic & animam peccatum. Dom. 3 poſt Epiph. ſerm. 2.

Secundò,

Digitized by Google

Secundò, *Adorabat eum*; & en *debita ſubjectionis exhibitio*.

Tertiò, *Domine ſi vis*, *potes me mundare*.

Et ecce *diſcreta ſupplicationis petitio*. Ubi hæc notavit tum deſcendit ad tria leprarum, ſeu peccatorum genera:

Primum eſt *Superbia*, quod *animam paterna malignitati*, id eſt Adamo, *aſſimilat*.

Secundum eſt *Luxuria*, quod *deformat in pulchritudine naturali*.

Tertium *Avaritia*, quod *ſeparat à communi habitatione Paradiſi*. Ut ab his purgetur anima, neceſſum eſt, & ad eundem medicum recurrat, & eadem poſtulet adhiberi remedia: adorando ſcilicet Chriſtum Servatorem, & Deum.

Primò, *cum humilitate timoris in corde*, *ratione creantis potentia*.

Secundò, *cum expreſſione honoris in ore*, *ratione gubernantis ſapientia*.

Tertiò, *cum oſtenſione amoris in opere*, *ratione redimentis*, *& glorificantis clementia*.

Ubi porro ſic Dominum adoraverit leproſus, hoc eſt, ſpirituali infectus leprâ: tum opportuna ſuo morbo petat remedia, & quidem

Primò, *ſuperbus petat mundari à tumore ſuperbiæ per amorem filialis reverentia*.

Secundò, *luxurioſus à fœtore luxuriæ per odorem caſtitatis & munditia*.

Tertiò, *avarus ab ardore avaritiæ per dulcorem ſpiritalis lætitia*. Et hæc ſpiritualis lepræ remedia, quæ à Chriſto ſeu corporum, ſeu animorum medico obtinuit brevis illa oratio: *Domine ſi vis*, *potes me mundare*; quæ verba dum accuratiùs examinat Seraphicus Doctor, ait hominem *mundari à peccatorum leprâ quadrupliciter*:

Primò, *Regeneratione Baptiſmi*; de qua ſic Deus Ezechiæ calamo: *effundam ſuper vos aquam mundam*, *& mundabimini*: Quid aquam? Imo & ſanguinem & ſanguinis balneum: hoc enim paravit tibi inſignis animarum medicus, & tui amantior JESUS. *Serm. 2.* *Cap. 36.*

Secundò, *Contritione pœnitentiali*; de qua magnificè D. Auguſtinus: *Pœnitentia languores ſanat*, *leproſos curat*, *mortuos ſuſcitat*, *ſanitatem auget & conſervat*. *De vera & falſa pœnit. c. 10.*

Tertiò, *Oratione virtuali*; de qua ſic olim ad Hebræos Deus: *Orabit pro ea Sacerdos*, *& ſic mundabitur*. *Levit. c. 12.*

Quartò, *Tribulatione temporali*: hæc enim animam eluit, & purgat à peccatorum ſordibus: teſtis erit Malachias vates, qui iſta de Deo verè, & piè: *Sedebit conflans & emundans argentum*, *purgabit filios Levi*. *Cap. 3.* Nimirum inſignis artifex Deus, qui mentem à ſcelerum luto, ceu aurum à ſcoria purgat igne tribulationis. Hinc conficit S. Doctor quatuor emundationum genera:

Primum eſt *per fluvium regenerationis*; quo ſcilicet eluimur in Baptiſmo, mundamurque à ſeptem vitiis capitalibus; ut olim leproſus Naaman, qui ſepties lotus in Jordane lepram poſuit. *4 Reg. c. 5.*

Secundum per *ſinum pœnitentiæ*; *ſinus eſt pœnitentia*, in hanc, qui manum immittit, ut olim Moyſes in ſinum, mundam retrahit: *Exod. c. 4.* *Væ iis*, *qui de ſinu pœnitentiæ ceciderunt*, *Quoniam in ſinum Abrahæ non venient*; *Luc. 16.* uti nec venit dives Epulo: venit autem mendicus unus, iſque Lazarus.

Tertium per *interventum orationis*; cujus beneficio mundata Maria ſoror Moyſis, quæ murmurans leprâ inficitur, & orante Moyſe mundatur. *Num. c. 12.*

Quartum per *tactum caſtigationis*: *homo* enim *à Deo tangitur*, *dum ab eo corripitur*.

QUÆSTIO PRIMA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Extendens* IESUS *manum tetigit eum*. Matth. c. 8. verſ. 3.

QUA RATIONE MISELLUM HOMINEM. TANGAT vel DEI, *vel* CHRISTI *manus? & quod inter hunc, & illum attactum ſit diſcrimen? & quæ vis in eo attactu?*

Lib. 3. de fide orthod. DIVUS Joannes Damaſcenus appoſitè animadvertit Chriſtum è corporibus, velut uſurpatis malè hoſpitiis, morbos expuliſſe, modò verbo; modò attactu: ut ſe hac ratione Deum probaret, & hominem. *Gen. c. 1.* Et quidem verbo Deum (*dixit* enim, *& facta ſunt*) attactu verò hominem. De hoc in præſenti quæſtione pauca ſubjiciemus. Plurimùm illa conducent vel ad Dei ter Optimi ter Max. juſtitiam commendandam; vel ad prædicandam ſingularem Chriſti in miſeros mortales beneficentiam; hos enim tangit modò Dei manus (quod æquitatis eſt, ac juſtitiæ) modò Chriſti (quod indulgentiæ, ac miſerationis.) Et hoc inter hujus, & illius attactum diſcrimen eſt; quod ex Scripturæ fide, atque authoritate magis patebit.

Tāgit Deus reprobos, puniendo;

Ut ſuus ſceleri modus eſt, & ſuus quodammodò gradus: ſic & divinæ ultioni ſua vis, & ratio, ſua quaſi portio; modò minor, modò major, prout eam hominum crimina exegerint.

Modò digito uno. Si plaga levior eſt, dicitur ea inferri vel uno tantùm digito. Hunc olim cùm ſentirent malefici Pharaonis, exclamarunt illicò: *digitus Dei hic eſt*; nimirum inſolentem eorum arrogantiam etiam vili animalculo punitam voluit Deus, dum immiſit eis plagam Scyniphum, quæ minima videri potuit: de illâ ſic Philo:

Quid Scyniphe vilius? tamen tantum effecit, *ut tota Ægyptus deficiens exclamare cogeretur*, *hunc eſſe Dei digitum*. *Manus enim ejus ne à tota quidem terra*, *quanta quanta eſt*, *imò nec à mundo univerſo ſuſtineri poſſet*. *L. 3. de vita Moyſ.*

Si paulò gravius aut immineat, aut etiam importetur ſupplicium, tum Dei digitis dicitur importari: *Modò digitis.* ſic olim impio Regi Balthaſari poſt expilata templa:

Apparuerunt digiti, *quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ*: *& Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis*. *Dan. c. 5. v. 5.*

Quid autem ab illo oſtento fuerit animi? quid conſilii ſceleſto Regi? Ex ſcriptura diſce: ſic enim habet: *Tunc facies Regis commutata eſt*, *& cogitationes ejus conturbabant eum*, *& compages renum ejus ſolvebantur*, *& genua ejus ad ſe invicem collidebantur*. *Verſ. 6.*

Quòd ſi hos vel cogitationum, vel timoris æſtus excitare potuit objecta Dei digitorum, imò, & articulorum tantùm imago; quos non excitaſſet vel manus integra, vel exertum brachium ſupremi Judicis, ſi tum

ſi tum temporis, in oculos veniſſet? ſed ne longius. Venio ad Dei vindicis manum; ea explicatur, ubi gravior aliqua impendet pœna; & quidem ſubinde una tantùm; ſubinde etiam altera. Sic olim ex voto, zeloque ſuo Propheta Regius: *Inveniatur*, inquiebat, *manus tua* (hoc eſt ſiniſtra) *omnibus inimicis tuis; dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.*

Modò manu.

Pſal. 20. v. 9.

Quaſi diceret impetu quodam excitatæ mentis, ardoreque juſtæ ultionis. Expande, ô ſumme rerum arbiter Deus, expande hinc ſiniſtram, & inde dextram manum, ut vel tangantur, vel etiam opprimantur inimici tui, & adverſa cœlo capita.

Tangit electos, miſerendo.

Tangantur, inquam, vel opprimantur; quandoque enim ſolùm tangit Dei manus, quandoque etiam obruit, ac perdit.

Tangit electos, cùm adverſis exercet, ac probat; ita tetigit Iobum ad exemplum, & documentum patientiæ ſingularis: *Manus Domini tetigit me*, inquiebat. *Operarius ille victoriæ Dei*; ita enim Iobum appellat Tertullianus.

Cap 2. v. 5.

L. de Patient. c. 14.

Sic lapſis deinde ſæculis cum Iacobo luctatus Deus *tetigit nervum femoris ejus, & emarcuit.*

Gen 32 v. 25

Sic denique juſtos tangit, non tam ut mortem inferat, quàm ut emendet, & vitam inde donet beatiorem.

Tetigit & tunc juſtos tentatio mortis, ait Sapiens.

C. 18. v. 20.

Secus omninò agitur cum reprobis; nec enim hos leviter digito tangit Deus: ſed manu, quanta quanta eſt exporrecta opprimit, atque peſſundat. Ita quondam oppreſſit Azotios, de quibus illud Scripturæ:

Aggravata eſt manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos.

1. Reg. c. 5. v. 6.

Ita opreſſit & Ægyptios, in quos olim iſtæ de ſuperis minæ: *Immittam manum meam ſuper Ægyptum.*

Exod. c. 7. v. 4.

Ita oppreſſit & rebelles Hebræos, quos olim fatidica voce præmonuit Ezechiel, dum hæc ad illos vindicis Dei vice, & voce: *Extendam manum meam ſuper eos, & faciam terram deſolatam.*

C. 6. v. 14.

Montibus excelſis, aris, idololatris, ac toti terræ Iſraël triſtes intentat minas, & vaſtitatem, ac ſtragem prædicit; dignam ſcilicet tot ſceleribus, quibus ſeipſe polluerat, & gravem Dei manum, qua premebatur, attraxerat; & hæc fuit inter pœnas longè maxima, à qua non homini tantùm; ſed & ipſi terræ ſumma deſolatio, vaſtitas, ac ſolitudo. Quid enim aliud expectes à Dei ultoris manu, ſi ea ſceleſto cuipiam incubuerit? *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*, inquiebat olim vas electionis: nec enim Deus noſter, ut dii gentium; hi quippe aut è marmore, duróve lapide exciſi; aut argento, auróque fuſi: adeóque & vitæ, & animæ, & ſenſus omnis expertes, oculos habent, nec vident: aures habent, nec audiunt: manus habent, nec palpant. At Deus noſter & vivit, & enimverò vivit ad debitam ſcelerum ultionem, ad quam & oculos aperit, & aures explicat, & manum exporrigit, ut ejus quaſi mole, ac pondere impios obruat.

Hebr. c. 10. v. 31.

Tangit & Chriſtus ſanando.

Et hæc pro argumento mihi propoſito dicta ſint de Dei manu, ejúsque attactu: deſcendo ad Chriſti Servatoris manum, ac benigniorem illius tactum, à quo & ſua afflicto corpori medicina, & ſuus animo vigor eſt reſtitutus.

Ne longiùs abeam, exemplo erit ille ipſe leproſus, de quo in præſentia mihi quæſtio; ſuis ille evictus malis, & multa lue tabidus, his JESUM interpellavit: *Domine ſi vis, potes me mundare.* quid ad iſta Salvator Optimus? Extendens manum tetigit eum, dicens: *Volo; mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus.* Ecce vim divini illius attactus: *Extendit manum; qui miſericordiæ tendit affectum*, inquit Gloſſa.

Verſ. 2.

Verſ. 3.

Nimirum illi manui ſua virtus inerat, ad patrationem mirabilium, inter quæ etiam fuit depulſa febris è ſocru Petri. Jacebat illa affixa lectulo, & maligno morbi ardebat æſtu, quem illicò ſopivit, imò penitùs extinxit, vel unicus ſacræ manus attactus.

Tetigit manum ejus, inquit Scriptura, *& dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis.*

Matth. c. 8. v. 15.

Hoc portentum dum attendit S. Chryſologus: *Videtis*, ait, *quomodo dimittat febris, quem tenuerit Chriſtus: ibi non ſtat infirmitas, ubi author ſalutis aſſiſtit; acceſſus illuc mortis nullus eſt, ubi vivificatoris ingreſſus eſt. Tenuit*, inquit, *manum ejus. Quæ neceſſitas tangendi erat, ubi inerat jus jubendi? Sed Chriſtus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. Tenuit manum ejus; ut quod manus præſumentis amiſerat, manus repararet authoris. Tenuit manum ejus; ut acciperet indulgentiam manus, quæ carpſerat de morte ſententiam.* Hactenus S. Præſul, à quo diſcedo, ut tranſeam ad alia Salvatoris beneficentiſſimi miracula. Iis invitati quàm plurimi ad eum velut miſerorum aſylum confugiebant, quos inter fuere duo cœci clamantes, ac dicentes: *Miſerere noſtri, fili David*; quibus benevolè Chriſtus: *Creditis*, inquit, *quia hoc poſſum facere? dicunt ei; utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: ſecundùm fidem veſtram fiat vobis*; ita nimirum, ut advertit Gloſſa, *Confeſſio oris tantùm meretur pietatis.* Quod cœco à divinis manibus beneficium, hoc muto & ſurdo; adductus eſt ille ad JESUM, ceu communem morbidis medicum, nec mora illius miſertus; *apprehendens eum de turba, ſeorſum miſit digitos ſuos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi Ephpheta, quod eſt adaperire; & ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus.*

Sermo 18.

Matth. c. 9. v. 28. 29.

Marc. c. 7. v. 33. 34. 35.

Ecce ut ad tactum divinæ manus, quæ clauſæ erant Microcoſmi feneſtræ, hoc eſt, hominis ſenſus, illicò recluduntur, & patent. Aperiuntur oculi, & micant ceu gemina ſidera, ceu animæ vigiles in ſua ſtatione cuſtodes: reſerantur aures, ceu anſæ ad virtutem, ceu viæ, & canales per quos vox influat in ſenſus internos, indéque in animum. Expeditur lingua, ceu *Dei organum, quod* (ut inquit Iſidorus Peluſiota) *ad cœleſtem harmoniam accommodetur, & pulſetur.* Ita ſenſibus omnibus, vel à morbo ſtupidis, vel etiam extinctis pro medicina eſt vel unicus ſacræ manus attactus; imò quod ſtupeas etiam mortuis pro vita. Teſtis erit miſellus adoleſcens filius unicus, & viduæ matris amor, ac delitiæ. Eum ſuſtulerat mors immatura, etiam ad ſepulchrum efferebant atrati portitores, & multa turba civitatis, vel mœſtæ parenti comes, vel funeri pompa: cùm ecce opportunè occurrit Servator Optimus, & ut erat ad miſerendum pronus, ad matrem ait: *Noli flere; & acceſſit, & tetigit loculum, & ait: Adoleſcens tibi dico ſurge.*

L. 1, ep. 108.

Tangit, inquit Cyrillus, *ut oſtendat efficax eſſe ſuum corpus ad humanam ſalutem. Sicut enim ferrum igni adjunctum facit opus ignis; ſic caro Verbo unita vivificat.* Ut porrò ea vis, quæ divinis manibus inerat, in aperto eſſet, uſus eſt S. Præſul familiari ſimilitudine, ferri, & ignis: ut enim ferrum ignem concipit, & quodammodo igneſcit totum, atque obvia quæque adurit; ſic Chriſti caro quàm arctiſſimè juncta Divinitati ejus, quaſi virtutem imbibebat, & ab ea, ceu vita prima, hauriebat & illud: ut vitam etiam mortuis poſſet redonare.

Ex his, aliiſque, quæ tibi ſuggerent vel ſacræ paginæ, vel SS. Patrum placita, conficies, benevole Lector, quod inter Dei, & Chriſti attactum ſit diſcrimen. Tangit Deus, dum condemnat; tangit Chriſtus, dum abſolvit: tangit Deus, dum ulciſcitur; tangit Chriſtus, dum miſeretur: tangit Deus, dum pœnas infligit; tangit Chriſtus, dum beneficia irrogat: tangit denique Deus, cùm vitam per extrema ſupplicia eripit; tangit Chriſtus, cùm vitam reddit.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Volo: mundare.* verſ. 3.

AN LEPROSVM SOLO VOLVNTATIS ſuæ nutu mundarit Chriſtus?

An voluntas Dei ſit cauſa rerū?

HÆc quæſtio pendet ex ea, quam agitat Angelicus Doctor, prima parte, quæſtione decima-nona, articulo 4. Utrùm ſcilicet *voluntas Dei ſit cauſa rerum?* Ut ea faciliùs evolvatur: Primùm ſtatuo qua ratione agat creatus artifex, qui intellectu pollet, ac voluntante. Deinde quâ Deus ipſe, qui ut primum Ens; ſic & prima Cauſa.

Creatus artifex ſeu angelus ille ſit, ſeu homo, alios atque alios elicit actus, dum aliquid molitur.

Primus actus eſt potentiæ intellectivæ, quæ quia mentis oculus eſt, & veluti dux, atque anteambulo, proponit opus ipſum, modumque illius faciendi.

Alter actus eſt voluntatis, quæ & opus eligit, & modum operis decernit.

Poſtremus actus eſt potentiæ exequentis opus, idque ex directione intellectus, & voluntatis imperio.

Deus ter. Opt. ter Max. operatur adinſtar agentis creati, ſepoſita tamen imperfectione, quæ in Ens primum, ſummum, ac perfectiſſimum cadere non poteſt. Itaque primus actus eſt divini intellectus, qui & opus omne pervadit & omnem illius modum, ac rationem penetrat, qua ſcilicet fieri poſſit, ac debeat. Sicque à Divo Thoma dicitur: *Scientia Dei cauſa rerum*; quia *Scientia Dei ſe habet ad omnes res creatas, ſicut ſcientia artificis ſe habet ad artificiata.* *P. 1. q. 14. art. 8.*

Alter actus eſt divinæ voluntatis, qua decernit ut opus à ſe dimanet, & prodeat. An verò præter actum illum requiratur inſuper etiam actus potentiæ executivæ diſtinctæ à voluntate, in quæſtione eſt; in qua id ſtatuo. Inter Agens creatum, & increatum, longè maximum eſſe diſcrimen. Concipit homo, concipit Angelus, & in ſe efformat ideam aliquam operis: quod quia arridet, quia probatur in paucis, vult illud moliri, vult in lucem, ſolemque proferre: at non eſt ſans velle, niſi & manum operi admoveat homo; & angelus potentiam exerat, atque explicet.

Exemplo res erit clarior. Artifex unus aliquis in ſua mente, quæ cogitationum multarum eſt officina, effingit imaginem aliquam aut domus, aut palatii, aut templi; & quia perplacet illa, vult è latere, è marmore ædificare domum, palatium, templum adinſtar illius, quod ſibi per ideam expreſſit; verùm ut velit, efficiet nunquam, niſi & materiam operi parando conquirat, & lapides, & marmora, & ligna, apta inter ſe ſerie componat, ut inde exurgat ea, quam meditatur ædificii moles.

An velle Dei ſit facere?

Non ſic, non ſic ſummus rerum opifex Deus, quæ concipit ipſe, ſi velit educere, educuntur illicò, vel ſolo nutu voluntatis, à qua de nihilo evocantur, & ſurgunt omnia ſine ullo alio molimine. Ita lux illa, quam oculis uſurpamus, hunc Orbem, quantus quantus is eſt, velut amœna quadam veſte texit atque ornavit, vel unico divinæ voluntatis imperio; dixit enim *fiat lux, & facta eſt.* Ita Sol, & Luna gemini illi oculi hujus Univerſi, vel unica vocula, *fiat*, ſuis inſerta orbibus præluxerunt. Ita expanſa in immenſum illa illa cœlorum vaſtitas, quæ capitibus noſtris impendet, quæ ad numerum rotatur, & gyrat. Ita toto æthere fuſus aër, ita ſparſa ſolo maria. *Gen. c. 1. v. 3. &c.*

Ita hæc ipſa quam calcamus terræ moles ſuis quaſi fixa cardinibus, medium Univerſi tenuit, ſolo nutu ſummæ illius, ac divinæ voluntatis, *quæ vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.* *Rom. 4.*

Vocat, inquam, unico verbulo, *fiat*, in quo mirari licet, atque amare vim divinæ illius voluntatis, quæ non eget eo molimine, eo rerum apparatu, quo creaturæ: & hinc deſcendo ad alteram propoſitæ quæſtionis partem; utrùm in Deo præter actum increatæ voluntatis, qua decernit hoc, aut illud fieri, ſtatuenda ſit potentia quædam executiva, ad quam illicò & proximè ſequatur effectus.

Ut ea quæſtio in aperto ſit, duas tibi, benevole Lector, opiniones ſub oculos pono.

Una eſt Durandi, qui in Deo tres veluti facultates agnoſcit, non re quidem diſtinctas; ſed ratione tantum. Una eſt intellectiva, alia volitiva, poſtrema executiva, quæ & omnipotentia dicitur. *In li. d 38. 81.*

Altera eſt Scoti, qui in Deo nullam reponit potentiam exequentem à voluntate, etiam ratione diſtinctam: quia, inquit, in Deo *ſua omnipotentia eſt ſua voluntas.* *In li. d. 37. q. 1.*

Et hanc opinionem amplectitur Vaſquez, aliique magni nominis Theologi, quos ut in præſentia ſequar, facit primùm Sacræ Scripturæ authoritas; deinde & Sancti Patres; denique & ipſa ratio. Et quidem Scripturarum hæc ſunt de Deo ter Opt. ter Max. oracula: *1 P. q. 25. art. 1. c. 3.*

Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. *Ad Eph. c. 1.*

Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit. *Pſal. 121.*

Ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt. *Pſal. 148.*

Accedunt & Divi Patres. Auguſtinus, qui hæc olim magnificè de Deo: *Cujus voluntas opus, cujus velle eſt poſſe.*

S. Auguſtino ſubſcribit S. Leo, & hæc emittit è Petri ſede: *Deus cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia.* *Lib. Med. c. 29.*

Authoritati ſuum quoque pondus addit ratio, quæ bonæ mentis eſt oculus; eáque eſt hujuſmodi.

Si voluntati divinæ addenda ſit potentia executiva conceptu tantùm, & ratione diſtincta, certè non concipitur illa cum virtute perfecta, & infinita; non concipitur ut efficax, & completa ad operandum, cùm alterius potentiæ, ſcilicet executivæ quodammodo indiga ſit, eamque expectare videatur. Confirmari poteſt ea ratiocinatio à ſimili.

In homine voluntas non eſt efficax, & completa ad operandum, quia ad eam ſolam non erumpit, non aſſurgit opus: ſed ei adſtipulari debet facultas executiva, quæ vel in manibus, vel in pedibus, vel in lingua, aliáve corporis parte reſidet; velut inſtrumentum voluntatis; cujus imperium, nutumque ſequatur.

Idem eſto judicium in Angelo, qui etſi cœleſtes orbes in gyrum agi velit, non aget tamen, niſi potentiam motricem explicet, atque in illos effundat. Et hinc rectè conficimus voluntatem Angeli ex ſe ipſa non eſſe efficacem, non eſſe completam ad

opus, cùm alia facultate, velut adminiſtra, egeat.

At non ſic divina voluntas, quæ & ſummè efficax, & ad opus quodlibet, ſummè completa, quia infinita.

Exemplum habes in hoc ipſo leproſo, de quo Sacer Hiſtoricus: pertæſus ille miſeriæ ſuæ, evictúſque miſerabili, qua tenebatur lue, ſic ad Chriſtum Servatorem orator venit: *Domine ſi vis, potes me mundare;* & illico audit: *Volo, mundare; & confeſtim mundata eſt lepra ejus:* ita voluiſſe, ſanaſſe fuit.

QUÆSTIO TERTIA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Ait illi* JESUS*: Vide nemini dixeris; ſed vade, oſtende te Sacerdoti.* V. 4.

CUR LEPROSO SILENTIUM IMPERAT? Et cur eum ad Sacerdotem emittit JESUS?

DUo hîc leproſo dantur in mandatis, primum ut nemini dicat, nemini mortalium revelet patratum in ſeipſo prodigium; alterum ut cito pede eat, & ſeſe ſiſtat Sacerdoti. Primum nota fuit demiſſionis; ſecundum obſervantiæ, quam Sacerdotibus & deberi, & reddi voluit Servator Optimus.

Imperare ſilentium fuit humilitatis.

Inter præcelſas, & abjectas mentes, hoc intereſt; quòd hæ à ſe præclarè geſta velint eſſe in luce, atque omnium oculis; illæ verò in tenebris, altáque nocte, ſic ut aliorum obtutus effugiant, & humanas laudes.

Ita Chriſto fuit illud in primis curis, ut lateret illud omne quod & nomen ſibi facere, & mirabilitatem apud mortales conciliare poſſet: ut erant ea, quæ ſupra naturæ vim in dies operabatur, modò morbos, modò dæmones è corporibus, velut ex hoſpitiis depellendo.

Sic, ne longiùs abeam, ubi lepram è corpore vel ſola divinæ manus attactu depulit, ne prodigium illud veniret in hominum oculos, néve eorum feriret aures, ad leproſum ait JESUS:

Vide nemini dixeris. In quo ſanè exemplo nobis erit, atque documento, ut diſcamus, & ipſi benè facta profundo ſilentio premere, atque involvere.

1 Reg. c. 2. v. 3

Recedant vetera de ore veſtro, inquiebat olim ad Judæos Anna; erat nimirum illis planè levis, & vanus ſpiritus, quo ſubliniùs elati, tum ſuæ legis oracula, tum etiam data ſibi de cœlo prodigia, tum denique collata propitio Numine beneficia jactitabant, non tam ad hujus laudem, quàm ad futilem quandam ſui, ſuorúmque oſtentationem, qua gentilibus, cæteriſque inſultabant improbè: quod ut reprimeret demiſſionis amans, & tenax Anna ſic olim ad illos:

Quæ commendatur.

Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes: recedant vetera de ore veſtro. Vetera, inquit, hoc eſt ſuperba, *quia*, ut diſertè S. Hieronymus, *Veternoſa, atque antiqua ſuperbia eſt*, utpote enata in ipſis mundi cunis; tum in Angelis in ipſa cœli curia; tum in hominibus in paradiſo, ſede fœlicitatis; ut rectè notat Abulenſis, qui verba *vetera*, ſuperba appellat. Ergo de ore tuo, ô Chriſtiane recedant vetera, & accedant nova: vel, ut D. Hieronymus: *Exeant humilia de ore veſtro, de quo antea grandia, & ſuperba exibant.* Hoc urget exemplo ſuo Chriſtus, & hoc à te vel ſola nominis tui etymologia requirit etiam jure ſuo, cui iſtud negare non auſis, niſi & illi, & tibi injurius eſſe, & haberi velis.

Quæſt 34.

In quæſt 2. Hebraicis.

Mittere ad Sacerdotes obſervantiæ.

Sed hinc tranſeo ad quæſtionem ſecundo loco propoſitam; cur leproſum à ſe dimittit JESUS, & ad Sacerdotem emittit? Aliæ atque aliæ ab Interpretibus proferri ſolent rationes, quas inter, tres proponit D. Hieronymus: *Mittit*, inquit, *ad Sacerdotes ob humilitatem, ut eis deferre videatur: Deinde ut illi credentes ſalventur, vel fiant inexcuſabiles: Denique ne leges infringere videatur.*

Origenes aliò mentem, ſtylúmque flectit: *Mittit*, ait, *ad Sacerdotem, ut cognoſcant non legis conſuetudine, ſed gratiæ operatione mundatum.* Ut ſcilicet, & ipſi, & *omnes qui vident portari munus, miraculum crederent.*

Nimirum Servator quàm optimus ſi prodigium edebat, non tam ſpectabat, ut corporibus eſſet benè; ſed ut animabus eſſet quàm optimè; ut infidelitatis morbum, quo laborabant, deponerent, ut à nocte, errorúmque ſuorum tenebris venirent ad fidei lucem, quam aperiebant patrata vi altiore miracula.

Ii porro ſunt:

Sed & alia ſuccurrit ratio, eáque è ſacris paginis petita: Sacerdotum erat diſcernere lepram inter, & lepram: & ſi fortè ab hac, & illa mundus quis eſſet, judicium ferre, damnaréque ad ſolitudinem, & ſeceſſum à turba: vel multitudini reddere, Deóque ſoſpitatori pro adepta ſanitate gratias immortales agere. In horum partem veniebat agnus ſi leproſus ditior eſſet; ſin pauper, turtures, aut pulli columbarum bini, qui Sacerdoti in donum gratæ mentis cedebant. Et iſta è ſacro ritu petita cauſa: hæc è moribus inſtituto noſtro accommodis.

Judices.

Medici.

Ad Sacerdotem ire jubetur leproſus, quòd ille medicus eſſet, non corporum tantùm; ſed vel maximè animorum.

Apud Græcos invaluit ea conſuetudo, ut eorum medici, eſſent & Sacerdotes: & hi communi nuncupatione dicebantur, *Theraſultæ*: hoc eſt, medici animæ, & corporis.

Rebantur nimirum viri illi ſapientes, morbos ideò occupare corpora, quia vitia priùs animos occuparant: & hinc tam hæc, quàm illos à Sacerdote, qui Deo ſacer eſſet, depelli poſſe.

Verùm abeamus à profanis, dicamúſque cum D. Hieronymo etiam Prophetas olim fuiſſe medicos, non corporum modò; verùm etiam animorum. Ut iſtud probet S. Doctor, nos evocat ad Eliſæum Eliæ magni diſcipulum, & ſpirituum hæredem: ad eum venit Naaman Syrus, & audit: lava te in Jordane ſepties, & mundabitur caro tua ſicut caro pueri: abiit, lavit, & mundatus eſt lotione ſeptena, quæ numerus medicus eſt; conſentaneus ſcilicet inſtituto medico.

Imò, & ipſe Salvator JESUS, medicus audire voluit; cùm enim ei objeciſſet neſcio quis terræ filius, quòd cum Publicanis, & peccatoribus, & frequentiùs ageret, & liberiùs. Subjecit illud, quod beneficentiæ fuit: *Non eſt opus valentibus medicus; ſed malè habentibus:* quaſi diceret publicanis, ac peccatoribus gravis omninò incumbit morbus, cui depellendo, opus eſt medico; & is ego dici, & eſſe velim.

Matth. c. 9. v. 12.

Et quia Sacerdotis, (quem medicum eſſe contendimus) incidit mentio, juvat primùm audire quid

in hoc requiſierit Juſtinianus Imperator; quid deinde in illis SS. Patres.

Auguſtus Cæſar Ulpiani ore, ſtylóque cenſebat eum deligendum eſſe medicum, qui ſanitate, probitate morum, & artis peritia commendetur: quæ ego ad Sacerdotes, tanquam animorum medicos transferri poſſe, ac debere cenſeo.

Capita populi. Primùm ii mente ſani ſint oportet, nullis morbi, id eſt, peccati contagiis viciati: tum quia ſunt veluti *capita* magni corporis, in quod animæ vitam, ac ſanitatem influere debent: ſic enim eos appellandos eſſe cenſuit Procopius, cùm dixit eſſe κεφαλὰς τοῦ λαοῦ *capita populi*: tum quia ſunt quaſi *cor populi*, Iſaia teſte, atque authore; Sacerdotes quippe vocare ſolitus *corda Ieruſalem*: & meritò.

Cor populi. Eſt cor fons caloris, ac vitæ, à quo ſpiritus vitales, & crebræ illæ arteriarum micationes, indices benè, aut malè affectæ valetudinis; & Sacerdos, quiſquis is eſt, vocante Numine ſpiritualis vitæ veluti fons eſt, ac principium illius, qui in Eccleſia, ceu magno corpore, debet eſſe charitatis: Ideóque ut D. Gregorii Nazianzeni verbis utar, *purgari eum priùs oportet, deinde purgare; ſapientia inſtrui, deinde alios inſtruere; lucem fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & ita alios adducere; ſanctificari, & poſtea ſanctificare.* Orat. 1. In hoc quippe ſita eſt animæ vita, quam à Sacerdote, ceu capite, ceu corde expectat populus.

Alterum, quod in medico exigit Ulpianus, eſt artis peritia, quæ & in Sacerdote ſpectanda quàm maximè: ſi enim curando corpori is quæritur, qui medicâ ſcientiâ polleat; quantò magis curandis animis, is erit optandus, qui altiore quadam ſapientia præſtet? Et tamen (quæ labes eſt, & macula quædam hujus ætatis) pleríque eum ſibi deligunt à confeſſionibus, qui & imperitus ſit, & illius quam profitetur artis penitùs ignarus, qui nec inter animæ morbos, id eſt, peccata diſcernere poſſit, nec de remediis providere. Sed iſta parciùs, & veluti per transſennam attigiſſe ſit ſatis. Venit ad aliam rationem, propter quam leproſum, etſi ab inſita lue planè liberum, Sacerdotibus tamen ſiſti voluit Servator optimus; ut vel exemplo ſuo, vel etiam præcepto doceret, quæ eis deberetur obſervantia; etiam ob ſolam ſuſcepti muneris dignitatem.

Ab hac audiunt *columnæ, quòd natantis mundi ſtatum orationibus ſuſtineant*, inquit Eucherius. Columnæ. Hom. 3.

Ab eadem dicuntur *initium* creaturarum, quæ à Deo, ceu authore, dimanarunt; ſic enim illa verba exponit venerabilis Beda: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus*; vel ut alii legunt cum Carthuſiano: *Primitiæ creaturarum ejus*: ſunt enimverò, ſunt Sacerdotes, *initium creaturarum* Dei, ſunt veluti *primitiæ* illi uni devovendæ. Primitivæ creaturarum. Iacob. c. 1. v. 18.

Appellantur deinde etiam Angeli: *Angelus Sacerdos Dei veriſſimè dicitur*, ait Hieronymus, *quia Dei & hominum ſequeſter eſt, ejuſq; ad populum nuntiat voluntatem.* Malach. c. 2. Angeli.

Sunt etiam *Dei Throni*, & veluti ſedes auguſtæ ſupremi Numinis; ſic enim eos nominandos eſſe cenſuit Concilium Toletanum undecimum, cujus hoc oraculum: *Valdè indignum eſt, ut qui Throni Dei vocantur*, levi motione turbentur. Throni. Can. 5.

Denique ne omnia conſectet (quod non exigui foret operis) Sacerdotes in honore omnium, ac cultu ſunt veluti *terreſtres* quidam *Dii*: quippe hac illos appellatione dignatus eſt Conſtantinus, & ipſa quanta quanta eſt Antiquitas, quæ eam opinionem, & ſacri ordinis reverentiam hauſit ab ipſo Salvatore; qui dum leproſos Sacerdoti ſiſti voluit, liquidò oſtendit quid officii, quid venerationis deferri vellet. Dii terreſtres.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Acceſſit ad eum Centurio.* verſ. 5.
QVOMODO AD DEVM ACCEDAT HOMO in adverſis, qui in proſperis receſſit?

Hom. 28. in Evang. DE mundo hoc aſpectabili, & adiiatis ei calamitatibus ita pronuntiavit olim D. Gregorius: *Vbique mors, ubique luctus, ubique deſolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur. Aliquando nos mundus delectatione retraxit à Deo; nunc tantis plagis plenus eſt, ut ipſe nos jam mundus mittat ad Deum.* Tribulatio ad Deum ducit.

Ita, ne poſteriora ſequar, miſit ad JESVM, Centurionem illum, de quo in præſens eſt quæſtio; jacebat ei puer ſolutis longa paralyſi membrorum compagibus, nec affulgebat ullum tanto malo remedium, niſi prona in afflictos Salvatoris miſeratio, quam ut in ſe, ſuóſque derivaret, hæc paucis: *Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquequetur.* Matth. c. 8. v. 6. Sic ad JESUM accedit in adverſis, qui fortè receſſerat in proſperis. Is nimirum eſt tribulationis fructus, quod paucis oſtendam, primùm ex ipſa illius natura; deinde ex fine, quem ſibi in ea propoſuit ſuavis Dei providentia; denique ex ipſius hominis ingenio.

Tribulationis ratio in lucem, apertúmque veniet, & velut digito notabitur aliis, atque aliis deſcriptionibus metaphoricis, quibus eam paſſim depingunt SS. Patres.

I. Et hinc dicitur vinculum. Tribulatio *vinculum eſt*, quo ad Deum aut molliùs ducimur, aut duriùs trahimur. Ita mihi teſtis eſt Oſeas Vates, cujus ore hæc olim Deus:

In funiculis Adam trabam eos, in vinculis caritatis. Cap. 11. v. 4.

In funiculis Adam, hoc eſt, interprete D. Chryſoſtomo, *doloribus, & afflictionibus trabam eos*; tanquam vinculis meæ in illos caritatis. In Pſal. 9.

Et verò afflictiones eſſe vincula docuerunt Hebræi ſapientes, apud quos eadem vox *Zarar*, & ligare ſignificat, & in anguſtias cogere, quod magna hujus, & illius ſit affinitas.

II. Mare. Tribulatio eſt velut iratum, atque intumeſcens *mare*, quod naves, & nautas ad portum, & optandum, & quærendum impellit.

Quemadmodum, inquit Chryſoſtomus, *mari æſtuante, & multa procella inſaniente ad portum confugere timor omnes cogit: ſic & nunc fori procellæ, & civitatis hyemes, omnes in Eccleſiam undique compellunt.* Hom. 4. ad Popul. Hactenus orator aureus; cujus opinione, & calculo miſella hominis animula, quæ hac mole corporis, ceu cymba vehitur, & afflictione ceu mari procelloſo primùm infœliciter jactari videtur; deinde fœliciùs induci in portum æternæ beatitatis; afflante ſcilicet tribulatione, quæ *ventus* eſt, & à puppe, hoc eſt, à vita hac mortali aſpirat vehementiùs, ut nos importet in alteram, quæ immortalis eſt. Et hoc ipſum eſt, quod longè antè præſenſit ſponſa, cujus hæ voces, III. Ventus.

hoc votum, hic æſtus amantium: *Surge Aquilo, veni Auſter, perfla hortum meum & fluent aromata illius.*

Surge, inquit, *Aquilo, veni Auſter*, hoc eſt, interprete Caſſiodoro, Beda, Alcuino, Haymone; aſpira lenius *Auſter*, & aſperiùs affla ſi voles *Aquilo*, & validos in me afflictionis turbines excita, & quaquà patet animæ meæ hortus, eos effunde; & tum effluent uberiùs aromata illius, gratúmque fundent virtutum ſuaveolentium odorem, à quo ſic expreſſo,
IV. Ignis.
dicitur tribulatio, *Ignis*, & juſtis veluti Thymiama; quod illi admotum in nubem abit odoriferam, & aſtra petit, Deóque ceu centro ſuo redditur.

Sed redeo unde paululùm diſceſſi, & illud iterum
In Pſal. 34.
aſtruo, quòd tribulatio ſit *ventus*, & is quidem, qui in area Domini paleas à tritico (hoc eſt, juſtos ab injuſtis diſcernat) flante quippe perſecutionis Euro, *palea volat, frumentum manet*; manet inquam in Eccleſia, manet in Chriſto, & illi quàm arctiſſimè jungitur, ut rectè D. Auguſtinus. Ita nimirum *virtus quæ in pace acquiritur, in perſecutione probatur*,
Serm. 40.
ut ſcitè S. Petrus Damianus; probatur inquam, tum quia *calamitas inventrix eſt ingenioſa*; tum quia *virtutis occaſio*.
Nazian in funere patris Seneca.
Præbet enim animo forti & media, & tempus, quo ſeſe explicet in actus virtutum propè omnium, maximè verò conſtantiæ, ac fortitudinis Chriſtianæ; & inde bonis mentibus adeò in votis, & amoribus eſſe ſolet, quòd liquidò cognoſcant ſe inſtar *auri igni*, hoc eſt tribulationibus tradi, & om-
Chryſoſt. in c. 5. Iſa.
nium vitiorum *ſcoriam deponere*, ac deinde iiſdem
V. Lima.
veluti *limâ quadam* expoliri, ut ſic Deo propinquiores eſſe poſſint: *vita* quippe *immaculata facit eſſe proxi-*
Apon. lib 5. in Cant.
mum Deo. Quod dum amat impenſiùs, quæritque ſtudioſiùs S. Ida, hæc de ſeipſa ſtylo ſimplici, ſed pio, jactare ſolebat: *ſe non poſſe magis vivere ſine perſecutione, quàm piſces ſine aqua, & aves ſine aere.* Hinc ſi quando, vel momento reſediſſent tribulationum venti, de Domino, de Deo ſuo ita queri ſolita:

In ejus vita c. 32.
Quare, mi dulciſſime, tam diuturno ſomno dormis, & me ancillam vexationibus carere permittis? Surge Domine, ſurge & unà tecum exurgat *Aquilo*, veniat *Auſter*, & totum animæ meæ hortum penetret, atque pervadat, & tum effluent aromata earum virtutum, quas in me cœleſti benignáque manu ſeminaſti. Hæc illa, à qua diſcedo, ut veniam ad alterum quod initio mihi propoſui; ſcopum ſcilicet ad quem collimat Deus, dum tenſo arcu, tribulationes, ceu ſagittas in nos emittit. Habent illæ vim medicam,
VI. Flagellum. Epiſt. 31.
& ſanant dum vulnerant, *flagello Domini pulvis excutitur, quem ad deformationem animæ iniquitas aſſiduata congeſſit; & exteriori vulnere ſanatur plaga interior*, inquiebat Petrus Bleſenſis.

In quo profectò medici vices agere videtur Deus; ut enim ille curandis vulneribus, & ferrum, & ignem admovet; ita & hic ſanandis à peccato, ceu morbo, mentibus tribulationem immittit; quod doctè notavit D. Auguſtinus, in ea Prophetæ regii verba:
Pſal. 49.
Tribulationem, & dolorem inveni.

VII. Medicina.
Invenit, inquit, *tribulationem tanquam aliquid utile; putruerat tabe peccatorum ſuorum, jam ſine ſenſu remanſerat; invenit tribulationem tanquam uſtionem, & ſectionem.*

Hæc magnus Præſul, ex quo cónficis tribulationem eſſe homini medicinam, imò & magiſtram: ex ea quippe diſcit juſtitiam benè monitus, diſcit non temnere Divos, diſcit abire longiùs à viis peſſimis. Ita didicit olim Eva prima viventium, & morientium mater, quam ſic loquentem inducit S. Baſilius Seleucienſis:

Orat. 4.
Novi meam divini mandati tranſgreſſionem, novi à Paradiſo excidiſſe me, & iis quæ periculi docta ſum, agnoſco punitorem, excepi pœnam, quæ ut magiſtra, me ab errore vendicet.

VIII. Magiſtra.
Scilicet eſt ille ludus divini amoris, ut inſtruat dum punit; quod ingentis beneficii loco habuit Auguſtinus, qui tam in adverſis, quàm in proſperis miſericordem Dei manum ſuſpexit, & amavit. Sic enim impete quodam ſacratioris eloquentiæ:

Quid non miſericorditer præſtatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium eſt? nam res proſpera donum eſt conſolantis; res autem adverſa, donum eſt admonentis Dei: IX. Donum. Epiſt. 27.
Imò, & in futurum præcaventis; admovet enim tribulationem quaſi cuſtodiam, vel ſepem animæ circumjectam, ne malus prædo, malus inquam Dæmon, in ejus hortum irrumpat.

Tribulationes adhibentur velut cuſtodia quædam, inquiebat Origenes, *& tribulatio ſepes eſt, muniens hortum mentis*, ut rectè S. Bernardinus Senenſis. Hom. 27. num. 19
Et ita futurum olim Iſraëli prædixerat Oſeas Vates. Diſceſſerat ille poſt Deos alienos, uſque ſeſe inclinarat, & amores ſuos, imò ad eorum aras abjecerat frumentum, vinum, & oleum, aliáque largitoris Dei dona: ne porrò in eam impietatem iterum excederet; ejus miſerens Numen hæc illi ore ſui Vatis: *Sepiam viam tuam ſpinis*, hoc eſt, tot calamitatum aculeis te pungam, tam arcta hoſtium obſidione te cingam, ut ad tuos amaſios, ad idola tua abire ut maximè velis, non poſſis. Serm 8. Sabb. poſt Cineres. C. 2. v. 6. X. Cuſtodia.
Et hoc fuit ſingulare Dei in Iſraëlem beneficium; fecit nimirum ille quod hortulani ſolent, ſepem circumdedit, ne fructum decerperet invidus Dæmon, ne adverſo calcaret pede, ne prodiga manu effunderet. Fecit etiam quod figuli aſſolent, Iſraëlem, ceu vas luteum in ignem tribulationis immiſit, ut eo excoqueretur probè, & excoctum menſæ Domini ſui apponeretur.

Quod Iſraëli, hoc & aliis facit propitium Numen: *Mittit in fornacem tribulationis, ut coquatur vas, non ut frangatur*, inquit Auguſtinus, quo eum finio, & delabor ad poſtremum, quod hîc tractandum ſuſcepi. XI. Fornax. In Pſ. 98.

Petebatur illud ex perverſo mortalium ingenio, quod intra ſepta rationis, ac virtutis contineri vix poteſt, niſi duris exerceatur: in quo profectò ſimiles ſunt unionibus, qui intra aquas molleſcunt: extra verò obdureſcunt, ac veluti lapideſcunt.

Margarita, inquit Berchorius, *in aqua mollis eſt, maximè dum eſt in viſcere matris; duratur autem eviſcerata. Tales ſunt mali, quia pro certo dum ſunt in aqua tribulationum, molles & benigni ſunt: ſi verò inde extracti fuerint, per obſtinationem protinus obdureſcunt.* Lib. 19 Reduct. mor.

Exemplo nobis erit Rex Pharao, Monſtrum hominis, Portentum inconſtantiæ: cùm incumbentium calamitatum fluctibus obrueretur, ac propè mergeretur, totus erat cereus, & flecti facilis; Moyſem Dei ſervum impenſiùs orabat, atque exorabat, ut iratum Numen placaret. At ubi ab illis aquis, ac tempeſtate ſudo cœlo redditus erat, tum ſaxo durior, atque adamante; *induratum* quippe *cor Pharaonis.* Proſperitas à Deo evocat. Exod. c. 8.

Quod illi, hoc & Iſraëli, cui ſi irato cœlo gravior tribulationis nimbus immineret; tum & ſuperos ſuſpicere, & in vota ſua flectere conabatur: at ubi erat aliqua ætheris amœnitas, ubi ſerena poli facies, tum ad ingenium redire, & pacatum jam Deum iterum ſuis ſceleribus laceſſere.

Hanc Iſraëlis inconſtantiam ſtylo notavit Iſaias; ſic enim olim cum Deo ſuo piè querulus egit:

Induſiſti Domine, indulſiſti genti, nunquid glorificatus es? Elongaſti omnes terminos terræ. Domine in anguſtiis requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua. Iſa. c. 26. v. 15.
Quaſi diceret: Erant Judæi adverſa, & rebellia cœlo capita, & tamen eis ô Domine pepercíſti. Nunquid ideò ad te redierunt? nunquid tibi laudem dederunt, ac gloriam? minimè gentium: Imò potiùs ex ipſa tua hac indulgentia factum ut à te receſſerint etiam ad ultimos uſque terræ terminos. At ubi rurſum in ingratos detonare cœpiſti, ubi eos in anguſtias cogere; tum verò requiſierunt te, & in tribulatione, cum murmure labiorum, &

orationis

erationis audierunt doctrinam tuam, vel ut hebræa habent, *ſtimulum ſuum*; vox enim *malmadh*, & *doctrinam* ſignificat, & *ſtimulum*, quod impiis ſtimulus pro doctrina ſit; in quo ſcilicet ſimiles ſunt bovi muto, qui non formatur aratro niſi ſtimulo; quod & pleriſque mortalibus uſu venit, qui non erudiuntur niſi tribulatione, quæ ſæpè ſæpiùs extorquet, quod nec Dei verba, nec immiſſæ cœlitùs inſpirationes obtinere potuerunt. Ut proinde meritò dixerit author non ignobilis, quem citat Aloyſius Novarinus de nuptialibus aquis:

Adverſitas ad Deum revocat.

L. 6. Excurſu 83.

Quadam divina authoritas tribulationi ineſt, ut efficaciùs ſæpè per illam ſpiret Spiritus Sanctus, quàm per Prophetas, & ſacras Scripturas. Interdum verbu ſacru non rarò reſiſtimus, & monitionibus ſanctorum Patrum, & doctorum: at tribulationes neſcio quomodo plauſum concilient Deo loquenti, ut ſtatim cedamus, & pareamus. Qui audiri vult, percuſſione alicujus rei, ſono manu edito ſilentium, & auditorium ſibi conciliat. Sic Deus manu ſua percutiens, nos reddit ſibi attentos. Reſiſtit Pharao Deo loquenti in ſervo ſuò Moyſe; cedebat, & parebat affligenti in animali quovis minimo. Ieremiæ non obtemperabat populus, donec in captivitate reſipuit. Nemo ſurdus eſt, nec durus tribulationi; Dei eloquentia eſt, & cathedra Spiritus ſancti, res ſacra eſt, & velut ara, & thronus Dei, licèt terribile ſit tribulari.

P. Io. Euſ. L. 2. c. 9.

Hactenus author, de quo ſuprà, ex quo velim accuratiùs expendas paucula verba.

Primùm, quòd *tribulationi divina quædam inſit authoritas*, cui fidem, & aſſenſum negare nemo unus audeat.

Deinde quòd *Dei eloquentia* ſit, quæ ita ſuadet, ut ſemper perſuadeat.

Denique quòd *Cathedra Spiritus ſancti*, è qua ſcilicet funduntur oracula, & explicantur principia primæ veritatis, ex quibus vitam omnem ſuam ſi exigat homo, ibit in beata ſæcula, ibit in domum æternitatis.

QUÆSTIO QUINTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Dominè puer meus jacet in domò paralyticus.* verſ. 6.

QV.I INTER SE CONVENIANT, paralyſis corporis, & animi?

DE hoc argumento multi multa, ego parcius, ne Lectorem videar deſtituiſſe in eo, quod hîc maximè obvium eſſe debet. Componam igitur paralyſim, quæ corpus malè afficit, cum ea, quæ in animum evadit, & torquet quàm peſſimè. Et primùm hujus, atque illius definitiones exponam.

Paralyſis corporis quid ſit?

Deinde cauſas atque origines; tum etiam ſpecies, atque effectus; denique opportuna utrique remedia ſuggeram, maximè verò illius, quæ mentem perdit; nec enim hîc corpus curamus, ſed animum, quæ hominis pars eſt potiſſima.

Godefr. Stegius in arte Medica.

Paralyſis ſive Hemiplexia eſt reſolutio membrorum, cùm ſcilicet in alteram ſolum corporis partem malum incubuit; ſi enim totum corpus invadat, apoplexia dicitur.

Gignitur illa plerumque ab humore frigido, craſſoq́; plus nimio humectante, laxante, ſenſumque, ac motum eripiente.

Quod ut apertiùs evadat; Primùm adverte, mi Lector, in humano corpore varios eſſe ductus, ac veluti canales, qui ſubſerviunt diſtributioni eorum, quæ vel vitæ ſuſtentandæ, vel operationibus neceſſaria ſunt: & quidem nervi ſpiritus animales per univerſum corpus deferunt; arteriæ, ſpiritus vitales; venæ ſanguinem nutritioni neceſſarium devehunt.

Spiritus animales derivantur à cerebro, vitales à corde, ſanguis à jecore, tanquam à propria officina, in qua cuditur. Et hinc

Adverte ſecundò: Si humore pituitoſo, & craſſo in ipſo capite obſtruatur principium nervorum, & facultas animalis, ne in membra defluat, immittátque ſpiritus animales in nervos toto corpore ſparſos, oritur Apoplexia. Sin autem humor ille noxius decumbat in principium ſpinalis medullæ, naſcitur paralyſis; & inde

Adverte tertiò, quòd *Apoplexia ſit abolitio ſenſus, & motus partium omnium intra cerebrum; paralyſis autem infra cerebrum, excepta reſpiratione;* hac enim ſublatâ illicò tollitur animal.

Quid animi paralyſis?

His ita ex medicinæ principiis probè ſtabilitis, venio ad animi (cui ſanando inſudamus) apoplexiam, ac paralyſim; in hanc enim, aut illam incidit peccator ab alio atque alio crimine, quo ſeſe contaminat; & quidem

Apoplexia corripitur cùm incurrit peccatum Infidelitatis, cùm deficit à fide in Chriſtum ceu caput ſuum. Paralyſi verò tangitur, cùm aliud aliquod lethale ſcelus admittit, à quo ſtupida, & cœleſtis motus expertia redduntur membra; quod ut apertiùs evadat

Primùm id ſtatuo, Eccleſiam eſſe veluti vaſtum quoddam corpus myſticum, cujus caput eſt Chriſtus, cæteri fideles illius quaſi membra, in quæ influit per alios atque alios meatus, ſeu canales: qui ſint illi, quæris? audies eſſe potiſſimùm ſacramenta, per quæ ducuntur in omne corpus Eccleſiæ, ejúſque membra ſingula, ſpiritus tum animales, tum vitales, tum ſanguis ipſe: hoc eſt, ut recedam à metaphora, gratiæ, Spiritus Sancti dona; atque chariſmata, aliæque inſpirationes ſecretiores, per quas Deus in animam illabitur. Et quidem per Baptiſmum infunditur Fides, Spes, Charitas; & prima velut gratia, quæ cæterarum fons ſit, & origo.

Per pœnitentiam verò vel redditur ea gratia, caritáſque, quæ lethali culpa exciderat; vel eadem augetur incremento ſanè amabili.

Per Euchariſtiam verò defertur ſanguis nutritius; & ſpargitur per omnia membra, venáſque magni corporis ille cibus, ille potus, qui viventium eſt, atque viatorum; hoc eſt, ut clariùs eloquar, ter ſanctum, ter ſacrum Chriſti Corpus, & Sanguis, quo nutritur, atque alitur totum corpus Eccleſiæ. Per Confirmationem autem emittuntur per nervos, per arterias ſpiritus tam animales, quàm vitales, hoc eſt ingens animi robur, invictáque conſtantia, à qua moveantur, & flectantur partes in omnes boni operis eadem Eccleſiæ membra. Idémque de aliis Sacramentis eſto Judicium. Verùm proh dolor! ne per eos ductus, ac meatus ſacratiores deferantur cœleſtes illæ gratiæ, obex ſæpè ſæpiùs ponitur

per

per noxium, craſſumq́ue humorem, hoc eſt per peccatum, à quo vel ſubinde totus occupatur, atque obſtruitur animus, vel certè bona illius pars. Et quidem ſi fuerit illud infidelitatis, penitus impeditur influxus capitis, hoc eſt Chriſti in membra, id eſt in homines, & creatur Apoplexia quædam ſpiritalis; quia malum eſt in capite, id eſt in fide: ſecus erit ſi aut deſperatione, aut gula, aut venerea libidine, aut alia quapiam lethali noxâ tangantur, tum enim enaſcitur in iis paralyſis aliqua ſpiritalis; quia infra caput, puta infra fidem eſt malum, ac veluti in principio ſpinalis medullæ nempe caritatis, quæ bonæ menti eſt quod corpori medulla: Sed ne longiùs.

Paralyſis corporis duplex:

Vidimus quid ſit apoplexia, quid paralyſis ſpiritualis; expendamus modò quæ hujus ſint ſpecies? Eæ ad duas revocari poſſe videntur; alia quippe univerſalis eſt; alia particularis. Univerſalis ea eſt, à qua membra corporis omnia (capite dumtaxat excepto) ſiderationem quandam patiuntur, & ſtuporem; quo correpta, redduntur ſensûs, & motûs expertia. Particularis autem eſt illa, quæ aut latus unum occupat, & Hemiplexia à medicis dicitur; aut unum dumtaxat invadit membrum, v. g. linguam, manum, pedem, aut aliud quodvis. Hæc porrò enaſcitur ex quadruplici potiſſimùm cauſa, quarum prima eſt diſſectio nervi; ſpiritus enim non fluunt niſi per continuum.

Secunda, eſt nervi compreſſio, qualis eſſe ſolet in luxatione alicujus membri: nam & hæc impedit tranſitum ſpiritus animalis.

Tertia, eſt inſignis aliqua nervi refrigeratio, à qua redditur hic effœtus, atque impotens.

Quarta denique, eſt obſtructio ſpinalis medullæ; vel ex toto, vel ex parte, facta ab humore craſſu, ac viſcoſo.

Et hæc dicta velim ex medicorum placitis, & quidem eo conſilio, ut ab illis veluti manu ducamur ad paralyſim animi, cui remediũ volumus, & paramus.

Et animi, etiam duplex.

Eſt itaque etiam hæc duplex: Univerſalis una; particularis altera.

Univerſalis, eſt ſtupor quidam terreus, imò & tartareus, quo ita totus ſternitur atque obruitur animus, ut abeat in contemptum ſuæ ſalutis, ut de cœlo, de æternitate ne cogitet quidem, nec tangatur etiam propoſitis inferni pœnis; verbo uno omnis pii motus, ac ſenſus ſit expers.

Particularis, eſt quæ membrum duntaxat unum invadit, atque implicat, v. g. linguam; maximè cùm ingenua de peccatis facienda confeſſio, cùm in aures Sacerdotis deponendum eſt aliquod pudendum ſcelus; tum enim ſæpè paralyſi ita malè reſolvitur lingua, ut in voces laceræ conſcientiæ teſtes abire non poſſit, nec quod intus latet malum prodere.

Aliis non lingua paralyſi laborat; ſed manus: ii porrò ſunt, quibus expeditæ, & magnificæ de virtute, bonoq́ue ſunt voces; at pigra, ſtupida, atque iners ad illud manus. De Deo, rebusq́ue divinis loquuntur quàm optimè; at faciunt quàm peſſimè.

His affines ſunt illi, qui intellectu pollent, & acris ingenii ſolertiâ, de virtute, de cœlo, de Deo ſentiunt, ac judicant quàm rectiſſimè: verùm, ut ita ſentiant, ac judicent, ſtupidam tamen, & omnis boni vacuam circumferunt voluntatem; nimirum paralyſi ita malè affecta eſt illa, ut nullus in ea devotæ ſuperis animæ relictus ſit ſenſus.

Et hinc de cæteris ſeu animæ potentiis, ſeu corporis membris judicium eſto; nec enim omnia perſequi poſſum, in ea, quam mihi propoſui brevitate; pauca ſtylo notaſſe ſit ſatis.

Cauſæ hujus & illius.

Tranſeo ad cauſas hujus, de qua quæſtio, ſpiritualis paralyſis, easq́ue peto ex quadam analogia, atque affinitate cum illa, quæ corporis eſt. Hanc duxi à quatuor fontibus, & illam quoque è totidem capitibus deducam.

Oritur enim paralyſis animi; primùm ex *diſſectione nervi*, hoc eſt, roboris animæ: cùm hæc depoſuit, quæ viri ſunt; & molles, ac fœmineos ſpiritus induit.

Subinde etiam enaſcitur paralyſis ex quadam *compreſſione, aut luxatione nervi*, hoc eſt, cum incurſu depravatæ ſocietatis, velut impete quodam luxatur, ac propè frangitur illa vis animi, quæ eſſe debuit, ut ſibi conſtaret hic in benè cœptis.

Aliàs cauſatur paralyſis ex nimia quadam, ac inſolenti *refrigeratione nervi*, hoc eſt, ex tepore, frigoréque abjectæ in terras animæ.

Denique gignitur paralyſis *obſtructione ſpinalis medullæ*; hoc eſt, illius caritatis, illius amoris, qui ad ſuperna ducere debuit: at deprimitur, imò & obruitur humore craſſo; affectu, inquam, terreo, & carnali, qui hebetem, & ſtupidam mentem reddit. Atque hinc deſcendo ad præcipuum effectum illius paralyſis, hoc eſt, peccati lethalis, de quo mihi in præſentia diſceptatio.

Eſt enim deplorandum illius malum, miſeranda clades, quam importat animo. Orbat enim illum eo ſpiritu, qui neceſſarius eſt, ut exercere poſſit actiones de condigno (ut loquuntur Theologi) meritorias, & cœlo dignas ac beatitate; & hoc quia privat gratia, ac caritate, à qua vim illam ſortiri debuiſſent.

Hujuſce veritatis teſtem, imò & vadem habeo Apoſtolum, qui hæc olim de ſeipſo ad Corinthios:

Si linguis hominum loqilar, & angelorum; charitatem autem non habeam; factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero: nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habuero: nihil mihi prodeſt. 1. Cor. c. 13. v. 1. 2. 3.

Da mihi, canebat Evangelii tuba, da hominem unum aliquem qui & Tullium & Demoſthenem eloquentiâ vincat, qui cœli lingua loquatur, & è pulpito tonet, totq́ue fundat oracula, quot verba; da, inquam, illum caritate vacuum, & erit inſtar æris ſonantis, & cymbali tinnientis; auras quippe inani ſono feriet, non aures, animosq́ue auditorum. Da alium in cujus animam, ceu communis totius ſapientiæ gazam congeſtum ſit quidquid unquam vel à lycæo Philoſophiæ, vel ſchola Theologicæ hauſtum ſit; da illum, inquam, illum expertem caritatis: & erit, Apoſtolo teſte, omnino nihil. Cedo mihi alium, qui inſtar alterius Thaumaturgi, ſola voce montes transferat, ſiccet maria, ventos è cavernis evocet, tempeſtates ciet, ac ſedet, verbo uno qui toti naturæ imperitet; & hic ſine caritate, nihil eſſe reputabitur. Sed & alterum mihi præbeto, qui ut olim D. Joannes Eleemoſynarius ſeſe & ſua in pauperes effundat, aliis opulentus, ac prodigus; ſibi verò inops, & parcus: & iſte ſine charitate, nihil eſſe cœlo judice cenſebitur.

Denique & alium oſtendito vel inter cataſtas, & equuleos, vel inter cruces, & rotas, vel inter ignes, flammarúmque globos, à quibus incendatur, ardeatq́ue totus; niſi una etiam ardeat caritate, nihil illi prodeſt, quidquid ſuppliciorum, quidquid tormentorum, crudeliſque lanienæ exhauſerit. Adeò verùm eſt, in una caritate totius meriti pondus, ac momentum eſſe repoſitum. At hâc ipſâ te privat, ea quam dixi, quæ naſcitur à peccato paralyſis; cui proinde ſi ſapis, medelam afferes quàm citiſſimè: & hinc elabor ad illud quod mihi ultimo loco propoſui, quæ ſcilicet illius eſſent opportuna remedia.

Medici, quorum ars in eo deſudat, ut morbos è corporibus, velut ex uſurpatis per injuriam hoſpitiis, depellant, contraria contrariis, calida frigidis; Remedia utriuſque.

frigida

frigida calidis curare ſolent, adeóque etiam paralyſim, quæ ab infuſo humore frigido naſci ſolet, calidis depellere laborant; inde adhibent hyſſopum, thymum, betonicam, roſmarinum, ſalviam, nucem muſcatam, aliáque id generis medicamenta calidiora, quibus addunt & fomenta naſalia, ſternutatoria, gargariſmata, cucurbitas, cauteria, frictiones, vellicationes, uſtiones, aliáque ejuſmodi quæ humorem illum craſſum, ac tenacem, aut diſſipent, aut abſumant.

Quod corpori, hoc & animo; quod corporeæ paralyſi, hoc & ſpirituali, medicamentum aſſume: paritur enim & hæc gelido humore, hoc eſt, peccato, à quo humida, ac gelida redditur anima; cui proinde, & ſicca, & calida remedia applices eſt neceſſe: cujuſmodi erunt opportunæ, & meditatæ commentationes ignis illius, qui miſerabiles animas uſtulabit quanta quanta eſt æternitate. In hoc certè mira vis ad curandum paralyſi profligatum hominem. Narrat P. Ludovicus Richeomius, è Societate noſtrâ, in ea urbe, quam Galli idiomate ſuo *Arles* appellant, virum fuiſſe, cui nomen *Ioannes Borle*. Is cùm aliquamdiu à medicis deploratus, & longa paralyſi lecto affixus jacuiſſet, die quadam ignem in domo ſuâ conſpicatus; lambebat nimirum ſuperiora vorax illud elementum, & in tabulatum latè graſſabatur, cùm ecce paralyticus, ſeu horrore quodam ex eo, quod in oculis erat periculo, ſeu impendentis mali metu perculſus, confeſtim exilit è lecto, & auſu planè generoſo è domo per patentem fortè feneſtram evolat, ſeſéque præſenti incendio eripit, non ſine ſtupore, & aliquo propè naturæ miraculo. Nempe ingens telum neceſſitas: ingenioſa vis animi, quem vel amor vitæ, vel mortis metus occupârit: diſſolvit ille, frangitque morbi

In valedict. Anima.

vincula, quæ nulla medicorum ars unquam diſſolviſſet. Et ita hîc factum eſt opportunè: ſpiritibus animalibus viam omnem occluſerat injecta corpori paralyſis; at eam aperuit objectus ignis, & ab illo timor: contracti erant nervi, atque colligati; at eos laxavit, diſſolvítque incendii metus: ſtupida erant membra, & ſine ſenſu, ſine motu inertes articuli; at eos explicuit, flexitque partes in omnes, quæ ſub oculos poſita erat imago mortis.

Si natura tantas in illius periculi metu vires poſuit; quantas gratia reponit in horrore æterni ſupplicii à peccato jam jam impendentis? quid enim, amabo te, ô miſelle peccator, quid ignis ille, qui ſumma ædium invaſit, & carpſit? Quid inquam ille, ad ſempiterna inferorum incendia, quibus involventur, & mirum in modum ſine lege, ſine termino cruciabuntur damnatorum animæ? Certè ſi nihil ad hunc eſt ille, neceſſum eſt ut majores in te motus excitet hîc, quàm unquam ille; ſi modò cum animo, ac cogitatione uti decet, exceperis, & æqua lance expenderis.

Et hoc ſit paralyſi ſpiritali remedium, cui alia quoque admove; & quidem primò ad Chriſtum, ceu animæ, ceu corporis medicum accede, ſed fide plenus, ac fiduciâ: deinde etiam animo, & votis in cœlum evola, & ſanctos adhibe, vel oratores, vel etiam patronos: ab illis majus erit tibi præſidium, quàm iſti puero paralytico fuerit ab oratione, fidéque Centurionis. Dixit hic ad Jeſum: *Domine puer meus jacet in domo paralyticus*; rectè inquit S. Chryſologus: *Meus jacet, quia ſi tuus eſſet, non jaceret*. Hæc inquam dixit, pro ſervo Dominus, & eadem pro te, cliente ſuo dicent Sancti, & quam ille corpori ſanitatem à Chriſto impetravit, eandem & hi animo à peccatis morbido obtinebunt.

QUÆSTIO SEXTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Et malè torquetur.* verſ. 6.
QVI IN HOC ÆVO MORTALI torqueantur benè, qui malè?

Lib. de Provident. c. 3.

DIXIT olim Seneca, & rectè: *Solatium eſt pro honeſto dura tolerare, & ad cauſam patientia reſpicit. Vexat* enim *cauſa patiendi* aut recreat. Verùm quia infirmi mortales plerumque non tam ad cauſam attendunt, cujus ergo patiuntur, quàm ad malum, quod perferunt: Hinc importuni gemitus, & iniquæ etiam quandoque de Superis querelæ: dicit enim unus aliquis; ſi nocens paterer & culpæ reus, tolerandum id omninò foret; at innocentem pœnâ peti, & propè obrui, id profectò longè acerbiſſimum. Hæc ille, qui ideò torquetur malè, cùm benè torqueri potuiſſet ac debuiſſet; quod disertè notavit Hugo de S. Victore; ubi tres cruces ſub oculos poſuit, quarum una eſt Chriſti, boni latronis altera, poſtrema denique mali latronis.

In alleg. ad c. 6. ad Galat.

Varia patiẽtium genera.

In cruce Chriſti, inquit, *gloriatio, in cruce dextri latronis conſolatio, in cruce ſiniſtri confuſio: in prima, pœna ſine culpa; in ſecunda, pœna pro culpa, & poſt remiſſio: in tertia, pœna pro culpa, & poſt damnatio. Dicunt homines quando pœnam ſuſtinent: ſi meruiſſemus, non erubeſceremus; nunc autem injuſtè pati, ignominioſum eſt nobis. Obloquium videtur, imò ſi pro culpa pateris, erubeſce; ſi ſine culpa gloriare: latro magis eſſe vis, quàm Chriſtus.* Hæc ille, ex quo habes tria eſſe genera hominum qui patiuntur: ſunt enim qui & vitam,

& mortem exigunt in *cruce Chriſti*, hoc eſt adverſa tolerant ſine culpa; imò ex virtute: ſic S. Adal- I.
bertus Pragæ quondam Epiſcopus, à barbaro, quem fortè officii ſui monuerat, fuſte percuſſus, & quidem ex voto ſuo quàm belliſſimè; exclamavit enim illicò: *Benedictus Deus, benedicta miſericordia Dei: ſi non plus accipio pro crucifixo meo, ſaltem unum ictum pretioſum habeo.* Hæc ſtylo ſimplici: ſed candido, ſed ſincero invictus Præſul, cui volupe fuit ſic benè torqueri; & hoc qualiquali ſupplicio affici, de quo ſic author vitæ:

Pro virtute, quod glorioſum.

Surius 23. April.

Non ſic margarita in ſterquilinio, purpura in populo, roſa in terra gremio, Sol aureus in cœlo, ut ictus unus in corde pio.

In hac rectè patientium ſerie reponendi generoſi Chriſti Athletæ, fortiſſimi Martyres, quibus id evenit quod *auro puriſſimo*; quod ſcilicet *igne clareſcit, malleo proficit, paſſione dulceſcit, morte vireſcit, contumelia manſueſcit, paupertate affluit, & in pretio omni pretio pretioſius eluceſcit*, ut disertè notat Petrus Cellenſis, & ante illum Tertullianus elatiore ut aſſolet cothurno; ſic enim ille eadem uſus metaphora, oſtendit quàm benè torqueatur animus, qui in adverſis ſibi ſapit, & Deo.

Lib. 1. Myſt. Expenſis Taborn.

Terra nomen, inquit, *in igne relinquit, atque exinde de tormentis ad ornamenta, de ſuppliciis ad delicias, de*

Lib. de hab. muliеb. c. 2.

ignominiis ad honores, metalli refuga mutatur. Et hæc ſunt emolumenta, hi proventus illius, quæ pro Deo, pro Chriſto eſt, paſſionis.

Primùm enim ab illa, ſi quid ei terrenæ adhæſit contagionis, excoquit illud, atque exuit, & in igne tribulationis relinquit. Deinde à tormentis ad ornamenta, à ſuppliciis ad delicias, ab ignominia ad gloriam, à morte ad vitam ſibi gradum facit; adeoque torquetur quàm optimè.

Pſal. 42. v. 1.

Ita torqueri voluit olim David, dum hæc in cœlos emiſit vota: *Iudica me Deus & diſcerne cauſam meam. Diſcerne*, inquit, *cauſam meam*, hoc eſt, interprete D. Auguſtino, *diſtet inter eum, qui in te credit, & inter eum qui in te non credit. Par infirmitas, eſt; ſed diſpar conſcientia; par labor, ſed diſpar deſiderium.* Illius enim conſcientia benè ſibi conſcia; hujus autem malè: quia hic culpæ reus, ille verò minimè. & hinc venio, ad aliam hominum claſſem; qui ſcilicet veluti figuntur *in cruce dextri latronis*, & ii ſunt qui debitas quidem ſuis ſceleribus pœnas exolvunt; ſed ut ea diluant probè, & mundi ſpectentur, ac Deo digni: quia ſcilicet per afflictionem alii à ſeipſis ſunt effecti, quod opportuna ſimilitudine explicat B. Laurentius Juſtinianus:

II. Pro culpa, quod utile, quia per hoc

De Patientia c. 3.

Sicut cera, inquit, *appoſita igni emollitur, & veterem imaginem deponens novam recepit; ita corda ad ignem tribulationis appoſita emolliuntur, deponunt priſtina vitia, & ſe reformant in novum hominem.*

Purgantur vitia.

Ecce quomodo cœlo judice torquentur etiam cœlis aſcribendi, & quidem torquentur benè, ut imagines vitiorum, quas induerunt malè, exuant quàm optimè, & pœna brevi æternam redimant.

L. 5. Ep. 68.

Quod ipſum alia ſimilitudine exponit Iſidorus Peluſiota; componit enim tribulationem cum fornace Babylonica, in quam injecti tres illi pueri, nobiles animæ: *Sidrach*, *Miſach*, & *Abdenago*, quos flamma non læſit, imò ne attigit quidem; ſed eorum dumtaxat vincula diſſolvit.

Solvuntur peccati vincula.

Et ita ſe res habet in juſtis, ac Deo ſelectis; immittuntur illi adverſa maſtu in fornacem, in qua eos molliter adlambens flamma, ſic urit, ut vix aliud ſolvat præter peccatorum, pœnarúmque vincula, quibus colligati tenebantur. Secus omninò evenit in impiis; hi enim projecti in fornacem Babylonicam, ab illa exeduntur, & conſumuntur quàm peſſimè; nec ideò tamen ſcelerum ſuorum, aut pœnarum vincula rumpunt; ſed potius nectunt illa, & magis, ac magis ſeſe iis implicant: ſi porrò quæſieris qui fiat iſtud cùm una eademque ſit fornax, & ignis; idem audies ex Divo Ambroſio, *quòd eadem fornax ferrea ſit fragilibus, aurea perſeverantibus.* Ferrea malis, aurea bonis.

Serm. 20. in Pſ. 118.

Et illud ipſum eſt quod indicatum voluit Evangeliſta, dum ore Centurionis illud expreſſit, de puero paralytico, quòd jaceret in domo, & malè torqueretur: *ad comparationem eorum, qui aliquando torquentur ut corrigantur, & approbentur*, inquit hoc loco Paſchaſius; & aliorum, qui ſic in vita torquentur, ut in altera torqueantur magis, æternúmque damnentur. Qui ex hoc genere ſunt, pendent & ipſi in cruce ſiniſtri latronis, à qua mera confuſio, & æterna quidem.

Approbantur electi.

Verùm tamen illud, quòd hæc non emanet à cruce, ſed à maligno genio illius, qui in ea pendet, & qui inde ſibi pœnam accerſit, unde veniam, & gratiam conciliare debuit: *Ad hoc* enim *exagitat tribulatio, ut exinaniat vas, quod plenum eſt nequitiâ, & impleatur gratiâ*, inquit Auguſtinus, qui appoſita ſimilitudine explicat quantum interſit, juſtum inter & injuſtum, dum & hic, & ille graviore tribulationis aura concutitur. Ut enim in area quapiam ſi ventus afflet vehementior, paleas diſcernit à tritico; ſic etiam pios ab impiis tribulatio dividit.

Auguſt. in Pſal. 55.

Implentur gratiâ.

Palea volat, frumentum manet, ait Hipponenſis Præſul; hoc eſt, juſtus inſtar frumenti electi conſtat in fide; injuſtus autem quaſi levior palea ab illa recedit, atque avolat. Et iſtud inter utrumque diſcrimen eſt; quod alia ſimilitudine declarat B. Laurentius Juſtinianus: *Sicut*, inquit, *ſub uno igne, aurum rutilat, palea fumat: ita una, eadémque tribulatio irruens, bonos probat, purificat, & elucidat: malos autem damnat, vaſtat, & exterminat.* Adeò verum illud in hoc mundo, ceu malorum officinâ, quoſdam probè tundi, & torqueri ad ſalutem; quoſdam è contrario improbè, atque ad damnationem: *Non ergo conquerendum eſt de verbere, dum ſcitur, quæ remanent præmia in æternitate.*

In Pſ. 54.

De Patientia c. 2.

Donantur gloria.

B. Laurent. Iuſtin. de patient. c. 5.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

CUm è continenti dixiſſet Chriſtus ad populum frequentem, navim conſcendit, ſolvitque è portu, tranquillo & ſedato mari: ſed ut inquietum eſt, atque inſolens illud elementum, ecce ſubita in eo tempeſtas ſuboriri cœpit; agitari quippe maria, totoque elemento bacchari venti, ita ut navicula, qua vehebatur Chriſtus, non aquam tantùm admittere: verùm & fluctibus operiri, & propè obrui videretur.

Hos inter fluctus, ſævóſque turbines cæteris quà ſtupore, quà horrore attonitis, ac fluctuantibus, unus ipſe Chriſtus dormiebat: diſcipuli contrà & vigilare probè, & ſtupere, & timere, & ingraveſcente periculo illud iterum, iterúmque valido clamore ingeminare: *Domine ſalva nos, perimus.*

Matth. c. 8. v. 5.

Tum Chriſtus inter fluctuantes procellas minimè fluctuans, ubique liber, ubique ſuus, paucis ita increpuit: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Cúmque ad ea verba

verſ. 7.

verſ. 8. verba vix ſibi, vix animo conſtarent, aſſurgens *imperavit ventis, & mari; & facta eſt tranquillitas magna*: quippe ad Chriſti vocem ſubſedêre maria, ſiluêre venti, totique elemento pax reddita.

Prodigium illud hactenus & terris, & aquis inviſum: primùm, omnes admirabundos tenuit; deinde hæc expreſſit: *Qualis eſt iſte? Quia venti, & mare obediunt ei.* De his

EX D. THOMA.

Serm. 2. HIc quatuor ad litteram expediuntur: 1. *Chriſti, & diſcipulorum in navem aſcenſio.* 2. *Maris turbatio.* 3. *Diſcipulorum oratio.* 4. *Ad Chriſti præceptum tempeſtatis ceſſatio.*

Ex myſtico ſenſu etiam quatuor: quod priuſquam probet, per naviculam intelligit vitam ſanctam, & Apoſtolicam; idque potiſſimùm ex fine (nam cætera hic omitto.) Ut enim navis finis eſt: 1. *Homines trans mare ferre*; ita ſanctitatis de mundo in cœlum efferre. 2. *Mercimonia portare*, id eſt
Serm. 1. opera bona. 3. *In eis belligerare*, hoc eſt contra dæmones pugnare. 4. *In eis piſces capere*, id eſt homines Deo, & cœlo lucrari.

In hanc ſanctitatis navim: 1. Aſcendat homo neceſſe eſt. 2. Poſt aſcenſum tempeſtatem ex-
Eccl. 2. n. ſpectet: *Fili accedens ad ſervitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem.* 3. Ad Deum in tentatione clamet, id eſt oret: ita clamavit, oravitque,
Pſal. 119. David: *Ad Dominum cum tribularer, clamavi.*

4. Exſpectet à Dei nutu juſſúque tempeſtatis, id eſt tentationis, ceſſationem: ita exſpectavit, imò & expertus eſt David: *Exaudivit me*, inquit.

Ea porrò tempeſtas, ſive tentatio oritur à quatuor ventis: 1. *Eſt frigidus ventus, aquilo, qui flavit; & gelavit chryſtallus ab aquis*: & hic eſt *infeſtatio dæmonum.* *Eccl. 44.*
2. *Eſt ventus urens*; id eſt, *perverſitas hæreticorum*, à qua *ſpicæ*, id eſt fideles, quaſi *uredine percutiuntur.* *Gen. 41.*
3. *Eſt ventus vehemens*, id eſt, *crudelitas Tyrannorum*, quæ in Chriſtianos, ut olim in Jobi filios irruit à *Iob. 1. 2.*
regione deſerti. 4. Eſt ventus errans, ſive *malignitas falſorum Chriſtianorum*; quem ventum, qui *Eccl. c. 11.*
obſervat, & ideò animo cadit, nunquam ſeminat.

In hac porrò ventorum lucta adſit fidelium ut olim diſcipulorum oratio; eáque: 1. *Fiat Inſtanter.* 2. *Humiliter.* 3. *De re utili*: & certò ſequetur ex Dei præcepto tempeſtatis, id eſt tentationis ceſſatio, ac dein beata tranquillitas.

EX D. BONAVENTURA.

IN hac hiſtoria, ut aliàs ſæpè diſcedit D. Bonaventura à ſenſu litterali, & accedit ad myſticum, in quo illi

Dom. 4. poſt Epiph. ſerm. 2. *Navicula eſt Eccleſia; quæ tempeſtatibus, & fluctibus tribulationum frequenter quaſſatur.* Eccleſia, inquit, navis, & quidem.

1. *Piſcatorum in prædicatione: in hac navicula tot ſunt piſcatores, quot ſunt in Eccleſia Doctores; tot piſces, quot homines; mare mundus; flumina, in quibus capiuntur carnis concupiſcentiæ: de his extrahi debent per pœnitentiam*; & hoc officium eſt piſcatorum, id eſt, Doctorum.

2. *Navis eſt bellatorum in tentatione. Quot ſunt ſtatus bonorum in Eccleſia militantium, tot ſunt naves bellicæ Chriſti*; ſicque navis eſt *Ordo Benedicti, Franciſci, Dominici, & alii quibus contra Diabolum, Mundum, & Carnem, & vitia bellandum eſt.*

3. *Navis eſt negotiatorum in operatione: Navis*, inquit, *inſtitoris. Inſtitor juſtus omnis, cujus merces, ſunt virtutes, & bona opera. Panis, Corpus Chriſti*; quod de longè venit, quia de Cœlo.

4. *Navis eſt viatorum in peregrinatione.* quamdiu enim hoc mundo, ceu mari vehimur, peregrini ſumus; tendimuſque per varios rerum æſtus, ac tempeſtates, in portum æternæ beatitatis; quem priùs quàm teneamus *congrua virtutum hoſpitia* quæramus oportet, ut in iis fluctuum, id eſt vitæ jactatione laſſi quieſcamus: *bona hoſpitia ſunt charitas, miſericordia, patientia, caſtitas, & cæteræ virtutes.*

Ab *Eccleſia*, ſeu *navicula*, delabitur S. Doctor ad cauſas fluctuum, quibus jactatur, eáſque alias, atque alias recenſet.

Prima eſt *Prælatorum negligentia*; hæc notatur in eo, quòd JESU *dormiente in navicula motus magnus factus eſt*: JESUS *in navi dormit ubi Iudex, & rector torpet. Verè periculoſus eſt ſomnus negligentiæ Rectorum,*
& Principum. Noë dormiens denudatur, & negligens, bonâ *Gen. c. 9.*
vitâ, vel famâ privatur. Tobias dormiens excœcatur per *Tob. c. 2.*
calida ſtercora hirundinum, per quæ fervens cupiditas temporalium ſignificatur; hæc enim excœcat, & oculum, luménque bonæ mentis eripit. *Isboſeth dor-* *2. Reg. c. 4.*
miens jugulatur à duobus principibus latronum: latrones ſunt peccata; duo principes ſunt præſumptio & deſperatio.

Secunda fluctuum cauſa, eſt *ſpiritualis Chriſti abſentia.* Quæ ſit illa, & unde? docet, dum ait: *Ibi Chriſtus abſens eſt, ubi Chriſti amor non eſt. Verè periculoſa Chriſti abſentia. Abſente Chriſto Lazarus moritur, navis agitatur, Thomas dubitat*: nec mirum, *Chriſtus* enim *eſt vita, & ideo ipſo abſente anima moritur.* Chriſtus *eſt via, & ideo ipſo abſente viator periclitatur.* Chriſtus *eſt veritas, & ideo ipſo abſente dubitatur in fide.*

Tertia cauſa, eſt *cura paſtoralis excreſcentia, ſeu multitudo ſubditorum*, cui ferendæ dum par non eſt Prælatus, unà cum ea mergitur.

Quarta cauſa, eſt *ſubditorum inobedientia verè peri-*
culoſa: hac enim *ejectus Adam de paradiſo, Ionas de navi,* *Gen. c. 3.*
Saul de regno. *Ita *propter inobedientiam ejicitur homo* *Ion c. 1.*
de Paradiſo gratiæ, de navi Eccleſiæ, de regno gloriæ. *1. Reg. c. 15.*

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Ecce motus magnus factus eſt in mari.* Matth. c. 8. verſ. 24.

CVR MOVETVR MARE?
Cur dormit CHRISTUS?

HAs quæſtiones primùm movebo, & ſolvam ipſis Chryſologi verbis; dein eaſdem agitabo in ſequentibus ex aliorum Patrum ſenſu, & calculo.

Serm 20. Igitur primum ſic injicit S. Præſul: *Mare quod pedibus Chriſti tumentia terga ſubmiſit, ſtravit in plano vertices ſuos, motus frænavit, aſtrinxit fluctus & per liquentem viam ſaxeæ ſoliditate ſervivit, modo quid eſt quod uſque ad periculum ſui ſævit, furit, contendit authorem?*

Quid eſt deinde *quod ipſe Chriſtus futurorum præſcius, præſentium ſic videbatur ignarus, ut inſtantem procellam, tempeſtatis horam, tempus periculi non caveret; ſed inter vigilantes omnes tunc ſolus teneretur in ſomno?*

Has quæſtiones ubi ſic in medium immiſit, tunc alias, atque alias reſponſiones, & cauſas ſubjicit, è quibus

Prima cauſa. Prima eſt hæc: ut artem probaret ſuam, & medios inter fluctus gubernandi peritiam; & rectè: *Gubernatoris* enim *peritiam non probat temperies ſerena, ſed procelloſa tempeſtas: blandiente auræ navim regit ultimus nauta; in confuſione ventorum quæritur ars magiſtri.*

Secunda. Secunda, ut diſcipuli *cùm viderent ſibi induſtriam nauticorum deperiiſſe; ad ipſum gubernatorem rerum, vectorem mundi, elementorum magiſtrum trepidi confugerent, petentes ut ſedaret fluctus, periculum ſubmoveret, ſalutem redderet deſperatis.*

Tertia. Tertia, ut eos ad fidem excitaret, firmaretque: *Vbi* enim, *vel juſſio ſola addixit mare, receſſit ventos, tulit turbines, dedit quietem, navigantes ipſum eſſe omnium ſentiunt, credunt, fatentur Authorem.*

Quarta. Quarta, ut etiam ex tunc portenderet quæ aliquando Eccleſiam exceptura tempeſtas eſſet; in eam quippe *gentium flabra, Iudæorum turbines, perſecutorum procellæ, vulgi nubes, dæmonum nebulæ ſic ruerunt, ut totius mundi fieret una tempeſtas. Regum ſpumabant undæ, fervebant poteſtatum fluctus, ſonabat rabies traditorum, populorum gurgites rotabantur, perfidiæ notabantur ſcopuli, mugiebant littora Chriſtiana. Lapſorum naufragia vexabantur, & erat totius mundi unum diſcrimen, unumq; naufragium.*

Quinta, ut in hac quoque tempeſtate fideles, ut olim in illa diſcipuli ad Chriſtum, confugerent; quod ubi feciſſent, ſentirent & ipſi auxiliatricem Chriſti manum, & vocem; hæc enim eſt quæ *mare, hoc eſt, mundum corripit, tranquillat Orbem, Reges mitigat, poteſtates placat, ſedat fluctus, componit populos, Romanos efficit Chriſtianos, ipſóſque executores verbi Chriſtianæ fidei reddit, qui fuerant perſecutores nominis Chriſtiani.* Quinta.

Et hæc eſt tranquillitas, quam Chriſti beneficio *Eccleſia tenet, habet Chriſtianitas, Gentilitas admiratur.*

Sexta illi affinis; ut *modò nos dormientem in nobis Chriſtum toto præcordiorum gemitu, fidei voce, Chriſtianis lacrymis, ploratu alto, Apoſtolicis clamoribus excitaremus, diceremusq; etiam illud: Domine ſalva nos, perimus:* Sexta. Et verò quidni dicamus? certè *ſi unum nos corpus, ſi eos qui pereunt noſtra eſſe viſcera crederemus, afflictione jejunii, precum gemitu, effuſione fletuum jugiter clamaremus: Domine ſalva nos, perimus.*

Septima, ut cenſeremus ipſi Dei eſſe manum, qua percutimur, Deíque vindicis vocem, qua ea tempeſtas in nos excitatur. *Dei enim Dei eſt, quòd urgemur malis, quòd verberamur ſemper, quòd gentes valent, quòd ruit grando, quòd rubigo inficit, quòd impietas poteſt, quòd dominantur morbi, quòd ſævit mors, quòd tremit terra; nos tamen, nec tremimus, nec timemus:* ut porrò tremamus, & timere diſcamus, laxantur orbe toto hæc mala, & in nos facto impetu irruunt; nec tamen ideò *declinamus à malis, nec appetimus bona.* Septima.

Adhuc enim avaritia furit, anhelat pompa, iniquitas placet, aliena delectant, nec noſtra pereunt: Dei flagella veniunt; ſed noſtra provocant culpæ.

Ne verò provocent etiam in ſeros annos, *revertamur ad Dominum, ut revertatur ad nos Deus; renuntiemus malis, ut reſpondeant bona: ſerviamus Deo bono, ut non malis gentibus, & poteſtatibus iniquis ſerviamus.*

QUÆSTIO SECUNDA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Ecce motus magnus factus eſt in mari.* V. 24.

AN ILLE MOTVS NATVRÆ VI EXCITATVS, an miraculo? & qua de cauſa?

An. Dom. 840. STRABUS monachus Fuldenſis, qui ex ſcriptis magiſtri ſui Rabani gloſſam conflavit; opinatur ea tempeſtate ſolam Chriſti navim jactatam, cæteris placido & quieto elemento adnavigantibus. Quæ opinio ſi vera foret, proderet indubiè, jactaretque motus illius authorem fuiſſe Chriſtum; non autem irata maria, ventoſque è cavernis naturæ vi excitatos; At cùm vero ſimilius ſit, & alias naves eodem turbine agitatas, relinquitur dubium, an is naturæ aſcribendus? an potentiæ alicui, quæ illi ſuperior ſit, atque, ut vulgò dicimus, miraculoſa?

Miraculo volunt aliqui.

Hanc certè fuiſſe vult Origenes; ſic enim ait: *Tempeſtas non ex ſe orta; ſed poteſtati paruit imperantis:* ejus ſcilicet, qui educit ventos de theſauris ſuis. Hom. 6.

Deus ter Opt. ter Max. qui humanis in rebus ludere amat, utiturque elementis ut lubet ad fines ſibi

ſibi propoſitos, quatuor naturæ claves voluit ſibi eſſe reſervatas, ut diſertè notarunt Rabbini nonnulli.

Quatuor Deo claves ſervatæ.

Prima eſt clavis humani cordis, quæ nulli patet niſi Deo; profundum quippe eſt cor hominis, abſconditi illius receſſus, & latebræ omnibus inviæ, de quibus illud Jeremiæ:

Cap. 17. v. 9.

Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.

Secunda eſt *clavis vitæ, & mortis*: vita enim, & mors eſt in Dei manibus: ita nemo unus omnium in vitam ingredi, nemo ex ea egredi, ac velut de ſtatione ſuâ decedere poteſt, niſi ſummus Imperator Deus evocarit.

Tertia clavis eſt ſepulchri: ubi corpus exanime, ac ſpiritu vacuum terræ mandatum eſt, ac ſepulchro; evocare ex eo nullus poteſt niſi vox illius, cui ſurda etiam obediunt elementa, & qui hæc olim de ſeipſo: *Aperiam tumulos veſtros.*

Quarta denique *clavis eſt ventorum*, eam manu dum flectit Omnipotens, *educit ventos de theſauris ſuis*, & toto, quà licet, laxat, funditque Univerſo.

Hæ claves quondam uni Deo propriæ; deinde etiam Chriſto communes; & ita quidem, ut iis uteretur pro arbitrio.

Ubi Phariſæorum dolos, tacitáſque cogitationes aperuit, ubi in lucem extulit, non ſine eorum ſtupore, ruboréque: tum uſus eſt ea clavi, quæ cor hominis quantumvis clauſum, atque obſeratum, reſerat tamen, atque aperit.

Ubi Jairi filiam vitæ reddidit, mortique eripuit; tum uſus clavi vitæ, ac mortis.

Ubi Lazarum potenti vocis ſono è ſilenti tumulo, è ſepulchri nocte, ac tenebris in auras rurſum evocavit: tum uſus clavi ſepulchri.

Ubi denique imperavit ventis, & mari; ubi iratum, atque intumeſcens ſopivit, ſedavitque elementum: tum uſus ea clavi, quæ modò ventos ſuis carceribus claudit, ac continet; modò laxis compagibus, quà data porta ruere, atque elabi patitur.

Cauſæ tempeſtatis illius.

Et hinc ad alteram quæſtionis propoſitæ partem gradum facio; cur ſcilicet Servator optimus, primùm ventos quaſi vinculis quibuſdam cohibuit? deinde cur iis ſolutis eos laxavit?

I. Video SS. Patres in diverſos rapi ſenſus. Volunt aliqui ideò excitatam eò loci tempeſtatem, ideóque ſedatam, ut inde ſe maris Dominum proderet, probarétque JESUS. In hanc opinionem abiere Beda, Richardus, & alii.

II. Probant magis alii tum temporis emota maria, & fuſos toto æquore ventos, ut diſcipuli metu perculſi ad Chriſtum ſupplices irent: nimirum illa periculis vis ineſt; ad Deum, à quo ſecuritas nos abduxit, illicò revocare ſolent.

III. D. Chryſoſtomus ore, ut ſolet, aureo, hujuſce tempeſtatis cauſam aliam reddit; ut Apoſtolos: *Athletas orbis terrarum tentationibus, & timoribus exerceret.* Erant nimirum illi in Eccleſia, ceu mari magno, futuri rectores, ideóque & turbinibus agitari, & tempeſtatibus edoceri oportuit, ut Eccleſiam, ſeu navim regere jam inde didiciſſent, etiam adverſis, & tumultuantibus inferis; tum enim proditur ars vectoris.

Tract. de Mortal.

Tranquillo rector quilibet eſſe poteſt. Gubernator, inquit S. Cyprianus, *in tempeſtate dignoſcitur; in acie miles probatur. Adverſa non avocant à fidei virtute; ſed corroborant in dolore. Quanta ſublimitas inter ruinas generis humani ſtare erectum?* Hæc magnus Præſul. D. Ambroſius aliò mentem flectit; credit ideò ſubortos

IV. maris æſtus, & ab illis conquaſſatam, & propè fluctibus obrutam navim, quòd Judam proditorem veheret.

Int. 5. Luc.

Non turbatur, inquit, *navis quæ Petrum habet: turbatur illa, quæ Iudam habet. Et ſi multa illic diſcipulorum merita navigabant; tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus; ſed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis.*

Probatur exemplis.

Erat in ea navi Chriſtus, ipſa ſanctitas, ipſa bonitas; erat & Petrus, altus ex humili, ex aquis evectus ad ſidera; erant & alii Apoſtoli, magnæ illæ, puriſſimæque mentes; erat & cum illis Judas, & ab hujus unius pondere ſubſidit cymba, nec eam tot Apoſtolorum merita poſſunt ſuſtinere. Nimirum ingens, ac portentoſum peccati pondus, ſub quo

I. Judæ.

ipſa quandóque turbantur maria; quondóque etiam gemunt, ac fatiſcunt.

Demus aliqua hujus, atque illius exempla. Infenſum Niniviris Numen Jonam ad ſe evocarat, ut graves illis intentaret minas, & paratum excidium. Id officii dum detrectat, ſurgit, fugit à facie Domini, deſcendit in Joppen, & navem conſcendit, ut

Ion. c. 1.

vela faciat in Tharſis. *Magnus eſt qui fugit: ſed major ille, qui quærit*, inquit S. Hieronymus. Quærit enimverò, & fugientem acri in tempeſtate deprehendit, *qui ambulat ſuper pennas ventorum.* Ab his

II. Jonæ.

concitantur maria, intumeſcunt undæ, navis fatiſcit, periculum præſens adeunt nautæ; quo ſeſe ut eximant, ſortes mittunt, ex iiſque diſcunt, à cujus culpa ea toto elemento ſæviat tempeſtas. Nimirum à Jona fugitivo, qui ideò etiam volens in mare mittitur, ut demerſus irata placet maria: data veluti furenti elemento victima, quam etiam vix ad momentum tulit; excuſſit enim & quaſi illius impatiens vivum, ac ſpirantem mobili Ceti ſepulchro condidit; ac deinde, cœlo tandem miſerente, continenti reddidit.

Et hæc è ſacris paginis petita hiſtoria; aliam accipe è profanis, certa tamen fide. Hanc Palladio

III. Mulieris peccatricis.

quondam retulit Nauclerus, iſque oculatus teſtis: ferebantur, inquiebat hic, ſecundo mari naves quàm plurimæ, quarum aliquæ Conſtantinopolim; aliæ Alexandriam verſus navigabant: has inter & mea navis, quæ ſubitò labentibus aliis, hæſit immota; ſic ego primùm mirari, dein explorare quæ cauſa remoræ, denique totis viribus adniti, ut ſolitum cum aliis curſum teneret. Et certè tenuiſſet, niſi vis quædam occulta detinuiſſet; nam & favere venti, & ſecunda etiam maria; quibus additi quoque remiges, & omnis ars nautica, quæ tamen incaſſum adhibita. Hæſimus ergo dies omninò quindecim in eodem quaſi maris veſtigio, non ſine ingenti ſtupore, damnóque. Hic ego, aiebat Nauclerus, cùm humana deficerent omnia, ad divina recurrere, ſuperos invocare, ad Deum quà prece, quà pretio ſupplex venire. Oranti animos, æſtúſque ferventiores addebat præſens neceſſitas, cujus ingens telum. Hæc inter audita allabi ad aures ea vox: *Mitte foras Mariam, & benè navigabis.*

Hic ego dubius hærere, inſcius quem deſignaret ea vox, & id nomen; nam puellas, fœmináſque plures mea vehebat navis. Ut ea ſe proderet, etiam de nomine vocare cœpi: *Maria*, *Maria* inclamo, & ſtatim ex iis una reſpondit. Quid me vis? tum ego habeo, inquam, quæ tibi ſecretò deponam in aures, ſecedamus ab arbitris. Ubi ſeceſſimus, tum me miſerum, aio, me peccatorem, cujus unius culpa, ſiſtitur navis, ſiſtuntur & omnes, unóque involvuntur periculo. Hæc ubi ex me audiit, primùm commoveri cœpit, dein rubere, tum palleſcere, tum profundiùs ſuſpirare, & gemitus inter, ac lacrymas. Quin ego, inquit, ego ipſa, tanti cauſa mali ſum; me ſcilicet unam, meúmque ſcelus, ea pœna petit, & vindex cœlum. Ubi iſta dixit gemebundo ſpiritu; tum blandiùs ex illa ſciſcitari cœpi. Ecquod amabo te, eſt tuum ſcelus? quod crimen? pande, ut iſti malo detur remedium. Tum illa: fatendum, inquit, cùm ita Superi volunt, & ſibi teſtis conſcientia, & malum præſens. Ego miſerabilis, marito viduata, in alios ardere amores, & ſecundas ambire nuptias,

Digitized by Google

nuptias, ac deperire militem unum aliquem, & flammam, quæ intus animum depaſcebatur, aperui. Quis enim celaverit ignem; proditur ille vel luce ſua, vel ſi voles, etiam fumo. Ita porrò prodi cœpit, & in illius oculos, aureſque venit; ſed ingenti meo malo. Cùm enim reſpondiſſet meus ille amaſius, nolle ſe in conjugem, quæ ab alio, quàm à ſe proles aleret; ego miſeranda & ſcelus infandum concipere, & meditari, & verò etiam exequi. Ut enim in eas item nuptias, binas proles, quas mihi natura, priúſque connubium dederat, è medio ſuſtuli, meíſque manibus jugulavi, non mater, ſed noverca, ſed erynnis. Tum etiam quaſi re benè geſta, cum ad i, expoſui patratum ſcelus, ſublatum connubii noſtri impedimentum, mactatas proles, nec proinde jam eſſe, quo recuſaret venire in amplexus meos, & tori ſecundi leges. Iſta ubi ex me audiit ille, ſeu rei novitate, ſeu immanitate flagitii percuſſus, Apage, inquit, ſceleſtum caput; hoc malum à me avertant ſuperi, nunquam ego tibi maritus. Quid hîc agerem? quò me verterem infœlix ærumnia? hinc inſano amore capta, inde verò tanti ſceleris ſauciâ conſcientiâ. Quid, inquam, agerem? quò flecterem cogitationes animi, vagoſque æſtus, ſeu malè ſanæ cupidinis, ſeu etiam timoris, ac pœnæ, quæ ſontes ſequitur, ac premit. Viſum in fuga eſſe remedium. Et illam mihi præbuit hæc ipſa navigandi occaſio, quam avide arripui, ut me imminenti periculo eriperem, ſi fortè unquam innotuiſſet id ſcelus. Verùm ut video ſequitur ultor Deus, pœnas exigit: nec etiam, ſecundâ licet aurâ, patitur elabi; ſed me ſiſtit, unàque etiam navim, & quotquot ea deportantur. Hæc ubi excepit Nauclerus, criminis ante latentis jam probè conſcius, ſimulque monitus cœleſti voce, ut Mariam foras ejiceret, tum enavigaturum quàm optimè; ſtatuit eam quidem ejicere, at omni quâ poſſet humanitate. Primùm igitur ipſe in ſcapham, quæ navi adjacebat, exſcendit. Experiemur, inquit, an fortè navis me libera, curſum cum aliis tenebit, an ſolvetur eo, quo ſiſtitur vinculo. Ubi necdum ſolvi vidit, ſed immotam perſiſtere. Tum ad fœminam illam converſus ait; agè, exſcende & tu per vices tuas, elabere è navi in ſubjectam ſcapham: paret illa, exſcendit, elabitur. Mirum dictu, viſúque! vix ſcapham attigerat, cùm ea quinquies in gyrum agi cœpit, ac derepentè mergi, hauririque fluctibus: navis autem ipſa, quaſi jam expers oneris, ac vinculi, quo retinebatur; ea vi, ac celeritate tranare cœpit maria, ut tridui ſpatio, iter tantum adlegerit, quantum aliàs diebus omninò quindecim, etiam impellente aura, conficere potuiſſet.

Et hæc eſt illius tragœdiæ ſeries, è qua primùm diſcès, quàm immane ſit peccati pondus, quod nec intumeſcens mare, nec afflantes Euri loco dimovere, nec ipſa ſuſtinere maria potuerunt. Deinde non eſſe, quò ab irato Numine fugiat peccator; ſeu terram calcet, ſeu undas: premit à tergo Deus. Fructus.

Ionas fugiebat terram, & Dei iram non effugiebat. Fugiebat terram, & in mare tempeſtatem induxit, inquiebat D. Chryſoſtomus, qui in eo & Dei vindicis juſtitiam ſuſpexit, & miſericordiam adamavit. Hom. 5. ad popul. Et hanc, & illam in eo quod tum temporis actum eſt, exponit. Ait enim: Jonam *nautæ mar. tradiderunt, mare Ceto, Cetus Deo, Deus Ninivitis*, ad quos ſcilicet profugum reduxit.

Hoc nimirum indulgentiæ, ac miſerationi conceſſit Deus: Juſtitiæ, atque ultioni quod ſubjungo, habeóque ex litteris Cuzcho datis ex regno Peruano. Anno 1652. 31. Iulii.

Religioſus Limâ profugus abjecta mente, veſteq; religioſa in Hiſpaniam dum tendit, primò Trugilum venit, ratemque perexiguam conſcendit, quam Indi ſex quà velo, quà remis movebant, inde Paytam tendit: & hinc Panamam perrexit eadem vectus rate. Sed ò grande malum! ô pondus immenſum peccator! quod ſcilicet ipſa maria dum non ſuſtinent, ab imo tota commoventur. Et verò tum commota ſunt. Vix enim è portu ſolverat, cùm inſolito, & horribili fragore concuſſum eſt mare; & ſic ab imis ſedibus everſum, ut continuò navim hauſurum videretur. Tenuit ea jactatio tres menſes, cùm ecce religioſus ille conſcientiæ ſtimulis excitatus, agnovit vindicem Dei manum; & primùm vectoribus aperuit quis eſſet, unde, & quorſum effugeret: tum religioſam veſtem in arcâ abſconditam monſtravit, tum etiam addidit illud: ſi ſalvi, & incolumes eſſe vellent, Jonæ inſtar illum vindici iræ Dei, iratóque mari victimam traderent, aquiſque abſorbendum mox projicerent. Ad audita ſtupent Indi, horrent ad propoſitum facinus, imò & facere recuſant, perguntque interim fœdiùs jactari: donec tandem & ipſi tempeſtatem illam ſupra naturæ vires, & ſolitos maris æſtus agnoſcentes, conſumpta etiam à triduo omni annona, hominem tum renitentem apprehendunt, atque in mare præcipitant. Et ecce mirum viſu, dictûque! illicò turbatum mare conquievit, & ipſi *Panamæ* portum, inſcii, quò ferrentur, attingunt.

Atque ex his habes Amice Lector unde ſubinde, & ſæpiùs in mari motus.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba: *Motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* verſ. 24.

QVOD ILLVD MARE? QVÆ NAVICVLA? Qui venti?

Quid ſit mare myſtice?

DABIS mihi hanc veniam, amice Lector, ut abeam à ſenſu litterali, & ad myſticum tranſeam, ad hunc certè me ducunt SS. Patres, qui rei tum geſtæ ſeriem traducunt ad mores ritè formandos. Eos ego dum ſequor, dicam quid myſticè ſignificet mare, quid naves, quid venti.

Gentes. D. Procopio mare eſt *multitudo gentium*, in quam emittendi erant Apoſtoli, ceu piſcatores.

Sæculum. D. Hilario, eſt *hoc ſæculum*, quod variis tentationum fluctibus, inſtar efferveſcentis oceani, agitari ſolet.

D. Hieronymo, mare magnum & ſpatioſum, Via lata. eſt *lata, & ſpatioſa via*, quæ ducit ad mortem; in ea rimendi fluctus, infeſti turbines, æternum vitæ ſalutiſque naufragium. Væ, inquit, iis qui enavigant hoc mare magnum, & ſpatioſum; mare, inquam, ſalſum, & amarum.

Si nonnullis Interpretibus credimus, aquæ maris ante peccatum Adæ dulces erant, ac potabiles; poſtmo-

poſtmodum redditæ ſunt ſalſæ, & amaræ, cámque ſalſedinem, ac amaritiem à peccato hauſerunt; adeò hoc ipſi etiam elemento noxium ſunt, atque injurium. At magis authori ſuo, infælici inquam Adæ, poſteriſque, quibus mare, hoc eſt, latam ac ſpatioſam viam aperuit, eámque ſalſedine, atque amaritie reſperſit, id eſt, innumeris vitæ moleſtiis, atque doloribus.

Vita mortalis.

Maluntalii mare eſſe hanc ipſam quam exigimus *vitam mortalem*, in quam cùm ingredimur, velut è portu ſolvimus. Teſtis erit ipſa fœtus humani formatio.

Democritus, & Plutarchus libro de amore prolis, & cum iis medici, docent fœtum in utero materno nutriri per umbilicum; deinde umbilicum eſſe inſtar anchoræ, quâ fœtus nitatur contra fluctuationes, tanquam retinaculo, aut pedamento conceptæ prolis. Ubi porrò is jam maturus elabitur in utero, præſcinditur umbilicus; qui eſt veluti quædam anchora, & anchorarius funis; quo diſrupto, digreſſus ex portu materni uteri infantulus, ſeſe vorticoſo hujus vitæ pelago committit, tenditque per varios anfractus, turbinéſque in portum æternitatis.

Quid naves myſticè?

Et hinc primæ quæſtioni factum ſatis; vidimus enim in ea quod eſſet illud mare; ſpectemus deinde quæ eo jactentur naves: ſi has dixero eſſe homines, non aberrabo à metaphora mihi propoſita; neque ab ea, quam olim legendam exhibuit patiens Iobus: ſic ille de puſillis mortalibus, quos vita, ceu mare portat. *Pertranſierunt quaſi naves poma portantes.*

Cap. 9. v. 26.

Homines.

Scriptura teſte, quædam ſunt naves malè ominatæ, malè fortunatæ; & contrà nonnullæ, & benè ominatæ, & benè fortunatæ. Ex illis ſunt primò *naves poma portantes*. Has enim celerrimo curſu ferri neceſſe eſt, vel quia merces, quas vehunt, leves ſunt, & nullius ponderis, vel quia periculum eſt ne ſi navigatio diuturnior ſit, poma computreſcant.

Sunt homines inter, qui in hoc vitæ pelago pertranſeunt *quaſi naves poma portantes*; ii nimirum, qui pomorum, id eſt, voluptatum tenuiſſima quadam dulcedine illecti, curſum omnem in iis terunt, itáque devolvuntur in portum æternitatis, ad quem cùm appulerint, non ſine alto ſtupore, & lacrymis vident eas merces, quas devexerunt; eas, inquam, voluptates, quibus vitam omnem merſerunt, nullius eſſe apud ſuperos pretii, nullius ponderis, niſi fortè velis eſſe magni ponderis ad pœnarum æternitatem. Et hæc de primo genere navium (id eſt, hominum.) Sunt & aliæ illis affines, videlicet *naves Tharſis*, quibus quàm peſſimè ominatur Propheta regius, dum ait: *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis*; & Iſaias: *Dies Domini exercituum ſuper omnes naves Tharſis.* Quæ fuerint illæ ſi quæris, & cur adeò ſuperis inviſæ? intelliges ex D. Hieronymo, fuiſſe naves, quæ tertio quoque anno mittebantur à Salomone in regionem Tharſis, è qua immenſam auri, argentíque vim Jeroſolymam deferebant. Eæ porrò ſuperis inimicæ, quia cùm aurum, argentúmve devehant, unà etiam devehunt fomitem, & irritamentum omnium vitiorum, nec tam merces importare videntur, quàm noxia terræ viſcera, & fœces peccatorum; ab auro enim argentóque, quod ſummâ copiâ importabant naves Tharſis, factum eſt, ut Judæorum Reges ſuperbiâ tumidi, & cœlis, & ſuperis inſultare cœperint, & in omne flagitiorum barathrum devolvi.

Pſal. 47. v. 8.

Cap. 2.

Naves Tharſis, & quæ illæ?

Atque hæc eſt ratio, cur vindex ſcelerum Deus per Prophetas præſaga mente, vocéque exclamet: *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis, & dies Domini exercituum ſuper omnes naves Tharſis.* A quibus ut ad homines (qui & ipſi naves ſunt) tranſeam, monitos eos velim, ne ſeipſos, ne vitam, ne ſalutem credant navibus Tharſis, hoc eſt, ne ſinant ſe abripi inſolenti divitiarum cupiditate; ab hac enim innumera naſcuntur vitiorum monſtra, Syrtes, Charybdes, ſcopuli incurrunt plurimi, tempeſtates fœdæ, & dira ſalutis, animæque naufragia: ab hac offenduntur ſuperi, Deus ipſe ter Opt. ter Max. contemnitur, & illius loco idolum in mente erigitur. Ut rectè, & verè dixerit Oſeas: *Dives effectus ſum, inveni idolum mihi.* Ita idolum invenit, & fingit ſibi, qui hæc caduca bona impenſiùs, atque immoderatiùs appetit.

Cap. 12. v. 8.

Sed & aliæ ſunt naves ſuperis etiam inviſæ, & obnoxiæ gravibus procellis; ſcilicet naves Æthiopiæ, & Papyraceæ, in quas dirigitur illud fulmen Iſaiæ: *Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthyopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas.*

Naves Æthiopiæ, & quæ?

Cap. 18. v. 1. 2.

Dicitur Æthyopia cymbalum alarum, quia ab ea nihil opis, nihil ſubſidii; ſed vana oſtentatio, ſpes inanes, & vacuæ; futilis jactantia. Emittebat illa in mare legatos in vaſis papyri ſuper aquas.

Alludit eò loci ad naves Æthyopicas, quæ fiebant è papyri frutice, ideóque leviuſculæ erant, pila maris, & auræ ludus.

Sed quæ, inquies, eſt illa terra Æthyopiæ? quod cymbalum alarum? quæ naves papyraceæ?

Terra Æthyopiæ eſt hic mundus quantus, quantus is eſt; cymbalum alarum eſt vana gloriola, quæ ſonum quidem edit, ſed inanem, & breviſſimum; naves papyraceæ ſunt ſpes humanæ: qui maria tranat levi frutice, & papyro vectus, næ ille de vita parum ſecurus; & minùs ſecurus is, qui ſpes ſuas reponit in hominum oculis, favore, gratia.

Papyraceæ, & quæ?

Tiberius Cæſar Appionem, hominem grammaticulum, vanæ gloriæ cupidum in paucis, & aucupem humanæ gratiæ, appellare ſolebat, *cymbalum mundi.*

D. Paulus ejuſmodi vocitaſſet *cymbalum tinniens*; cui ſi viveret Iſaias intentaret illud: *Væ terræ cymbalo alarum*; væ homini illi leviuſculo, væ, inquam, illi, qui fertur *in vaſis papyri ſuper aquas* hujus vitæ fluctuantis. *Væ* & illis, qui in navibus Tharſis. *Væ* denique & pomiferis iſtis navibus: quidni enim iis omnibus ingeminetur triſte illud, ac horrendum *Væ*, cùm eas maneat infœlix, certúmque naufragium: cui ut teipſe eripias, mi Lector, author ſum ne navibus illis vehi te patiaris: ſed aliam tibi appares, quæ recto, tutóque tramite tendat in beatæ portum æternitatis.

Erit *navis illa inſtitoris*, in quam admiſſa mulier ſapiens, & in quam etiam admittendi ii omnes, qui ſaluti ſuæ, & cœlo navigant.

Navis Inſtitoris, & quæ ſit illa?

Sunt illi inſtar navis: ut enim hæc perenni lapſu fertur, & noctu, diúque etiam dormientibus, etiam aliud agentibus vectoribus; labitur tamen, & maria cito curſu tranat: ſic & juſtus omnis, abit in viam virtutis, in eáque gradum ſemper promovet, ut ſolet *Inſtitor*, id eſt, Mercator ſedulus, ita dictus, vel quia inſtat cumulandis opibus, vel quia negotio ſuo nunquam non inſiſtit. Quod & facit vir probus, & frugi; inſtat enim ille, atque inſiſtit operibus bonis, portátque panem bis coctum, primùm igne caritatis, deinde tribulationis: ab hac, & illa merces pretioſas in cœlos evehit, atque apud ſuperos diſtrahit, inſigni ſanè proventu; tum gratiæ in hac vita mortali, tum etiam gloriæ in altera immortali.

Deſcendo ad poſtremum quæſtionis propoſitæ caput; qui nimirum ſint illi venti, qui navim hanc, de qua diſceptatio, abripiunt? Philoſophi partiuntur ventos in univerſales, & particulares; Univerſales (quos & Principales appellant) ſunt quatuor, qui à quatuor orbis partibus ſpirant. Subſolanus ab Oriente, Auſter à Meridie, Favonius ab Occidente, Aquilo à Septentrione.

Qui venti myſticè, & quàm varii?

Particu-

Particulares (qui & provinciales dicuntur) ii ſunt, qui certis tantùm in Provinciis regnant. Vix enim eſt ulla regio, quæ ventum ex ſe naſcentem, & in ſe cadentem non habeat.

Quod in ipſo naturæ curſu, ventorum origine, lapſúque fieri videmus, hoc & in animis hominum, qui ex ſeipſis veluti quoſdam ventos generant, atque in campum emittunt; & quidem univerſales aliquos, particulares alios.

Univerſales.

Univerſales, ſunt eæ paſſiones, quæ univerſo ferè communes; eas recenſet D. Joannes: *Quidquid in mundo eſt*, inquit, *aut concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Ecce venti, ecce paſſiones, quæ qualibet orbis parte afflare ſolent vehementiùs, & univerſum genus hominum ſua propria ſtatione dimovere.

Provinciales.

Provinciales autem, ſunt eæ paſſiones, quæ cuique vel nationi, vel etiam homini propriæ, ac peculiares. Quiſque enim ſuos patitur manes, & vix ulla eſt natio, imò vix ullus mortalium, quem non agitet aliqua paſſio, & cui ſubinde non pareat. Eſſe verò paſſiones illas quoſdam veluti ventos, qui in hoc Microcoſmo, id eſt, homine, ſurgant, ac regnent, præclarè docet D. Ambroſius:

In Apolog. David. c. 3.

Magnam, inquit, *faciunt tempeſtatem multitudines paſſionum, iracundia, avaritia, libido, ambitio, veluti procelloſi venti fluctus in corde concitant:* fluctus ſanè timendos; nec enim ab iis obruitur una duntaxat cymba, è lignis malè compacta; ſed immortalis anima cœlo Deóque nata mergitur in profundum barathri, æternæque damnationis.

Quis illis imperabit?

Ne porrò ſic mergatur, imperio opus eſt, ac poteſtate illius, qui ventis, ac mari dominetur.

Supra.

• *Imperavit Chriſtus ventis, & mari, tempeſtatémque compeſcuit: ſic imperet ratio fide illuſtrata cupiditatibus, fietque tranquillitas magna: ſi iracundia, avaritia, libido, ambitio, veluti procelloſi venti, fluctus in corde concitant; rationem, fidémque expergefaciamus, increpent ventos, dicant mari: Tace, obmuteſce.* Hæc D. Ambroſius, qui duos ſtatuit, eóſque probos monitores, ut dormitantem animam excitent, ſibíque, ac vigiliæ reddant.

Ratio.

Primus, eſt ratio à natura mortalibus ingenita, veluti nauclerus aliquis bonæ mentis, qui eam, ceu ratem dirigat inter dubios hujus vitæ fluctus; qui maria, ventóſque (hoc eſt paſſiones) ad cœli nutum moderetur, & ſiſtat, laxetque, cùm ita viſum fuerit. Hæc ratio, ſi audiatur, erit homini quàm optimè, erit ille ſui dominus, imò & omnium, ſi voles, teſte vel ipſo Seneca: *Si vis*, inquit, *tibi omnia ſubjicere, te ſubjice rationi. Multos reges, ſi ratio te rexerit.*

Ep. 37.

Fides.

Alter monitor, qui opportunè expergefieri debet, ſi ſubinde obdormiſcat, eſt ipſa fides; quæ animæ eſt, quod oculus corpori: ut autem hic ſomno quandoque conniver, ita & illa. Ecquid enim, ô Chriſtiane, ſi in te vigil, atque excitata foret fides, poſſesne eò abduci paſſionis æſtu, quò ſæpè ſæpiùs abduceris? Enimverò non poſſes. Utque non poſſis, author ſum ut eam in te ſuſcites. Si quis verbulo te læſit, ſi quis famam vel leviter carpſit; illicò inſurgit ira, in probra, in vulnera, in cædes evocat, & neſcio quo rapit impete: agè, fidem excita, ſi fortè in te dormit; dicet illa tibi in aurem percutienti unam maxillam, præbendam eſſe & alteram, & malum omne bono compenſari oportere. Si avaritia ſtimulante tibi prurit manus, ſi per malas artes, per fas nefáſque aurum ambit, atque opulentas gazas, ſi eas pauperi impiè claudit, atque obſerat: Eugè, in te fides evigilet, ſi fortè ſopita; ſuggeret illa tibi: grande malum avaritia eſt, atque Idolorum ſervitus, à quâ fugias quàm longiſſimè.

Si blanda titillat libido, ſi prorritat in vetitam venerem, ſi flammas in toto corpore, animóque cier, & tum in te quaſi pigra ſtertat fides: agedùm, ſoporem illum excute, & tum ab illa audies, quod nihil impurum, nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.

Chriſtus.

Si denique (ne omni paſſionum aura abripiatur oratio) mentem tuam ſollicitet ambitio, ſi gloriæ, cupido malè ſana exagitet, ſi gradum faciat ad honores, etiam per ſcelerum gradus; perge, perge, & valido clamore obrutam ſomno fidem in auxilium evoca: aderit illa tibi, & ſub oculos ponet illud Servatoris oraculum: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et ecce illicò ſubſidet mare, hoc eſt, cor à paſſione malè æſtuans: conticeſcent venti, id eſt affectiones omnes jam tum emotæ conquieſcent; audient enim illud imperantis vel rationis, vel fidei: *Tace, obmuteſce.* Et verò etiam tacebunt, atque obmuteſcent, non ſine ſpectantium ſtupore, atque approbatione.

Publius Mimus.

Dixit olim ex antiquis nonnemo: *Turpe habet ſpectaculum animus æger.* Æger, inquam, à paſſionibus, ceu quibuſdam animi morbis. At ego veriùs dixero. Grande habet ſpectaculum animus jam ſui victor, & paſſionum domitor.

QUÆSTIO QUARTA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Ipſe verò dormiebat.* verſ. 24.

QVIS FVERIT IN CHRISTO ILLE SOMNVS? Et quid ab hoc diſcat fidelis anima?

In Chriſto fuere paſſiones.

IN hac quæſtione tria ſtatui velim, quæ extra litem, & controverſiam ſunt.

Primum in Chriſto fuiſſe paſſiones naturales, cujuſmodi ſunt fames, ſitis, laſſitudo, & ſimiles, quæ hominem oſtendunt, & probant.

Sed voluntariæ.

Alterum eſt, eas in Chriſto fuiſſe voluntarias, hoc eſt, quantum, quando, & quomodo volebat: ita ſomnus, qui in nobis eſt neceſſitate, in Chriſto fuit voluntate: & hinc

Etiam ſomnus.

Poſtremù ſomnus ille, etſi ſenſus externos illigaret, & eam partem, quam vulgò dicimus animalem; liberum tamen, atque ad ſuas operationes expeditum relinquebat intellectum, ſive partem rationalem: nec enim (ut in nobis contingit) ſomno ligabatur ratio, mens & intelligentia; ſed ſopito corpore, vigilabat illa, ut Chriſto quàm optimè conveniret illud Canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et hinc delabor ad quæſtionem initio propoſitam.

Cant. c. 5.

In quo vigil animus.

Quis in Chriſto fuerit ille ſomnus: non fuit aſſumptus miraculo, ut nonnulli voluere; ſed voluntate inductus, ut loco ſerviret, ac tempori. Futuram tempeſtatem animo prævideràt Servator Optimus; imò eam ipſam dormiens cogitatione tamen hauriebat, & ſub mentis oculos habebat, ut compeſceret:

Digitized by Google

In Pſ. 43. peſceret: *Dormiebat corpore; ſed virtute vigilabat*, inquit Ambroſius.

Rationes cur tunc dormierit. Cur autem tunc dormiret, & ſomnum ſponte acceſſeret: ſi rationes puſillo homini excutere fas ſit, cæ aliæ, atque aliæ fuiſſe videntur. Quædam enim ad Chriſtum ſpectant, quædam ad Diſcipulos. Ad illum

I. iſta, quam ita paucis attingit D. Ambroſius: *Exprimitur ſecuritas poteſtatis, quod omnibus timentibus ſolus intrepidus quieſcat.* *In Luc. c. 8.*

Exprimitur deinde vis altior divinæ illius potẽtiæ; dum excitata tempeſtas magis, ac magis ingraveſcẽs,

II. ab eo uno cõpeſci poteſt, ne ultra ſævire pergat: docta quippe erat, & ſævire, & miteſcere ad ejus imperium. Ut enim Chryſoſt. & Origenes: *Dormiebat corpore, ſed divinitate mare concitabat.* Et hoc quidẽ ut ſe Deum proderet, quem etiam ſurda audirẽt elemẽta.

III. Geſnerus de Leone hæc refert: ſi in ea qua vehitur navi, dormiat, ſubſidit illa: ne porrò penitùs ſubſidat, excitari debet. Petri naviculâ portabatur Leo de tribu Juda: ſopitur hic, & illa propè mergi-

IV. tur: ne mergatur omninò à ſomno ſurgit & ventis, ac procellis modum ponit.

Et hæ quidem cauſæ ad Chriſtum ſpectant; quas ſubjungo ad diſcipulos, totámque Eccleſiam. Dum immurmurant venti, dum ingruit tempeſtas, profundùm ille obdormit, & rectè: quia ſi tum vigilaſſet, nec is metus Apoſtolos invaſiſſet; nec ea ſalutis cura, ac ſolicitudo; nec adeò fervens oratio, precesque: cùm enim id periculi uſurpaſſet oculis; aut illi diſcutiendum omninò commiſiſſent, aut certè diſcutere non poſſe, credidiſſent: dormit ergò magiſter optimus, tum ut in diſcipulis timorem extimulet magis; tum ut ad opem expetendam excitet ardentiùs; tum denique ut ad miracula percipienda apertior iis ſit mentis oculus. Et has rationes ore aureo depromit Chryſoſtomus, cui favet Ambroſius: *Diſcipulos*, in- *Hom. 29. in Matth.* quit, *remiſſos, & negligentes Chriſtus non eſt paſſus, quaſi de Domini præſentia ſecuros, ſomno corporis ſe compoſuit.*

Hom. 6. in diverſ. Favet & Origenes: *Chriſtus*, ait, *dormiebat corpore, vigilabat Deitate; ut Apoſtolos excitaret, faceretq́; vigilare.* D. Hilarius aliam cauſam affert, eámque ſignificando myſterio congruam.

Can. 8. in Matth. *Dormiebat* (inquit, Chriſtus) *ut ſignificaret naufragas eſſe Eccleſias, in quibus verbum Dei dormitaret.*

V. Eccleſia in mundo (ceu mari magno) fluitat, & tum naufragio eſt proxima, cùm in ea vel dormitabundi, & ſegnes Eccleſiaſtæ, vel Dei verbum elabitur in aures quaſi dormientium (hoc eſt, extrinſecùs, & inani quodam ſono percellit aures, nec intrinſecùs penetrat, atque ad animos evadit.) Vel denique cùm Dei verbum in mentem quidem admittitur, & cogitatione, ceu manu tenetur; non tamen foras erumpit, nec exit in opus; verè enim, *Lib. 2. epiſt.* ut ait Iſidorus Peluſiota; *Fabulæ videntur, & ſomnia, verba ſine operibus.* Et hoc primum eſt quod nos edoctos voluit Chriſtus, dum inter æſtus maris, ven-

VI. torúmque turbines profundùm dormiret. Alterum eſt, ut eo ſomno, ceu muta quadã oratione oſtẽderet, quomodo ſæpiùs in nobis dormiret ipſe; & quî excitari debeat, dum paſſione aliqua inſolenti, ceu tempeſtate, miſella jactatur anima: quod ipsũ ex Auguſtino diſce; ſic enim ille ad ſuos auditores, & ſic hodie ad nos:

Hom. 3. inter 17. *Audiſti convitium? ventus eſt: iratus es? fluctus eſt. Vento igitur flante, fluctu ſurgente periclitatur navis, periclitatur cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito convitio vindicari deſideras; Et ecce vindicatus es, & malo alieno cedens, feciſti naufragium. Et quare hoc? quia dormit in te Chriſtus. Quid eſt, dormit in te Chriſtus? Oblitus es Chriſtum; evigilet in te Chriſtus; conſidera illum. Quid volebas? vindicari? Excidit tibi quia ipſe cùm crucifigeretur, dixit: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Qui dormiebat in corde tuo noluit vindicari. Excita illum, recole illum.*

Hæc ubi ad te direxit, tum pauca ſubjicit tuo quaſi nomine, & ore tuo: *Ergò compeſcam me ab iracundia mea, & redibo ad quietem cordis mei: imperavit Chriſtus mari, & facta eſt tranquillitas magna.*

Quod autem de ira, ceu concitato fluctu, dixit Auguſtinus; hoc & de quavis alia vehementi paſſione cenſuit; ſic enim proſequitur:

Nata eſt tentatio? ventus eſt? turbatus es? fluctus eſt; excita Chriſtum, loquatur tecum.

Hæc S. Præſul, à quo diſcedo, ut ad aliam rationem tranſeam, quæ ex vero maximi eſt momenti.

Vix ſomno ſe dederat Chriſtus, cùm ecce concitantur maria, diſſident inter ſe venti, & toto bac- VII. chari videntur æquore, omniáque ſusq́ue deq́ue vertere; non tamen ſine Numine, præclaróque documento, quod iret in poſteros ac moneret, quæ ſubjectas animas, quæ Eccleſiam univerſam invadere ſoleat, & quatere tempeſtas, ubi primùm Prælati ſomno cœperint connivere.

Dicuntur illi, & certè etiam ſunt Eccleſiæ, ceu *Hom. 17.* magni corporis oculi; vel quia ſcientiæ lumen uni- *in Gen.* verſo corpori præſtant, ut loquit Origenes; vel quia ſuo exemplo duces ſunt, & aliorum greſſus, (hoc eſt vitam) regunt; vel quia ut oculi alia omnia intuentur, non autem ſe (hoc eſt non ſe nec ſua quærunt; ſed quæ JESU-CHRISTI.) De illis ita quondam in Canticis Sapiens:

Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum: hoc eſt. *C. 5. v. 12.* Eccleſiæ oculi, ſeu Præſules ſunt ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, id eſt, ſuper populos (*aquæ enim multæ, populi multi.*) Quòd ſi illi ſomno capi, atque obrui cœperint, quid expectes in populis, niſi quod in aquis? puta ventos, turbines, æſtus, fœdas tempeſtates, & deploranda naufragia. Ne porrò his mergantur fideles animæ; à ſomno protinus excitare ſeipſos Prælati debent, & enatos in Eccleſia motus, quà doctrinæ pondere, quà vitæ exemplis, atque authoritate comprimere, ac ſedare.

Deinde ad hoc etiam adlaborare omnes, ne in nobis aut dormitet unquam, aut ſopiatur Dei verbum, aut trahatur in longum pius ille motus, quem fortè audita concio excitaſſet; ſed potiùs ut illicò à verbis ad facta veniamus; uti venit olim Sebaſtianus Anſalonius, vir imprimis illuſtris, de quo hæc Nicolaus Orlandinus:

Anſalonius à nobili viro Papardo jam ſeptimum *Hiſt. Societ.* annum diſſidebat, odiúmque alebat inexpiabile, cu- *P. 1. l. 10.* jus cauſa erat interemptus frater. Sed odiis modum, finémque poſuit una Benedicti Palmii concio. Eam jactabat è pulpito, ipſo die Veneris Sancto: cùm multa de Chriſti patientia, multa de injuriarum remiſſione extuliſſet, ad extremum ſumpta in manus Crucifixi effigie, eam derepentè obvolvit, addens illud ferventiore ſpiritu, nequaquam ſe ei populo Chriſtum Dominum oſtenſurum, niſi nunquam ejus majeſtatem violaturos in poſterum eodem loco ſponderent. Primùm hîc cunctari multitudo, dein exhorreſcere, ac percelli; tum effundi in gemitus & lacrymas; denique exclamare, uno velut ore omnes: *Spondemus, ſpondemus, crucifixum revela.*

Hos inter erat Anſalonius, qui à dolore, à fletu diſſolvebatur totus, ſæpéque animo ſecum iterabat illud: *Spondeo, ſpondeo.* Utq́ue major eſſet fides, famulum etiam miſerat, qui concionatori certò addiceret, acturum ſe quæ ille voluiſſet. Sed antequam ad ſuggeſtum famulus perveniſſet, exundantis impetum pectoris, angorémque non ferens, erupit repentè, ac voce quanta potuit maxima exclamavit: *En Domine, faciam quod voles.* Cui Pater: *Qui es tu?* tum ille: Ego ſum Sebaſtianus Anſalonius, illatam mihi injuriam remitto, odia depono, & fratricidæ veniam, ac vitam donari volo. Nec mora advocatur publicus ſcriba, res tota componitur, & Papardus, qui ad ſupplicium ultimum jam ſe Chriſtiana æquitate compoſuerat, carcere liber educitur; probante ac plaudente Civitate univerſa. Tantum intereſt quî audiatur Dei verbum, dormitabundo ſpiritu, an excitato.

Digitized by Google

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* verſ. 26.

CUR A MAGISTRO ARGUUNTUR DISCIPULI TIMORIS, & modicæ fidei?

Cur arguuntur? AD aures appellebat inſanus ventorum turbo, ad oculos æſtus maris, & montes aquarum, ad animum plurima mortis imago, & horror imminentis naufragii: hinc illæ diſcipulorum ad magiſtrum voces: *Domine ſalva nos, perimus.* quibus hic: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Arguuntur timoris, damnantur quaſi modicæ in Dominum fiduciæ. Quæ cauſa? An nòn erat ampla timoris materia? an non ipſa ſub oculos propè deſperatio? Minimè profectò, ideoque meritò culpantur illi, & tam hujus, quàm illius rei pronuntiantur.

L. 4. c. 8. Tacitus lib. 2. *Magnæ indolis ſignum eſt ſperare ſemper*, inquit Florus. *Et fortes, ac ſtrenui etiam contra fortunam inſiſtunt ſpei: timidi & ignavi ad deſperationem formidine properant.* Et

I. Quia ſpe vacui. quia ii tum viſi diſcipuli, ideò peropportunè arguuntur à Domino: decebat enim ſcholæ Chriſti innutritos altioris eſſe animi, & indolis planè generoſæ, quæ ſperaret ſemper, deſperaret nunquam. Imò quæ in ipſa propè deſperatione ſpem inveniret.

Ita hanc in illa, & quærere, & invenire nos docuit Deus Oſeæ voce, calamóque; ſic enim inquiebat: *Dabo ei vallem Achor*, id eſt, *conturbationis ad aperiendam ſpem*, vel (ut Hebræi legunt) *in oſtium ſpei.*

Verè enim conturbatio, atque adverſitas bonæ ſpei oſtium aperit, quod illi clauſerat alta quies, & longa proſperitas.

II. Quia cum Deo & Chriſto nil timendum. Acceſſit & aliud eò loci in Apoſtolis vitium; quòd à tempeſtate perperam timerent ii, quibus in eadem ſocius erat Chriſtus.

De Socrate in carcerem incluſo magnificè pronuntiavit olim Seneca:

In conſol. ad Helviam. *Carcerem intravit Socrates, ignominiam ipſi loco detracturus: neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat.* Hæc ille fortè ex adulatione quadam, vel artis oratoriæ licentiâ: ego ex veritate dixero. Mare intravit Chriſtus ſævitiam illi ſuam detracturus, neque tempeſtas videri poterat, qua & ipſe jactabatur; ideoque non erat cur ab ea ſibi malè ominarentur, aut metuerent diſcipuli.

Sed demus tempeſtatem eam fuiſſe, & quidem fœdam. An non ſatis fuit, vel ad ſolatium, vel etiam ad ſecuritatem, quòd in eadem navi, iiſdem in fluctibus, ac periculis eſſet Dominus? Cùm irato mari ferebatur Cæſar, & ſibi ab illo timerent vectores, jam jam, ut videbatur, hauriendi fluctibus; ſic ad eorum unum aliquem: *Ne time, Cæſarem vehis, unaq; Cæſaris fortunam.*

Hæc ille vana quidem oſtentatione; nec enim aut ventos compeſcere potuit, aut commota æquora pacare. At de Chriſto ex veritate, diſcipulis periclitantibus, iſtud dici potuit. Ne time Petre, ne formida Jacobe, ne dubita quiſquis es naviculæ illius vector, Chriſtum vehis, unáque Chriſti, non dico fortunam; ſed potentiam admirabilem, ſed providentiam amabilem. Aderit illa, & quantumvis ferox edomabit elementum, periculoque eripiet.

Verùm concedamus illud tantiſper morari, & ventis fluctibúſque habenas laxare: an non tibi ſatis, ô Petre, quod tecum ſit Dominus? Satis enimverò, & plus ſatis & tibi & poſteris omnibus, ſi quando etiam hi aliqua involvantur tempeſtate; ſatis, inquam eſt, quòd oculo fidei videant ſibi adeſſe Dominum. Adeſſe verò etiam quaſi ſocium, conſortémque tribulationis, qua concutimur, innumeris probari poteſt vel teſtimoniis, vel exemplis; inter quæ facilè princeps illud, quod de Joſepho memorat Scriptura. In vincula conjectus erat, & obſcuram ſpecum: quid deinde? *Deſcenditq; cum illo Deus in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Mirum profectò, Deum ter Opt. ter Max. cui cœlum ſedes, & ſcabellum terra, delabi quodammodo in foveam, & vincula cum innocente Joſepho induere. Amat nimirum afflictis eſſe comes, vel ad ſolatium, vel ad ſubſidium. — Oſtenditur in Joſepho. Sap. c. 10. v. 13.

Ita deinde fuit Davidi, ut teſtis ipſe: *Cum ipſo ſum*, inquiebat, *in tribulatione*: quæ verba dum expendit D. Bernardus, quaſi à ſe alienus exclamat: *Et ego aliud interim requiram quàm tribulationem?* Certè non requiram, cùm mecum in tribulatione ſit Dominus. Et verò eſſe etiam ex illo liquet, quod olim ad ſponſam cœleſtis ſponſus: *Veni de Libano ſponſa, veni de Libano.* In hebræo eſt: *Mecum de Libano ſponſa, mecum de Libano.* Quaſi dicat nulla te terreat, aut avocet viæ aſperitas, quam ea comitatus ſuavitas demulcet: mecum enim *de Libano*, hoc eſt de monte candido, & nivibus tecto (Laban enim, à quo dicitur *Libanum*; album, & candidum ſignificat) *mecum de Libano, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum*, id eſt de tentationibus hujus ſæculi, devictis tyrannis, qui tibi & ſentate Leones, & aſtu, fraudibúſque Leopardi. Veni, inquam, ab illis, veni coronaberis, quia me comite, me duce veniſti. — In Davide. Pſal. 90. v. 15. Serm. 17. In Sponſa.

A ſponſa recedo, & ad Jacob elabor. Verebatur hic truces fratris iras, & ab his ſeu vitæ, ſeu fortunis periculum, ſi relicta Meſopotamia, in patrium ſolum deſcenderet: dum ſic anceps hæret; hæc ad illum Deus: *Revertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroq; tecum.* Ecce ut ſervo Dominus eſt viæ comes; ut ſocius in illa, quæ ab Eſau impendebat tempeſtate; certè ut eam vel molliat, vel diſcutiat. Quod Jacobo, ſponſæ, Davidi, Joſepho datum eſt; hoc & nobis cœlo auſpice dabitur: erit in tempeſtate præſens, & quaſi ſocium Numen, cui proinde fidendum, ne audiamus & illud Chriſti: *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* — In Jacob. Gen. c. 31. v. 3.

III. Quia juſtus ſibi conſtat. Verùm ad Apoſtolos redeo, à quibus paululùm digreſſus ſum. Non fuerunt illi ſine nævo, dum & timidi fuerunt, & modicæ fidei; debuerunt enim, & ſibi conſtare, & ſua virtute ſe involvere; hæc quippe juſtis aſylum eſt, & tutiſſimum in malis perfugium, ac munimentum, quod oppugnari quidem poteſt; expugnari omninò non poteſt.

Tract. contr. Demetrian. + hostium. c. 250. Pulchrè D. Cyprianus: *Inter ipſas ſæculi minas erecta mens, & immobilis virtus.* Hanc Poetæ noſtri, in docta commenta faciles, dixêre eſſe concham auream, quam Hercules tulit, & à qua illæſus ſtetit inter oceani injurias, & confligentium impetum procellarum. Hanc virtutem, puta erectæ mentis conſtantiam, ſi retinuiſſent Apoſtoli; nec abiiſſent in eas voces: *Domine ſalva nos, perimus*; nec audiſſent

iſtud:

Digitized by Google

iſtud: *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Quid diſceditis à debita meæ providentiæ fiducia? Ne etiam ipſi ab illa aliquando recedamus: Primùm ſit excitata, ſit vigil fides noſtra; non languida, non ſemiſopita. *Non dormiat fides tua, & non dormiet Chriſtus*, inquit Auguſtinus.

In Pſal. 103.

IV. Deo ſe cõmittit.

Deinde nos ipſi, noſtráque omnia Deo committamus, probè memores illius, quod eleganter D. Gregorius Nazianzenus:

In Chriſto patiente.

Quicumque ſe committit Deo, is ſeſe optimo cuſtode ſervat.

V. Bonis omnia bona.

Deinde recolamus & hoc Divi Cypriani: *Benè agentibus bona ſunt omnia.* Ipſa quippe tempeſtas portus eſt; ipſa adverſitas fœlicitas eſt, ipſa calamitas ſecuritas eſt, ipſa denique mors vita eſt. Adeò verum illud; bonis bona eſſe omnia, etiam ea, quæ vulgus mala reputat: & hoc beneficio virtutis, à qua ſapientem vel ipſis Superis anteponit Philoſophus; ſic enim ſcribit:

Lib. de ſingul. Clericor.

Epiſt. 53.

Eſt aliquid quo ſapiens antecedat Deum; ille naturæ beneficio non timet, ſuo ſapiens. Ecce res magna habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei. Incredibilis vis Philoſophiæ eſt ad omnem fortuitam vim retundendam: nullum telum in corpore ejus ſedet; munita eſt, ſolidáque. Quædam defatigat, & velut levia tela laxo ſinu eludit. Quædam diſcutit, & in eum uſque, qui miſerat, reſpuit.

VI. Quia eis ſecuritas Dei.

Hactenus Seneca, è quo hoc unum (nec enim omnia diſcutere eſt hujus loci) ſtylo notari velim, & altè animis imprimi: *Res magna habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei.*

Hanc ſecuritatem habuit *Iobus*, etiam in ipſis mortis faucibus; teſtes illius hæ voces: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo, & ipſe erit Salvator meus.*

Iob. c. 13.

Hanc ſecuritatem habuit magnus ille gentium patens Abraham, etiam dum manum extulit, & ferrum præceps in filii cædem: *Contra ſpem* enim *in ſpem credidit*; credidit, inquam, & certa quidem ſpe, ac fiducia, ſuam in poſteros ire poſſe progeniem; etſi in ferrum, mortémque totus iret Iſaacus.

Ad Rom. c. 4.

Hanc ſecuritatem habuit *Suſanna* etiam inter inſidias ſenum impudicorum, inter judicum ſubſellia, inter furentis popelli voces, & ſaxorum grandinem, quâ mox erat obruenda. *Flens*, quippe, *ſuſpexit in cœlum; erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.*

Dan. 13.

Hanc quoque ſecuritatem habebit is, qui ſe, & ſua omnia divinæ providentiæ concredita eſſe voluerit, uti voluit olim Valgius ſenex adhuc Catechumenus, de quo hæc ad poſterorum memoriam, & ad excitandam in Chriſto fiduciam narrat Divus Paulinus. Solverat ille ex Sardinia, cùm ecce ſubitò orta tempeſtas, nautas omnes ita perculit, ut in ſubjectam ſcapham deſilierint relicto in ſentina ſene Valgio, qui fortè aquam exhauriebat; dúmque exhaurit ſedulò, advertit validè agitari, concutíque navim, in cujus ſumma dum conſcendit omnes exſcendiſſe videt, elapſoſque levi ſcapha inter undas, quarum iræ, furoríque relictus eſſet ſolus. Quid hîc ageret bonus ſenex expers artis nauticæ, & fractis à ſenio viribus? Spem arripit, & in Chriſtum fiduciam; quâ fretus, inter inſanos fluctus, & Euros, ſex omninò dies, totidémque noctes exigit ſine cibo, potúque: ſed non ſine ſpe, ac fiducia in JESUM, qui viſibili ſpecie illi apparuit beatorum Angelorum turmâ comitatus, & illi primò animos fecit, deinde cibum dedit cœleſti manu; tum juſſit malum exſcindere, quod repetito ictu fecit; quod validis lacertis, & ictibus quàm plurimis non feciſſent nautæ quàm plurimi: tum etiam rudentes torquere, tum aquam exhaurire juſſit, & alia nautarum obire munia, opem ad iſta ferentibus etiam Angelis: tum eum (ſi labore fortè feſſus dormitaret) leviter aurem vellicando, excitare; & ſubinde quaſi illius miſertus, fatiſcentis caput gremio, ſinúque excipere, quo molliùs cubaret, quieſceréque; tum illi mutare nomen, & pro Valgio victorem appellare: denique poſt inſolentem dierum viginti trium jactationem in quodam Calabriæ portu ſalvum, & incolúmem ſiſtere, ſtupendo ſanè divinæ bonitatis miraculo, & commendatione ſpei, ac fiduciæ, quam in illum ſervus fidelis repoſuerat, & cujus exemplo nos omnes reponere voluit: Sed ne longiùs. Deſcendo ad ultimam rationem, quæ perſuadebit multa eſſe in ſpeciem mala, & terribilia, quæ re tamen ipſa, ea non ſunt. Cujuſmodi ferè ſunt tribulationes hujus ævi, quæ puſillis mentibus timorem incutiunt, ac horrorem: ideóque adverſus eas plurimum conducit iſtud Senecæ:

Epiſt. 36 ad Marcionem.

VII. Quia tantùm in ſpeciem mala.

Illud ante omnia memento, demere rebus tumultum, ac videre quid in quaque re ſit, ſcies nihil eſſe in iſtis terribile, niſi timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque majuſculis pueris evenit. Illi quos amant, quibus aſſueverunt, cum quibus ludunt, ſi perſonatos vident, expaveſcunt. Non hominibus tantùm; ſed & rebus perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua?

Epiſt. 24.

Hæc Seneca, ex quo habes ærumnas hujus ſæculi pleraſque omnes perſonatas eſſe: Deme illis animi tui tumultum, larvam excute, & redde illis facies ſuas, (hoc eſt velut à Deo immiſſas, admitte) & ſapienter falles calamitates, quæ te pueriliter fallunt, atque perturbant.

Ita fefellit olim opulentus unus aliquis. Rogarat ille D. Joannem Eleëmoſynarium pro filii, quem unicum habebat, incolumitate: imò liberalem dederat eleëmoſynam, quaſi pactâ pecuniâ, filiolo vitam empturus longiorem. Sed ô malum! Nec D. Joannis vota, nec parentis preces cœlum audiit: ſublatus enim filius etiam intra menſem. Hinc dolor, gemitus, & lacrymæ orbi parentis. Hinc etiam ſancto Præſuli pia cura, ac ſollicitudo, qua ut liber eſſet, Deum rogavit, ut ei malo pararet remedium. Paravit illicò; Angelum enim è cœlo demiſit, qui aſſereret in ætate tenella eductum è vivis juvenem, ne in adulta periret, quod certò certiùs prævidebat Numen. Ecce mors, quæ videri potuit immatura, dira, crudelis (ſublata quaſi larva) & matura, & pia, & mitis cenſeri debuit. Et idem de aliis eſto judicium.

VI. Quia è malis etiam bona.

Addi poteſt & alia ratio petita ex lege divinæ providentiæ, quæ è malis etiam bona elicere conſuevit. Ita turbulenti maris excitata tempeſtas, ventorum turbines, & ſævientes undique fluctus; indubiè mala quædam, & naturæ, ac paci inimica: at ea Deus in bonum vertit. An non bonum, quod uno verbulo ventis imperârit, & mari? An non bonum, quod inde Deum ſe probârit? An non bonum, quod Diſcipulorum fidem jam nutantem erexerit, & in ea firmârit? Hoc nimirum ſpectabat Chriſtus, cúm profundè indormiſcebat, cùm attolli maria, & immanes appellere fluctus patiebatur. Et hoc quoque in omnibus malis attendit amabilis Dei providentia; ut inde puſillo homini & ad divina cæcutienti pararetur ingens aliquod bonum.

Quod ipſum aliquando Dionyſio Carthuſiano, viro in paucis religioſo, & ſancto oſtenſum voluit. Ipſo die Purificationis Divæ Matris ſub miſſarum ſolemnia raptus ad ſuperna, & à ſe alienus, atque in Deum totus; ſcilicet, ad viſionem aliquam SS. Trinitatis, quantum mortali fas eſt.

Chronicon Carthuſ. l. 7. c. 7.

Hac dum fruitur, multa pro militante Eccleſia, quam variis undique tempeſtatibus jactari videbat, gemebátque; multa, inquam, à Deo petere. Cui benignum Numen: *Quid tu ô fili pro Eccleſia mea requiris?* Cui ſic Dionyſius. Ut illam, ceu ſponſam tuam, benigno oculo aſpicias, ut à malis impendentibus eruas, ut è manibus vaſtantium eripias, ut paci reddas, ac tranquillitati.

Ad hæc ſic illi Deus. At Eccleſia propè univerſa à me abiit; at alienis, adulteriniſque amoribus ſeſe inclinavit, ſi pauculas animas exceperis: ad quæ ſic Dionyſius: Juſtus es Donune, ſed & bonus, ac miſericors: miſericordiam volo, non juſtitiam. At ergo, inquit Deus, tot, ac tanta ſcelera ſine pœna, ſine debito ſupplicio eſſe voles. Non voles certè, ſi æquus eſſe voles, & juſti tenax: ſed illatas Univerſo clades, Urbium, ac Provinciarum ruinas, & vaſtitates æquanimiter patiens, ratus, ſic Juſtitiæ meæ aliqua ratione fieri ſatis. Verùm ut intelligas etiam in his ſuum miſericordiæ locum eſſe, hæc memori mente repone; hæc ubi certò perſuade; Diſponi illa omnia amabili, ac ſuavi providentia, ſapientia ſumma, Bonitate infinita, quæ per temporalia mala homines erigit, attollitque ad æterna bona. Ad extremum adjecit illud, quod eodem ſtylo reddo, quo Chronica Carthuſienſia:

Ego uſque adeò bonus, & ſapiens ſum Deus; quòd mala omnia à perfidis illata, nunquam ipſe fieri permitterem, niſi ſcirem maxima ex iis colligere bona. Hæc illi indulgens Numen. Ex quibus id conficio; meritò & Diſcipulos, & Chriſtianos modicæ fidei argui, ſi in malis, quæ appellunt, ad mirabilem illam Dei providentiam non aſpiciant, & in ea non conquieſcant.

DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM.

Matth. c. 13 v. 24. 25. SERVATOR Optimus, ut exhiberet ſpeciem aliquam naſcentis Eccleſiæ, parabolam propoſuit: *Simile*, inquit, *factum eſt regnum Cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit, &c.*

Hic moveri poſſunt aliæ atque aliæ quæſtiones: videlicet, Quod regnum Cœlorum? Quis homo? Quis ager? Quod bonum ſemen ei commiſſum? Quæ zizania in medio tritici? Quis inimicus homo? & ſimiles, de quibus poſtea latiùs; hîc paucis, & brevi compendio.

Regnum Cœlorum, eſt Eccleſia, quæ ſic audit, quia à Cœlo regitur, & Cœlum ſpectat.

Homo qui ſeminat, eſt ipſe Chriſtus, qui pro ea, quæ fuit in abjectos mortales indulgentia, eò ſe demiſit, ut hortulanum, ut agricolam ageret, verſaret terram,
Cap. 14. ſemenque jaceret in ſubactum humani cordis ſolum. Ita de ſeipſo olim Jeremiæ,
Cap. 13. & Zachariæ voce: *Factus ſum*, inquiebat, *ſicut colonus in terra, & quaſi viator.* Et *homo agricola ego ſum.*

Bonum ſemen, ſunt filii regni, & Eccleſiæ.

Zizania, filii nequam, degeneres à bona matre, & à patriis legibus alieni.

Servi Patris-familias, ſunt Angeli, beatæ illæ mentes, puriſſimæque cælorum Intelligentiæ.

Inimicus homo, qui malo dolo, zizania tritico miſcuit, eſt diabolus, hoſtis humani generis. Et hæc eſt ſumma parabolæ ſeries, quam ad mores ritè efformandos aptavit Chriſtus.

EX D. THOMA.

Serm. 2. DIVUS Thomas ad illa Chriſti verba: *Colligite primùm Zizania in faſciculos ad comburendum; Tri-*
Matth. c. 13. *ticum autem congregate in horreum meum*, quatuor obſervat.

I. Eſt *iniquorum malitia*; ea notatur eâ voculâ, *zizania*, quæ ſunt infœlix lolium, & vitium ſegetum.

II. *Eorum ſupplicia*, quæ exprimuntur his verbis: *Ligate in faſciculos*; in quo etiam 3. ſuppliciorum genera. 1. Eſt, quia *æternis vinculis conſtringentur*. 2. Quia *ad invicem comprimentur*. 3. Quia *æterno igne*
Sap. 17. *comburentur. Unâ catena tenebrarum omnes erant col-*
Iſai 36. *ligati* (ſcilicet damnati) *& ignis eorum non extinguetur.* Et hæc eſt poſtrema pœna, cujus magnitudo ex quinque capitibus æſtimatur. 1. Quia *ignis* Sap.
ille comburit, & non conſumit, quaſi ſua virtutis oblitus; virtus enim ignis eſt conſumere, quod aſſumit. 2. Quia *contraria, frigus* ſcilicet, & *calorem patitur.* Hinc in illo *erit fletus, & ſtridor dentium, fletus à calore, ardor à frigore.* 3. Quia *acerbiſſimè affligit; tanto enim eſt calidior noſtro igne, quantum noſter picto,*
inquit Auguſtinus. 4. Quia *æternus. Ite maledicti in* Matth. 25.
ignem æternum. 5. Quia in eo *eſt ardor ſine ſplendore*; in igne enim duo ſunt, ardor, & ſplendor: at in hoc erit ſolus ardor, quia *vox Domini intercidentis flam-* Pſal. 28.
mam ignis.

III. *Juſtorum bonitas*, expreſſa nomine *tritici*.

1. *Albi*

1. *Albi, propter puritatem.* 2. *Rubei, propter caritatem.* 3. *Ponderoſi, propter morum honeſtatem. In populo gravi laudabo te.* Pſal. 34.

IV. Eſt *ſanctorum gloria*, his expreſſa: *In horreum meum, quod ſpatioſum eſt, propter amœnitatem; delitioſum, propter jucunditatem; perpetuum, propter æternitatem.*

EX D. BONAVENTURA.

Domin. 3. poſt Epiph. ſerm. 1. DIvo Bonaventura interprete, *Homo ille Deus* eſt: *Ager* mundus, *bonum ſemen imago quædam, & ſimilitudo ſui*, quam mortalibus omnibus injecit in ipſa creatione: & hæc prima ipſius interpretatio, cui addit alteram de agro, qui illi triplex eſt.

I. *Ager*, eſt *mundus*, & hic *contemnendus propter occaſionem erroris, & devii*: evenit enim pleriſque quod olim Joſepho, quem *invenit vir errantem in agro*: errat in agro, quem amor mundi, & deliciarum ſic abripit, ut aberret à via Regni cœleſtis. Gen. 37.

II. *Ager*, eſt *Conſcientia*: & hic *excolendus propter ſuſceptionem ſeminis divini*; hinc illud Sapientis: *Diligenter exerce agrum tuum, ne ſcilicet ſterileſcat ſpinis vitiorum.* Proverb. 24.

III. *Ager*, eſt *cœleſtis Patria*; & hic *deſiderandus, propter odorem, ſive pulchritudinem floris divini.* Ubi iſta de ſemine, & agro dixit; tum ſubjicit de modo, quo illud jacitur: *ſeminat* enim *Dominus ſemen quadrupliciter.* Serm. 4.

Primò, *in natura, & generatione; hoc ſemen manè floret*, id eſt, *in juventute; ſed veſpere perit in morte*: quod indicatum voluit Vates ubi cecinit: *Mane floreat, veſpere decidat.* Pſal. 89.

Secundò, *In gratia, & juſtificatione*; & qui hanc, illámve obtinuerunt, ſunt *ſemen, cui benedixit Deus.* Iſai. c. 61.

Tertiò, *In gloria.* 4. *In miſeria*: videlicet *ex reſurrectione duplici; altera ad gloriam, altera ad miſeriam.* De hac, & illa Jeremiæ voce ſic olim Deus: *Seminabo domum Iſraël, & domum Iuda ſemine hominum, & ſemine jumentorum. Semen hominum*, eſt eorum, qui ut homines vitam agunt ex rationis præſcripto, Deique legibus: & *hi ſeminantur hic in valle miſeriæ; ſeminabuntur ibi in monte gloriæ.* De his etiam; olim, ad Abraham Deus: *Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli. Semen* autem *jumentorum*, eſt illorum, qui vitam trahunt abjectam ad ſuas paſſiones, & curvas habent in terram animas, de quibus etiam illud Domini ad Abraham: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut arenam maris.* Ecce quantum interſit inter hoc, & illud ſemen: tantum ſcilicet, quantum inter *ſtellas cœli, & arenam maris*, qui in terris boni, & in cœlis deinde beandi, *ſtellæ cœli* ſunt: at qui hic mali, & ad inferos damnandi, *arenæ ſunt maris.* Vide benevole Lector ubi locum invenies, & in quem ibis numerum, an ſtellarum cœli, an arenæ maris? Jer. 31. Gen. c. 22.

Poſtquam iſta de alio, atque alio ſeminandi modo jactavit Seraphicus Doctor; tum deſcendit ad inſignem Domini patientiam, quæ zizania, id eſt, malos mixtos tritico, hoc eſt, bonis, tolerat ad uſque meſſem; & hoc propter *quatuor cauſas.*

I. *Propter eorum correctionem. Zizania non tolluntur; quia*, ut ait Gloſſa, *forſitan triticum futura ſunt.* Serm. 2.

II. *Propter bonorum exercitationem*: has cauſas ita complexus olim D. Auguſtinus: *Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur; aut ut per eum bonus exerceatur.* Si ſic exerceri renuas, bonus non es: *Abel eſſe renuit, quem Caïn malitia non exercet*, inquiebat D. Gregorius. Nimirum eſt ille ludus amabilis divinæ Providentiæ, quem uſurpavit jam inde ab Orbe condito, & uſurpabit in Ævum omne. Ita Iſraëlem electum olim populum ſibi, per gentes incultas, ac barbaras exercere voluit, vel ipſa teſte Scriptura, è qua hoc Dei oraculum: *Non delebo gentes, quas dimiſit Ioſue, ut in ipſis experiar Iſraël.* In Pſal. 54. Iud. c. 2.

III. *Propter bonorum aſſociationem*: Ita Sodomitis olim pepercisſet, ſi in iis vel decem fuiſſent boni; *non delebo*, inquit vindex ſcelerum Deus, *propter decem.* Gen. c. 18.

IV. *Propter malorum punitionem*; ut ſcilicet *mali etiam per malos affligantur.* Sic gentiles à ſe alienos ſuſtinuit patiens Numen, ut Judæos affligeret, quod ipſum apertis verbis indicatum voluit: *Si volueritis*, inquiebat, *harum gentium erroribus adhærere, jam tunc ſcitote, quod Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram; ſed vobis erunt in foveam, ac laqueum, & offendiculum.* Et hæc de Zizaniis; pauca ſubjicit de tritico, quod Dominus congregat in horreum ſuum, cujus occaſione diſtinguit *quadruplicem congregationem.* Ioſue c. 23.

1. Eſt *credentium in mundo*; hi colliguntur *à quatuor plagis terræ; ab orientali, qui in pueritia; à meridionali, qui in fervore juventutis; ab occidentali, qui in ſenectute; ab aquilonari, qui ſemper frigidi in extrema hora convertuntur, ut Latro in cruce.* 2. *Reſurgentium in Iudicio: congregabo in vallem Ioſaphat.* 3. *Gementium in inferno.* 4. *Fruentium in cœlo.* Serm. 3. Iſai. c. 22. Ioel. c. 3.

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Cum dormirent homines.* Matth. 13. v. 25.
QVIS ILLE SOMNVS? ET QVAM NOXIVS?

Quid ſit ſomnus naturalis? DE ſomno multi multa. Philoſopho *ſomnus eſt ligatio ſenſuum externorum ad animalis quietem, & virium reparationem inſtituta.* Et hæc à natura petita definitio; quas ſubjicio deſcriptiones ex vitio ſunt. Ex hoc dicitur ſomnus *fur temporis.*

Scal. 3. Epi. *Eſt ſomnus adulator, & atræ aſſecla mortis; fur temporis, atque oſor iners negotiorum.*

Quod enim ſomno dederis, hoc tempori, hoc vitæ tuæ ſuffurari videberis. Et inde à Clemente Alexandrino appellatur publicanus, & dirus exactor; ſic enim ait: *Somnus non ſecus ac publicanus dimidium vitæ tempus nobiſcum dividit.* 2. Pædag. c. 9.

Ex ea conſenſione, quæ eſt inter ſomnum, & exactorem, factum autumo, ut hebræi ſapientes ſomnum dixerint, *ſenah*, & exactorem agere, *naſah*, tranſpoſitis dumtaxat litteris, ut intelligeres quæ inter utrumque eſſet affinitas.

Ex ea ipſa perſuaſione apud eoſdem Hebræos *jaſan* dormire, & *jaſam* deſolari ſignificat; ut meritò timeret deſolari, qui dormiret plus æquo; qui daret voluptati, ac deſidiæ, quod natura, ratioque neceſſitati dumtaxat conceſſum eſſe voluit.

Quid mortalis?

Verùm abeamus ab hoc ſomno; etſi enim ſubinde culpâ non vacet, cùm nimius eſt, & hominem lecto inſternit, ac ſepelit in multam lucem; tamen de eo mihi in præſens non erit diſceptatio: neque etiam fuit Servatori, cùm ajt proſeminata zizania hominibus profundùm dormientibus. Alium certè, alium omninò ſpectavit ſomnum, atque damnavit: non fuit ille *naturalis*; ſed *moralis*. Cum venia utor vocibus in ſcholis paſſim uſurpari ſolitis, ex quibus etiam diſco triplicem culpari ſomnum.

I. Somnus moralis, cupiditates.

Primus ſomnus eſt, cùm animus nimiùm voluptati connivet ſuæ, & aliis, atque aliis cupiditatibus velut indormiſcit: eſt enim, qui famam dormiens captet, eſt qui aurum, eſt qui libidinem, atque inſanos amores.

Teſte Hormutio, Perſæ ſomnum capiebant in utribus. Sunt utres ſymbolum ſuperbiæ, quia inani implentur, atque intumeſcunt vento: & quia eodem inflantur ambitioſi, honorúmque cupidi; mentò in utribus dormire mihi videntur, & in iis fingere ſibi ſomnia magnitudinis concupitæ.

Explicatis retibus ſeſe inſternunt Scythæ, & altum in iis obdormiſcunt; quibus ſimiles illi, quos malè ſana opum cupido ſopit, & divinis, ceu retibus implicat, ac retinet.

Sunt alii, qui dormiunt in molli anſere; ii ſcilicet, qui carnis evicti, atque evirati blanditiis ſeſe totos libidini dedunt, atque mancipant mortifero ſomno, vel potiùs lethargo. Et hi, & illi miſerabiles, atque damnandi.

Gen. c. 28.

Non ſic Jacob, non ſic invictus ille cum Deo luctator, cui pro cervicali durior lapis, & indomitum ſaxum. Nimirum laboris ille patiens erat, & delicatam placidè quieſcentis corporis habitudinem ſuppoſito ſaxo exercebat.

Hunc ſomnum probant ſuperi (quia ab hoc ſibi, vitæque meliori ſervatur homo) illos verò incuſant, & damnant: quia ab illis, & à ſe, & à ratione, & à Deo abducitur animus, & veluti maledicta terra zizania vitiorum admittit, quæ bonam ſementem ſuffocent, atque extinguant. Et hinc delabor ad alium ſomnum, quo etiam malè capiuntur plerique mortalium.

II. Somnus libido.

Is, interprete Beda, eſt torpor quidam animæ, deſidia inſolens, abjecta ſalutis cura. In hanc incidit miſellus homo, cùm ſeſe remittit in ſtudio virtutis, cùm ſaluti indormit ſuæ. Ubi autem ſic indormivit, tum inimicus Dæmon in terram cordis jam omnis boni vacuam injicit malum ſemen, hoc eſt, cogitationes, & affectus à cœlo, Deóque alienos. Et hic eſt dolus hoſtis longè peſſimi: Novit enim hominem, ſi vigilet, vinci non poſſe; ſi dormiat jam propè victum eſſe, atque proſtratum. Verum quippe illud in ſæcula. A ſomno fortiſſimos quoſque occidiſſe.

Jud. c. 16.

Sampſon robore fuit nulli ſecundus, obdormiit in ſinu Dalilæ, & crinibus exutus eſt, & fortitudine ſuâ ſpoliatus.

Jud. c. 4.

Fortis fuit & Siſara, magnúſque dux exercitus; & hic potu lactis à Jahel ſopitus, & trabali clavo terræ affixus cum immani vulnere miſerabilem animam expuit. Ita ſtravit ſomnus, & letho dedit, quem arma, ferrúmque non ſtraverant.

Eſt Dalila caro, eſt mundus altera Jahel: & hic, & illa ſoporem dum inducunt, primùm crines (hoc eſt, bonas cogitationes, ſanáque deſideria) præſcindunt: deinde unà cum illis omne robur animi; quo poſito in terram abjicitur; imò terræ mens ipſa, quanta quanta eſt, ita affigitur, ut nec cœlum ſuſpicere valeat, nec ad æternitatem beatam, quæ imminet, aſpirare. Et hic eſt alter ſomnus, quem hoc loco arguit Salvator, ceu magiſter optimus.

III. Somnus Paſtorum incuria.

Poſtremus, D. Auguſtino judice, atque interprete, eſt incuria quædam Præſulum, & Paſtorum Eccleſiæ in ſervando ſibi commiſſo grege; & hic immanem trahit ruinam.

Hiſtorici propè omnes, qui geſta totius Antiquitatis in poſteros emiſerunt, una mente, unóque calamo teſtantur eam eſſe divinæ providentiæ in caſtigandis mortalium ſceleribus rationem; ut patiatur Epiſcopos, Paſtores, Principes, alióſque qui portant orbem, officio ſuo, ſuiſque curis indormiſcere; & hoc eſſe pœnæ genus longè graviſſimum.

Petamus exempla è ſacris paginis. Erat Ninive Civitas magna, ut populo frequens, opibúſque illuſtris; ita multis ſceleribus infamis. Et hinc eam Propheta Nahum compoſuit cum meretrice, cui intentantur vindices è cœlo minæ, & horrendum illud; *væ.*

Cap. 3. *Væ Civitas ſanguinum, vox flagelli, & vox impetus rotæ, & minantis gladii ſuper te.*

Hujus damna.

Neque verò irritæ occidêre minæ; capta quippe, vaſtata, diruta, incenſa à Chaldæis Ninive. Cauſam illius cladis ſi quæras, eam ore Vatis audies: *Cuſtodes tui quaſi locuſtæ, dormitaverunt Paſtores, ſepelientur Principes tui.*

Comparantur cuſtodes cum Locuſtis: quia ut hæ nocturno frigore redduntur trepidæ, ſegnes, dormitabundæ; ita & illi, deſidiâ ceu pigro frigore torpentes, & ſomno, vinóque ſepulti, deſierunt eſſe, qui eſſe debuerunt, vineæ cuſtodes. Et hinc illa ſtrages, ac ruina miſerabilis Ninives.

Eadem & Judæos oppreſſit, adverſa cœlo capita; quæ his olim percellere ſtuduit Propheta: ſic enim altiore tono.

Iſai. c. 29. verſ. 9. *Obſtupeſcite, & admiramini; fluctuate, & vacillate; inebriamini, & non à vino; movemini, & non ab ebrietate.*

Abripitur ſacro quodam æſtu mentis; & orationis impete ſilentium ſibi conciliat vates, & ſtuporem; quo perculſi Iſraëlitæ nutent, fluctuent, vacillent, ut ebrii aſſolent.

verſ. 10.

At unde inquies ille ſtupor? unde illi motus fluctuantis animulæ? Inde profectò: *Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros, Prophetas, & Principes veſtros, qui vident viſiones, operiet.*

Hebræi legunt *tardemah*, id eſt, altiſſimum ſoporem, & quaſi veternum immittet Dominus, quo Prophetæ (qui dicuntur, & ſunt oculi, per quos videt populus) ita teneantur, ut nec videant ipſi, nec alii eorum ope, atque adminiculo. Et hoc eſt ſupplicium longè graviſſimum, quod excipere, ſequíque ſolet longa quædam, & catenata malorum omnium ſeries: nec mirum.

Theophyl.

Eſt enim Præſul, & paſtor *ſtella* ſui orbis, & veluti Cynoſura; quæ in hoc vitæ Pelago curſum regat: & ſi micare, ſi lucere deſinat, quid expectes niſi lamentabile naufragium?

Nazianz.

Eſt Præſul in Eccleſia, quod in Cœlo *Sol aſpectabilis.* Si mergatur hic, nec horizonte unquam aſſurgat noſtro; neceſſe eſt omnia triſti, funeſtáque nocte tegi, atque contabeſcere: ſic niſi popello ſuo aſſurgat, luceátque Præſul, cuncta ſuſque deque verti eſt neceſſe.

Hieron.

Eſt Præſul *oculus ſui gregis*: ſi conniveat ille, ſi extinguatur, & hic in foveam cadet, & gravi lapſu collidetur.

Eſt Præſul alter *Athlas*, qui validis lacertorum toris incumbens Eccleſiæ Cœlum ſuſtinet: ſi obdormiſcat, ſi à ſomno nutet ille, an non illicò tota illa moles, impoſitorúmque orbium vaſtitas ei quodammodo innixa concidet, & unà ſecum dabit miſerabilem animarum ruinam? Dabit enimverò, & certè jam dedit, cùm dormientibus Eccleſiæ Præſulibus in agrum Domini irruit inimicus homo, ſuperſeminavit zizania, totámque virtutum ſementem extinxit. Ne porrò aut in aliis, aut etiam in te extinguat, agè, imitare Paſtorum Principem JESUM, de quo D. Ambroſius, ut aliàs ſolet, piè & diſertè:

Pernoctabat

Serm. 19. in illud: Prævæni in maturitate.

Pernoctabat in oratione Dominus JESUS, *non indigens precationis auxilio; ſed ſtatuens tibi imitationis exemplum: ille pro te rogans pernoctabat, ut tu diſceres quomodo pro te rogares; redde igitur ei, quod pro te fecit.*

Redde, inquam, vigiles noctes & tuo gregi (ſi Paſtor es, atque aliis vivis) & tibi (ſi uni vivis tibi.) Imitare Religioſos viros, qui noctes exigunt inſomnes; atque, ut de iis magnificè D. Chryſoſtomus: *Quietu tempus, luctuum tempus faciunt.* Hoc ſi feceris ipſe, nunquam animo tuo, (qui Domini ager eſt) inimicus homo zizania ſuperſeminabit.

Hom. 26. in Act. Apoſt.

QUÆSTIO SECUNDA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Superſeminavit zizania in medio tritici.* V. 25.
QUÆ SINT ILLA ZIZANIA? Quod triticum?

Zizania mali omnes.

SANCTI Patres in duas ſcinduntur opiniones. Una cenſet zizania eſſe malos omnes, qui etiamnum adhærent Eccleſiæ, ceu bonæ matri, licèt ipſi ſint filii nequam, & moribus ſuis ab illa quaſi degeneres. Ita S. Auguſtinus, S. Ambroſius, S. Gregorius, Theophylactus, & alii.

Serm. 39. de Sanctis.

Hæretici.

Altera contendit zizania eſſe potiſſimùm Hæreticos, qui tritico, hoc eſt, fidelibus malè miſceantur. In hanc ſententiam venit S. Chryſoſtomus, Euthymius, & olim etiam S. Auguſtinus. Tertullianus, qui Hæreticos cenſet eſſe zizania, & hæreſim *ſterilis fœni adulterium*, eleganti ſanè metaphora: neque enim è ſponſa, aut legitimo toro naſcitur hæreſis; ſed ex adultera, violato per ſummum nefas priore thalamo, ruptiſque caſtiſſimi conjugii legibus, hoc eſt fide, quæ Deo, ceu ſponſo, debebatur.

Hom. 47. in Matth. L. quæſt. in Mat. q. 11. L. de Præſc. adv. hæretic.

Sententiam utramque complexus S. Chryſologus, qui hæc ore aureo:

Serm. 96.

Superſeminavit zizania in medio tritici, quia Diabolus Hæreſes inter fideles; inter ſanctos peccatum; inter pacificos lites; inter ſimplices dolos; inter innocentes nequitiam gratis ſerere conſuevit: non ut acquirat zizania, ſed ut triticum perdat; nec ut reos capiat, ſed ut adimat innocentes.

Utrique.

Hæc S. Præſul, qui hanc ipſam theſim, de quâ in præſens eſt quæſtio, ſic paulò antè explicat:

Ibidem.

Evangelicam ſegetem ſatam cœleſti ſemine hæretica zizania ſuperſeminando confudit inimicus: ut manipulos fidei, gehennæ faſciculos faceret, ne triticum fieret Cœleſtium horreorum.

Probatur ratione.

Sed jam authoritate pugnatum eſt ſatis: certemus & ratione. Hæreſim eſſe zizania liquet ex quadam illius, & horum inter ſe conſenſione, ac ſimilitudine.

Zizania dixere Græci, quæ Latini *lolium*. Eſt verò lolium morbus frugum, ſegetis contagium, & peſtis: adeóque ipſis agris & ſatis fugiendum: neque his tantùm; ſed & agricolis, quos etiam ſua lue inficit; Lolium enim propter vapores acres, quos in cerebrum emittit, ipſam oculorum aciem hebetare ſolet, ac retundere. Et hæc eſt ratio, cur ii, qui viſu ſunt imbecillo, vulgò dicuntur victitare lolio. Et hoc Plautus, illud Ovidius expreſſit, ubi cecinit:

Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

Ex illo lolii vitio, quod in corpora dimanat, deduco non abſimile, quod ab hæreſi in animos mortalium evadit: hæc enim quia ſpiritus habet acres, pertinaces, ac tartareos, quos in humanæ mentis aciem evibrat, rectæ fidei, quæ oculus eſt, aciem extinguit; ideóque ut lolium ſatis ipſis ac frugibus noxium, & peſtilens; ſic & hæreſis agro Domini, (hoc eſt Eccleſiæ) & frugibus (hoc eſt fidelibus) peſtis eſt, & contagium.

Nocte ſeminatur.

Proſeminatur autem illud adulta nocte, inimica manu, & mente magis inimicâ. Nocte quidem, quia ea maximè congruit tum zizaniis, tum ipſi genio perverſi Dæmonis.

Malum ſemen in caligine ſeminatur, bonum amat lucem, ut advertit Tertullianus, cui ferè conſonat illud S. Chryſologi: *Inſidiator in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes: fortis conflictum petit, provocat palam ſpectantibus omnibus, & coram populo vult habere victoriam. Maxima infirmitatis indicium eſt, dormientibus irruiſſe.*

Lib. de Anima c. 17.

Serm. 97.

Sic irruit malus Dæmon dum tritico ſuperſeminat zizania; clanculùm irruit, & quaſi furtivo pede, quem tegant, celéntque nocturnæ tenebræ, & profundus ſopor; cui dum cedunt incauti mortales, tritico ſuperſeminavit zizania, (hoc eſt) Interprete D. Chryſologo: *Bonis mala, virtutibus vitia vitalibus mortalia, noſtram ſuperſeverit ad ruinam*; hic enim illius finis, & ſcopus eſt: ut ſuffocetur, & pereat illud omne ſemen, quod benigna Dei manus hominum animis, ceu ſubacto ſolo immiſit, ad colligendam deinde meſſem uberrimam. Quas artes, dolóſque ſic eleganter, & clarè, ut aſſolet, detegit, perſtringitque D. Chryſologus, quo hîc utor liberaliùs.

Serm. 96.

Superſeminavit zizania, ut quid? ut periret Dominica meſſis: & hoc ad lucrum, quid pertinebat inimici? quod invidia ſpiritus, hominum damnum, ſuum putat lucrum; & quod perierit hominibus, hoc ſe æſtimat adquiſiviſſe.

In medio tritici. i. bonorum.

Ex eodem invidiæ fonte manavit & hoc, quod zizania ſeminavit in medio tritici, non autem in medio avenæ, & hordei. Nimirum avena, & hordeum pabulum eſt vulgare, atque ignobile; pabulum, inquam, jumentorum, cui proinde vile pretium appenditur: at verò triticum, granum utique nobile, quo veſcuntur & ipſi Reges, ac Cæſares; & hoc zizaniis miſcere, ſuffocare, ac perdere ſatagit malus Dæmon. Clariùs rem expono, atque è parabolæ involucris explico, evolvóque.

Avena & hordeum, (utpote abjectum terræ ſemen) peccatores deſignat, & hominem, qui non eſt frugi, qui nihil altum, nihil ſapit divinum; ſed inſtar jumenti ſeſe ad pabulum abjicit: & huic minùs invidet, minùs inſidiatur noſtri generis inimicus. At verò triticum, germen nobile, juſtos refert, & à virtute, vitæque ſanctimonia pretioſos; & hos toto niſu, toto petit impete: hos inter, zizania, hoc eſt, rixas, ſchiſmata, & noxias, atque inter ſe pugnantes opinionum diverſitates proſeminat, ſatius ſibi ducens modicam tritici aream perdere, quàm longè fusós avenæ, hordeique campos.

Et hos inferni dolos, hos invidiæ ſpiritus in Dæmone agnovit, extulitque D. Chryſologus: *Hoſtis*, inquit, *plus ducem quàm militem petit; nec obſidet mortuos, ſed impugnat viventes: ſic Diabolus non peccatores quærit capere, quos poſſidet ſubjugatos: ſed ut juſtos capiat,*

Serm. 96.

ſic

ſic laborat. Et hinc ſuperſeminat *zizania in medio tritici.*

Probatur exemplis.

Neque porrò hujus ævi, & temporis eſt ea fraus, ſed jam inde à primis ſæculis, ipſaque Orbis infantia fuit uſitata. Si quæ enim uſquam terrarum eſſet familia, quam cœlum aſpiceret clementiùs, quamque liberaliùs excoleret Dei manus (ceu agrum, hortulumve amœniorem) in illum illicò Dæmon invidus injicere zizania, eaque meliore tritico miſcere.

Noëmi familia.

Alter orbis parens, & generis noſtri reparator Noëmus, octo animas unâ quondam vexit arcâ, & in terras extulit veluti germen nobile, è quo ſurgeret quanta quanta futura erat poſteritas: at inter eas unus Cham, iſque *maledictus & ſervus ſervorum*, fratribus ſuis, adeoque quaſi *zizania in medio tritici.* Gen. c. 9.

Abrahami.

Fuit Abraham carum cœlo caput, & parens multarum gentium, ut quæ ſtellulas æthere ſparſas æquarent; & huic tamen filius Iſmaël, qui unà cum ancilla domo ejici debuit, atque eradicari, ut ferè *zizania è medio tritici.*

Iſaaci.

Fuit Iſaac magni parentis æmulus, ut bonorum, ita virtutum hæres opulentus: & huic gemini filii; Iacob unus, Eſau alter; ille pro tritico, hic pro zizaniis habitus. Inde illud de ipſis vaticinium. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Nimirum Deo ter Opt. ter Max. triticum, hoc eſt, juſtus, in amoribus ac deliciis eſt; zizania verò, id eſt, impii, in odio.

Jacobi.

Fuit Iacob digna parente, digna avo ſoboles, ut qui & hunc & illum, non oculis tantùm, & ore referret; ſed animo, ſed indole, ſed moribus, ac virtute: & tamen ei natus eſt filius, qui & *aſcendit cubile patris, & maculavit ſtratum ejus:* adeoque qui duodecim inter fratres fuit, quod *in medio tritici zizania.* Gen. 49.

Davidis.

Fuit David proximum Deo caput, atque è paſtorali pedo vocatus ad ſceptrum: & huic quoque multa ſoboles, quam inter & filius unus, qui cum ſorore concubuit: & alter qui in patrem arma vertit infami, & poſt homines natos inaudita rebellione.

Chriſti.

Fuit denique, ne antiqua tantùm & ipſo quodammodo ſæculorum lapſu detrita, conſecter: fuit Servator duodecim diſcipulorum magiſter quàm optimus; & tamen hos inter perfidus, atque impius Judas, ceu *zizania in medio tritici.*

Imò quod mireris, ac doleas, etiam ipſe Chriſtus, qui erat frumentum electum, medius ſtetit inter zizania: quod non ſine ſtupore amabili expendit Drogo Oſtienſis:

Quid columbæ, inquit, *& corvo? quid candido & nigro? quid Iudæ & Ioanni? quid Chriſto & Belial? & tamen Chriſtus inter Iudam, & Ioannem medius ſedet; inter electum & reprobum latronem medius, ut Noe inter corvum, & columbam.* Ut proinde mirum videri non debeat, ſi nos viles animulæ ævum omne noſtrum exigere cogamur bonos inter, & malos, ceu triticum inter & zizania. Libel. de Sacram. paſſ.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.* v. 30.
CUR PATER-FAMILIAS VULT UTRAQUE creſcere uſque ad meſſem?

PATER-FAMILIAS, ceu ſedulus agricola, ſemen optimum, hoc eſt purum, putúmque triticum ſolo commiſerat: contrà inimicus homo zizania ſuperinjecerat. Latebat utrumque ſemen in terræ ſinu, nec ſeſe prodiderunt zizania, niſi cùm altùm excreviſſent: nimirùm zizaniis aliquid affine cum tritico, quod non diſcernitur, niſi cùm illa adoleverint; tum enim apparent adulterina ſemina.

Hæretici primo latitant.

Quod zizaniis, hoc & hæreticis: cùm primùm hi ſua ſemina ſpargunt, diceres jacere germanum triticum, hoc eſt, ſanam utilémque doctrinam; aiunt enim ſe conſcientia ſua urgeri, religione, zelóque ducti, ut tollantur, qui in Eccleſiam Romanam irrepſerunt errores; ut ritus informes meliorem formam induant. Neque nova dogmata jactitant, ſed antiqua, & ipſo uſu quaſi obſoleta revocare volunt in priſtinum nitorem.

Tum ſe efferunt.

Verè tamen, & nova ſpargunt, & pro tritico zizania; extabunt hæc, & ſeſe aperient, ubi viderint hæretici ſibi ad manum eſſe vires, & arma, quibus ſe, ſuáque tueantur, & ſeditionibus, ac tumultibus omnia commiſceant, ac peſſundent. Quod præclarè animadvertit, extulitque D. Chryſoſtomus:

Hom 47. in Matth.

Quando, inquit, *germinavit, & herba fructum fecit, tunc apparuerunt zizania. Id certè mos eſt hæreticis, ut obumbrent ſeipſos atque occultent in principiis, quouſque majorem fiduciam capiant, & quodam favore multitudinis juventur: tunc enim contagioſa venena intrepidi effundunt.*

Cur eos Deus toleret?

Et hic eſt hæreticorum genius, à quo tranſeo ad quæſtionem initio propoſitam. Cur Pater-familias (cui agri fructus, proventúſque erat in primis curis) nolit illicò evelli, exſtirparique zizania; ſed inſigni patientia ea toleret uſque ad meſſem. Quæſtionem huic affinem Domino ſuo propoſuere vel ipſi ſervi; ſic enim hi:

Quæſivimus, ô Domine, quando bono ſemini permixta zizania: & ex te audiimus, tunc maximè, cùm profundiore ſomno ſopiremur ipſi: verùm ut dormiremus, at vigilabas, at excubabas ipſe: *Quis fecerit*, inquiunt ſervi, apud Chryſologum, *qui ſolus non dormis, nobis dormientibus tu vidiſti. Et tu quare hoc cùm videres, Domine, permiſiſti?*

II. Ad oſtenſionem ſuæ bonitatis, & juſtitiæ.

Hæc quæſtio, ad quam ſic Chryſologus: *Quia timere fraudes non poteſt, cui nihil poteſt deperire: & quia plus eſt myſtica diſcernere, quàm prohibere myſterium: majus eſt reparare perdita, quàm illæſa reſervare: ſimul quia oportet zizania eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant.*

Atque hæ rationes ſunt, cur vigil Dei mens, & oculus, qui humanis rebus ſemper aperitur, atque invigilat, patiatur tamen malos bonis ſubinde commiſceri, eodémque frui cœlo, ſolóque; etiam ad uſque meſſem, hoc eſt judicii diem. Primùm enim in eo ſapientiam oſtentat, dum myſtica diſcernit, occultáque pandit. Deinde bonitatis infinitæ theſauros aperit, atque effundit, dum corrupta emendat, reparátque perdita.

Denique juſtitiæ ſuæ vim exerit, atque explicat, dum bonos à malis ſegregat, & illos luci reddit nunquam interituræ; hos autem damnat ad tenebras, æternámque noctem.

D. Augu-

D. Auguſtinus, qui pro ea, qua erat magnæ mentis ſolertia, divina profunditus eſt ſcrutatus, alias rationes adducit inſtituto meo peraccommodas. Juvat illum audire:

Quæſt. in Math. q. 12. *Servi dicunt*, inquit, *vis imus, & colligimus ea? quibus veritas ipſa reſpondet, non ita hominem conſtitutum eſſe in hac vita, ut certus eſſe poſſit qualis quiſque futurus ſit poſtea, cujus in præſentia cernit errorem; vel quòd etiam error ejus conferat ad proventum bonorum. non eſſe tales auferendos de hac vita, ne cùm malos conatur interficere, bonos interficiat, quòd fortè futuri ſunt: aut bonis obſit, quibus & inviti forte utiles ſunt.*

II. Quia boni futuri.

Rationes divinæ illius ſapientiæ ad duo capita refert Hipponenſis Præſul.

Primùm eſt, quod ii, qui modò mali, fortè aliquando boni futuri ſunt: & hoc è ſpecula æternitatis dum proſpicit Numen, iras temperat, fulmina cohibet, & ſingulari providentia tolerat vaſa in ignominiam, ut aliquando cœleſtis figuli manu, artéque, in melius mutata, reddantur vaſa in honorem. hanc ipſam Dei patientiam, quæ minimè ſterilis eſt, eleganti metro ſic expreſſit S. Proſper:

Et dum plectendis parcit clementia factis:
Dat ſpatium, ut pereant crimina, non homines.

Ita quondam periére crimina in Matthæo, Paulo, Magdalena, aliiſque ſexcentis; quos ſi vindex Dei manus extirpaſſet, dum eſſent zizania, nunquam eos ut triticum ſuo ſinu excepiſſet Eccleſia.

Serm. 97. *Si enim zizaniis non Dei patientia ſubveniret, nec Matthæum de Publicano Evangeliſtam, nec Paulum de perſecutore Apoſtolum Eccleſia poſſideret*, ut inquit Chryſologus.

Nos humiles animæ, qui ad divina lumina ſumus quod talpæ ad ſolem; ſi quando ſceleſtum aliquem videmus, inardeſcimus illicò, & in eum fulmina, vindicéſque flammas è cœlo devocamus: in

Ibidem. hoc ſimiles Ananiæ, *qui eradicare triticum tunc quærebat, quando ad Saulum miſſus, de Paulo talia querebatur. Domine quanta mala fecit ſanctis tuis: hoc eſt eradica zizania: quid ad lupum ovis? quid ad contumacem devotus? quid ad perſecutorem talis prædicator miſſus; ſed cùm Ananias videret Saulum, Paulum Dominus tunc videbat: cùm Ananias perſecutorem diceret, tunc Dominus prædicatorem ſciebat; & cùm ille eum zizania judicaret miſeri, Chriſtus eum triticum in cœleſti horreo jam ponebat.*

Quod in Saulo, hoc & in aliis ſpectat indulgens Numen: imò Auguſtino interprete, etiam & aliud; quòd ſcilicet à peſſimo quoque, ceu germine, fructus aliquis pullulare poſſit, & in bonos ipſos derivari.

Et hæc ſunt quæ de Petri ſede æqua lance ponderavit Pontifex Caliſtus, dum ſic ad Benedictum Epiſcopum:

Nullus bonorum inimicum habet, niſi malum, qui ideò eſſe permittitur, ut aut corrigatur, aut per ipſum bonus exerceatur.

Hæc magnus Pontifex, à quo redeo ad Auguſtinum; qui cenſet ſervari zizania uſque ad meſſem, ex quadam divinæ bonitatis indulgentia; tum in malos, quos adhuc ſuſtinet, patiturque hac aura frui, ſi fortè animum cum ſole, anniſque muteut; tum in bonos, quos ex ea malorum ſocietate velut colliſione quadam ad cotem, ſic deterit, acuítque, ut omnem inde peccatorum æruginem deponant; imò etiam emolliti in lacrymas cant, teſtes pii ſenſus, ac doloris.

III. Quia bonos exercent.

Auguſt. in pſ. 98. *Ex ſententiâ Domini*, inquit, *neceſſe erat parcere zizaniis: ex conditione ſervi, vivere inter zizania: ſeparare ea non potes, tolerare tibi neceſſe eſt: vide quantas plagas in corde patiaris, qui corpore, & corde integro inter malos verſaris.* Hæc D. Auguſtinus, in quo velim expendas voculam illam, neceſſe: ſcilicet ex quadam divinæ

Dilatione ultionis. indulgentiæ lege, quæ malos ſpirare diutiùs permittit, ut aliquas juſtitiæ ſuæ inducias concedat, quibus deinde expletis, in arma ruat, ultriceſque flammas. Quod ut aſſolet diſertè notavit D. Hilarius:

In Pſ. 114. *Diſſimulat*, inquit, *& differt, & patientia ſolatium, dilatione ultionis expectat, ſuavem ſe omnibus præſtans, dum per miſericordiæ, & juſtitiæ modum, temperandæ ſeveritatis, indulgentiæ ſe reſervat.*

Et hæc velim oculo legant, memoríque mente recondant peccatores, quos in ſcelera longiùs ducit illa Dei connivenția: quæ profectò non tam opus eſt miſericordiæ parcentis; quàm juſtitiæ puniéntis:

Lib. 4. de conſol. proſ. 4. qua ut ſcitè Boëtius: *Multò infeliciores improbi ſunt injuſta impunitate donati, quàm juſta ultione puniti.*

IV. Ad quandam mundi pulchritudinem.

Accedit & alia ratio, quam à ſimili petit Auguſtinus: ea probat malos bonis admixtos tolerari ad quandam Univerſi pulchritudinem, quæ ex eo naſcitur, quòd à vitiis velut affusâ quadam umbrâ, virtutis nitor magis eluceſcat.

Lib. 11. de Civit. c. 18. *Sicuti*, inquit, *contraria contrariis oppoſita, ſermonis pulchritudinem reddunt; ita quadam, non verborum, ſed rerum eloquentia contrariarum oppoſitione, ſæculi pulchritudo componitur.* & alibi:

Cap. 23. *Sicut pictura cum colore nigro ſuo loco poſita: ita univerſitas rerum, etiam cum peccatoribus pulchra eſt, quamvis per ſeipſos conſideratos ſua deformitas turpet.*

Eodem olim uſus argumento Lactantius, ut evinceret unum illud, juſto Dei judicio malos bonis, vitia virtutibus paſſim admixta videri, ſuſtinerique illuſtri Superûm patientia.

Vbi, inquit, *vitia non ſunt, nec virtuti locus eſt; ſicut nec victoria, ubi adverſarius nullus. Ita fit ut bonum ſine malo eſſe in hac vita non poſſit.*

QUÆSTIO QUARTA

THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem* Deinde: *Alligate ea in faſciculos.* verſ. 30.

VTRVM INDE RECTE CONFICIATVR hæreticos Catholicis permixtos tolerari oportere? Tum etiam, qui ſint illi faſciculi?

An hæretici tolerandi. ERIT fortaſſe unus aliquis, qui ex hoc loco hæreticis patrocinium ſumet, voléṭque eos in agro Chriſti, hoc eſt Eccleſia, pullulare; imò & creſcere oportere ad uſque meſſem, & hoc quidem oraculo primæ Veritatis.

Gen. 25. Certè ſi à ſimili peti poteſt argumentum, Rebecca Iſaaco digna conjux, gemellos utero geſtabat, Eſaum, & Jacobum: & hi inter ſe luctari, colliditque ad invicem, & fortè pedem pede premere etiam in materno carcere: è quo tamen non illicò eos expulit bona mater; ſed tulit ad uſque partus

tempora, non ſine dolore ſummo, uterique anguſtiis,

Quod gemellis illis Rebecca; hoc piis juxta & impiis eſt Dei patientia, quæ & his, & illis mater eſt, & nimirùm quàm bona mater. Hæc utroſque uno complexa ſinu gerit ad uſque diem partus, hoc eſt judicii; & tum demum oſtendit, quis ſit Eſau, hoc eſt reprobus; quiſvè Jacob, id eſt electus.

Quod ſi ſic agit Deus naturæ parens, & vitæ, mortiſque arbiter; quidni & nos ſic agamus puſilli homunciones? juſtos, injuſtos; fideles, infideles; Catholicos, ac hæreticos uno quaſi ſinu foveamus. Et iſta hi pro ſua cauſa, contra quam tamen pugnat ratio, pugnat authoritas, exempláque virorum Principum, qui hæreticos è Domini campo, ceu zizania de medio tritici tolli, atque exſtirpari oportere cenſuerunt; ſi modò (quod ſolùm intendit Chriſtus) eradicari poſſunt, ſalvo ſemper tritico, hoc eſt juſtis, & fidelibus omninò ſalvis.

Non tolerandos.

Ut autem evincam iſtud, primùm rationes producam è D. Thoma Doctore Angelico: Deinde certabo authoritate D. Auguſtini, cui refragari ne unus omnium, ut velit, poſſit. Denique ad exemplorum fidem, imitationemque provocabo.

D. Thomas (qui Theologis eminet, ut volucribus Aquila) hanc olim in ſcholas immiſit quæſtionem. Eſſentnè infideles ad fidem amplectendam compellendi, non ſolùm rationum momentis (quæ vis eſt amica) ſed minis, ſed ſuppliciis, quæ inimica pleriſque violentia?

Ut huic quæſtioni faciat ſatis, infideles partitur in duas claſſes.

Una eſt eorum, qui nunquam fidem admiſerunt; ut Gentiles, ac Judæi. Altera eſt aliorum, qui cœlo propitio fidem aliquando induerunt; at poſtmodum inconſtantia ſua exuerunt; ut hæretici.

Primi generis homines cogendi non ſunt, ut fidem admittant: at ſecundi omninò ſunt adigendi, *ut impleant, quod promiſerunt, & teneant, quod ſemel ſuſceperunt.*

I. Probatur ratione.

Cauſam ſi voles, hanc reddit: *Sicut vovere eſt voluntatis, reddere autem neceſſitatis: ita accipere fidem eſt voluntatis; ſed tenere eam acceptam, eſt neceſſitatis: & ideò hæretici ſunt compellendi, ut fidem teneant.* Hæc Sanctus Doctor, qui hanc ipſam, de qua agimus ſententiam hauſit ex D. Auguſtino, qui variis in locis docet, etiam metu, etiam minis, etiam illata vi cogi poſſe, ut ad Chriſti fidem redeant, qui ab illa diſceſſerunt; revocat enim, quæ aliquando tenuerat: *cum hæreticis verbo agendum eſſe, diſputatione pugnandum, ratione vincendum.* revocat, inquam, &, ſi illis non cedat pertinax animus, vim adhibendam eſſe pronuntiat, vinculáque legum Imperialium: Et hoc exemplo ſuæ Civitatis, quæ *cum*, inquit, *tota eſſet in poteſtate Donati, ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium converſa eſt.*

Epiſt. 48. ad Vincentium.

II. Authoritate.

Quod ipſum fusè probat, confirmátque Epiſtolâ ad Bonifacium Comitem:

Ubi eſt, inquit, *quod iſti clamare conſueverunt: liberum eſt credere, vel non credere. Cui vim Chriſtus intulit; quem coëgit? Ecce habent Paulum Apoſtolum, agnoſcant in eo prius cogentem Chriſtum, & poſtea docentem: prius ferientem, & poſtea conſolantem.* Hæc ubi dixit, tum ſtupenti ſimilis ait:

Luc. c. 14.

Mirum eſt quomodo ille, qui pœna corporis ad Evangelium coactus intravit, plus aliis omnibus, qui ſolo verbo vocati ſunt, laboravit.

Poſtquam iſta de Paulo pronuntiavit Auguſtinus, tum illius exemplo id conficit: *Cur ergò non cogeret Eccleſia perditos filios ut redirent; ſi perditi filii coëgerint alios ut perirent?* Certè ſi ab his vis adhibetur ut intereat anima, & quidem malè: quidni inferatur ab illa etiam benè, ut vitæ, ſalutíque reddatur? Et ſanè inferri poſſe primò convincit Sanctus Doctor à ſimili; pertinere ſcilicet *ad diligentiam Paſtoralem, ut oves ſeductæ, ad ovile Dominicum (ſi reſiſtere voluerint) flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocentur;* quia ſcilicet *in iis Dominicus character agnoſcitur. Et ſic error corrigendus eſt ovis, ut non in ea corrumpatur ſignaculum Redemptoris.*

Probat deinde vel ipſo Servatoris ad ipſos mandato; olim enim juſſit *ad magnam cœnam prius adduci convivas, poſteà cogi. Nam cum ei ſervi reſpondiſſent: Domine factum eſt quod juſſiſti, & adhuc eſt locus. Exite,* inquit, *in vias, & ſepes, & quoſcumque inveneritis, cogite intrare. In illis ergò qui leniter primò adducti ſunt, completa eſt prior obedientia; in iis autem, qui coguntur, inobedientia coërcetur.* Hactenus Auguſtinus, è quo ſi quæſieris, qui ſint illi, qui coguntur; audies eos eſſe, *qui inveniuntur in viis, & ſepibus, id eſt in hæreſibus, & ſchiſmatibus: ii*, inquit, *coguntur intrare.* Neque verò *quia coguntur, reprehendant. ſed quò cogantur, attendant.* Ibidem.

III. Ex incommodis.

Sed pluſculum authoritati dedimus; concedamus aliquid, & rationi. Decet enim eſſe in omni Republicâ, adeóque etiam Chriſtianâ poteſtatem, qua ad officii ſui partes explendas, timore compellantur ii, quos eò non ducit ſano, promptáque voluntas: maximè verò ſi conniventia non tantùm illis damno ſit; ſed & aliis quoque ſcandalo, ac detrimento: at hæreticus, quiſquis is eſt, & ſibi cauſa eſt ruinæ, & aliis offendiculi, dum à fide recedit; igitur ad eam ut accedat, cogi poteſt, ac debet, & ſi renuat veluti noxium germen exſtirpari; veluti fermentum acidum, abjici; veluti ſcintilla quædam extingui, ne in immenſum excreſcat incendium. Et ne meis verbis minus tuta ſit fides, ad Divi Hieronymi authoritatem appello; ſic ille in iſtud Pauli: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Doctrina perverſa ab uno incipiens, vix duos aut tres primùm in exordio reperit auditores: ſed paulatim, ut Cancer, ſerpit in corpore; & juxta vulgare proverbium: Unius pecudis ſcabies totum commaculat gregem. Igitur & ſcintilla ſtatim ubi apparuerit extinguenda eſt, & fermentum a maſſa vicina ſemovendum: ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis ovium repellendum; ne tota domus, maſſa, corpus, & pecus ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereat. Arius in Alexandria una ſcintilla fuit: ſed quia ſtatim non oppreſſa eſt, totum orbem ejus flamma populata.*

Ad Galat. c. 5.

Quod de Ario dixit Hieronymus, hoc & de Luthero. Quanta enim ab unius excucullati vaporibus Ætna? Una ſcintilla fuit Lutherus; una & Calvinus. & quia non ſtatim oppreſſa eſt, ille Germaniam ferè totam; hic Galliam, Chriſtianiſſimum olim Regnum, inſtar edacis flammæ, eſt depopulatus: tantum intereſt ne totus ardeat Orbis, ut mox ſcintilla opprimatur.

IV. Ex Dei providentia per omnia ſæcula, Sanctos Hæreticis opponendo.

Inde factum autumo ut divina providentia, quæ Eccleſiæ ſuæ bono ſemper invigilat, ſtatim atque enata eſt hæreſis, unum aliquem excitârit, qui eam, quà voce, quà etiam ſcripto jugularet, ac veluti in cunis ipſis præfocaret. Lubet ire per ſæcula.

Primo ſæculo; imò prima quaſi aurora ſurgentis Eccleſiæ, in auras nequicquam reluctantes prodiit Simon, & Elymas Magus: deinde Alexander, Hymenæus, Phyletus, Cerinthus, Ebion, aliique non pauci: contra quos primò coactum Hieroſolymis Apoſtolorum Concilium, tum etiam excitati magni Pontifices, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Evariſtus: tum denique S. Dionyſius Areopagita, qui calamum in eos acuit.

Secundo ſæculo coorti Saturninus, Baſilides, Marcion, Valentinus, Tatianus, Gnoſtici, Encratitæ, Severiani, aliíque ejuſdem farinæ Hæretici: contra quos in Oriente ſurrexit S. Ignatius, Polycarpus, Juſtinus, Egeſippus, Irenæus: in Occidente verò Alexander Syxtus, Teleſphorus, Higinus, Anicetus, Eleutherius, Victor, aliique viri magni:

Tertio ſæculo vixere, Valeſiani, Novatiani, Manichæi, aliique quàm plurimi: in quos acriter calamum ſtrinxit in Oriente Clemens Alexandrinus, Ammonius, Origenes, Chriſoritus Neocæſareus, Dionyſius Alexandrinus, Proclus, Euſebius Alexandrinus, Methodius, aliique magnæ notæ viri. In Occidente autem Tertullianus, Calyxtus, Vrbanus, Minutius, Sixtus ſecundus Zenon Veronenſis, Victorinus Pictavienſis, Arnobius, & alii.

Quartum ſæculum hæretico ſpiritu ſeu afflatu peſtilenti infeſtêre Donatiſtæ, Meletiani, Anani, Marcelliani Macedoniani, Eudoxiani, Eunomiani, Meſſilienſes, Luciferiani, & alii ſexcenti, quos longum eſſet recenſere. In eos altiore ſpiritu, ſtyloque invecti D. Auguſtinus, D. Hieronymus, & præter illos in Oriente Petrus Diaconus, Didymus Alexandrinus, Ephrem, Baſilius, Apollinaris, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Nectarius, Evagrius. In Occidente autem Lactantius, Hilarius Pictavienſis, Euſebius Vercellenſis, Ambroſius, Damaſus, Prudentius, Fauſtinus, Ruffinus, & his ſimiles plurimi.

Quintum Sæculum vidêre Vigilantius, Pelagius, Neſtorius, Eutyches, Fauſtus, Iconoclaſtæ, aliique longè plurimi; contra quos in Oriente, non minus fortiter, quàm glorioſè depugnaverunt Cryſoſtomus, Sincſius, Cyrillus Alexandrinus, Iſidorus Peluſiota, Sozomenus, Theodoretus. In Occidente verò Auguſtinus, Hieronymus duo ſacri belli fulmina. Gaudentius, Arnobius, Cryſologus, Salvianus, Fulgentius, aliique.

Sextum Sæculum tulit Severum, à quo Severiani; Iacobum, à quo Iacobitæ; Iulium Epiſcopum Halicarnaſſeum, à quo Phantaſtici, & incorruptibiles, hominum monſtra, aut potiùs delirantium ſomnia: deinde Monotelitæ, aliique his nihilo meliores, adverſus quos in arenam proceſsêre in Oriente Andreas Cæſarienſis, Epiphanius Conſtantinopolitanus, Heſychius, Dorotheus, Joannes Climacus, Evagrius: in Occidente autem Primaſius, Caſſiodorus, Fortunatus, Gregorius Turonenſis, Gregorius Magnus præclara ſui ævi lumina.

Septimum Sæculum recenſuit Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, Bayram, & Sergium alterum: hunc Jacobitam; illum Arianum, quibus diſcipulus fuit Mahometes, mali ſcilicet corvi malum ovum. Deinde Armeniani, Charizinzarii, Lampetiani, aliique his affines, quos in Oriente impugnarunt Euſtathius Presbyter, Leontii duo; hic Neapolitanus, ille Byſantinus; Iſychius Hieroſolymitanus, Petrus Nicomedienſis: in Occidente verò Fauſtus Benedictinus, Leander, Hildefonſus, aliique multi.

Octavum Sæculum ſenſit immane pondus, cladem que Iconomachorum, Albanienſium, Concordenſium, & aliorum, quos prætereo, ne chartam onerem longa, infamique nominum ſerie, In quos valido impete incurrere in Oriente Germanus Conſtantinopolitanus, Ioannes Damaſcenus, Cæſarius: In Occidente autem Venerabilis Beda, Alcidius, Paulus Diaconus, Vſuardus, & præterea alii: quorum unus is fuit labor, ne radices ageret hæreſis, neve creſceret, ſed in ipſo ſtatim ortu extingueretur, Quod primis illis ſæculis Chriſto auſpice factum, hoc deinde poſteris ætatibus: ita in Albigenſes Dominicus; in Lutheranos venit Ignatius, duces omnino magni, fortunati vineæ Domini cultores, qui hæreſum zizania è medio tritici ſtatim evellerent, nec finerent creſcere uſque ad meſſem.

Etiam vim adhibendo. Sed hoc inquies calamo tentatum, non ferro; voce non flammis; diſputationum, rationumque momentis, non vi, manuque: ita quidem, nec abnuo id tibi primò concedi oportere, ô hæretice: at ſi illud non prodeſt, non revocat ab errore, non adducit ad ſanam mentem, vim admoveri poſſe contendo; & certè admovet etiam, licèt bona mater, Eccleſia, quæ ideò audit *ſuavis, & decora ſicut Hieruſalem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata*: primùm enim ſuavi oratione, ceu melle errantes ad ſe allicit, paſcitque; ſi modò allici, paſcique ſe patiantur: at ſi renuant, faciem mutat, blandæ matris perſonam deponit, ac formidandam bellatricis faciem induit, acies explicat, armaque exerit, quibus impetat, ſternatque adverſa ſibi, cœloque capita. Ex hoc genio magnæ matris Eccleſiæ erectum in Hiſpania acerrimum Tribunal Inquiſitionis, in quo primus omnium adverſus enaſcentes hæreſes Inquiſitor fuit S. Dominicus; & hoc quidem Summi Pontificis authoritate: itaque factum eſt peropportunè, ut hactenus ab hæreſi intacta ſteterit Hiſpania, ſervantque illibatam Petri fidem nullis unquam errorum contagiis vitiatam. Hunc morem, modumque ſi tenuiſſet Germania, ſi Gallia, aliæque paſſim regiones, non eam à religione, avitaque fide paſſæ fuiſſent defectionem: ſed feræ nimiùm querelæ, tritique gemitus: invaluit, & nimiùm quantum invaluit, ſeu Lutheri, ſeu Calvini perfidum dogma, atque in immenſum excrevêre ea zizania, dum in ortu ſuo non extirpantur. Ideoque author ſum, imò verò author eſt ipſe regius Vates, ut eradicentur etiam in primo germine, antequam adoleſcant: ſic enim monet illo pſalmi loco. *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viventes ſic in ira abſorbet eos.*

Cant. c. 6. v. 3.

Ludovic à Paramo l. 2. de Orig. Inquiſit.

Pſal 57. v. 10.

Hieronymus vertit: *Antequam creſcant ſpinæ veſtræ in rhamnum*, hoc eſt (ut rectè Interpretes) ſpina falſæ doctrinæ evellatur, priuſquam creſcat in rhamnum: ſpina cùm primùm enaſcitur, herba eſt, mollis eſt, necdùmque horreſcit in ſpicula, ideóque tollere eam potes ſine punctione, ſine vulnere: at ſi aſſurgat in rhamnum, ſpinoſúmque fruticem; tum & dureſcit, & armatus aculeis, evellentis digitos malè pungit, ac fœdè cruentat. Quod ſpina, rhamnuſque; hoc & ipſa hæreſis: in ortu ſuo, primóque germine mollis eſt, evelli, extirparique poteſt ſine vulnere, ſine cæde: At ſi lapſu temporis, ſi Prælatorum conniventia vires ſumat, ſi creſcat in rhamnum, tum non eradicatur niſi vi ſummâ, largoque ſanguine. Proindéque ut abeam ab hac metaphora, & ad aliam accedam; imitemur pias mulieres, quæ *valdè mane una Sabbathorum venerunt ad monumentum, ut ungerent* JESUM.

Marci c. 16. v. 2.

Ecce, inquit Bernardus. *Chriſtus in ſepulchro, fides mortua eſt in animo, quid faciemus ei? Quid fecerunt ſanctæ mulieres, quæ ſolæ ex omnibus ſuis ampliori tenebantur affectu? Emerunt aromata ut venientes ungerent* JESUM. *Nunquam ut ſuſcitarent? Et nos ſcimus fratres, quia ſuſcitare noſtrum non eſt; ſed ungere nobis incumbit: cur hoc? Nempe ne fœteat, qui hujuſmodi eſt, ne ſit cæteris odor mortis.*

Serm. 2. de reſurr.

Videmus fratrem, cui ab errore, & hæreſi mortua eſt in animo fides: accedamus ad eum antequam putreſcat, & immani graveolentia alios inficiat; accedamus, inquam, *valdè mane*, hoc eſt in ortu, primiſque initiis, & ſi ſuſcitare, ſi vitæ gratiæ reddere non poſſimus, (quod altioris eſt, ac divinæ potentiæ) at ſaltem ungamus (hoc eſt) id efficiamus, ne aliis quoque fœteat, qui ſibi malè olet; névê cæteris ſit odor mortis, dum eos peſtilenti hæreſeos afflat aurâ.

Neque porrò eſt quod nobis obtrudat unus aliquis de Eſau & Jacobo, quos ad partus diem, horámque tulit mater, nec utero ſtatim emiſit, licèt eam luctantes inter ſe gemelli, propè diſcerperent: etſi enim in hoc, veluti figurâ quadam, adumbrari poſſit inſignis aliqua Dei patientia, quâ infideles fidelibus, malos bonis permixtos vivere ſinit: non tamen hæreticos cum Catholicis miſceri, tolerarique

poſſe conficies: horum quippe & illorum omninò diſpar eſt ratio, ut liquet ex iis, quæ pro hæreſi ſtatim exſtirpanda protulimus.

Quæ vincula?

Venio ad ſecundam quæſtionem initio propoſitam; ſic enim adminiſtros ſuos ſupremus agricola: *Ligate ea* (nempe zizania) *in faſciculos*. Duo hîc innuit, quæ ad pœnam faciunt, & quidem æternam. Primum eſt, *ligate*; meritò ligantur damnati, quibus æternùm adempta facultas benè merendi.

Agitè ergo, vos divinæ Juſtitiæ adminiſtri: *ligate* linguas, quæ olim ad calumnias, ad probra, ad blaſphemas voces explicatæ.

Ligate manus, quæ pronæ in malum, quæ in attactus impudoratos nimiùm præcipites. *Ligate* manus veloces ad effundendum ſanguinem. *Ligate* pedes in choreas, & tripudia ſolutos, ac diſſolutos in malum, in quod ierunt celeri curſu: *Ligate*, colligate oculorum orbes & palpebras, quæ olim in objecta levia, vana, atque impudica apertæ, & nunquam non patentes.

Ligate aurium anſas, quæ ad hauriendos Sirenum cantus, mundi lenocinia, & malè ſanas lenonum voces expanſæ ſemper fuerunt, atque obviæ: *Ligate* denique membra omnia, quæ perdito peccatori fuerunt arma iniquitatis, quibus cœlum impeteret, quæ inſtrumenta malitiæ, quibus ſibi longam peccatorum ſeriem texeret, telámque perditionis.

l. 9 *Moral.* c. 39.

Ligate, inquam, *in faſciculos*, hoc eſt, interprete D. Gregorio: *Pares cum paribus ſociate, Rapaces cum rapacibus, fornicarios cum fornicariis; ut quos ſimilis culpa inquinat, par pœna conſtringat*, ait Auguſtinus.

Serm. 39. *de Sanct.*

In hoc Evãg.

Sed qui, inquies, faſciculi? Hic eſt nodus quæſtionis, quem ſolvet S. Vincentius Ferrarienſis, nobile decus Dominicanæ familiæ. hic, ea quâ ſolet ſimplici quidem, ac parata; ſed nervoſâ, & piâ eloquentiâ, *faſciculos* omnes, quos capient ignes æterni, ad decem revocat.

Qui faſciculi?

Primus faſciculus eſt perditorum Principum; qui concredita ſibi regna, populoſque malis artibus oppreſſerunt.

Secundus eſt Præſulum Eccleſiæ, qui commiſſos ſibi greges quà verbo, quà exemplo non paverunt: ſed potiùs & hoc, & illo malè perdiderunt.

Tertius eſt Religioſorum, quibus tonſura tantùm fuit, & habitus; & ſub his irreligioſus animus.

Quartus Monialium, quas nec clauſtra, nec regulæ continere potuerunt in officio, legibuſque juratæ Deo caſtitatis.

Quintus Sacerdotum, qui etiam inter aras, & ſacra, profani fuerunt, impudici, atque impii.

Sextus Judicum, atque Advocatorum, quibus auro mens gravis, excæcati oculi, rapaces manus, injuſta judicia, & ſtatera doloſa.

Septimus avaros claudit, latrunculos, & lucri plùs æquò amantes, cum immani aliorum jactura.

Octavus iracundos continet, elatæque cervicis homines, quibus prona in cædes manus, ac ferrum.

Nonus conſtringit eos omnes, qui in illicitas voluptates effuſi, ſeſe iis olim totos fœdè manciparunt.

Denique decimus mirùm quantùm coarctat puellas, fœminas, quæ nimiæ fuerint in cultu corporis, mundo muliebri cum inſana putidæ carnis cura, ornatúque immodico. Et hi ſunt faſciculi, de quibus magiſter optimus, qui ut explicentur magis, ſimúlque explicetur ea damnatorum pœna; expendentur ſingula Evangeliſtæ verba; ſuum enim illis eſt pondus. Sic olim Dominus meſſoribus:

Colligite zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum.

D. Greg. l. 4. *Dialog.* c. 15.

Meſſores ſunt *Angeli*; *zizania* reprobi. Ligantur hi omni modo.

Primò ligatur corpus quod fuit infame domicilium, imò carcer infœlicis animulæ: ſic, inquam, ligatur ut iners ſit, ac ſtupidum; expers ſcilicet omnis motus: nec illi pes, nec manus, nec oculus moveri poteſt: ita tormentorum vinculis illigatur, quæ ſi ſubinde ferrea eſſe voles, non abnuo: Sic illigatus apparuit olim Udo Magdeburgenſis Archiepiſcopus.

Ligatur anima hoſpes olim mali corporis, quia in tota quanta quanta eſt æternitate nihil unquam concipere boni, nihil meditari, nihil operari poterit. Et hæc ſunt prima vincula, injecta corpori, & animæ: ſed ab his etiam alia, eáque forte graviora.

D. Gregor. ſuprà.

Ligantur enim in faſciculos, ut ſcilicet *pares cum paribus, ſuperbi cum ſuperbis, luxurioſi cum luxurioſis, avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant*. Et hoc tormenti genus longè maximum.

Quis faſciculi minores?

Primò propter immanem fœtorem, & graveolentiam corporum ſic inter ſe colligatorum: quod facilè concipies ex iis, quæ aliquando viſa in hoc orbe aſpectabili.

Quis inde fœtor?

Machab. c. 9. v. 12.

Rex Antiochus cùm undique ſcateret vermibus, ita fœtebat infœlix, ut omnis exercitus hanc narium peſtem extremè averſaretur: imò (quod divina oracula teſtantur) ſuum ipſe fœtorem ferre non poſſet. Quî tuliſſet parem, imò majorem aliorum graveolentiam?

Mezentius Rex Tyrrhenus Antiocho non impar, hominum Divúmque contemptor, eò ingenioſæ crudelitatis progreſſus eſt, ut plurimos, non ferro, non cruce, non igne; ſed fœtore è medio tolleret. Nam homini mortuo jámque tabeſcenti vivum colligabat, dum vivus aſtricti cadaveris fœtore extingueretur. De quo ita Virgilius:

L. 8. *Æneid.*

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibuſq; manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus!) & ſanie, taboque fluentes
Complexu in miſero longâ ſic morte necabat.

Immane profectò ſupplicium, & immanius quò lentius: ſed quid ad inferorum ſupplicia? Quid ad fœtorem, & graveolentiam, quam ſecum afferent tot damnatorum corpora in faſciculos ita colligata?

Certè ſi verum illud, quod D. Bonaventura dicere auſus eſt: *Si vel unius damnati cadaver in Orbe hoc noſtro ſit, Orbem totum ab eo inficiendum*. quomodo ſeſe mutuo inficient innumera damnatorum corpora ſic compacta? quam mephitim exhalabunt, non ad paucos dies; ſed in omnem æternitatem?

Quis ardor?

Et hoc primùm eſt tormenti genus, quod inde fluet; alterum erit ardor incomprehenſibilis ex mutuo illo corporum ignitorum inter ſe nexu; qualis eſſe ſolet carbonum ardentium, qui quò arctius ſibi invicem junguntur, eò magis ſeſe incendunt: ſic & ſe incendent damnatorum Corpora in faſciculos alligata.

Quod ipſum alia ſimilitudine exponit Nahum propheta; qui zizania noſtra alligata in faſciculos componit cum ſpinarum faſciculis, qui maligna ſterilitate damnati, atque aridi toti mox ignem concipiunt, atque ardent; & eò quidem citius, ac vehementius, quò arctius inter ſe nectuntur, atque implicantur.

Cap. 1. v. 10.

Sicut ſpinæ, inquit, *ſe invicem complectuntur: ſic convivium eorum pariter potantium, conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena.*

Convivium dicit *pariter potantium*: ecce ut ſcelere pares, & inter ſe connexi: vide ut etiam ſupplicio: *ſicut ſpinæ ſe invicem complectuntur*. Quid inde? *Et conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena.*

Quis faſciculus maximus?

Nempè zizania, id eſt damnatorum corpora alligata in alios, atque alios minores faſciculos; qui deinde in majorem, hoc eſt in immanem, atque immenſum colligabuntur velut in faſcem unum, de quo ſic olim Iſaias.

C. 24. v. 22. In igneo lacu.

Congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere. Quis ille lacus? quis carcer?

Digitized by Google

De perfect. Divin. l. 13. c. 24. carcer? De hoc, & illo multi multa; ego pauca ex P. Leſſio.

Inferni carcer eſt in medio terræ vaſta quædam cavitas, cujus diameter unius leucæ, ſeu quatuor milliarium italicorum, hoc eſt pedum viginti millium; ambitus verò leucarum trium: quam cavitatem facta ſupputatione, ait capere poſſe plusquam *In inferno.* octingenta millia millionum corporum: etſi ſingulis darentur ſex pedes in quadrum. Et hæc cavitas, inquit, abundè ſufficit capiendis damnatorum omnium corporibus, cùm certum videatur, facta ſubductione, non futuros centies mille milliones.

Addit tamen, quia ibidem & ingens ſtagnum ignis ac ſulphuris & præterea dæmones omnes ignitis corporibus includentur, futuram fortè capaciorem. Hinc ait, ſit ergo illius diameter duarum leucarum, ſeu octo milliarium italicorum; tunc ſuperficies concava ambiens infernum erit ſex leucarum; in medio illius ſtagnum ignis, & ſulphuris, niſi malis (quod vero ſimilius) toto inferno circumfuſum.

Verùm ut ut ſit; res enim illa mulus in occulto: at omnibus in aperto eſt iſtud, *zizania* primum *Quis ibi ignis?* *alligata in faſciculos* minores: deinde in unicum longè maximum; hoc igneo ſtagno immergi oportere. Et hoc

Ad comburendum ſcilicet igne (qui Romano ſcriptori *ſuppliciorum ultimum*) & inferni quidem, qui *Curtius l. 6. c. 12.* Divo Auguſtino verus, cùm noſter præ illo pictus videatur. Ne in eum aliquando veniamus, memori mente inſcribamus illud, quod olim Judæi ſuis tumbis:

Anima noſtra ſit in faſciculo viventium.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

DIVINA Providentia, quæ creatis in rebus ludere amat, abjectáque humo tollere, à parvis orditur, & ea, quæ humano ſenſu, ac judicio ſumma videntur, minimis æquare conſuevit: fortè quia tam in parvis, quàm in magnis, nunquam non magnus, nunquam non mirabilis eſt Deus: fortè etiam ut humanæ inſolentiæ, ac ſuperbiæ modum aliquem poneret, medelam faceret, doceretque divino quodam conſilio ad magna perveniri non poſſe, niſi à minimis inceperis. Eò certè mihi ſpectare videtur ea parabola: *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* Quid altius, quid ſublimius cœlo videri poteſt? Quid abjectius, quid humilius, grano ſinapis? Quid regno clarius, quid illuſtrius obtineri poteſt? Quid vilius, quid contemptibilius grano ſinapis? & tamen teſte, ac magiſtra Dei ſapientia, *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* Paradoxum videri potuit; & tamen eſt primæ Veritatis oraculum: ſub quo, quæ lateant, per pauculas quæſtiones evolvemus.

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* Matth. c. 13. verſ. 31.

QVOD ILLVD GRANVM SINAPIS?

Quod granum ſinapis? SANCTI Patres in diverſas diſcedunt, ſcinduntúrque ſententias.

Can. 13. D. Hilario granum ſinapis, eſt pauperculus, humiliſque Christus, qui primùm Virginis utero, ſeu novo,

I. Chriſtus. fertiliſque commiſſus eſt ſolo; deinde etiam à morte ſepulchro datus: tum denique ab hoc, vitæ redditus velut in magnam excrevit arborem, ab affuſa corpori, animóque gloria, & fama longè latèque ſparſa ramorum in morem, modúmque.

Lib. 19. Moral. c. 11. *Ipſe* Chriſtus *granum eſt ſinapis, qui in horti ſepultura plantatus, arbor magna ſurrexit; granum namque fuit cùm moreretur; arbor cùm reſurgeret. granum per humilitatem carnis; arbor per potentiam Majeſtatis,* inquit D. Gregorius.

D. Hieronymo, granum ſinapis eſt Evangelium *II.* ſeu doctrina Evangelica, quæ humanis mentibus, *Evãgelium.* ceu terræ inſita ſeminis inſtar, ramos, id eſt, virtutes, earúmque fructus diffundit, & imbuta cœleſti rore, ingentia capit incrementa.

D. Chryſoſtomo, granum ſinapis eſt Eccleſia, *III.* quæ parva fuit in cunis, & inſtar ſeminis: ſed eva- *Eccleſia.* ſit tandem in proceram arborem; in cujus ramis volucres Cœli, hoc eſt præcelſæ mentes habitent, & nidum ponant: vel ſi mavis, dic arborem Eccleſiam, & ramos eſſe Sanctos. Ut enim ſcitè D. *Serm. 39. de Sanctis.* Auguſtinus: *Ramus eſt Petrus, ramus eſt Paulus, ramus eſt B. Laurentius, rami ſunt omnes Apoſtoli, vel Martyres.* Amplius aliquid adjicit D. Ambroſius, quo judice granum ſinapis, ſunt Martyres, qui dum ſuppli-

 cis,

cis, dum ferro teruntur, vim ſuam exerunt. Granum *ſinapis*, inquit S. Præſul, *Martyres noſtri ſunt: habebant odorem fidei, ſed latebant: venit perſecutio; arma poſuerunt, colla flexerunt, contriti gladio per totius terminos mundi, gratiam ſui ſpiravêre Martyrii.*

Lib. 7 in c. 13 Luc.

Quod de Martyribus generatim dictum eſſe voluit; hoc ſpeciatim de D, Laurentio; ſic enim illum cum grano ſinapis compoſuit: *Granum ſinapis cùm teritur, accenditur; Laurentius cùm patitur, inflammatur; illud fervorem attritionis ſuæ evomit; hic ignem plurima vexatione ſuſpirat.*

Serm. 1 de grano ſinapis.

IV. Chriſtianus.

Theophylactus aliò mentem, ſententiámque vertit, cenſetque grano ſinapis, velut illuſtri ſymbolo, notari Chriſtianum quemlibet; qui licèt ab inſigni animi demiſſione ſit minimus, à gratia tamen, caritate, cæteríſque virtutum ornamentis, eſt longè maximus, ut præclarè oſtendit Tertullianus; ubi diſcrimen ponit Philoſophum inter & Chriſtianum. *Philoſophus*, inquit, *eſt diſcipulus Græciæ: Chriſtianus cœli, id eſt Eccleſiæ. Philoſophus famæ negotiator; Chriſtianus vitæ: Philoſophus verborum; Chriſtianus factorum operator:* Et hoc in minimo eſt eſſe maximum, ut inter ſemina granum ſinapi. De quo hæc eſt opinionum inter ſe pugna, à qua ut iis inſiſtam, quæ ad mores conducunt, fidem, doctrinámque Evangelicam cum ſinapi paucis componam.

In Apolog.

Granum ſinapis magnum eſt; non ſpecie, ſed virtute, inquit D. Auguſtinus: *Prima fronte ſpeciei ſuæ parvum eſt, vile, deſpectum, non ſaporem præſtans, non odorem circumferens, non indicans ſuavitatem: at ubi teri cœperit, ſtatim odorem ſuum fundit, acrimoniam exhibet, cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto caloris fervore ſuccenditur, ut mirum ſit in eo tantum ignis fuiſſe concluſum.*

Serm. 31. de Sanctis.

Sic & fides, doctrináque *Chriſtiana; prima fronte videtur eſſe parva, vilis, & tenuis, non potentiam ſuam oſtendens, non ſuperbiam præferens, non gratiam ſubminiſtrans: at ubi diverſis tentationibus teri cœperit, ſtatim vigorem ſuum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominicæ credulitatis aſpirat, & tanto divini ignis ardore jactatur, ut & ipſa ferveat, & participantes ſibi ardere compellat.*

Comparatio fidei cum grano ſinapis.

Primùm igitur in quo cum ſinapi fides, doctrináque Evangelica convenit, eſt illud: quod & hæc, & illud externa quidem ſpecie parvum ſit; at interna vi longè maximum.

Caliphus Rex Tartarorum religionis noſtræ juratus hoſtis, eam finibus de ſuis exterminare dum parat, hoc ab uno de ſuis conſilium accipit, ut è Scripturis id peteret argumenti, cui vel cedere cogerentur Chriſtiani, vel aperti mendacii arguerentur is, quem ipſi pro Deo colere, ac venerari cœpiſſent. Fuit autem id argumenti genus, hauſtum ex eo loco: *Si habueritis fidem ut granum ſinapis, dicetis monti huic; tranſi hinc illuc, & tranſibit.*

I. In virtute miraculorum.

Convocat ergò Chriſtianos omnes toto regno ſparſos, tum ex illis quærit: Num ea ſint Chriſti verba, ea Scripturæ authoritas, cui & tuta fides haberi poſſit, & illibata, inconcuſſáque veritas attribui? Cui cùm annuiſſent omnes; tum eis hunc è ſacris paginis locum edueit, velut potens omninò telum, quo peti, ſternique poſſent; ſic enim ad illos: Agite, inquit, & ſi quo poteſtis modo, ſatagite, ut verbis facta conſentiant, & re probetur ipſa, quod Scripturâ teſte probatur. Fidem habetis ut granum ſinapis, ea probè inſtructi dicite monti, ut ſeſe transferat in mare, ut loco cedat lapidea moles, & aliò ſi vultis avolet: ea quippe fides eſt veſtra, quæ etiam ſaxis, & montibus alas addat, quæque rupes ingentes, ſub quibus, & gemit, & fatiſcit terra, quò volet, vel unâ voculâ, tranſportet.

In Speculo Exempl. diſtinct. 979. §. 145.

Ad id moliendum dies vobis decem, nec plures aſſigno. Iis exactis niſi fidem dictis ipſa faciat experientia, ferro ultrici omnes, fatóque cedetis; ſic enim malè perire decet, qui verbis mendacibus nobis illudunt quàm peſſimè.

Hæc ad Chriſtianos Rex barbarus, à quo ubi illi diſceſſêre; de præſulum ſuorum conſilio, juſſúque tridui jejunium ſibi indixêre, & ſtatas frequenti concione preces; tum dicto die ad Regem reverſi ſunt, & ſpe pleni, Deoque freti, unum è ſuis aliquem in medium agmen produxêre, qui Omnipotentis nomine, præcelſo, arduóque monti imperaret, ut illicò locum, & ſedem mutaret. Mirum dictu, viſúque! vocem imperantis mons audit, & paruit; locum, ſedémque mutavit non ſine inſigni miraculo, Barbari principis ſtupore, & Chriſtianorum omnium, qui aderant, lætitia, plauſúque cæterorum.

Quod Tartari, hoc priùs Judæi, qui invidia tabeſcentes Regi Babyloniæ authores fuerunt, ut Chriſtianis optionem hanc daret, nempe aut reipſa montem transferrent, aut fidem ſuis pollicitationibus imparem ejurarent, utique plectendi omnes capite niſi alterutrum præſtarent.

Injunctum id fuit Epiſcopo *Theritiæ*, atque is animi anxius publicas preces indixit, apparuitque ei cœleſtis nuntius, qui ad hoc prodigium repræſentandum peridoneum fore ait *Aniani fidem*. Erat is D. *Marci* diſcipulus, cui & ſucceſſit in Alexandrina ſede.

Petrus de Natali in Catalog. Sanctorum l. 9. c. 19.

Accerſitur ille, & fit conſcius deſtinationis divinæ, ac reipſa imperat monti, ut aliò immigraret, viſúſque eſt progredi verſus Babylonem quaſi navis eſſet, quæ undis movetur, & aura. Quin imò debuit ſiſti etiam ejuſdem imperio, ne ſi ire pergeret, civitatem mole ſua invaderet, obtueretque. Eo prodigio permotus Babyloniæ Rex ad Chriſtianam religionem acceſſit.

Quod Judæi quondam, hoc & Saraceni, qui & ipſi aliquando Chriſtianos adegere, ut vel montem ſitum juxta Taurifii urbem protruderent aliò, vel ſecus, fierent Mahumetani, aut gladio perirent. Et tum etiam vir inſigniter pius juſſit montem loco excedere, ac lucratus eſt Chriſto Saracenos complures.

Paulus Venetus de regione Orient. lib. 1. c. 18.

Tanta nimirum grano ſinapis, hoc eſt, fidei vis ineſt, etiam in corpora, ſenſus, animæque expertia; at longè major in animos maximè elatos, & qui ſuperba mente, cedrino vertice cœlis minari videntur: hos enim quatit, & ſternit inſita Chriſti fides, doctrináque Evangelica, etiam ore piſcatorum prolata.

Teſtes erunt tot Reges, & Cæſares, quos priſca tulit ætas, & religioni Catholicæ ſubmiſit. Et hoc, in quo primùm, cum grano ſinapis, fides conſentit.

II. In acrimonia, id eſt Pœnitentiæ lacrymis.

Alterum eſt, quòd granum ſinapis acre ſit, & mordax, & lacrymas ciet. Hinc illud Poëtæ:

Segne laceſſenti fletum factura ſinapis.

Et hoc Comici:

Teritur ſinapis ſcelerata, cùm illis qui terunt,
Priuſquam triverint, oculi ut extillent, facit.

Et tale primis labellis ſentitur Dei verbum; animum illud pungit, fodicat, lancinátque: ſed ut ex eo lacrymas eliciat, pœnitentiæ teſtes, prodromoſque, imò & ſponſores vitæ melioris, adeptæque penitùs ſanitatis, non ejus, quæ corpus, ſed quæ mentem afficit. *Amaritudo* enim *ſermonum, medicina eſt animorum*, ut inquit D. Auguſtinus.

Serm. 31. de Sanct.

Et inde factum autumo, ut Servator optimus, qui & corpora curare venerat, & animos; ab ægris fidem ſemper exegerit; hinc enim toties inculcatum illud: *Credis, ſi potes credere, fides tua te ſalvum fecit*, quia ut rectè D. Ambroſius: *Vbi fides integra, ibi cunctorum eſt medicina.*

III. In animorum curatione.

Eſt præterea ſinapi princeps ſemen, quod caput petit, in cerebrum evadit, & ſternutamentis purgat, elicítque pituitam, qua abundabat improbè: *Et fides eſt origo juſtitiæ, ſanctitatis caput, devotionis principium,*

Serm. de Fide.

religionis

religionis ſundamentum; nullus unquam ſine hac Dominum promeruit, nullus ſine illa faſtigium ſublimitatis aſcendit, ut ſcitè notat Divus Chryſoſtomus. Nimirum fides in homine ubi caput (ceu mentis aut rationis arcem) occuparit, innata quadam vi; ſic evehit in ſublime, ut ex altiori contemplatione (ceu ſpecula quadam) res omnes inferiores deſpiciat, & ea quæ in hoc orbe aſpectabili ingentia, cœlóque minantia videbantur, ut abjecta, minimáque, fortunato pede conculcet. Sic palatia, turrtáſque moles, tiaras, Infulas, diademata, purpuras, regna, imperiáque contemnit, à fide terris, & humanis omnibus elatior animus: & hic eſt unus Chriſtianæ inſtitutionis effectus, qui ex altero dimanat.

Intellectum illuminando.

Si cerebrum humore aliquo craſſiore, & noxio, repleri contigerit; ſinapi admovetur, & in illius officinas ſubintrans, ſternutationem creat, & nebulas quibus involvi videbatur diſſolvit, ac ſerenitati quodammodo reddit. Quod cerebro vitium eſt ab exundantia pituitæ; hoc & humanæ menti, ſeu ab ignorantia, ſeu ab errorum nube malum eſt. Verùm ut à ſinapi tollitur iſtud, ſic & hoc à fide. Ut enim pulchrè Cyrillus Hieroſolymitanus:

Catech. 5.

Oculus illuminans conſcientiam eſt fides, hac diſſipantur denſiores errorum tenebræ, & tetra ignorantiæ nox, quæ menti incumbebat. Ita quondam, & hæc, & illæ diſſipatæ ſunt in Hemorrhoiſſa, cui (ut ait Tertullianus) *fides contulerat intellectum*, quem infidelitas abſtuliſſe videbatur.

Lib. 4. contra Marcion.

Sed & aliud à ſinapi homini commodum eſt; ſua quippe acrimonia, & ignea quadam vi linguam vellicat, palatum proritat ad gulam, & languenti, dejectóque ſtomacho medetur. Quod illis ſinapi, hoc & animæ fides: ſæpè ſæpiùs languet illa, nec ea, quæ Dei ſunt, ſapit, nec injectum verbi divini pabulum concoquit, niſi accedat fides, quæ primùm linguam deterat; deinde palatum acuat ad guſtum aliquem divinorum; denique calorem (hoc eſt languentem in homine caritatem) excitet, vel admota luce expectandæ beatitatis, vel injecta face timendæ damnationis. Et hinc alius mihi proponitur à fide fructus. Quod ſcilicet, ab illa (ceu modico ſemine, ceu grano ſinapi) ingens omninò aſſurgat arbor, cujus tot ſunt virtutes, quot rami: ramus eſt ſpes ardua; ramus caritas accenſa: ramus æqui tenax juſtitia; ramus in egenos beneficentia, aliæque à fide, quaſi ſemine, radices ducunt, & magnà ſumunt incrementa; ut enim Clementis Alexandrini verbis utar, *præcedit fides, timor ædificat, perficit dilectio*. Et hi ſunt fidei proventus, quos alia ſimilitudine uſus explicat D. Auguſtinus; componit enim fidelem cum domo Dei: tum etiam, de illa ſic Chriſtianè philoſophatur: *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.*

Voluntatem accendendo.

Virtutes inſerendo.

Serm. 22. de Verbis Apoſtol.

Ita divina miſeratio in adoleſcente propè deplorato fidem primùm fundavit; deinde ſpem erexit; denique caritatem perfecit, aliáſque virtutes infudit hujus comites, ac pediſſequas.

Quod probatur illuſtri exemplo.

Erat Toloſæ adoleſcens non infimæ ſortis, qui cùm incidiſſet in ſocios plus æquo liberiores, ac propè atheos, ex frequenti eorum congreſſu, ac ſermonibus, & ipſe ferè in atheiſmum incidit; priùs tamen, quàm eò devolveretur amentiæ, experiri voluit, num aliquod in cœlis Numen, & mens altior, quæ humanis rebus invigilaret. Fuit autem experimentum novum planè, atque inſolens. Adultâ æſtate, ſoleque ad veſperam inclinante Toloſâ egreditur, & ſolus ſine teſte, ſine arbitro in aperta virentis prati planitie, pileum deponit, chlamydem exuit, gladium ſtringit, nudátque ferrum quaſi ſingulari certamine hoſtem petiturus. Sed quis inquies ille? Mirum profectò, Deus eſt, & ſummum in cœlis Numen. Hoc ferro, hoc lingua petitur: Ait enim furiis adactus adoleſcens. Agè ſi quod in infimis, ſi quod in ſupremis es Numen, erumpe in campum, te mihi ſiſte, mecum certa, mecum congredere; tum verò eſſe te credam ac fatebor lubens.

P. Barr. in A. Sancto. P. 4. c. 5.

Hæ fuere voces impiæ, blaſphemæ, atque inſanæ, ad quas dum non comparet, dum non venit ſub oculos, quod ſenſum effugit Numen, totus in furias abit adoleſcens, Superis inſultat improbè, & quantus quantus eſt inſanit. Quid hic expectes amice Lector? an ut terra dehiſcat? an ut cœlum tonet, vibrétque fulmina in noxium caput?

Ita ſanè factum oportuit, ſi ſcelus attendas; at ſecus omninò ſi Dei miſerentis leges. Secundùm has apertum illicò cœlum, & ex eo viſum delabi folium candicantis papyri; crederes eſſe litteras è cœleſti ſede demiſſas. Et certè fuerunt ejuſmodi. Quid igitur hic adoleſcens? Dum in æthera tollit oculos, ecce in eos incurrit charta miri candoris, labitur illa ſenſim, ut ſolet aqueum vellus; ubi terram attigit, eam manu prenſat, arripit, explicat, evolvit, legit: Erant in ea cœleſtibus typis, charactere aureo, divina manu impreſſæ dumtaxat hæ voces *Miſerere mei Deus.*

Eas ut vidit, legítque; tum moneri ſe ſenſit, Deum eſſe in quem crederet, in quo ſperaret, quem diligeret, & à quo delicti veniam expectaret. Quid deinde? Totus abit à ſeipſo, totúſque in Deum ſuum. Cœleſtes illas litteras ori apprimit, oſculatur, genua ponit, in lacrymas funditur, ſolvitur in gemitus, in lamenta pœnitentis animæ; in quæ nox ſequens quanta quanta fuit inſumpta fuit. Ubi mane luci redditus, ac Deo ſuo, advolavit illicò ad Societatis noſtræ Collegium, rem totam uni è noſtris explicuit, peractáque exomologeſi, vitam meliorem inſtituit fide plenus, ſpe fretus, caritate totus igneus.

Spectaſti, Amice Lector, in hoc adoleſcente divinæ miſerationis prodigium, ſpecta & in altero.

In Americâ provincia eſt, quæ dicitur *Mocoa*. In hac Adoleſcens erat genere nobilis: at moribus ignobilis, ut qui impudicis amoribus cum nova quadam Dalila irretitus eſſet. Solebat ille quidem ſacramenta uſurpare, ſed ſpecie tenus, & oſcitabundè; imò & ſacrilegè, vel hoc ſolo nomine, ut ſibi de Sacramentorum uſurpatione blandiretur.

Sæpè interno inſtinctu commoveri ſeſe ſentiebat, ut apud Patrem aliquem de Societate peccatorum onus deponeret: ſæpè etiam agitabatur conſcientiæ ſtimulis; ſubinde etiam cœleſti luce, luce, inquam, fidei, illuſtrabatur: & hinc mortis horrorem, judicii divini terrores, & minas ſpectabat, inde æternitatis abyſſum: & hæc erant ad vitam meliorem incitamenta; ad quæ ſurdus, & ſaxeus Dalilam illam, perpetuum ac domeſticum lubricæ inſaniæ invitamentum, fovebat, nec à ſe dimittere poterat.

In hac mentis cœcitate, & obduratione quadam voluntatis, interlucebant tamen ſubinde & aliqui divinæ lucis radii, quos inter & hic affulſit.

Annua Viceprovincia Quitenſis in America.

Dum ſeſe in campum confert ſudo & amœno cœlo, hæc illi divinitùs injecta cogitatio: Certè poteſt me jacto è cœlo fulmine Deus morte hic plectere, atque ab hac vita ſic derepentè avulſum infœlici æternitati tradere, & toties vocanti rebellem, æternis ignibus addicere.

Iſta cogitantem, ecce cœli aliàs ſereni, & tranquilli, moxque mutati tumultus & fragor, & cum fragore vibratum fulmen, etſi non trucidarit, aut ſauciaverit, pone tamen cadentem conterruit, atque ad ſaniores cogitationes, & conſilia vertit. Miratus enim, atque adorans Dei tamdiu à ſe contempti patientiam, ad noſtros Patres illicò accurrit, ad genua Confeſſarii accidit, & omnia veri pœnitentis officia cumulatè peregit; pellicemque procul à ſe, procul à domo eſſe juſſit.

Ecce qui à grano ſinapi fructus, qui à modico ſemine, hoc eſt fide, proventus. Primùm ad vitæ in melius mutationem vis longè maxima. Tum etiam uberes lacrymæ: tum urens, ac fodicans dolor, & pœnitentis animæ amanties: tum lux magna, quæ cerebrum intelligentiæ ſedem petit, atque illuminat: tum denique vitiorum omnium, ceu pravi humoris expurgatio, & perfecta animæ ſanitas, ſalúsque æterna; ad quam quiſquis aſpiras, fidem in te excita, atque exacue.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* v. 31.
CUR REGNUM COELORUM, QUOD SUMMUM EST, grano ſinapis, quod minimum eſt, componatur?

Prima Ratio ex Dei genio.

DE hoc argumento nonnulla attigimus quæſtione ſuperiori, eáque ferè ad ſenſum litteralem ſpectantia; modò pauca ſubnectemus, quæ liquidò oſtendant quantum interſit, inter Dei ter Opt. ter Max. molimina, & puſilli homuncionis, imò & mundi hujus opera; inter quæ hoc eſt diſcrimen: quòd ille à minimis ordiatur, & in magnis deſinat; contrà hic à magnis incipere videatur tibi, & in minimis reipſa terminetur. Exempla demus, quibus & pateſiat ea veritas, & ſimul intelligatur, quàm rectè regnum cœlorum grano ſinapis comparetur.

Homo à magnis ad minima Probatur:

I. In gygantibus. Gen. c. 11.

Gigantes illi in Scripturis adeò nominati inſano auſu, ſtultóque labore cœperunt extruere turrim Babel, opus excelſum, arduúmque, quod ſuperbo vertice cœlos attingeret, & terras gravi mole oneraret: at illud quantum, quantum fuit, una linguarum confuſione interruptum eſt, atque diſturbatum. Ita maxima minimis evertuntur.

II. In Nabuchodonoſor. Dan. c. 4.

Nabuchodonozor Regi magno, ſed inſolenti, objicitur auguſta regni ſpecies, expreſſa emblemate proceræ arboris, quæ & in æthera ramos ſuos, ceu comas, efferret; & cœlis ipſis propè minaretur, & utramque ſolis domum, extremóſque mundi fines attingeret; & quæ volucribus eſſet pro domo, animalibus pro tecto, homini pro eſca: & tamen ex ea arbore, qualis qualis demum ea fuerit, relictum non eſt, niſi germen, & radices pauculæ; ſucciſa ferro cætera. Ita maxima excipiunt minima quæquæ; cujuſmodi germen eſt, & radix.

III. In Epulone. Luc. 16.

Dives epulo tecta incolebat aulæis illuſtria, & ſpatioſa; gemmis erat auróque gravis; menſis aſſidebat multo vino madidus; purpura nitebat, & oſtro: Ecce mundo judice maxima omnia; verùm in momento everſa cuncta: nam & in inferno ſepultus, & negata vel aquæ gutta, etiam ſitienti quàm peſſimè: ita maxima minimis, læta triſtibus, ſumma clauduntur infimis, & hoc quidē cœlo judice.

Deus contrà à minimis ad maxima probatur: Gen 39.

Longè alio pede procedunt Dei opera; hæc enim à minimis ſurgunt ad maxima.

I. In Joſepho.

Joſephus Ægypti ſalus, & Iſraëlis gloria, à ciſterna ſicciore ad duram ſervitutem; & ab hac etiam ad carceres, vinculáque damnatus eſt. Ecce tibi in minimis Patriarcham; ab iis enim vitæ ſuæ telam orditur. Verùm ita eam texit, ut in maxima protendatur; ab illis quippe vocatur ad regnum, ad ſceptrum, ad purpuram, ad Ægypti totius ampliſſimum dominatum.

II. In Daniele.

Daniel ætate, ſtaturáque parvulus, etiam à nocte carceris, à lacu leonum, à domo, & ſpelunca mortis, gradum ſibi fecit ad ſummos in Babylonia honores, ad aulæ gratiam, ad nomen, famámque, ad ſtuporem & miraculum Univerſi: *magnus* quippe *Deus Danielis*, ut qui ſervum ſuum à minimis ad ſumma ſuſtulerit. Dan. c. 14 v. 17.

III. In Mardochæo.

Mardochæus perfugium afflicti Iſraëlis, à cinere, & cilicio, cui indormiebat, ad purpuram, & primos à Rege honores evocatus eſt, inſeditque equo regio Diademate coronatus, per ampliſſimæ urbis compita circumductus; ab Amano præ invidia tabeſcente, audiit magnificum illud: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare*: ita ſcilicet ab imis ad ſumma ducit Dei manus: & à ſquallore, luctúque, ad gaudia vocat, regióſque cultus. Eſther. c. 6. v. 10.

IV. In Eccleſia.

Sed antiqua, inquies, ſunt iſta, & deforis hauſta; demus unum, quod ex ipſo, quo de agimus argumento, ducatur. An non Eccleſia (quam cum grano ſinapis comparat Servator optimus) à minimis magnitudinis ſuæ ſumpſit exordia? An non illa cœpit à pauculis piſcatoribus è trivio petitis, infimáque plebecula? & tamen ut ii fuerint, ut ſibi, & mundo huic minimi, ut rudes, atque indocti; & Reges, & Cæſares ſuis implicuêre retibus, ac Philoſophos alta ſapientes docuêre, & humiliùs, & meliùs ſapere: *Scientia*, quippe, *piſcatorum ſtultam fecit ſapientiam Philoſophorum.* Quanquam quid ad piſcatores, & Apoſtolos appello? cùm in oculis ſit ipſe Chriſtus, qui licèt in femore circumferret illud auguſtum: *Rex Regum, & Dominus dominantium*; viſus eſt tamen quodammodo depoſuiſſe, & cum abjecta ſervi forma commutaſſe *Factus homo*; imò quod infra hominem eſt quàm maximè, *vermis, & non homo*; & quamvis is eſſet, regnum cœlorum erexit longè nobiliſſimum; adeoque verum eſt, opera Chriſti à minimis ad maxima aſſurgere: ſecus omninò ſe res habet in regnis hujus mundi, initium illa ducunt à ſuperbo capite. Ita Monarchia Chaldæorum ſeſe extulit ab inſolenti, elatoque Nabuchodonozor; Perſarum à Cyro; Græcorum ab Alexandro; Romanorum à Cæſaribus, quibus alta nomina, & altiores animi. At Regnum Eccleſiæ, ab humili, & paupere, imò & à Crucifixo, qui vel eo tantùm nomine, *Iudæis* eſſet *ſcandalum, & Gentibus ſtultitia.* D. Amb.

V. In naturâ.

Nimirùm Deus in iis, quæ divinæ gratiæ beneficio ſenſim aſſurgunt, eandem legem ſervat, quam in ipſo naturæ curſu, atque ordine: In hoc enim etiam à minimis ducit initia rerum longè maximarum. Ita mundi hujus inferioris creationem cœpit à terra, quæ *inanis erat & vacua*: hanc deinde luce, ceu amœna quadam veſte circumcinxit: tum firmamentum condidit in medio aquarum: tum ad ea deſcendit, quæ vivunt, & ſurgunt anima vegetabili: fecit enim ut & *germinaret terra herbam virentem, lignumq; pomiferum*: tum aſcendit ad *luminaria magna*; ſolem, & lunam Orbis oculos, qui & diei præeſſent, & nocti: tum etiam produxit *reptile anima viventis, & volatile ſuper terram*, totúmque animantium genus, quod ſpirat, vivítque anima ſenſibili; tum denique ad hominem evaſit, in quo, ceu microcoſmo quodam, collegit quod toto ſparſerat Gen. c. 1. v. 2.

Univerſo;

Univerſo; fecit enim illum *ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam:* ut eum quiſquis aſpiceret, legeret in illo Creatorem.

VI. In homine. Quod in mundo ſervatum voluit author naturæ Deus, hoc deinde poſteris ætatibus in homine, qui Philoſopho teſte, primùm *vivit vita plantæ: deinde animalis: denique hominis.* Fœtus enim in utero materno ſenſim ita coaleſcit, ac formatur, ut primùm animam induat vegetabilem, tum eâ depulsâ, ſenſitivam: tum denique & hac deſinente, rationalem. Ita ab imperfectioribus ad perfectiora, & à minimis ad ſumma conſurgunt Naturæ ceu parentis optimæ molimina.

Hæc, aliáque iis affinia documento ſunt, ut & nos puſilli mortales magni illius Architecti exemplo, à minimis incipiamus, & ab his ad maxima gradum deinde faciamus.

VII. In ludo divinæ providentiæ. Is ſubinde ſæculi hujus ludus eſt, eáque fortunæ rota, atque converſio, quæ infima ad ſumma, tollit.

Lib. 16 c. 4. Sic Alynomum Paphi Regem ex hortulano fecit: ut teſtis Gellius in noctibus atticis.

Demoſth. orat contra Midiam. Sic Telephanem curruum fabricatorem ad Lydorum ſceptrum evexit.

Procop. l. 1. Sic Victigem obſcuris ortum natalibus Gothorum regno dedit.

Sic Primiſlaum ex armentario, & bubulco Bohemiæ Regem creavit.

Sic Tamerlanum olim porcarium ex abjecto, ac propè infami grege, haráque, ad aulam, ad purpuram, ad ſceptrum tranſtulit. Aſpicit nimirum fortuna, etſi minimè ſit oculata; aſpicit, inquam, abjecta, ut humo tollat, & ad ſupremæ dignitatis faſtigium elevet: ut liquidò oſtendat in minimis maximorum fundamenta jaci; ut ſcitè dixerit Seneca: *Quemcumque volueris revolve nobilem, ad humilitatem pervenies;* ab hac enim ſurrexit ille, quiſquis is eſt, & qui prudens eſt *non putat magna, niſi apparuerit ex parvis ſurrexiſſe.* *Controv. 6. lib. 2.*

Si is eſt fortunæ genius, is ut dixi etiam mundi ludus; quem cœli, quem Dei eſſe pronuntiabimus? Eum certè, qui à minimis aſcendat ad maxima; ut meritò ad iſta omni ſtudio capeſſenda nos exhortetur Baſilius Seleuciæ Epiſcopus: *Humilitatis plantam diligamus, cujus fructus cœlum.* *Orat. 28.*

Quid planta minus eſſe aut videri poteſt? è contrario, quid cœlo majus? & tamen humilitas planta eſt, & ejus fructus immenſa cœlorum vaſtitas. VIII. In Apoſtolis.

Exemplo erunt Apoſtoli, pars potiſſima regni cœlorum, hoc eſt, Eccleſiæ: *Humiles erant piſcatores*, inquit Chryſoſtomus; *& tamen repentè ad ipſum cœlum evolarunt.* *Hom. 30. in c. 3. Ioan.*

Exemplo erit & ipſe Chriſtus, qui ut piè notat D. Bernardus, cùm *per naturam Divinitatis non haberet quò creſceret, quia ultra Deum nihil eſt, per deſcenſum quomodo creſceret, invenit.* Et tu invenias oportet, creſcere quiſquis amas. *Serm. 2. in die Aſcenſ.* IX In Chriſto.

Dixit olim Tiberius Cæſar, & verè: *Optimos mortalium altiſſima cupere;* & votum fortè fuit non omninò malum: at peſſimum illud, quòd viam ad altiſſima non quærant, non inveſtigent. Ea profectò eſt humilitas, & aliam quiſquis ingreditur, aberrat quàm longiſſimè, abitque à culmine, quod ambit impenſiùs. *Apud Tacit. 4 Annal.* Nimirum ad alta ducit humilitas:

Tutam, veramq; in cœlum viam molitur humilitas, surſum levans cor ad Dominum inquiebat olim D. Auguſtinus, cui humilitas via fuit ad aſcenſum, aliis *ſcala;* aliis *currus: ſcala ad cœleſtia nos ſublimans*, ait Divus Umbertus. Ut via. *Lib. 16. de Civit. c. 4.* Ut ſcala. *Cap. 17. de Humil.*

Currus, inquit Chryſoſtomus; ſic enim ad ſuos orator aureus: *Sedebis in curru humilitatis, qui te in Cœlum ſuſtollit, qui equos habet alatos.* Ut currus. *Hom. 40 in Epiſt. 1. ad Cor.*

In eo curru ſedit olim D. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus. Is à Liberio Papa ad Concilium evocatus, id unum ſpectavit, quæſivitque impenſiùs; ut in ſacro illo conſeſſu cederet omnibus, eſſétque in poſtremis; & quidem, quod inſignis reverentiæ fuit, ſtaret ipſe, conſidentibus aliis. Et certè ex voto ſuo ſterit, At divina providentia diu ſtare non eſt paſſa: mox enim quæ vicinior erat terra viſa intumeſcere, attollique, ac formari in modum ſcabelli, in quo, ceu curru quodam humilitatis conſideret S. Præſul; quem eo prodigio Deus ab imis ad ſumma duxit, & omnibus amori, ſtuporique eſſe voluit; ſimùlque poſteris omnibus documento, humilitatem viam eſſe ad ſumma, ad honores, ad ſacros plauſus, ac denique ad cœlorum regna; cum quibus (ut ab ultima periodo ad propoſitam initio quæſtionem revertar) ideò granum ſinapi componere placuit, ut inde noveris à minimis ad maxima, ab imis ad ſumma gradum fieri oportere. Eo aſcendit S. Hilarius.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Quod minimum eſt omnibus ſeminibus, cùm autem creverit majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor.* verſ. 23.

QUID MYSTICE SIGNIFICET ARBOR ILLA ENATA è minimo ſinapeos ſemine?

Eccleſia inituo ſemen. EX Sanctorum Patrum calculò ſemen illud eſt Eccleſia, quæ in ſua infantia exiguis Judææ finibus ſeſe continuit: deinde adoleſcens in Orbem univerſum ſe quaquaverſum effudit; eúmque rapuit quà doctrinæ luce, quà opum copia, quà gloriæ ſplendore, ac majeſtate.

Ludovico undecimo Galliarum Regi Chriſtianiſſimo, fortè de via occurrit Epiſcopus Larmutenſis, & is quidem vectus mulo phaleris inſigni, & bullis aureis illuſtri; cui Rex: *Olim*, inquit, *Epiſcopi vel in aſinis ſedebant, vel pedites incedebant:* cui Epiſcopus argutè: Et *olim*, inquit, *Reges paſcebant oves: diſtingue tempora, concordabis & jura.*

Nimirùm non eadem ſemper eſt ætas: infantiam pueritia; pueritiam adoleſcentia; adoleſcentiam virilis ætas excipit, & majoribus parat. Quod aliis, atque aliis figuris divina ſapientia monſtratum voluit: earum aliquas è veteri teſtamento, alias è novo etiam petemus.

Noëmus antiqui reparator orbis duobus olim filiis precatus eſt benè: *Sem* qui ſynagogæ typus, & *Iaphet*, qui Eccleſiæ. De illius in poſteros propa-

propagatione ne verbum quidem: de hujus autem incrementis multa, tum in ipſo nomine (*Iaphet* enim, id eſt, *dilatatio*:) tum oraculo, vocéque hac fatidica: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem*: in quæ verba D. Hieronymus, *quia*, inquit, *lata eſt multitudo credentium, à latitudine nomen, & benedictionem accipit*.

Gen. c. 9. v. 29.

In quæſt. Hebr.

Postea arbor orbe toto ſuſa

Lata enimverò eſt, ut quæ Chriſto fideles efferat in utramque Solis domum: ab ortu ſcilicet in occaſum, & ab Auſtro in Aquilonem; ex eorum ſcilicet voto, de quo ſic olim Vates:

Iſai. c. 49. v. 20.

Dicant in auribus tuis filii ſterilitatis tuæ. Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi ut habitem.

Eratis profectò *filii ſterilitatis*, hoc eſt, *Gentilitatis*, quæ mater quidem erat, terris fœcunda; at Cœlo ſterilis. Verùm illi dictum & à filiis, & à ſponſo Servatore noſtro. *Anguſtus eſt locus, fac ſpatium ut habitem*. Dictum, factum. Spatium dedit, & quantum quidem aut terra capit, aut Cœlum claudit.

Hoc portendit Crucis ſacrificium.

Ita futurum olim conjicere licuit ex eo ipſo, quod in cruce paractum eſt ſacrificium; nec enim oblatum illud aut intra Solymæ fines, aut templi unius anguſtias, ſed extra portam: quod ut ſolet acutè notavit D. Leo:

Serm 8 de Paſſione.

Chriſtus, inquit, *non in templo, non intra ſepta Civitatis; ſed foris, & extra caſtra crucifixus eſt: ut crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi.* Rectè profectò Ara mundi, ut quæ toti pateat, ac fundatur Univerſo.

Chriſti veſtis quadripartita.

Quod à cruce datum eſt boni ominis auſpicium; hoc & à veſte Chriſti Servatoris, quæ in quatuor partes exſcindi debuit. *Quadripartita veſtis Domini IESV Chriſti quadripartitam figuravit ejus Eccleſiam; toto terrarum orbe, qui quatuor partibus conſtat, diffuſam, & omnibus ejuſdem partibus concorditer diſtributam*, inquit Auguſtinus.

Tract. 8. in Ioan.

Titulus Crucis.

Eandem porrò veritatem in aperto poſuit, omnibusque legendam exhibuit, qui olim Dominicæ cruci inſcriptus eſt titulus; complexus ille eſt tres linguas, easque principes; Hebræam, Græcam, Latinam, & hoc Theophilacto interprete, *ſymbolum fuit, quod potentiſſimi gentium, quales Romani; & ſapientiſſimi, quales Græci; & religioſiſſimi, quales Hebræi regno Chriſti*, (hoc eſt Eccleſiæ) *eſſent ſubjiciendi*. Nec illi tantùm, ſed ipſe quantus quantus eſt Orbis; ſic enim futurum aliquando prædixit Iſaias:

In cap. 23. Luc.

Cap. 43 v 5.

Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da: & Auſtro, noli prohibere.

Iſaiæ vaticinium.

Dixit Orienti Deus ut longè ſparſum ſemen ſuum, hoc eſt mortales, quos alit, adduceret, deponeretque in Eccleſiæ ſinum: & quia Dei dicere, eſt facere; dixit, & factum eſt. Juſſit deinde ab ultimo Occidente congregari diffuſos in eo accolas: & ecce ad imperantis nutum ſunt congregati. Dixit & frigido Aquiloni, ut ſuos illis adderet incolas; & verò jam addidit. Denique ſeverè inhibuit Auſtro, ne quemquam è ſuis ab ingreſſu Eccleſiæ prohiberet; & illi paruit Auſter. Itaque Eccleſiæ totus paruit Orbis. Ut meritò D. Bernardus Eugenio ſcribens extulerit auguſtum illud de Petri, hoc eſt, Pontificis Romani ſede:

L. 3. de conſid.

Orbe exeundum eſt ei, qui volet explorare, quæ non ad tuam pertinent curam.

Ad hanc nimirum ſpectant etiam quantumvis olim barbaræ nationes, quæ fidei colla ſubmiſerunt: quod jam inde à ſua ætate factum amat, & miratur D. Hieronymus; ſic enim ad Lætam lætabundus ſcribit:

Epiſt. 7.

Solitudinem patitur & in urbe gentilitas. Dii quondam nationum, cum bubonibus, & noctuis in ſolis culminibus remanſerunt. Vexilla militum crucis inſignia ſunt: Regum purpuras, & ardentes Diadematum gemmas patibuli ſalutaris pictura condecorat. Iam & Ægyptius Serapis Chriſtianus factus eſt. Marnas Gazæ luget incluſus, & everſionem templi jugiter pertremiſcit. De India, Perſide, Æthiopia Monachorum quotidie turmas ſuſcipimus. Depoſuit pharetras Armenius. Hunni diſcunt pſalterium. Scythia frigora fervent calore fidei. Getarum rutilus, & plenus exercitus Eccleſiarum circumfert tentoria, & ideò forſitan contra nos æquâ pugnant acie, quia pari religione confidunt.

Hæc S. Doctor, qui non ſolùm idololatras Chriſtianos eſſe contendit; ſed etiam (ex quadam oratoriæ artis licentia) ipſa quoque Idola. Serapis enim, & Marnas, id eſt Juppiter (ſic enim eum Gazæi cives vocitabant) Chriſti fidem & agnoſcere, & vereri quodammodo viſi ſunt.

Si iſta ſuo etiam ævo protulit D. Hieronymus, quid non proferret, ſi hoc ipſo, quo ſpiramus, viveret? quo ſcilicet ad Chriſtianam Religionem longè maxima barbararum Gentium facta eſt acceſſio. Sed hæc in argumento noto, atque obvio attigiſſe ſit ſatis. Quod attinet ad opes, & hauſtam ab eis, ſeu gratiam, ſeu majeſtatem, cùm & hæc quoque in aperto ſit, paucis notaſſe ſufficiet. Scio pauperes fuiſſe naſcentis Eccleſiæ cunas, & eas tum eſſe voluit, quæ in Orbe ludit divina providentia: ne ſcilicet fides noſtra ab eis commendationem aliquam emendicaſſe videretur. At ubi radices egit illa, tum etiam ab opibus, auróque, quod ad ipſos Apoſtolorum pedes deponi placuit, lucem aliquam ſaltem humanis oculis mutuari voluit; ut probaretur illud Iſaïæ vaticinium:

Eccleſiæ opulentia.

Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem, & generationem; ſuges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis: erunt enim Reges nutritii tui.

Cap. 60.

Reges illius nutritii.

Et certè ii fuerunt ex univerſo propè Orbe. E Gallia Carolus, Dagobertus. Ex Hiſpania Alfonſus, Ramirus, Petrus; è quibus hic Aragoniæ Regnum Pontifici vectigale fecit.

Ex Hungaria Stephanus, Ladiſlaus, quorum adeò effuſa liberalitas fuit, ut tertia nobiliſſimi illius regni pars Eccleſiæ ceſſerit.

Ex Anglia Reges inclyti, quos inter Rex Inna, qui primùm in purpura, ſceptróque viſus; deinde poſito Diademate, in vili lacerna & religioſo pulvere. Is ad cætera Deceſſorum ſuorum decora, piámque munificentiam adjecit illud, quod ſtupuit poſteritas omnis. Voluit enim, & ipſe Romano Pontifici tributum pendere, imò & eidem Angliam ſubjecit univerſam; quæ D. Petro annuè etiam per ſingulas domos vectigal, & denarium exſolvit, pretium piæ ſervitutis. Tenuit ea tributi ratio uſque ad annum milleſimum quingenteſimum trigeſimum quartum, quo Henricus Octavus, & eam extinxit, & ſuave matris Eccleſiæ jugum excuſſit, & anno dumtaxat unico decem quà templorum, quà Monaſteriorum millia evertit, ſolóque æquavit.

Nimirum is eſt hæreticorum genius: Eccleſiam opibus nudant, quibus induerant, ornarantque majores noſtri piâ munificentiâ; à qua Eccleſia, quæ in ortu ſuo, ſeminis inſtar, exiguâ eſſe, ac videri poterat, in arborem proceram excrevit, in qua *aves cæli*, hoc eſt præcelſæ, ac regiæ mentes nidum ſibi eligerent; ac quietem.

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Rurſum ad illa verba: *Simile eſt Regnum Cœlorum grano ſinapis.* verſ.31.

CUR GRANO SINAPIS TOTA REGNI Cœleſtis comparata eſt magnitudo.

Serm. 98. HIs ipſis verbis id quærit D. Chryſologus, & rectè. Quis enim non miretur, *quod poteſtatem tantam ſic parva, ſic minima, imò minimorum minima concludat ſimilitudo?* miretur ſanè.

Ratio admirationis.

I. Ex perſona quærentis. Primùm ex perſona quærentis, *eſt ille ſolus, Verbum, ſcientia fons, dicendi flumen, qui omnium corda rigat, ſenſus aperit, ingenium dilatat: & cur igitur in invenienda ſimilitudine nunc laborat?* ait enim, *cui eſt ſimile Regnum Dei; & cui ſimile æſtimabo illud?* Et hoc primùm admirationis caput.

II. Ex re quæſita. Alterum eſt ex ipſo cœleſti regno, cui explicando quæritur ſimilitudo, & quidem à Dei filio, ab ipſa Patris æterni Sapientia, quæ ſcilicet *quærens in cælo, & in terra nil invenit niſi granum Sinapis, in quo potentiam totam ſupernæ Dominationis includat, & illud Regnum ſingularitate potens, æternitate fœlix, Divinitate fulgens, diffuſum toto cælo, tota terra dilatatum in grani Sinapis coarctat, & concludit anguſtias.*

III. Ex iis quibus quæritur. Tertium admirationis caput eſt ab iis, in quorum bonum, favorem, gratiam, Regni cœleſtis petitur ſimilitudo; quæ ſi petatur à grano Sinapis, obvia cuique erit. Hæc non ſine ingenti ſtupore interrogatio: *Spes iſta eſt credentium tota? Expectatio iſta eſt fidelium ſumma, iſta eſt felicitas virginum longis continentiæ laboribus comparata? Iſta eſt gloria martyrum totius effuſione ſanguinis conquiſita? Hoc eſt quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit? Hoc eſt quod ineffabili Sacramento diligentibus Deum promittit Apoſtolus eſſe præparatum?*

Ubi hæc admirationis capita etiam elatè in medium protulit S. Præſul; tum modeſtè reſpondet, nos *non facilè debere moveri dominicis in dictis; quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus, & ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus, & minimum Dei tota magnitudine mundi magnificentius invenitur.*

Hæc ubi dixit, tum ea, qua ſolet ingenii, ſubtilitate, facilitate ac pondere delabitur ad ipſius parabolæ explicationem, eámque duplicem.

Prima eſt per *Regnum Dei* intelligi *Verbum Dei quod de ſupernis affertur, ſuſcipitur auditu, fide ſancitur, credulitate radicatur, ſpe creſcit, confeſſione diffunditur, virtute tenditur, & dilatatur in ramos, ad quos vocat aves cœli; id eſt ſpiritales ſenſus, atque ipſe eas quieta ſuſcipit manſione.* I. Explicatio.

Secunda eſt, quod ipſe Chriſtus ſit Regnum Cœlorum; qui *velut granum Sinapis in hortum virginei corporis miſſus, Orbe toto crucis in arborem crevit, ac tandem dedit fructus ſui ſaporem cum teritur paſſione, ut quidquid eſt vitale ſuo ſaporaret, & condiret attactu.* II. Explicatio.

Quod ſi *Chriſtus in corpore voluit teri, qui ſuam noluit latere virtutem; teramus & nos iſtud granum ſinapis; ut ejus vim in hac ſimilitudine ſentiamus:* ſentiemus porrò ſi cum humili Chriſto, humiles eſſe ſtudeamus, & cum minimo, minimi: & ad hoc ſpectat ea ſimilitudo, ut non offendatur puſillus, & infirmus homo ea Dei ſui, & Verbi Incarnati demiſſione; ſi enim *cæleſtis Regni majeſtas omnes ad grani Sinapis ſimilitudinem venit, quid queritur hæreticus, aut infidelis, quòd Deus ad hominem, Dominus ſervi deſcendit ad formam?*

Tertia explicatio eſt, quòd granum ſinapis ſit promiſſio Regni cœleſtis, quæ per ſpem in Eccleſiâ ceu horto eſt plantata. Eſt enim Eccleſia *hortus & quidem clauſus ſtimulis diſciplinæ ab omni peſſimo gramine apoſtolico labore purgatus, fidelium plantariis, Liliis Virginum, roſis Martyrum, Confeſſorum viriditate amœnus, & fragrans floribus ſempiternis.* III. Explicatio.

In hunc porrò hortum venimus & ipſi plantati amica Dei manu; animo, ceù molli ſubactáque terra, granum ſinapi excepimus, ſpem ſcilicet futuræ beatitatis: creſcat illa, & ſeſe diffundat in aliarum virtutum ramos, explicet in flores bonorum operum, & fructus edat, id eſt merita, quæ ipſam ferant æternitatem.

QUÆSTIO QUINTA MORALIS.

Ad illa verba: *Cui ſimile æſtimabo Regnum Dei? Simile eſt Fermento.*

CUR INCREATA DEI SAPIENTIA Regnum Dei componit cum fermento?

Similitudinis. OCCURREBANT indubiè ſimilitudines aliæ, vel ex arcanis naturæ petitæ, vel à cœleſtibus Orbibus, vel ex aſtrorum luce, & divite Dei gazâ; eas tamen omittit ipſa Patris Æterni Sapientia, & à grano ſinapi, & à fermento comparationem ſumit: quæ cauſa?

Serm. 99. D. Chryſologus duas profert; una petitur à Chriſti bonitate, & prona quadam in abjectos mortales inclinatione, quibus ſeipſe, & ſuæ doctrinæ placita ſic attemperat, ut capere ea poſſint omnes, ignorare nemo unus omnium. Prima Ratio.

Altera, quod ad Regnum Cœlorum vocati omnes, dives, & pauper; nobilis, & ignobilis; rudis, & doctus, quibus proinde ſeſe accommodat, & ea proponit, quæ cuique obvia, & familiaria. Secunda.

Digitized by Google

Bonus Dominus, inquit, *& amator ſuorum Chriſtus, regni ſui ſimilitudines iterat, variat comparationes, quas non de occulto ſumit, non captat de cœleſtibus; ſed profert de quotidiano uſu, de communi converſatione proponit; ut ad omne genus hominum perveniat quod eſt omnibus profuturum.* Et ſanè quàm rectiſſimè.

Si quid enim de Divinitatis occulto, ſi quid de ſecreto regali, ſi quid de penetralibus divitum afferret in medium, hoc neſciret pauper, non caperet mediocritas, notum ſimplicitas non haberet; nunc vero loquitur nota diviti, uſitata pauperi, omnibus vitæ ipſius neceſſitate vernacula, quia homo in Dei vocatione quæritur, non diſcernitur in ejus vocatione perſona.

Tertia. Accedit & tertia ratio; vult enim Dominus hominum animos, plus æquo elatiores, & ſuſpendere illa quæſtione: *cui ſimile æſtimabo Regnum Dei?* & ſimul etiam confundere, dum vident quàm alienæ ſint cogitationes Dei à cogitationibus hominum; hi enim non niſi magna, alta, ſuperba de Regno Dei meditantur, & fingunt; Deus autem ab humili comparationem ſumit, ut doceat humilitatem ad ſublimia viam parare.

Igitur ſic inquit Magiſter optimus: *Cui ſimile æſtimabo Regnum Dei? Sic autem dicendo, appendit animos auditorum, & attonitos reddit ſtupore toto, quid regno Dei, quid Imperio Dei valeat comparari: atque illis mente permulta & magna pervagantibus Cœli Dominus in hoſpitio pauperis, in manu pauculariа Mulieris, regni ſui invenit & format exemplum.*

Quarta. Additur & quarta ratio, ut virum mulieri jungat etiam in cœleſti regno, quos in terris natura, & conjugalis nexus copulavit.

Ante, inquit, *Sinapis granum memorat accepiſſe virum, mulierem nunc aſſerit accepiſſe fermentum, dicit ante exiguum ſemen virum ſeviſſe in magnæ arboris incrementum; mulierem modò fermentum breve ad profectum totius maſſæ abſcondiſſe manifeſtat.* Quæ cauſa? hanc

1. Cor. 11. reddit ex Apoſtolo: *Neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino.* Ita nimirum *ad unum regnum diverſum ſexum, varia ſimilitudo perducit, neque virum ſeparat à muliere vocatio Chriſtiana; quos Deus conjungit, natura ſociat, forma componit, & facit Deus ut ſit homo unus duo, & duo unus.*

Sed hinc ab eodem Præſule movetur alia quæſtio: *Quare has ſimilitudines regni ſui Dominus, per virum producit & fœminam, quare majeſtatem tantam tam vilibus, tam diſparibus format exemplis?* Ad hanc reſpondet: *Pretioſum latere in hac vilitate myſterium, in Chriſto ſcilicet & Eccleſia. iſtis enim comparationibus humani generis negotium geritur principale; per virum & mulierem mundi cauſa ſæculis tractata ſinitur.*

Hæc eſt autem cauſa: *Adam primus homo, mulier prima Eva, ab arbore ſcientiæ boni, & mali ad Evangelici ſinapis arborem deducuntur, ut oculos, quos illecebroſa arbor aperiendo clauſerat, ſinapis arbor grani ſui collyrio & acritudine, ipſa dum claudit, aperiret; ut ora quæ venenoſæ arboris guſtus infecerat, ſalutaris arbor flammeo guſtus ſui ſapore ſanaret.*

Et hæc pro ſinapi eſt ratio; pro fermento ſit illa: *Mulier accepit à Deo fermentum fidei, quæ acceperat à Diabolo perfidiæ fermentum, ut mulier quæ corruperat fermento mortis in Adam totam maſſam generis humani, fermento reſurrectionis totam carnis noſtræ maſſam redintegraret in Chriſto; ut mulier quæ confecerat panem gemitus, & ſudoris: panem vitæ coqueret & ſalutis, & eſſet omnium viventium mater vera per Chriſtum, quæ erat in Adam mater omnium mortuorum.*

Quæ porrò ſit illa mulier ſi quæras? audies ex D. Chryſologo eſſe Deiparam: *Maria*, inquit, *hujus fermenti implet typum, ſimilitudinem præfert, conſignat figuram, dum de ſupernis ſuſcipit fermentum Verbi, & humanam carnem in alvo Virginis, imo in alveo Virginis cœleſtem totam conſperſit in maſſam.* Prima explicatio parabolæ.

Et hæc prima illius parabolæ expoſitio: ſubjicit alteram, & ſic ait: Secunda.

Mulier, quæ accepit fermentum Eccleſia eſt; fermentum quod accepit, cœleſtis doctrinæ eſt Sacramentum; menſuræ tres in quibus perhibetur abſcondiſſe fermentum, Lex, Prophetæ, Evangelia, ubi divinus ſenſus abſconditur & celatur in verbo, ut fidelem non lateat, lateat infidelem.

Ea porrò doctrina, ceu cœleſte quoddam fermentum totam maſſam fermentat, *cùm aſpergit ſenſus, levat corda, incrementat ingenia, & doctrinarum more ad ſapientiæ cœleſtis dilatat, ſuſcitat, diffundit augmentum.*

DOMINICA
SEPTUAGESIMÆ.

VBI ſeſe mortalibus oris immiſcuit divina Sapientia, ubi dixit è pulpito, frequentibus uſa eſt Parabolis; & hoc quidem eo conſilio, ut ſe incultis hominum auribus, animiſque accommodaret, & molliùs in eos illaberetur.

Ne longiùs abeam, exhibet hodie ſpeciem aliquam, modumque cœleſtis vocationis, juſtæque, pro impenſa liberaliter opera, mercedis.

Matth. c. 20. v. 1. *Simile*, inquit, *eſt Regnum cœlorum homini Patri-familias, qui exiit ſummo manè conducere operarios in vineam ſuam.* Ubi cum primis convenit de pretio, & denario diurni laboris: tum abit longiùs, horáque tertia luſtrat compita ampliſſimæ civitatis, & ecce incurrit in oculos otioſa turba, ad quam ita paucis.

Quid hic ſtatis totâ die otioſi? Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis. Poſtquam & iſtos emiſit, tum aliò progreditur, & hos quidem hora ſexta, illos etiam nona, adulta ſcilicet jam die, offendit à labore vacantes, & torpentes

pontes otio, inertíque deſidia; quam ut excutiat, ſic etiam ad univerſos inquit: *Ite & vos in vineam meam.* Parent illi benè monenti, otia rumpunt, abjiciunt deſides animos, & laboribus incumbunt toti.

Non hîc ſtetit anxia cura boni Patris-familias; evaſit ab illa longiùs, & circa undecimam horam, inclinata jam ad veſperam die, obire cœpit portus omnes, & angiportus vaſtiſſimæ civitatis: & ecce ſuccurrunt alii, quibus dies propè totus in otio fluxerat, ad quos etiam vocem, manumque extendit; ſic enim ad illos: *Quid hîc ſtatis tota die otioſi?* Tum illi ut ſpecioſam cauſam prætexere viderentur; nemo, aiunt, nos conduxit: tum ille, ne quis excuſationi relinqueretur locus, adjecit illud: *Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis.*

Abierunt illi, & pauculis horis quibus adhuc Sol illuxit, laborarunt. Ubi dies omnis in labore conſumptus, tum juſſi operarii accipere denarium diurnum; pretium ſcilicet impenſi laboris. Placuit autem ordiri ab iis, qui hora undecima vocati, quibus & ſuus quoque ceſſit denarius; ex quo aliis ſpes enaſci cœpit, quod aliquid ampliùs eſſent accepturi; & his tamen non niſi ſuus oblatus eſt denarius, de quo nimirum paciſci potuit, ac voluit Pater-familias; in quem deinde converſæ ſunt hæ querelæ, injuſtáque expoſtulatio: *Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus.*

Importunis illis, querulíſque vocibus, factum ſatis ex pacti lege: ſic enim uni illorum: *Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade: Volo autem, & huic noviſſimo dare, ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Et hæc ferè eſt ſumma Parabolæ de qua paucis.

EX D. THOMA.

Serm. 2. QUATUOR hîc notantur.

I. *Domini bonitas*, qui dicitur egreſſus; & hoc quinque modis. 1. *Egreſſus fuit in principio mundi*, cùm creaturas veluti ſemen jecit. 2. *In Nativitate* è Sinu Patris in ſinum Virginis; è cœlo in præ-
Ioan. c. 16. ſepium: de hoc ait: *Exivi à Patre, & veni in mundum.*
Cap. 15. 3. *In paſſione ſua, ſuos ſalvando.* de hoc Iſaias: *Salvator meus egreſſus eſt.* 4. Familiæ ſuæ, & rebus pro-
Matth. c. 20. videndo, ſicut Pater-familias: ita hic egreſſus circa horam tertiam. 5. *In Iudicio*: de hoc Iſaias. *Ecce*
C. 26. *egredietur Dominus de loco Sancto ſuo, ut viſitet.*

II. *Hominis ſtultitia.* Ea notatur his verbis: *Invenit alios ſtantes in foro otioſos*; quæ enim major ſtul-
Iob. 5. titia quàm in otio vivere? 1. Quia *natus homo ad*
Eccl. 30. *laborem.* 2. *Quia multam malitiam docuit otioſitas.*
3. Quia ab hac egeſtas. *Dormitabis, & veniet tibi* *Prov. 6.*
quaſi viator egeſtas. 4. Quia labor æternus pro brevi
otio. *Laborabit in æternum.* *Pſal. 48.*

III. *Neceſſitas laborandi in vinea.* Ea exprimitur his verbis: *Ite & vos in vineam meam.* In ea laborare debemus 5. modis. 1. *Virtutes in ea plantando.* 2. *Spinas*, id eſt, *vitia extirpando.* 3. *Superfluos palmites amputando*; *Tempus enim putationis advenit.* 4. *Ab ipſa* *Cant. 2.*
vulpeculas, id eſt, dæmones cohibendo. 5. *A furibus*, id eſt, *à laudibus hominum cuſtodiendo.* Hæc ſi præſtemus in nos cadet illud: *Plantaverunt vineas, & fecerunt fructum Nativitatis.* *Pſal. 106.*

IV. *Laboris utilitas*, ſeu pretium; denarius ſcilicet, & mille gaudia beatæ æternitatis: hæc inſinuatur paucis voculis: *Quod juſtum fuerit dabo vobis.*

EX D. BONAVENTURA.

Domin. in Septuag. ſerm. 2. DISTINGUIT quadruplicem vineam.

Prima eſt *Eccleſia*: de hac Iſaïas ore pro-
Cap. 5. phetico: *Vinea Domini exercituum domus Iſraël eſt.* Hanc *plantavit Chriſtus*, ceu vineam Noëmus alter, ejúſque muſto, id eſt, *fervanti amore inebriatus, mudatus eſt in cruce. De hac vinea fructum fidei, & amoris, & Iuſtitiæ reddere debet homo; alioqui per damnationem ejicietur, & alius aſſumetur.*

Cap. 8. Secunda vinea eſt *conſcientia*; de hac in Canticis Sponſa: *Vinea mea coram me eſt*, id eſt, *conſcientia mea intra me eſt.* Ab hac expectat Deus *vinum compunctionis, & devotionis.*

Pſal. 79. Tertia vinea eſt *religionis*: de illa ſic olim Regius Vates: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti*, id eſt *religionem de ſæculo. Ejeciſti gentes, id eſt, ſpiritualiter incircumciſos, nam qui à vitiis circumcidi non vult, in vinea religionis eſſe non debet.* Fructus igitur hujus, eſt ſpiritualis circumciſio, & ea colligitur quamdiu religio manet vinea; at ſubinde mutatur in hortum olerum: dicit enim Diabolus, quod olim Achab: *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum. Olera* *3. Reg. c. 21.*
pro vitibus ſunt, carnales pro ſpiritualibus, nimirum hos fugit *Diabolus*, & illos *quærit.*

Quarta vinea eſt *ſapientia*, quam ut ſponſam amat cœleſtis ſponſus, ex eoque commendat quod ejus *ubera* ſint ſicut *botrus vineæ*; *In uberibus lac habes ſim-* *Cant. 7.*
plicis doctrinæ, quo nutriuntur *parvuli*, id eſt, *imperfecti. In botris* autem *vinum ſublimioris doctrinæ*, quo reficiuntur *perfecti. In his vineis quatuor genera animalium timenda ſunt. In vinea Eccleſiæ timendus eſt leo perſecutionis, vel ambitionis*: de hoc ita ſacræ paginæ: *Cùm veniſſet ad vineas oppidi apparuit catulus Leonis ſævus*: ſæva nimirùm perſecutio, ſed & magis ſæva ambitio. *In* *Iud. c. 14.*
vinea conſcientiæ, timendus eſt *vermis remorſionis*; rodit

 ille,

ille, & arrodit infœlicem, ſauciámque à peccato conſcientiam, & quidem perenni morſu, de quo *Cap. ult.* Iſaias: *Vermis eorum non morietur. In vinea religionis* timendus eſt *aper diſcolæ converſationis.* De hoc Pſal- *Pſal. 79.* miſta: *Exterminavit eam aper de ſylva, & ſingularis ferus: in apro manifeſta perverſitas; in ſingulari fera ſuperſtitioſa ſingularitas ſignificatur: quæ duo vineam religionis maximè deſtruunt.* Denique in *vinea ſapientiæ, ſeu ſcriptura timenda eſt vulpes hæretica deceptionis corrumpentis ſcripturas.* Ne porrò ſic corrumpant audiendus *Cant. 2.* ſponſus, qui monet, urgétque quàm optimè: *Capite nobis vulpes, quæ demoliuntur vineas.* Et hæc de vinea: venio ad operarios, quos in eam evocat magnus Pater-familias, jubétque pro diurno labore mercedem reddi; ait enim procuratori ſuo: *Voca operarios, & Serm. 1.* *redde illis mercedem ſuam. Voca*, inquit: ecce *divina dignatio ſollicita vocationis.* Hae ad ſe trahit *Dominus tria genera hominum. Nam 1. vocat averſos ad amaritudinem pœnitentiæ in neceſſaria deteſtatione vitiorum. Secundò vocat converſos ad rectitudinem Iuſtitiæ in obligatoria impletione mandatorum. Tertiò, vocat perfectos ad perfectionem vitæ in voluntaria ſupererogatione conſiliorum.* Ubi autem ſic vocavit, & diuturno labore probè exercitatos habuerit, tum reddit illis mercedem, & quidem conſonam divinæ vocationi.

Nam primò vocatis ad amaritudinem pœnitentiæ reddetur merces delicioſa.

Secundò vocatis ad rectitudinem Iuſtitiæ reddetur merces copioſa.

Tertiò, vocatis ad perfectionem vitæ reddetur merces ſpecioſa, hoc eſt omninò perfecta. Cùm enim mirè *delicioſa* ſit, *ſatiat*, explétque *appetitum animæ*; & cùm *copioſa, ditat, & honorat ſubjectum proprium.* denique cùm ſpecioſa ſit, dici non poteſt quantum *delectet.* Et hæc de mercede, de qua & modum ſubjicit, quo redditur.

Primò enim *recipitur celeriter*, ſic illam recepit la- *Serm. 5.* tro, qui *eadem die & in patibulo & in paradiſo fuit.*

Secundò, *Solvitur liberaliter*, quia ut Abrahamo *Gen. c. 15.* Deus: *Ego merces tua magna nimis.*

Tertiò, Acquiritur *faciliter* etiam *potu* dato *aquæ frigidæ.*

Quartò, *Poſſidetur perenniter: merces* enim *Domini* *Matth. c. 10.* *manet in æternum*, quod dum attendit D. Auguſtinus æſtu quodam excitatæ ad ardua mentis, exclamat *O regnum! O gloriam ſemper veracem & veraciter ſempiternam, cujus lux charitas, cujus modus æternitas.*

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Exiit conducere operarios in vineam ſuam.* Matth. c. 20. verſ. 1.

CVR ECCLESIA DICATVR VINEA, potiùs quàm pomarium aut viridarium?

Eccleſia eſt Vinea. VINEA eſt Eccleſia, ſeu illam eſſe voles militantem in terris; ſeu triumphantem in Cœlis. Et hic eſt communis SS. Patrum ſenſus, quem, more ſuo, maledico dente carpunt, ac rodunt hæretici, quos inter Severus, & ex eo dicti Severiani, qui clamitant Chriſtum importunè Regnum cœlorum, ſeu Eccleſiam cum vinea compoſuiſſe.

Opinantur nimirùm illi in ipſo mundi ortu, plantas omnes una authoris Dei manu ſolo inſitas, atque eductas eſſe; ſi tamen vineam exceperis.

Et hi quidem faciunt contra militantem Eccleſiam; Manichæi contra triumphantem, quam negant cum vinea rectè comparari poſſe; cenſent enim vineæ fructum eſſe diabolicum.

Et hi, & illi à natura, à ratione, à fide aberrant quàm longiſſimè; ſtat enim, ſtabítque in ævum omne illibata veritas, Chriſtique Salvatoris Oraculum: Eccleſiam vineam eſſe, & cum ea quàm aptiſſimè conferri. Quod ut liquidò conſtet primùm authoritate, deinde ratione pugnabimus,

Synagoga Vinea. Quod in lege ſcripta fuit Synagoga; hoc in lege gratiæ, eſt Eccleſia: de illa ſic olim Vates Regius. *Pſal. 80.* *Vineam de Ægypto tranſtuliſti:* hoc eſt Synagogam, de calente, exſuccóque Ægypti ſolo, benigniore manu *tranſtuliſti, & plantaſti eam*, in terra utique promiſſionis, terra fertili, quæ lacte manaret, & melle, quæque oleum ubere cornu funderet. De hoc Iſaias *Cap. 5.* Propheta. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei.* Vinea, hoc eſt, Synagoga, quæ erecta eſt in cornu, id eſt, in colle, qui dicitur filius olei, quia oleo ferax. Ex illa perſuaſione, quæ apud Hebræos invaluit, fluxerunt nonnulla, de quibus Rabbini.

Primùm, Deum Opt. Max. è ſingulis generibus unam aliquam ſpeciem adamaſſe. Sic è plantis vitem; è floribus roſam; è pecudibus ovem; è populis Hebræos; è civitatibus Hieroſolymam ſibi, ſuiſque delegit amoribus. *Rationes.*

Alterum, in quod paſſim iverunt Hebræi, fuit iſtud: quod Synagogam ſuam, & eſſe, & dici voluerint *Vineam Domini Sabaoth*, utque hujus divini nominis appellationem certiùs, ac fideliùs efferrent in poſteros; immani ſumptu, artéque planè ſingulari, fabricârunt vitem auream, ſuis pampinis, claviculis, & uvis illuſtrem, eámque in templo erexerunt: ut eſſet ea veluti Symbolum, tum Syna- *I. Vinea Symbolum amoris.* gogæ, tum divini in ſe amoris, atque indulgentiæ. Stetit ea vinea in æde ſacra, quamdiu à Deo ſtetit Iſraël: at ubi ab illo receſſit, tum verò Romanis ceſſit, & Pompeio victori; qui eam è templo extulit, ut jam inde doceret à Judæis ad Romanos Eccleſiam eſſe transferendam.

Quæ de Synagoga ſua ſenſit, & dixit Iſraël; hoc de Eccleſia (cujus illa typus fuit) & ſentire, & loqui debet Chriſtianus. Eſt illa vinea, quæ facta eſt dilecto in cornu olei, hoc eſt, divinæ miſerationis: de illa ſibi gratulatur ſponſa, dum lætitia geſtiens, & propè ebria exclamat: *Introduxit me Rex in cellam* *Cant. c. 2.* *vinariam*, vel ut habet Chaldæus, *in domum Gymnaſii, domum doctrinæ.* Et hinc mihi ducitur potiſſima *II. Doctrinæ.* ratio cur Eccleſia *Vinea Domini* appellotur. Eſt enim illa ſedes purioris ſapientiæ, eſt emporium fidei, & columna veritatis. de hac olim Salomon præſago ſpiritu: *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit colum-* *Prov. c. 9.* *nas ſeptem*, vel ut alii, *Cathedras.* Cathedræ quippe Doctorum olim erant columnæ; & hinc eadem vox hebræa *Ghomed*, & columnam, & cathedram ſignificat: quòd è Cathedra docerent antiquiores Sophi. Hanc porrò columnam erexit Dei filius, dum Eccleſiam eſſe voluit columnam veritatis, & Petri ſedem cathedram doctrinæ ſanioris.

Altera

III. Imperii. Altera ratio, cur Eccleſiæ conveniat quàm optimè, vineæ appellatio, eſt quod hæc Symbolum ſit imperii, & ampliſſimæ dominationis.

Herod. l. 7. Argumento ſit illa ſpecies objecta quondam Aſtiagi in ſomnis, & amœna noctis unius imagine.

Vidit in ea filiolam ſuam Mandanam (cùm adhuc virgo eſſet, & thalami, viríque neſcia) concipere tamen, uterum geſtare, imò & parere: ſed novum, & fœminis inſolentem fœtum; vineam ſcilicet, quæ Pampinis ſuis longè, latéque diffuſis Aſiam tegeret univerſam. Ubi ſibi à ſomno redditus eſt; credidit eam vineæ imaginem oſtento fuiſſe, ac præſagio, quòd qui ex filia naſceretur puer, is toti Aſiæ eſſet dominaturus. Præſagio reſpondit eventus; qui enim ex ejus utero produt filius, is Cyrus fuit, Aſiæ Rex, & dominator.

Ex eadem opinione, quæ apud antiquos invaluit, factum autumo, ut vitis *Rhea* ſacra eſſet, ejuſque ſimulacrum non niſi ex illa fieret. Erat *Rhéa* Dea terræ, cui è vite exſcinditur ſtatua; ut inde noſces ipſam vitem longè, latéque fuſos terrarum orbes, & in eos imperia portendere.

Et hoc in Eccleſiam cadebat quàm optimè: debebat illa in omnes Univerſi partes effundi, & occupare quidquid erat in hoc mundo aſpectabili; ut verum probaretur illud Prophetæ Regii vaticinium.

Pſal. 99. *Extendit palmites ejus uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus; operuit montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros Dei.*

Ita porrò factum eſt, & factum benè: elatos Reges, qui montium inſtar ſuperbum erigere verticem, qui brachia, ramorúmque comas, ut cedri ſolent in cœlum extendere videbantur; operuit tamen, & blandè texit umbra creſcentis Eccleſiæ, quæ proinde cum vinea ritè componitur.

Hac vineæ noſtræ quaquaverſum effuſionè uſus Tertullianus, ut apud Gentiles evinceret unum illud, Chriſtianam religionem eſſe quàm veriſſimam. Sic enim ad illos:

In Apolog. *Veſtra omnia complevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatia, ſenatum, forum.*

IV. Libertatis. Eſſe potuit & alia cauſa, à qua ſurgens Eccleſia vinea diceretur. Eſt enim & hæc Symbolum aliquod libertatis. Latebat olim obſcuro clauſus carcere, Pharaonis pincerna, cùm illi divina miſeratio ſpem fecit libertatis, exhibito etiam in ſomnis aliquo illius Hieroglyphico, de quo ſic ille: *Videbat* inquit, intueri vitem, in qua tres propagines, quæ primùm creſcebant in gemmas; deinde ſeſe explicabant in flores; denique exonerabant in fructus; uváſque longè ſuaviſſimas, quas dum animo ſomnians lego, ecce calicem Pharaonis in manu mea tuli, in eum racemos expreſſi, muſtúmque obtuli Pharaoni.

Fuit hæc ſomnii ſpecies, & imago: pro qua explicanda Oedipum habuit Joſephum, ab eóque audiit vitem ſignum fuiſſe libertatis; tres verò propagines, ſymbolum trium dierum, quibus exactis, & luci à nocte carceris, & libertati; à vinculis, & officio pincernæ reddendus erat. Somnii rationem, & interpretis fidem probavit eventus, cùm dignitas, & ſua libertas ſtetit. Ab hac quoque factum crediderim, ut Bacchus vini parens, *Liber*; & ſacra *Libero Patri*, id eſt Baccho, appellentur.

Si Apis matinæ more, modóque, è quolibet floſculo legenda mella, implendique favi; ex vero dicam Eccleſiam eſſe vineam, hoc eſt veræ libertatis notam, ac ſedem. Eramus, inquit Paulus, *ſub elementis mundi hujus ſervientes.* Eramus ſub jugo peccati, & miſerabili ſervitute; affuit è cœlo Dei filius, magnus ille Pater-familias, vineam plantavit, id eſt Eccleſiam, & ne ſerperet, terriſque adhæreſceret, cruce ſua, ſeu ſtipite, ſuſtentavit; ne areſceret, irrigavit multo ſanguine. Et hinc prima, & maxima vineæ hujus incrementa, hinc frondes, flores & fructus ubertimi, quos inter facilè Princeps Chriſtiana libertas.

Neque hîc mihi objiciat unus aliquis, quod vidit, luxitque ipſa reparati Orbis infantia; cùm ſcilicet ab immenſa aquarum eluvie terris redditus eſſet Noëmus, plantaſſet vineam, ac bibens vinum inebriatus fuiſſet, nudatúſque jacuiſſet in tabernaculo ſuo, ab infelici Chamo ſit irriſus; & hinc illud paternæ maledictionis in filium fulmen: *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.*

Nemo, inquam, id mihi obtrudat, quaſi à vite manaſſet ſervitus, & genus noſtrum occupaſſet. Si quod enim in hoc vitium fuit, non vitis fuit, aut vini; ſed ebrietatis, & impudentis filii effrons audacia: à quâ unâ manavit ſecunda peccati ſoboles; nempe ſervitus, de qua magnificè D. Auguſtinus:

Prima ſervitutis cauſa peccatum eſt; nomen iſtud culpa meruit, non natura. *Lib. 19 de Civit. c. 15.*

Verùm diſcedamus à Noëmo, & ad Chriſtum Univerſi reſtauratorem accedamus. Vineam hic plantavit, bibénſque vinum (ſine noxa tamen) inebriatus eſt, & nudatus jacuit in tabernaculo crucis: nudatum vidit, triſitque infœlix Chami progenies, & perfidus Iſraël, & in ſe ſervitutem, ceu peccati pœnam, traxit. At nos Chriſtiani, (quæ Cœli miſeratio) libertatem hauſimus: & hanc à Chriſto, ceu vite; ab Eccleſia, ceu vinea, cujus palmites ſumus & novella germina. *Hanc Vineam plantavit Chriſtus.*

Et hæc è ſymbolis petita, quibus addemus pauca, ex ipſa vitis natura, ceu viſceribus cauſæ, deducta. Oſtendent illa quàm congrua fuerit vitis & Eccleſiæ comparatio. Qui inſitam cuique plantæ naturam, & vegetantis animæ virtutes inveſtigant, hæc de vinea jactare ſolent. *Similitudo vineæ, & Eccleſiæ.*

Primùm inter plantas, quæ ſeſe terris erigunt, atque eminent, vinea omnium minimè terris inſigitur, nec altas, ac profundas, ut arbores aliæ, radices agit; & tamen diffuſis quaquaverſum brachiis, pampinis ſuis, ac claviculis quantumvis proceras arbores amplectitur, cingit, & longo vertice in cœlum effunditur: diceres infima hæc odiſſe vineam, & ambire ſuperna. I.

Et hic quoque Eccleſiæ genius eſt: non jacit illa radices in terris; ſed his ſuperior in altum evadit, & eò curas omnes effert, ac cogitationes.

Alterum eſt vineæ proprium, ac ſingulare: quòd præ cæteris amœna ſit illa, atque amabilis dum frondet, florétque, & fructus edit longè ſuaviſſimos: at ſi unquam ſterileſcat; tum ejus lignum abjectum eſt quàm maximè, nec ulli ſervit operi; ſed ignis pabulum ſit, oportet. Quod ipſum exhibuit olim Deus Ezechieli in mentis exceſſu; ſic enim ad illum: II.

Fili hominis quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum? numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus? Ecce igni datum eſt in eſcam. *Cap. 15.*

Hæc ubi de vite extulit, tum ad Iſraëlem, ceu ſterilem vineam, transfert.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: quomodo lignum vitis inter ligna ſylvarum, quod dedi igni ad devorandum: ſic tradam habitatores Ieruſalem:

Et hæc Cœli vox, hoc fulmen tonantis DEI. Ita enimverò, ita ſe res habet. Vitem inter, & alias arbores hoc intereſt, quod hæ expertes animæ, & planè mortuæ, atque exſuccæ, utiles tamen ſunt ad opera; aptantur enim in arcas, formantur in ſtatuas, componuntur in ædes, finduntur in naves, & ſalo innatant. At lignum vitis ubi mortuum, ubi fructu vacuum, tum igni ut cedat, eſt neceſſe.

Hinc apud Antiquos Emblema vitis, ſubjecta hac epigraphe:

Aut

Aut igni, aut Deo.

Quæ fuit olim, eritque in ævum natura vitis, eadem & palmitis. Eſt Eccleſia vinea, vitis Chriſtus, nos palmites ſumus: quibus appendi poteſt & hoc lemma:

Aut igni, aut Deo.

Tract. 81. in Ioan. Teſtem habeo D. Auguſtinum: *Unum*, inquit, *de duobus; palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non eſt, in igne erit: ut ergo in igne non ſit, in vite ſit.*

Hæc doctè, elatè, piè D. Auguſtinus, cujus auream, cœleſtémque ſententiam omnium animis infigi velim, ut maneant in Chriſto Jesu, niſi in igne eſſe velint: manebunt autem, ſi in ſeipſis vitis naturam expreſſerint.

Applicatio moralis.

I. Eſt vinea ſymbolum, & arrha quædam divinæ in nos caritatis; nec enim unquam aliàs in noſtros amores ſeſe magis inclinavit Deus, quàm ubi ſe vitem dixit, & nos palmites. Quòd ſi palmites ſimus, erigamur ipſi, terris nos eripiamus, & cœlo reddamur toti.

II. Eſt vitis libertatis index, & nota; eam præferemus, ſi à peccato liberi, ſi à miſerabili voluptatum ſervitute ſimus expediti.

III. Eſt vitis imperii ſymbolum, ac poteſtatis, & hoc quoque præſtabimus ipſi, ſi animis noſtris dominemur, ſi domeſticos paſſionum tumultus, & intempeſtivas affectionum inter ſe pugnantium ſeditiones compeſcamus: verbo uno ſi in Chriſto, ceu vite manſerimus, fide firma, ſpe certa, caritate fervida, aliiſque ſolidarum virtutum exercitationibus. Hæ certè ſi deſint, erimus quidem & ipſi vitis, ſed qualis olim Iſraël, *Vitis frondoſa*. vel ut Hebraica habent: *Boſaec*, id eſt, *evacuans*; vel ut explicat Chaldæus: *vacua fructu*: vel ut Vatablus; *diſſipata*: de qua ſic queſtus olim Dei ſui vice Iſaias. *Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* Expectavi maturos fructus, ab æſtu; ſoléque caritatis probè coctos, & ſapidos; fecit autem labruſcas, hoc eſt baccas agreſtes & acidas, quæ nunquam in cœleſtes menſas inferantur.

Oſee c. 10.

Verùm abeamus ab iſtis, & veniamus ad alteram propoſitæ quæſtionis partem: ea fuit, cur Chriſtus magiſter optimus Eccleſiam cum pomario, aut etiam viridario non compoſuerit. *Cur non pomarium aut viridarium?*

Non placuit pomarium, quia hoc primo parenti, poſteríſque omnibus fatale, atque funeſtum fuit. Periit enim ille, periimus & omnes, & mala morte damnati ſumus, ab una pomi ingluvie.

Non placuit pomarium, quia & illud caſtæ Suſannæ adverſum fuit, & impudoratis ſenibus impudentiæ ſedes, atque iniquitatis. *Dan. c. 13.*

Non placuit etiam viridarium, quia & hoc Iſraëli populo ſuo, nimium quantùm noxium fuit, ut qui *in omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo* meretricis inſtar proſtratus fuerit. Eam porrò proſtitutionem dum odit, lugétque Deus, hæc ad illum Jeremiæ voce: *Ego plantavi te vineam electam, omne ſemen verum. quomodo ergo converſa es mihi in pravum?* *Ierem. c. 2. v. 20.*

Vides ut vineam amarit Deus, ut Iſraëlem plantarit olim, quaſi *vineam electam, & ſemen verum*: at illa, proh dolor! vitio ſuo & ſemen dedit adulterinum, (hoc eſt poſteros à patria virtute degeneres,) & converſa eſt in pravum, dum ingluviei ſe dedidit, & impuris amoribus, idque ſub omni ligno frondoſo: ne & tu, mi Lector, eò veſaniæ, malorúmque venias, prudens cave. *Verſ. 21.*

QUÆSTIO SECUNDA.

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Egreſſus circa horam tertiam, ſextam, nonam, undecimam.* verſ. 3.

QUÆ AD LITTERAM SIT HORA TERTIA, SEXTA, nona, undecimam; & quæ Myſtico ſenſu?

IN hac parabola quædam obvia ſunt, & patentia; quædam remota à communi ſenſu. Hæc inter eſt illud, quæ ex antiqua ſupputandi ratione fuerit hora tertia, ſexta, nona. Ut clariùs evolvatur ea quæſtio, primùm id ſtatuo: Philoſophis diem alium eſſe naturalem, alium artificialem.

Diei diviſio prima. Naturalis dividi ſolet in horas omninò quatuor ſupra viginti; itaque tam lucem complectitur, quàm noctem; tam ortum, quàm occaſum ſolis hujus. Artificialis continet horas non ampliùs duodecim, quibus ſcilicet ſol eminet ſupra horizontem.

Et ſecunda naturalis. Ex hac, & illa diei partitione factum, ut Judæi noctem diviſerint in quatuor vigilias militares, quarum cuique tres horæ concedebantur; ſimiliter, & diem in quatuor omninò partes, quarum ſingulis tres etiam cedebant horæ.

Et hinc exurgit alterum, quod hîc ſuppono; Servatorem optimum hac ultima diei artificialis uſum eſſe partitione, dum ait à Patre-familias quoſdam in vineam evocatos primò manè, ſeu hora prima, alios tertia, quoſdam ſexta, nonnullos nona, imò & poſtremos undecima, hoc eſt ſub finem nonæ. Prima enim complectitur tres primas lucis horas, tertia tres proximè conſequentes, ſexta ſimiliter tres alias; denique & nona etiam tres: & ſic recenſes horas duodecim, hoc eſt diem artificialem, quantus, quantus is eſt.

Et hæc de ſenſu litterali, qui in aperto eſt; addamus pauca de Myſtico, qui adhuc manet in occulto. Origenes vult diem illum eſſe ſpatium longiſſimi temporis, quod fluxit à prima mundi hujus molitione, quod in præſentia etiam fluit, fluetque uſque ad occidium Univerſi, ſupremamque lucem. Ita Origeni hominum vita, imò tota quanta, quanta Orbis hujus ætas, dies unus eſt, cujus hora prima eſt fluxus ille ſæculorum, qui fuit ab Adamo uſque ad Noëmum, & eluviem illam univerſæ terræ; hoc eſt mille quingenti quinquaginta duo anni. Hoc tempus omne prima fuit hora, in qua ad Dei agnitionem, amoréſque puros evocati primævi parentes, Adam, Eva, Abel, Seth; aliique, quos mundus oriens vidit, & in ſua aluit infantia. *Tertia Myſtica.*

Hora tertia eſt curſus annorum à Noëmo uſque ad Abraham; id eſt, ducenti & duo ſupra nonaginta. *Et quæ illa?*

Hora ſexta eſt ab Abrahamo uſque ad Moyſem, hoc eſt, quadringenti nonaginta anni. Et hic fuit Univerſi meridies, & quaſi adulta illius ætas.

Hora nona à Moyſe ad Chriſtum, id eſt, mille quingenti octoginta quatuor anni.

Denique hora undecima, & quaſi ultima diei illius portio, ſeneſcente jam mundo, eſt à Chriſto Salvatore

tóre uſque ad veſperam, id eſt, Orbis occaſum. Hic oculos, animúmque fige, mi Lector, & tecum ipſe ſedulus expende, primùm quæ ſit Orbis ætas? ea quanta eſt, dies eſt: deinde quid in illo die hora? mille, eóque ampliùs anni. Denique quid ex tota illa ætate tibi relinquatur? An dies unus? minimè gentium. An hora? ne illa quidem; nec enim tibi, aut mille, aut etiam quingenti numerantur anni; & ut annumerentur ex Cœli, Deíque computo, hora dumtaxat una recenſeretur. Quid ergo tandem tibi decerpitur ex illo die, horáve, quæ tibi videtur longiſſima? fortè anni ſeptuaginta, fortè etiam octoginta, & poſt eos labor, & dolor, & morborum cohors, quæ tibi incumbit. Ecquid igitur puſille mortalis, quid vitæ dies computas? imò quid horas? cùm vix ex toto unicum momentum tibi reſiduum ſit. Et tamen, ô pudor, ô dolor, ô cœcitas, ô dementia! illo illo ludimus: & ut ait Poëta, *brevi* (non dico fortes; ſed inertes) *jaculamur ævo multa*; Non anno, non die, non hora; ſed momento jacimus aleam æternitatis. Sed hoc attigiſſe ſit ſatis; inſtitutum proſequamur. Placet nonnullis alia hujus parabolæ expoſitio, & ea cadit in unumquemque noſtrûm, qui & nomine, & re etiam ipſa Chriſtiani ſumus.

Et illa, Orbis ætas, dies unus.

Vita dies unus,

Ex his enim vocantur aliqui hora prima, hoc eſt jam inde ab ætate tenellula, ipſiſque cunis: alii hora tertia, ſcilicet in adoleſcentia, & primo quaſi ævi flore; nonnulli hora ſexta, & in ipſo quaſi vitæ meridie, cùm anni ſunt viriles: pauci hora nona, id eſt ætate jam ad veſperam, ſive ſenectutem inclinata: pauciſſimi verò hora undecima, in extremo ſenio, effœto corpore, & in terram curvo.

Vocatio alia atque alia.

Et in eos tamen etiam benefica Dei manus, non ſine inſigni amoris prodigio; & divinæ prædeſtinationis argumento, in quo memoria dignum, illud quod ex Peraquaria recentibus literis accepimus.

Litter. An. 1635. 6.7.

Vetula erat à vitæ, morúmque integritate nota omnibus; hærebat illi anima in extremis labris in horas, imò in momenta ſingula quaſi abituriens, & hoc menſe toto, quo in agone lethali decertarat non ſine ſtupore aſtantium; quos inter Pater, qui excuſſis conſcientiæ illius latebris, nihil grave, nedum mortiferum deprehendit: ſcrutanti porrò quid ſibi vellet illud in moribunda prodigium, dixere ſodales duo: indubiè iſthæc mulier baptiſata non fuerit, & id erit cauſæ, cur tamdiu lucta teneat, & egreſſum fruſtra tentet ſenilis animus. Hæc ubi audiit Pater, è veſtigio unà cum ipſis ægram reviſit, multaque à domeſticis ſciſcitatur, ac tandem nunquam baptiſatam, ſed tantùm Chriſtianæ nomine à parentibus donatam comperit; moxque eam ſacris aquis expiat.

Mirum dictu, viſuque; ad ſingula Sacerdotis verba attendit, ac reſpondet, quorum ubi finem pronuntiandi is fecit, fecit & ipſa vivendi. In quo mirabetis amabiles divinæ providentiæ vias, quæ animulam illam in extremo longioris ævi limine, inter ipſa vitæ, mortiſque confinia, primùm ad vineam ſuam evocavit: deinde ad recipiendum denarium æternæ beatitatis.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Nonne ex denario conveniſti mecum.* V. 13.

CUR ÆTERNA MERCES DENARIUS VOCETUR?

Ratio movendæ quæſtionis.

MIRUM fortaſſe, & inſolens cuiquam videri poterit quòd æterna beatitudo viliore illa, imò ſubinde & noxia denarii appellatione deſignetur. Quis enim neſciat, quæ à denariis, ac nummato ære in genus noſtrum importentur mala? ob quæ viri magni pecunias malo nomine, ceu ſtigmate notarunt.

Quia pecunia vel mala, vel mali cauſa.

Seneca licèt profanus homo, eas *furorem* eſſe dixit. *Dubitabit aliquis*, inquit, *ferre paupertatem, ut animum à furoribus* (*hoc eſt à divitiis*) *liberet*.

Libel. de paupert.

Ambroſius molliori voce, ſed damnanda magis, *illecebras* appellavit, & *lenocinia delictorum*; ſic enim ait. *Magna illecebra delinquendi eſt rerum affluentia.*

Lib. 2. in Iob c. 5.

Chryſoſtomus *paſſiones* eſſe pronuntiavit, non quod reipſa paſſiones ſint; ſed quod eas quaſi ſopitas excitare, imò & generare videantur.

In catena.

Salvianus *materiam voluptatum omnium* eſſe dixit. *Imò peſſimum, ac feraliſſimum morbi genus.* Sic enim altiore ſtylo. *Auro nihil eſt ſceleſtius, & peſſimum, ac feraliſſimum morbi genus divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui. Quid enim pejus, aut quid miſerius, quàm ſi quis præſentia bona in mala futura convertat?* Chryſoſtomus, ad quem redeo, graviore uſus verbo, ac cenſura, divitias eſſe cenſuit veluti quoddam *inferni viaticum*; ſic enim S. Præſul: *Malus, ſupplicii viaticum, divitias habet.*

Lib. 4. ad Eccleſ.

Lib. 2. ad Eccleſ.

Hom. 29. in 1. ad Cor.

Quòd ſi eæ ſint divitiæ, idque à nummis ingeneretur malum, ut ipſi quodammodo pro ſupplicio ſint, aut ſaltem pro viatico ſupplicii, quaſi ad hoc ire non poſſit viator homo niſi per divitias, burſamque benè nummatam; cur increata Divini Verbi ſapientia, beatitudinem (quæ ſummum eſt bonum) cum denario componit? imò quaſi denarium eſſe contendit? Hic quæſtionis eſt nodus, qui ſolvendus nobis relinquitur. Ut porrò ſolvatur probè; Primùm rationes petam ex ipſo pecuniæ uſu. Deinde ex hominis genio. Denique ex Dei ipſius mente.

Reſolutio ex 3. rationibus petita.

Viderat Servator optimus, magni momenti eſſe in utramvis partem, ad animæ ſcilicet ſalutem, aut perniciem, qui divitiis utare; ideóque ut utereris quàm optimè, beatitudinem denarium eſſe dixit. Sicuti enim cæ res, quæ proſtant venales, emuntur denario: ſic & cœleſtis gloria pecuniis (ſi hæ benè impendantur) comparari poteſt. Quod ex authorum fide, atque teſtimoniis oſtendo.

I. Ex bono uſu pecuniæ.

Hecatæus apud Clementem Alexandrinum, hominis felicitatem aiebat eſſe *ſufficientiam*, hoc eſt, ſaltem eas opes, rerúmque copiam, quæ homini ad honeſtam vitæ ſuſtentationem ſufficere poſſit.

Strom.

Alii divitias cœleſtis gratiæ veluti parentem dixêre; alii tanquam cœli januam, & oſtium, quo pateat aditus in beatæ domum æternitatis. Alii denique veluti hujus pretium.

S. Cyrillus: *Non eſt malum argentum*, inquit, *ſi tamen utare benè.* Subjicit deinde: *Poterit ſanè aliquis ſeminans illud pauperibus, etiam per pecunias juſtificari.* Non quòd pecunia *juſtificet* (hoc enim, & à ſcholæ placitis, & à veritate nimis alienum) ſed quòd eâ, qui commodè utitur, is ſibi gratiam acquirere poſſit, quâ cœlo judice juſtus ſit.

Catech. 8.

Neque verò ad gratiam dumtaxat pecuniis fit via; verùm etiam ad gloriam. Teſtem habeo eundem *Matth. c. 19.* D. Cyrillum. *Vis noſſe*, inquit, *quòd bona, & opes poſſint eſſe oſtium regni cœlorum? Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis.* Hunc indubiè quæris, & ambis quiſquis es viator. Et ſanè niſi quæras, atque ambias, inſipiens es, & mortalium omnium miſerrimus: futurus contrà fœliciſſimus, ſi liberalem manum pauperi explices, ſi tumentes auro gazas aperias. Eadem quippe via tibi cœlum aperies, & oſtium illius regni, cui poſſidendo natus es; & quod dato etiam nummo emere potes.

Appello Chriſti fidem, atque authoritatem, cui nemo unus omnium refragari poteſt: ubi in decretorio illo die cauſam reddet, cur hos ad cœleſte præmium evocet; illos ad æterna inferni ſupplicia deturbet: illicò adjicit quod rationum eſt inſtar om- *Matth. c. 25. Supra.* nium; *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: omninò id per pecunias*, inquit D. Cyrillus. Ecce ut theſauros ſibi recondit in cœlis, qui nummos benè elocat in terris: quod, ut aliàs ſæpè, magnificè exponit D. Chryſologus:

Serm. 8. *Theſaurus cœli*, inquit, *eſt manus pauperis, quod ſuſcipit, ne in terrà pereat, reponit in cœlum.*

Theſaurizate, inquit, *vobis theſauros in cœlo. Manus pauperis gazophylacium eſt Chriſti: quia quicquid pauper accipit, Chriſtus acceptat*; acceptat, inquam, in terris; ut deinde reddat in cœlis, cùm ſcilicet erunt ineundæ rationes dati atque accepti: in his enim primò reponitur, quod pauperi dederis, quia ut aureè D. Chryſologus:

Serm. 14. *Quòd Abel paſſus ſit, quòd ſervavit mundum Noë; quòd Abraham fidem ſuſcepit; quòd Moyſes legem tulit; quòd Petrus crucem reſupinus aſcendit, Deus tacet, & hoc clamat ſolum quod comedit pauper. In cœlo prima eſt eſurientis annona, prima ſtipendia pauperis tractantur in cœlo, erogatio pauperis, prima divinis ſcribitur in diurnis.*

Ubi nimirum Deus, magnus ille Pater-familias operarios evocat, ut pro diurno labore mercedem rependat; primùm in rationibus ponit nummos, quos pauperi erogaris: quaſi iis ſolis empta ſit beatitudo, pro qua ſuccurrit & alia ratio, cur dicatur à Salvatore denarius.

II. Ex hominis genio.

Adverterat magiſter optimus, quanta mortalibus eſſet auri, argentive cupido, & quo ad ea conquirenda raperentur impetu; ideoque etiam cœleſte præmium ſub aliqua denarii imagine proponit, ut à terrenis divitiis (quæ fluxæ ſunt) ad divinas (quæ æternùm permanent) aſſurgant; ſic enim etiam aliàs ad ſuos auditores:

Luc. c. 12. v. 33. *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis*: Sacculos objicit & theſaurum, cui quærendo invigilent, atque inſudent toti. Ecce, *Serm. 24.* inquit D. Chryſologus: *Docet avaritiam, qui cœperat ſuadere contemptum.* Sed quam inquies avaritiam? eam certè quæ virtuti, quæ cœlo ſerviat, quæ cœleſtia venetur bona, gloriámque nullo ævo perituram; *cujus nimis*, ut in ſimili Seneca, *honeſta eſt* *De brev. vitæ c. 3.* *avaritia.* Ad hanc impellit, urgétque Chriſtus, dum & ſacculos impleri jubet, & theſauros effodi, quos ſcilicet avara mens habet in amoribus. Et hæ ſunt artes, hic magiſtri pius dolus; virtutem tegit avaritiæ ſpecie, gloriamque blando, ac illecebroſo theſauri nomine objicit; ut hunc dum amat, ac propè deperit homo, & illam totis votis appetere diſcat, atque ſectari. In quo profectò facit quod piſcatores ſolent: hamum illi eſcâ tegunt, ut dum hac capitur piſciculus, illo capiatur: theſauri, homini ſunt, quod eſca piſci, gloria quod hamus; illos dum capit, ab hac capitur.

III. Ex Dei mente.

Bonas illas Magiſtri cœleſtis artes dum attendit D. Chryſologus, quaſi divino percitus æſtu, exclamat:

Chriſte quò te pertrahit amor tuorum? ut avarum lucrifacias, facis enim, quod deſiderat, non quod oportet audire: ſacculos imperas: æternos theſauros, qui non deficiant vis parari; ut avarus dum conſueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur. *Serm. 25.*

Et ita capti ſunt plerique mortalium, quos modò incolas habet cœleſtis Jeruſalem. Sunt enim ut D. Bernardi verbis utar: *Sunt viri divitiarum in Civitate Domini virtutum.*

Habet mundus hic viros divitiarum; id eſt, qui *Serm. 12. in Cant.* ad cœtera fœminei, molles, evirati; ad congerendos autem per fas, nefâſque theſauros, viriles, fortes, erectique videntur. De quibus ſic olim Vates: *Viri divitiarum dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis.* In ipſo ſcilicet vitæ mortalis occaſu; ortu autem æternitatis, vacuas manus mirari, damnare, lugeréque cœperunt.

At non ſic *viri illi divitiarum*, quos cœlum amat. Iis nempe plenæ ſemper manus, plenæ, inquam, bonis operibus, plenæ theſauris nunquam perituris. Quia nimirum *honeſtâ avaritiâ* quæſiverunt *denarium*, non qui ſerviret tempori, ſed æternitati. Ut eum & ipſe quæras mi Lector, increata Patris æterni ſapientia tibi beatitudinem exhibet ſub denarii ſpecie non cujuſcumque, ſed *diurni*. Et hoc quidem primò te docet, quàm fluxa, fugaxque ſit nummorum poſſeſſio, ut quæ vix diem teneat, & ſtatim fugiat poſſeſſorem ſuum, vacuúmque deſtituat.

Deinde monet, ut abeas ab inſana illa nummorum cupiditate: & ſi divitiæ tibi ſint in votis, non ſint illæ diurnæ; ſed diuturnæ.

Digna cedro vox Euripidis: *Non probo uſquam* *In Pel.* *inter homines illas opes, quæ faciliùs delentur à Deo, quam ſcribuntur.* Ne illas etiam proba, benevole Lector. Denique & alterum attendas quod tibi in aurem tacitè ingerit *denarius diurnus*, ut eum facias eſſe diuturnum; facies autem, ſi, ut ante inſinuavi, in manus pauperum repoſueris, ſi in ſacculos jeceris, conſtituendos non in hominum manibus; ſed in amabili Dei providentia: ut olim fecit Conſtantinopoli è civibus unus aliquis, iſque opulentus. *Lib. 10. Vit. Patrum.* Huic aliquando Deus eam cogitationem immiſerat, ut emoriens pauperes ex aſſe hæredes faceret. Annuit bonus ſenex, ſi modò filius, ad quem ea ſpectabat hæreditas, etiam eò propendere videretur. Juvenem ergo ad ſe vocat, & opportunè ingerit, quæ ſibi Deus injeciſſet conſilia. Amabo te, inquit, ô fili: quid ſi pauperes hæredes dixero, & tu JESU-CHRISTI etiam pauperis ſis hæres? Quid tibi deeſſe poteſt, ſi pupillo tutor JESUS? ſi cœlum hæreditas? Et hanc, & illum elige mi nate, & te, parentémque tuum bearis. Ad hæc adoleſcens: Ecce me paratum ad omnia, mi Pater, probatur conſilium, placet tutor; placet hæreditas, & ſuper omnia JESUS. Ecquid enim à terra expectem niſi divitias brevi perituras? Ut magnæ ſint illæ; attamen, diurnæ ſunt, non diuturnæ: *Divitiæ tuæ hodie ſunt, mi Pater, & cras non erunt; Chriſtus autem manet in æternum.*

Hæc ubi ex filio parens audit, egenos ex aſſe hæredes ſcripſit, & mox naturæ, fatóque non immaturo ceſſit. Id facinus primùm attonitos mortales habuit; deinde etiam præcones tantæ vel in parente, vel in filio virtutis: at hunc ab illius morte mox egeſtas excepit, & omnium rerum indigentia, longáque, ut aſſolet, patientia; erat enim ſpe, & in Deum fiducia dives, cœtera pauper. Sed divina providentia, quæ ſuis ſemper invigilat, eum brevi ad altiorem fortunam evexit. Erat Conſtantinopoli Vir nobilis, iſque in paucis opulentus, cui filia unica, eáque jam nubilis; illi dum quæritur maritus, patrem inter, & matrem ita convenit; ut is deligeretur, qui non tam opibus præſtaret, quàm inſigni virtute. At quis, ille,

Digitized by Google

ille, & unde petendus? Venit in mentem, ut mater de inſequenti ſummo mane ſacras ædes peteret, & qui primus ab illa intraſſet adoleſcens, is filiæ daretur conjux. Rebantur enim pium Numen, qui ſortes temperat, & cui in primis pietas placet, eum ſubmiſſurum, qui ex voto filiæ in maritum cederet. Et certè etiam ceſſit; qui primus enim templum ſubiit, fuit ille ipſe adoleſcens, de quo in præſens ſermo. Hunc ut vidit matrona nobilis, ſuſpexit illicò, caſtéque adamavit. Spirabat enim neſcio quid in vultu humano majus, frons, oculi, facies, totiúſque corporis compoſitio ad modeſtiam, virtutémque ficta. Placuit tamen non de facie tantùm noſſe, ſed etiam ex eo quærere quid hominis? quidve nominis? mittitur puer honorarius, qui evocet, qui adducat. Paret adoleſcens, quem inter, & matronam illam, ubi pauca ultrò, citróque dicta, tandem innoteſcit eſſe illum ipſum juvenem, qui ex ſuo, parentiſque voto ſeſe bonis omnibus exuerat, ut Chriſtum in pauperibus indueret: nec mora (ut magnæ, ac potentes in virtute ſunt illecebræ) hæc ad illum mulier nobilis. Eſt mihi filia domi, eáque unica; ſpes familiæ, bonorum omnium hæres, parentum amor, ac deliciæ. Hanc tibi ſponſam amo, voveóque bone adoleſcens; agè, me ſequere. Sequitur ille, ſubitque domum Viri nobilis; cui tota res pateſcit aperiente conjuge, vocatur filia; placet adoleſcens, placent nuptiæ, celebrantur ſolemni pompa, ſtupor omnes invadit, & rei tam novæ, tam inuſitatæ admiratio, unáque etiam commendatio divinæ providentiæ, cui imprimis ſuorum eſt cura.

Habes in eo amice Lector, quòd mireris, quod ames, quodque imiteris, & quidem prodigam in patre liberalitatem, in filio paupertatem, ac patientiam: in hoc autem & illo inſignem rerum omnium humanarum deſpicientiam. In eam venit parens, venit & filius, tum quia divitias hujus ævi norant eſſe diurnas, & lucis unius uſuram; tum quia in oculis, & amoribus erat denarius beatæ æternitatis, mercediſque nunquam interituræ: tum denique quia hanc emi poſſe credebant etiam denario perituræ brevi hæreditatis. Imitari non pigeat, quod audire, quod legere delectat.

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Quid hîc ſtatis tota die otioſi?* verſ. 7.

QVOD OTIVM DAMNET MAGISTER OPTIMVS?

LUCILIUM dum inſtruit Annæus Seneca, primùm hortatur, ut ſe ſibi vindicet, ut tempus colligat, & ſervet. Exponit deinde, ac luget infœlicem mortalium ſortem, apud quos, aut exigua, aut nulla temporis æſtimatio: *Quem mihi dabis*, inquit, *qui aliquod temporis pretium ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori?* Denique ſub oculos ponit tres veluti hominum claſſes. Sunt enim, inquit, quibus *magna vitæ pars elabitur malè agentibus*; ſunt quibus *maxima nihil agentibus*; ſunt etiam, quibus *tota aliud agentibus*. [Epiſt.]

[Otium duplex:] Ex hoc Philoſophi pronuntiato conficies, duplex eſſe otium, & utrumque vitioſum. Unum dici poteſt purum, alterum negotioſum. Prius illud, eſt ab omni ſeria actione remotum; poſterius multis implicitum, & diſtractum curis. In eos, qui aut hoc, aut illo diſtinentur, verti poteſt illud Chriſti,
I. [Otium negotioſum, & quod illud?] *quid hic ſtatis tota die otioſi?* Et primùm quidem ut eos impetamus, qui diem totam, id eſt vitam, in otio negotioſo malè terunt: videamus qui ſint illi.

Ii ſunt qui omne tempus ſuum, omnémque induſtriam in rebus nihili collocant, è quibus nec ſibi, nec aliis fructum faciant, qui ferat æternitatem.

[Epiſt. 31.] Hos culpat Seneca, vocátque *in vanum operoſos.* Et alio in loco pari venuſtate, dicit eos *operosè nihil agere.* Et Plinius, *otioſiſſimis occupationibus perdere diem.* [De Tranq. vit. c. 12.]

Ex illis olim fuêre Athenienſes, quorum opus quotidianum, fuit levis & inanis curioſitas; quorum proinde *otium improbum* appellat D. Baſilius. [Lib. 9. Ep. 6. In Pſ. 45.]

Quod improbi laboris ſit è ſtudiis, & antelucanis lucubrationibus, id ſolùm ſectari, ut tibi nomen facias, & vanam gloriam aucuperis.

Ex iis plerique ſunt hoc ævo. Et primùm quidem ii, qui in foro, veríſque litibus teruntur, qui in Gymnaſiis, in theatris, domi, foriſque famæ ſuæ, ac oſtentationi inaniſſimè velificantur; quos Tertullianus *negotiatores famæ* nominare conſueverat. Deinde & illi, qui mercimonii causâ longos terræ, maríſque tractus percurrunt, eo tantùm conſilio, ut inde lucrum aliquod faciant, ut gazas ſuas auro oppleant, ut officinas mercibus peregrinis onerent. Interea de virtute acquirenda, de parandis cœlo meritis, de ſalute, de æternitate; aut nihil, aut omninò parum cogitant: & hi omnes vitam exigunt in *otio negotioſo*, ac penitùs damnando.

Tales olim fuêre Sidonii, gens plus æquò mercimoniis addicta, & avaritiæ in paucis ſtudioſa. De qua etiam muta conqueruntur elementa.

Erubeſce Sidon, ait mare, fatigati elementi vox iſta dicentis eſt: Erubeſce Sidon. Hoc eſt meos fluctus negotiator arguis, cùm ſis ipſe fluctibus inquietior, & erubeſce vel pudore, quoniam periculo non moveris, verecundiores venti ſunt quàm veſtræ cupiditates: illi habent otia ſua, nunquam veſtra quærendi ſtudia feriantur, & cùm otioſa tempeſtas eſt, nunquam veſtra navigia ſunt otioſa. [Iſa. c. 23. v. 4.] [Lib. de Elia. c. 19.]

Et hæ ſunt iſtius elementi querelæ, hæc muta vox, quâ *otium* illud *negotioſum* accuſat, & damnat. Et certè accuſaret, damnarétque in hominibus hujus ſæculi, qui ut olim Sidonii, & calentes à multo ſole terras, & formidanda tempeſtatibus maria ſuperant, & hoc quidem tantùm, ut fortunas augeant; quorum ut ait Salomon, *vacua ſpes, & labores ſine fructu, & inutilia opera.* Ecquid enim, ut ex iis quæ- [Sap. c. 5. v. 11.] tam quod olim Sapiens: *Quid habet homo de univerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole?* Hoc eſt, ut explicat D. Hieronymus. Cùm hanc mortalem vitam exuerit, & immortalem induerit homo, quid habebit ex omni labore, quem in res vaniſſimas impendit? quid reliquum ſibi faciet? quid ſervabit in æternitatem? Omninò nihil; niſi fortè ingens ſupplicii pondus, quo in omne premetur, atque opprimetur ævum: & hoc quidem, quia laboravit pro iis, quæ ſunt *ſub ſole*, hoc eſt, pro rebus inferioribus, ac terrenis; quales ſunt inanis gloriola, dignitatum tituli, & gazæ opulentiores. [Eccl. c. 1. v. 3.]

Omnes ſub eodem ſole verſantur, inquit Olympiodorus: *ſed eorum qui laborant, alii vires intendunt ſuas, ob ea, quæ Solem ſupereminent, ut cæleſte regnum in hæreditatem accipiant: alii verò ob ea laborant, quæ ſunt* [Ibidem.]

ſub ſole, ut inanem ſcilicet gloriam, vel præmium dignitatiſve acquirant. Illi fœliciſſimi; hi autem mortalium omnium infœliciſſimi. Ut & alii, qui inſanis amoribus ſeſe proſtituentes nulli operæ, nulli labori parent ut libidinem ſuam expleant, de quibus & illud Senecæ: *Vacat pudicitia, libido occupatiſſima eſt.* Quia ſectatoribus ſuis, alias ex aliis curas, atque occupationes intexit: qui illis malè vacant, ac teruntur, *Luc. 13.* ab Evangeliſta dicuntur *operarii iniquitatis*, quos Dominus in die decretorio à ſe longiùs abire jubebit, & in quos aliquando cadet illud Eſdræ: *Cap. 4.* *Lugebunt qui operantur terram, quoniam ſemina eorum deficient ab uredine ignis æterni.* Ne tibi etiam aliquando deficiant, amice Lector, agè, labora: ſed in vinea Domini: ſed in virtute: ſed in ſalute procuranda. *1. Cor. c. 16* Hoc enim *opus Domini*, à quo te manebit æterna merces, æternum, & fortunatum otium.

Tale fuit illud, quod olim ambivit, quæſivitque D. Auguſtinus decrepita, & affecta jam ætate. Viriles annos, eóſque meliores labori dederat, & curis paſtoralibus, proximíque ſaluti, poſtremos ſibi ſervari cupit, & uni Deo in quiete litteraria, & ſacra; quam ut aſſequatur, optat ſibi dari *Eradium* Presbyterum in Inſula ſucceſſorem; qui veniret in partem oneris, quo liber in ſanctis Scripturis ſeſe exerceret, quod dum facit: *Epiſt. 110.* *Nemo*, inquit, *invideat otio meo, quia meum otium magnum habet negotium.* Magnum enimverò negotium, quia ſalutis, quia Dei, quia æternitatis, cujus ergo ſuſcipitur: nec enim in eo aliud intendebat pius Præſul quàm ſibi, & Deo vacare in otio illo litterario.

Otium iners & quid ſit illud? Sed ne longiùs, tranſeamus ad aliud genus otii, quod deſidioſiſſimum eſt, & languidum. Hoc ſacri Doctores, aliis, atque aliis metaphoricis appellationibus (ceu coloribus) depingunt. *In Hippol.* Euripides vocabat *τερπνὸν κακὸν jucundum malum*, dulce venenum, amicam perniciem, cui magna hominum pars ardenter inhiat.

I. Jucundum malum.

In cap. 10. Eccleſ. D. Hieronymus otium eſſe dixit, *rubiginem ſapientiæ, & ingenii.* II. Rubigo ſapientiæ. Ut enim arma, dum eſt alta pax, obducuntur rubigine; ſic otio mens humana dum torpeſcit, quaſi rubiginem contrahit, ac ſitum ſpiritalem. D. Baſilius otium vulgò appellabat *fermentum monaſteriorum*: quia ut hoc totam farinæ maſſam, cui commiſcetur, corrumpit: ſic otium monaſteria inficit, ac perdit.

III. Virtutum venenum. Silius deſidiam, atque otium virtutis venenum eſſe pronuntiavit; ſic enim cecinit: *Lib. 3.*

—— ——*blandoq; veneno*
Deſidiæ, virtus paulatim evicta ſeneſcit.

IV. Vitæ caries. Scaligero: *Vita caries otium eſt, & Hetica ægritudo.*

Ut enim hæc radicalem humorem corripit, ac ſenſim exedit; ſic & otium, ſi quis in anima ſit ſenſus pietatis, ſi quis virtutum (ut ita loquar) ſuccus, illum invadit, atque depaſcitur.

Theodoricus Studita, qui pro Dei religione pugnans occubuit, otium vocabat *Animi ſontes ferias*, V. Sontes feriæ. quod videlicet animum reum efficiat, & puniendæ nequitiæ labe pollutum. *Serm. 10.*

D. Thomas otium eſſe cenſuit *hamum*, quo diabolus, malus animarum prædo, piſcari ſolet in hoc vitæ pelago. VI. Hamus diaboli.

In vit. SS. L. 7. a. 8. D. Chryſoſtomus, graviore cenſura notat *otioſitatem* appellátque magiſtram omnis mali, & ita jam inde à primis ſæculis audiit apud Eccleſiaſticum. VII. Magiſtra vitiorum. Sic enim inquiebat olim: *Multam malitiam docuit otioſitas.* *Eccl. c. 33. v. 29.* *Per hanc* enim (ut inquit D. Auguſtinus) *accendimur ad luxuriam, per hanc animamur ad ſuperbiam; per hanc ducimur ad mundi gloriam; per hanc tentamur delicatè paſti; per hanc ſuffocamur pretioſè veſtiti; per hanc ad ſuperfluam dormitionem trahimur; per hanc ad verba ſecularia ducimur.*

Ecce quæ vitiorum monſtra parit otioſitas, ut proinde ab aliis meritò dicatur veluti quædam *Dæmonis negotiatio*, VIII. Dæmonis negotiatio. imò & *requies*, ac *pulvinar*, cui indormiſcit; & ita audiit oraculo ipſius Salvatoris.

Cùm enim fuſiùs ageret de improbiſſimo Satanæ conatu in ſalute hominum affligenda, illum aut vigilantia ejectum, excuſſúmque ex humano corde, veluti nidulo ſuo, in quo ſceleris beneficio quieverat, *ambulare per loca arida* inquietum, ac ſpeculantem opportunitatem redeundi. *Matth. c. 12.* Ea porrò ſeſe offert, ubi invenit *domum*, hoc eſt, animam *vacantem*; in Græco eſt *σχολάζοντα* propriè *otiantem*: adeóque omni ex parte commodam, paratámque ad malum illum hoſpitem excipiendum; nec ad illum tantùm, ſed & alios ſeptem ſpiritus illo nequiores: ita fiunt novíſſima hominis illius pejora prioribus.

Ex illa doctrina, ac veritate, quam extulit Magiſter optimus, factum, ut priſci illi Patres apud Caſſianum, dixerint *operantem monachum Dæmone uno pulſari; otioſum autem innumeris ſpiritibus devaſtari.* *De ſpir. Acad. c. 15.*

Mitto cætera, quæ de otio jactari poſſunt, & ex his quæ protuli conficio, illos, qui diem inerti otio, atque animi ignavia fallunt, meritò à Servatore ſic corripi: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Ne & tu aliquando corripiaris, amice Lector, otium fuge, laborem ama, & hoc tibi cœleſtes divitias para. *Unuſquiſque fortunæ ſuæ faber eſt*, inquiebat unus aliquis. Et tu faber eſto; ſed fortunæ altioris: eris autem ſi in Domini vinea ſedulus labores.

QUÆSTIO QUINTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Murmurabant contra Patrem-familias dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti.* verſ. 11.

QUIS SIT INVIDIÆ GENIUS?

DIVUS Joannes, JESU amor, ac deliciæ, vidit olim in exceſſu mentis *civitatem Sanctam Ieruſalem deſcendentem de Cœlo à Deo*, eámque quaquaverſùm apertam, atque patentem: erant enim illi *ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab Occaſu portæ tres*, amabili profectò divinæ providentiæ conſilio, ut cuique mortalium facilis, atque obvius in eam eſſet ingreſſus, ſeu ille de primo ſurgeret Oriente; ſeu è frigido veniret Aquilone: ſeu ab Auſtro tenderet ardentiore: ſeu denique aſcenderet ab Occaſu.

Ut porrò ex omni loco pervia eſt cœleſtis illa Jeruſalem: ita & omni hora.

Mihi teſtes erunt ii ipſi, quos Pater-familias in vineam ſuam evocavit; ex illis enim immiſſi quidam ſummo

ſummo mane: alii hora tertia: nonnulli hora ſexta: aliqui etiam nona: denique (ne qua tanti boni vacua eſſet hora) etiam undecima ſub ipſum propè ſolis occaſum. Et his etiam, uti & illis datus denarius in domo æternitatis, & civitate beatitatis: adeò prona in omnes, omni loco, omnique hora Dei miſeratio. Verùm ut ea ſit, invenit nihilominus, quod in hoc rodat, mordeatque dens invidus: ne longiùs abeam ab inſtituto; ubi ſua operariis illis attributa merces, à noviſſimis ordiri placuit, & his datus denarius, ſicut & primis; hinc maledicæ illæ voces, hinc iniquæ querelæ, hinc immanis adverſus Patremfamilias expoſtulatio: *Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus.*

Habet nimirum etiam in divinis, quod carpat invidia, cujus genium, moremque hîc inquirere mihi eſt animus.

Invidiæ genius. Illud livori vitium eſt, ut propriis ſedulò incumbat bonis; alienis autem invideat, imò deterat quantum poteſt: diceres illi eſſe malè, ubi aliis eſt benè.

Ita evenit operariis illis, de quibus in præſens eſt quæſtio.

Lib. de beat. orat. 7. *Illi*, inquit Chryſoſtomus, *non dolebant quaſi fraudati de mercede ſua: ſed quia illi ampliùs quàm merebantur, accipiebant. Hoc enim proprium invidiæ, quando alteri aliquid additur, ſic dolent invidi, quaſi illis ſit ſubductum, quod illi eſt additum: ut puta, ſi videat fieri aliquem ditiorem, putat invidus ſe pauperem factum; ſi alter ſapientior fuerit factus, ita dolet, quaſi ipſe ſit inſipiens.*

Hunc gravi, ſed aculeata oratione ſic pungit Divus Gregorius Niſſeæ Pontifex:

Quid paſſus es infœlix? quâ acceptâ injuriâ extabeſcis acerbis oculis ſucceſſus proſperos invidens vicini? Quid habes, quod de eo conqueraris? quod crimini des? ſi ille corpore decorus? ſi eloquentia ornatus? ſi genere ſuperior eſt? ſi aliquo magiſtratu initio ſplendidus, ac magnificus in dignitate conſpicitur? Cur hæc tibi tanquam cuſpides telorum in cor incidunt? complodis palmas, digitos complicas, cogitationibus angeris, ex intimis præcordiis ſignificantia ducis ſuſpiria.

Hæc ad illum ſacratiore eloquentiæ vi ſanctus Præſul, qui occultos invidiæ motus, æſtusque animorum in apertum effert, belléque oſtendit, cur alienæ fœlicitatis malus æmulator iis implicetur malis, ac tormentis; quia nimirùm proximi bonum, eſt illi veluti cuſpis aculeata, quæ in cor, vitæ ſedem, illabitur, illudque immani vulnere fœdat, lancinat, fodicat. Et hinc ille doloris ſenſus, & ex hoc gemitus, ac ſuſpiria, quaſi ſatiſcentis animulæ. Et hoc quia *proſperitas aliena illi ſupplicium eſt: & parum eſt, ſi* Lib. 5. de Provid. *ipſe ſit fœlix, niſi alter fuerit infœlix*, ut disertè advertit Salvianus.

Ita oblato denario beatitatis fœlices erant operarii: at parum illis fuit ſic fuiſſe fœlices, niſi forent alii infœlices, hoc eſt, denario illo vacui.

Et hæc eſt *calamitas ſine remedio*, ſic *odiſſe fœlicem*, Lib. de zelo & livore. inquit D. Cyprianus.

At cur inquies hunc odit invidus? quæ ratio? quæ cauſa invidiæ? Eam reddit ore aureo D. Chryſologus: Serm. 2. quia ſcilicet *invidus avarus eſt, & quidquid habet alter, ſe computat perdidiſſe.*

Et hoc eſt ingens malum, quo qui laborat, etiam Invidiæ malum. vivens, ac ſpirans ipſos mortis æternæ, ac inferni cruciatus patitur. Sic enim illatum animis ab invidia ſupplicium, appellandum cenſuit Vates regius: Pſal. 17.

Dolores, inquit, *inferni circumdederunt me*; vel ut legit D. Auguſtinus:

Dolores invidiæ. Quæ ſcilicet Saülem, aliósque innoxii Davidis hoſtes occuparat, & torquebat, ut ſolent inferni dolores, atque cruciatus.

Hoc declinare ſi voles, invidiæ ſemitas declina, & de alieno bono, ut tuo gaude. Pluribus ſuperſedeo, quia de hoc vitio, multa in authoribus ſuccurrunt, & pauca libaſſe inſtituto meo eſt ſatis.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

PROPONIT hîc Servator optimus parabolam, cujus ipſe, quia ſimul & author eſt, & interpres, ſupervacaneum eſſet, imò propè temerarium pro ea explicanda calamum ducere. Ideóque eo omiſſo, procemii loco quæram, cur tum hîc, tum aliàs ſæpiùs parabolis ſit uſus? Prima ratio petitur à natura, quæ docet à notioribus ad minus nota gradum eſſe faciendum: notiora autem ſunt ea, quæ ſub ſenſum cadunt: cujuſmodi ſunt parabolica. Ignotiora verò fidei myſteria, quæ ſolo capiuntur intellectu, & quidem nonniſi tum, cùm affulget aliquod fidei lumen; ut enim Zeno Veronenſis: *Hæc eſt proprietas Dei, id operari, quod non poteſt credi*; nempe ſola naturæ vi. Et hinc mihi Serm. de Reſur. ducitur altera ratio affinis primæ; quamdiu animus hoc corpore, ceu lutea mole, premitur, vix aſſurgit ad altiora, & ſpiritalia; vix ea capit, niſi aliquo modo ſenſui immerſeris: *Nihil* enim *in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu*, inquit Philoſophus. At Parabola rem ponit ſub ſenſu, ut quod ſub ea latet arcanum, illius beneficio evadat in intellectum.

Et hinc D. Cyrillus parabolas componebat cum pictura, quæ res etiam abſentes, & quàm longiſſimè remotas, in oculos primùm; deinde in animum illis velut internuntiis inferre ſolet.

Alii parabolas comparabant cum aqua, quæ ſpecies aſtrorum, Lunæ, ac Solis, & molliùs reddit, & fideliùs, ut videre eſt in Ecclypſi Lunæ, aut Solis, quam debilis, ac nutans oculi acies vix capit, vix exhibet; niſi vas aqua plenùm objecerit; tum enim eam clariùs uſurpas oculis. Fidei myſteria nobis ſunt inſtar Solis, & aſtrorum: ea non agnoſcit, non videt humanæ mentis oculus, niſi illorum veluti ſpecies, ac ſimulacra quædam in aqua, hoc eſt in parabola, recipiantur.

Accedit etiam & alia cauſa: quòd Hebræis olim parabolæ in uſu, & amoribus eſſent; fortè quia ſub eas, quaſi tecta veritas, molliùs illabebatur. Et inde parabolis uſus eſt IESUS: ut & Iſraëlis genio ſerviret, & avitis Majorum moribus, pro quibus etiam

---

EX D. THOMA.

[*Matth. 25*] DISTINGUIT triplex *ſemen*. 1. *Eſt verbum* DEI. 2. Eſt *ſemen Iuſtitiæ*. De hoc Apo- [*2 Cor. 9.*] ſtolus. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* 3. *Semen* eſt *quodlibet bonum opus.* De hoc Regius Vates: [*Pſal. 125*] *Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua.*

[*Serm. 4.*] Hæc ſemina tollunt volucres cœli; id eſt dæmones, qui dicuntur volucres ex triplici capite. 1. *Propter volatus ſublimitatem.* 2. *Propter volatus velocitatem: velociores perſecutores fuerunt aquilis cœli.* 3. *Pro-* [*Tren. 4.*] *pter rapacitatem: quærens quem devoret*, inquiebat D. Petrus, de malo dæmone.

Deinde dicuntur volucres, & quidem cœli propter tria. 1. *Propter originem*; creati enim ſunt in cœlo empyreo. Quomodo cecidiſti de cœlo. 2. *Propter ſubtilitatem, Lucifer, qui mane oriebaris.* Ecce [*Iſai. 14.*] naturalium perſpicacitas & ſpecioſitas. 3. *Propter habitationem*; ſunt enim *ſpiritualia nequitia in cœleſtibus.* [*Epheſ. 6.*]

Hæ porrò cœli volucres. 1. Tollunt *ſemen verbi Dei, errorem in corde hominis ſeminando.* 2. *Semen Iuſtitiæ, ad injuſtitiam pertrahendo.* 3. *Semen boni operis, faciendo gloriam de bono opere*, ut faciunt hypocritæ, qui dum eleemoſynas faciunt, ante tuba canunt.

EX D. BONAVENTURA.

DIVUS Bonaventura, ut aliàs aſſolet, nonnullas hic movet quæſtiones, éaſque myſticas, ac morales, quas inter

[*Dom. Sexag. ſerm. 2.*] I. *Quid ſeminandum?* reſpondet: *bonum ſemen*; ut ſcilicet *bonum metas: quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet: ſi bonum, bonum; ſi malum, malum*; hinc illud benè monentis Eccleſiaſtici: [*Cap. 7.*] *Fili non ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ & non metes eum in ſeptuplum*: videlicet *in gehenna*, in qua miſellus homo, infœlici fœnore metet, quod ſeminàvit malum, & quidem in ſeptuplum; ſunt enim in illa *pœnæ ſeptem, Ignis, vermis, fœtor, fumus, tenebræ, vincula, frigus.*

II. *Quantum ſeminandum?* reſpondet liberaliter *& in benedictionibus*: ut nimirum de benedictionibus metas; non autem parcè, ut parcè metas, certè *modica ſeminis detractio, non modicum eſt meſſis detrimentum*, ut ſcitè D. Bernardus.

III. *Ubi ſeminandum? in terra* utique bona? quæ ſit illa, & quàm varia, explicat fuſiùs S. Doctor.

[*Serm. 4.*] *Quadruplex*, inquit, *eſt terra bona*, & hinc etiam *quadruplex ſemen*, quod illi committitur.

Una eſt *materialis*, quam pedibus terimus, & quam verſamus in ſudore vultus noſtri. In hanc [*1. Cor. 15.*] conjicitur *corpus noſtrum*, ceu *ſemen. quod ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in virtute; ſeminatur animale, ſurget ſpirituale.*

Altera terra eſt *virginalis, intacta* illa quidem, & ab humanis manibus *inculta*, & tamen *fœcunda*: in [*Gen. 22.*] hac *ſeminatur, Chriſtus*, in terra utique virginali, de qua illud Scripturæ oraculum: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, in ſemine tuo, qui eſt Chriſtus.*

Alia terra eſt *ſpiritualis*, eáque bona; *cor* ſcilicet *bonum*, & bona voluntas: hæc gremio ſuo excipit *ſemen verbum Dei*, quod facit *fructum trigeſimum in incipientibus; ſexageſimum in proficientibus: centeſimum in perfectis.* Vel ut habet Gloſſa, *centeſimum in virginibus, ſexageſimum in viduis, trigeſimum in conjugatis.*

Quarta terra eſt *æternalis*, quam *poſſidebunt mites*, [*Matth. c. 5.*] & in qua ſibi partem, ac ſedem optabat David, cujus votum: *Portio mea Domine ſit in terra viventium.* [*Pſal. 141.*] Hujus porrò *ſemen eſt opus meritorium, quod ſeminatur in terra æternali; in cœlo* enim *ſeminamus, ex quo & in* [*Serm. 4.*] *cœlo metemus*, & quidem tantum quantum ſeminaverimus: & hæc dicta ſint de tertia quæſtione.

Quarta erat, *quando ſeminandum? manè* ſcilicet & [*Serm. 2.*] *veſpere*, hoc eſt ſecundùm Gloſſam; *In pueritia, & in ſenectute*: & in hac, & in illa aſſiduè ſeminandum; incertum quippe eſt quamdiu licebit; quia ut diſertè D. Bernardus: *Mors non parcit ætati, nam & ſenibus eſt in januis, & juvenibus in inſidiis.* Hujus porrò, illiúſque temporis meminit Aggæus Propheta, dum ſic opportunè monet: *Mane ſemina ſemen tuum, &* [*Cap. 3.*] *veſpere non ceſſet manus tua.* Redeo ad primam quæſtionem, à qua paululum diſceſſi; ea erat de ſemine, quod D. Bonaventuræ rurſum eſt quadruplex.

I. Eſt *ſcientia*; hoc requirit doctos ſeminatores, [*Serm. 5.*] qui jaciant ſemina verioris doctrinæ; non autem *zizania erroris, & falſitatis.*

II. Eſt *pœnitentia*: hoc *peccatores ſeminant in lacrymis, & in exultatione metent.* [*Pſal. 125.*]

III. Eſt *miſericordia.* *Opera miſericordiæ ſemina noſtra ſunt*, inquit Auguſtinus: *ſi ergo ſeminas in agro pauperum Domini pecuniam, panem, veſtem: centuplum recipies, imo & milleſimum.* Ecce quo fructu, & fœnore; quod dum ſpectat D. Chryſoſtomus ore exclamat aureo: *O quanta beatitudo, pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris ſemper viventia, & habere Dominum debitorem.*

IV. Eſt *Iuſtitia*, cui mercedem apud Superos amplam ſpondet Sapiens: *Seminanti Iuſtitiam merces fidelis.* [*Prov. c. 11.*]

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Semen eſt verbum Dei.* Lucæ c. 8. v. 11.

QVOD ILLVD DEI VERBVM? Et cur ſemen?

Seminatur Dei Filius. QUi ſeminat Dei filius eſt; Exiit ille à patre jam inde ab æternitate per divinam generationem: ſeipſum enim intelligens Pater, Verbum expreſſit ſui, vivámque imaginem ejuſdem etiam individuæ conſortem naturæ.

Exiit ab æterno, exiit in tempore. Exiit deinde poſt immenſæ æternitatis lapſum, poſt immenſa ſæcula, longóſque ſoles; exiit tandem, & in Virginis uterum, ceu molle, ſubactúmque ſolum, elapſus, quaſi in ſemen abiit: ſemen dico, novellum, cœleſte, divinum; Verbum Incarnatum, Deum hominem, Chriſtum JESUM.

Primo Semen Chriſtus. Ita mihi author eſt Iſaias, qui hæc olim de illo præſagâ mente, calamóque: *Semen ſanctum erit quod ſteterit in ea.* Cap. 6. Componit eò loci populum Judaicum cum terebintho, aut quercu jam exſucca, arida, atque emortua; cui tamen ſpem facit vitæ melioris, à novo, cœleſtique ſemine, quod ſteterit in ea. Semen autem illud, eſt Meſſias, qui ex Iſraëlitica ſtirpe velut arbore ſterili, effœta, damnatáque, in terram virginem incidit, & primùm in germen, deinde in arborem proceram evaſit, & quaquaverſum Orbe toto ramos explicuit, altóque, ac cœleſti vertice Cœlum ipſum petiit.

Quod illud? Hoc porrò ſemen Hebraicè dicitur *Mattſebet*, id eſt, ſtatua, columna, fulcrum; & verò appoſitè.

Eſt enim Chriſtus ſtatua, quam erexit æternus Pater, ac divinus amor, de Deo triumphans.

Eſt columna veritatis, quæ firmo, ſtabiliq́ue pede inconcuſſa manet, medios inter errorum fluctus, & tumultuantes hæreſum æſtus, inferníque minas.

Eſt fulcrum, cui innitatur, atque incumbat Eccleſia; quo etiam fulciri, atque ſuſtineri poſſunt bonæ mentes, ne quo impete labantur, aut etiam conniveant.

Hoc porrò ſemen incidit in ſaxa, Judæos, inquam, duræ cervicis, cœlo, Deóque rebelles.

Incidit in ſpinas, à quibus in ipſis cunis, velut in molli, teneráque vagina propè ſuffocatus, atque extinctus: Herodem intelligo, quem ſua cupiditas, & inſana regnandi libido, eò perculit, ut hoc divinum ſemen vix natum obruere tentaret.

Cecidit etiam ſecus viam, dum à patrio ſolo, propriiſque ſedibus exul, abiit in Ægyptum, ibique velut ſecus viam illapſum, & conculcatum aruit in abjectis Ægyptiorum mentibus.

Denique, & hoc ſemen incurrit in terram bonam, mollem, facilem, ſubactam: Apoſtolos intelligo, piáſque mentes; in quas admiſſus Chriſtus fecit fructum centuplum, & quod acceperat ſemen, multo fœnore reddidit.

Secundo Semen Verbum Dei. Sed & aliud eſt genus ſeminis, de quo parabolam ſuam exponit Magiſter Optimus; eſt illud verbum Dei, quod cum ſemine apprimè convenit.

Analogia prima. Eſt ſemen arbori principium generationis, & illius quaſi vita prima: habet enim in ſeipſo animam vegetativam, quam deinde effundit in plantam.

Et Dei Verbo ſua ineſt vita: appello Chriſti fidem atque oraculum, *Verba*, inquit, *quæ locutus ſum vobis; ſpiritus, & vita ſunt.* Ioan. c. 6. v. 64. Spiritus, quo trahimus, atque imbibimus cœleſtes auras, & cœlo, ſuperiſque ſpirare diſcimus: Vita, qua vivimus non huic ævo; ſed æternitati.

Hanc jam inde ab ipſis Eccleſiæ cunis agnovit, atque amavit Beatus Petrus; cùm enim fortè fortuna difflueret tota Chriſti concio, & in ſuas ædes abiret malè ſanus auditor, ad diſcipulos converſus magiſter, ait: *Nunquid & vos vultis abire?* pupugit ea vox diſcipulorum animos, quibus una Chriſti præſentia erat in deliciis.

Hinc Petrus, quem altiùs aliis amor extulit, extulit & vocem: *Domine*, inquit, *ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Sequantur alii vanos illos, & futiles oratores, à quibus tantùm aures, & auræ vapulant; ad animos autem pervadit omninò nihil. Ego lateri tuo adhærebo Salvator optime, ego ab ore tuo pendebo totus; verba enim vitæ habes, & æternæ quidem. Et hæc prima divini verbi cum ſemine eſt analogia.

Altera eſt, quod ut ſemen manu jacitur: ita Dei verbum non ore tantùm prædicantis; ſed vel maximè manu (hoc eſt opere, vitæq́ue exemplo) ſpargitur. Secunda. Ut autem illud benè & æqualiter fiat, *manus debet congruere cum gradu, ſemperq́, cum dextro pede*, ut inquit Plinius. L. 18. c. 24. Sic etiam *Sacerdotis Chriſti, os, mens, manusq́, concordent*, ait D. Hieronymus. Et ſic quàm optimè divini verbi ſemen jacietur.

Tertia. Alia ſeminis, & divini verbi conſenſio in eo poſita eſt; quod ſicuti illud molliore, ſubactâque terra ſuſcipitur: ſic & hoc, aure primùm attentâ hauritur; deinde corde puro, atque optimo retinetur: quæ enim alia hujus cœleſtis ſeminis ſtatuatur ſedes?

Si Galeno credimus, cordi duæ ſunt aures; ſicuti & capiti: provido ſanè naturæ conſiliô; ut ſcilicet aptius eſſet excipiendo Dei verbo, imò & retinendo, velut in aliquo illius ſacrario. De uſu part. c. 15.

D. Paulino teſte, olim in templis duo erant ſecretaria: in dextro S. Euchariſtia; in ſiniſtro ſacræ Scripturæ codices religioſè aſſervabantur. Epiſt. 12. ad Severinum. Ea nimirum Majores noſtros occuparat horum reverentia, atque religio jam inde ab Apoſtolis petita. Certè D. Barnabas, qui Evangelium Matthæi ſuâ manu exſcripſerat, hoc in ſinu geſtare ſolitus; diceres illi ſinum eſſe pro terra, ubi reconderetur illud ſemen, quod ne à mortuo quidem avelli potuit. Quod enim in Apoſtolo ames, ac mireris, unà cum eo ſepeliri voluit, ut eadem terra, idem tumulus, & Evangelium, & Barnabam obtegeret, & qui vivus Dei verbum animo, ceu ſinu foverat, etiam in corpore mortuus retineret. Et hinc mihi ducetur alia ſimilitudo ſeminis, & divini verbi. Ut illud excipiat terra, aratro ſubigi debet, & findi, purgari, ſarriri, runcari, & alia, quaſi ſui ipſius diſpendia pati: & qui ſemen melle, aut ſaccaro condire velit, qui auro conveſtire, næ ille inſipiens reputabitur. Sic & Dei verbum animum requirit: ſed quem, inquies? eum certè, quem multa pœnitentiæ vis ſubegerit, quem plurimus labor fregerit, quem longa excoluerit patientia. Non autem qui melle natet, & ſaccaro; hoc eſt, qui putida voluptate diffluat. Et inde

Petitur

Quarta.

Petitur alia quædam affinitas ſeminis, & verbi divini: ut enim is, qui ſeminat, terram duriuſculè exercet, ac veluti fatigat: ſic & ſacer Eccleſiaſtes forti quadam, ac nervoſa utatur eloquentia, quæ Auditorum animos penetret, verſétque partes in omnes, vi etiam altiore, & linguæ aculeis, ceu ferro, ceu ligone perfodiat, etiam ſi voles, cum aliqua aurium injuria, atque offenſione: quæ tamen animo ſit medela. Nec enim molliculos illos oratores amat Dei verbum, qui auribus tantùm blandiantur, & malè palpent; In hos certè verti poteſt illud Senecæ:

Epiſt. 75

Quid aures meas ſcalpis? quid oblectas? aliud agitur: urendus, ſecandus ſum. Circa verba occupatus es? jam dudum gaude, ſi ſufficis rebus.

Nimirùm veritatis oratio ſimplex eſt, & ipſa per ſe congruit, nec fucum aliquem, & exquiſita medicamenta depoſcit; ſed gravitatem quandam cum majeſtate ſevera conjunctam. Et in eum finem credit D. Gregorius Nazianzenus Apoſtolis à Domino mandatum, *ut neminem per viam ſalutarent, ne viderentur in eis magis vigere blanditiæ.*

Lib. c. 10. In Catena S. Thom.

Quinta.

Sed & aliud eſt, in quo ſemen cum divino verbo conſentit. Ut pullulet illud, ut ex ſe germen edat, cœli rore, pluviarúmque exundantiâ debet irrigari, alioquin exareſceret totum. Sic ubi Dei verbum, animo, ceu parato ſolo, admiſeris, ut in te cœlum impluat, eſt neceſſe: alioquin ſterileſceret illud; maximè in arido, atque exſucco tuo ſinu: madeſcet autem ille, & multo imbre perpluetur, ſi adſit ingens ſitis, hoc eſt deſiderium audiendi Dei voces.

Orat. 20.

Tale fuit in Apoſtolis, teſte Baſilio Seleuciæ Epiſcopo. Sic enim de illis olim: *An non ſitientibus auribus diſcipuli, tua, ô Domine, dicta excepêre?* Tale etiam in filio ſuo eſſe voluit Baſilius Imperator, qui hæc illi inter extrema monita: *O fili, quemadmodum teneræ plantæ fontibus irrigatæ vireſcunt, floreſq́, & fructus ferunt: ita mens ſacrarum litterarum ſtudiis irrigata, magis, ac magis augeſcet, ac pro fructibus egregias virtutes producet. Ut enim corpus ſaginatur cibis, ſic animus ſanctis ſermonibus alitur, ac vegetatur.* Hæc pius Cæſar, qui filii mentem, ceu molle ſolum, irrigari voluit, ut plantæ ſolent.

Cap. 17.

Fatendum tamen illud, ſatis non eſſe ſi multus ſemini imber appluat; niſi etiam alto caleſcat ſole: Sol enim, ut vulgò dici ſolet, plantis eſt pater, & Luna mater: & hæc, & ille radiis ſuis eas excitant, æſtúque alterno ſovent. Dicam enimverò ſuſcepto Dei verbo, ceu ſemini, opus eſſe ſingulari, ſive Chriſti Jesu, ſive Virginis matris appulſu, hoc eſt, favore, gratia, præſidio, & æſtu quodam ab his diviniore. Si enim de propinquis, de Patre, de matre rectè pronuntiavit D. Chryſologus: *Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies eſt adſpectus matris, Sol patris rutilat in vultu.* Ita dies amœna, ſuda, calida eſt Mariæ favor, & Solis inſtar benignior Chriſti aſpectus; à quo ardor quidam entheus, quo primùm incaleſcat Dei verbum, ceu ſemen: deinde in germen ſeſe exerat: tum in bonorum operum flores: denique in virtutum ſolidiſſimarum fructus, quos extulit etiam à virtute ſeminali: fatendum quippe ſemini magnam vim ineſſe: terram enim tam infernè dividit, ut radices agat, quàm supernè, ut germen efferat. Et in hoc accommoda ſeminis cum Dei verbo conſenſio. Hoc quippe penetrabilius *omni gladio ancipiti.* Sexta.

S. Epiphanio Epiſcopo ea vis fuit, ea verbi energia, ut Gundebaldo Burgundionum Regi arma è manibus excuſſerit: nimirùm *acutior verborum quàm ferri lamina*, inquit Ennodius; quod in Dei verbo verum quàm maximè: hoc enim & ferrea, imò & ſaxea hominum corda penetrat, atque pervadit, & ſi fortè obſiſtant impete vehementi abripit. inde à Triſmegiſto *Verbum divinum torrens* appellatur, quod inſtar torrentis effluat, & obvia quæque ſecum trahat, ac rapiat. Et hæc pauca notaſſe ſit ſatis. *In ejus vita.*

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Aliud cecidit ſecùs viam, & conculcatum eſt.* V. 5.

QUID INSINUET ILLUD: SECUS VIAM?

Dei verbum

DIXIT olim Baſilius Seleucienſis, hominem eſſe *ſpicam rationalem*: ego verò *terram rationalem* appellabo. Et verò ſic eum tacitè vocandum cenſuit Magiſter optimus, in parabola, de qua in præſens diſceptatio; dum enim pronuntiavit, *ſemen* eſſe *verbum* Dei, inſinuavit hominem, in quem cadit, quaſi terram eſſe, quæ illud admittat. Multùm autem intereſt, quæ ea ſit, & cujus genii, quóve ſitu, ac loco.

I. Scriptum in monte Horeb, id eſt, ſiccitatis.

Hebræi excepêre aliud, atque aliud Dei verbum. Et quidem primò ſcriptum in monte *Horeb*, id eſt, *ſiccitatis*. Erat enim ille maligna quadam ariditate damnatus; *chorab* quippe, à quo deducitur, idem eſt quod areſcere; ut vel ex ipſo datæ legis loco, monſtraretur quàm arida forent Judæorum corda, in quibus jactum cœleſte verbum, ceu ſemen, ſterileſceret. Deinde accepêre Dei verbum vivæ vocis oraculo traditum; & hoc quidem in monte *Sinai*, id eſt, *rubo*; ſic enim eum interpretatur B. Petrus Damianus: *ſene* quippe, id eſt, *rubus*, unde *Sinai* dictus, à frequentibus in eo rubis. Portendebat illud quaſi ſilveſcentes Judæorum animos, & undique obſitos, atque obſeſſos ſentibus, ac ſpinis vitiorum.

Opuſcul 44.

II. Dictum in monte Sinai, i. rubo.

Secus accidit in ſtatu gratiæ. In hoc enim Chriſtiani etiam habuêre injectum ſibi Dei verbum. Et quidem *ſcriptum* in monte *Sion*, id eſt *ſpecula*; dictum autem in colle *Oliveti*, hoc eſt *Olivarum*, quod earum ferax eſſet: & hic & ille ſymbolum fuit pacis, ac miſerationis, quam in Chriſtianos, ceu molle, ſubactúmque ſolum, demiſit provida Dei manus. Tanti refert in quam terram, (hoc eſt in quas animas) cœleſte ſemen inciderit. Si enim (ut ad rem propiùs accedam) in eam, quæ tenaciter hæret in via peccatorum; fructum nullum edet: ſi in eam quæ eſt *ſecùs viam*, hoc eſt in mediis occaſionibus peccandi; & tum etiam facilè maligno tartarei hoſtis pede conculcabitur; ſi denique *in via*, hoc eſt in hominum turba, & frequenti concurſu; & tum aura populari, ceu aſlante vento, ſemen excuti poterit, nec radices aget, aut fructum unquam feret; quod paucis oſtendere, non erit ab inſtituto meo alienum.

III. In Sion, id eſt, ſpecula.

IV. In colle Olivarum.

Didacus Colada in Iudith.

Primùm igitur, ut abeamus à via peccatorum, in quam fruſtrà jacitur divinum ſemen, videamus quomodo etiam ſecùs viam malè profundatur.

I. Cadit illud ſecus viam, id eſt, vicinam occaſionibus peccandi.

Hæc

Psal. 118. v. 101. Hæc olim de ſe, & verè, & piè Propheta Regius: *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut cuſtodiam verba tua.* Hebræi legunt, *ab omni via vallis*, id eſt *declivi, ac præcipiti.* Quæ ſit illa quæris? eſt ea quæ *ſecus viam*, hoc eſt quæ vicina occaſionibus peccandi: ab ea David prohibuit pedes ſuos; vel ut Aquila vertit, *conſtrinxit pedes ſuos*, ne deflecterent ad ipſa peccatorum confinia; quam animi, pedúmque, id eſt affectionum præcautionem, mirè prædicat D. Hilarius.

Perfecta, inquit, *& Evangelici viri vox eſt: ab omni ſe malitiæ via abſtinere, & tot ubique occurrentibus erroris ſemitis, nulli earum, per quam nequitia adeatur, incedere.*

Rectè *per quam nequitia adeatur*: ea quippe eſt peccandi occaſio, quæ primos veluti aditus aperit; ab illa quàm longiſſimè recedere debet, quiſquis in benè cœptis ſtare volet: ut enim bellè Seneca:
Epiſt. 116. *Quantum poſſumus nos, à lubrico recedamus, in ſicco quoque parum fortiter ſtamus.*

Si à lubrico illo longiùs abiiſſet Petrus; nec à ſe, nec à Domino tam turpiter abiiſſet. Abiit autem quia *ſecus viam* ambulavit, hoc eſt ſeſe induit in occaſiones peccandi, dum in Pontificum atria ſe incautus immiſit.

Admiſerat ille hoc Chriſti verbum: *Antequam gallus cantet ter me negabis.* Erat illud cœleſte, divinúmque ſemen, animo, ceu terræ, reconditum. Verùm ô pudor, ô dolor! illud è corde, è memoria extulit malus Dæmon, & hoc quia erat Petrus *ſecùs viam*, hoc eſt in occaſionibus peccandi, quibus dum connivet, cadit quàm turpiſſimè; quod malum dum expendit D. Chryſologus; ſimul attendit in paſſione Domini, quod Petrum inter, & Joannem fuerit diſcrimen.

Serm. 78. *Mirum*, inquit, *fratres, cùm comprehenderetur Dominus, Ioannes abjecit ſyndonem, & Petrus inventus eſt nudus; quia Ioannem texit fuga, Petrum negatio ſic nudavit.*

Serm. 152. Rationem porrò cur nudarit, hanc reddit: *Petrus quia fugere noluit, abnegavit; Ioannes ne abnegaret, aufugit*; & hinc ille à fide, gratia & charitate nudus: hic autem illis probè tectus. Hinc cecidit ille; hic verò ſtetit: ille flammis infidelitatis arſit; hic ne incaluit quidem: quia fugit hic, non ille; tantùm in fuga eſt momenti.

Serm. 116. Scitè appellavit D. Chryſologus, *fumantes occaſiones*: quia ut flamma fumo eſt proxima; ſic occaſio delinquendi propè cum delicto conjuncta; ideóque qui hoc fugit, ut illam quoque fugiat eſt neceſſe. Ita fugit olim caſtus Joſeph, in quem cùm Domina *manus injeciſſet armatas libidine*, ut ait Baſilius,
Baſil Seleuc. orat. 8. *tenacibus manibus retentam permittens veſtem, libidinis effugit anſas.* Crederes veſtem, neſcio quid contagii hauſiſſe à fœmineo attactu; ita illam abjicit mens pudica: diceres anſam eſſe libidinis, ſic abjicit illam juvenis longè caſtiſſimus. Et quoniam eò me labi paſſus ſum, ut inciderim in occaſiones fœdæ cupidinis ſtudioſè devitandas, non poſſum quin ſtylo ſignem illud D. Gregorii Nazianzeni ſacri Oratoris, qui dum agit de contubernio virginum, ac
Orat. 42. virorum; *Contubernales*, inquit, *viri quidem nentiquam; ſed viri tamen. Eam familiaritatem odi, quæ per aërem contrahitur.*

Si eam familiaritatem odit, quæ tantùm per aërem initur; quantùm odiſſet illam, quæ etiam per contubernium, per unum, idemque tectum, quod virginem, ac virum malè tegit; dum malè protegit?

Sed ne longiùs; deſcendo ad aliud, quod mihi initio propoſui, etiam DEI verbum, ceu ſemen, cadere *ſecus viam*, dum cadit in animas, quæ à DEO quodammodo abeunt; dum abeunt à ſe, ab amica ſolitudine, & ad hominum turbas, ſtrepitúſque deflectunt. In has ſi immittatur ſemen, facilè conculcatur; imò & à prava ſocietate, atque à malo Dæmone abripitur, ne germen edat, & fructum. II. Secus viam, i. in hominum turba, & tumultu.

Ratio in oculis eſt, quia qui ſic diſcedit à ſeipſo, facilè tranſit ad plures, hoc eſt relicta virtute jam parta, ad aliorum quibuſcum agit mores, vitiáque deſcendit. Quod ipſum vel ſolo naturæ ductu agnovit Seneca.

Facilè, inquit, *tranſitur ad plures. Nemo non aliquod nobis vitium, aut commodat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Malignus comes quamvis candido, & ſimplici rubiginem ſuam affricuit. Nunquam mores quos extuli refero. Aliquid ex eo, quod compoſui, turbatur; aliquid ex his, quæ fugavi, redit.* Epiſt. 7.

Si Seneca quoties inter homines fuit, minor homo rediit; ſi mores quos extulit, nunquam retulit; ſperabis te in ſecretum conclave referre poſſe, quod ex eo boni extuleris? ſperabis enimverò, & fortè etiam præſumes improbè: ſed ſpes tua te fallet, & iniqua præſumptio damnabit.

Ac ne meis dictis minùs tuta ſit fides, ad experientiam provoco, & te ipſe, qui hæc legis, in teſtem appello: quoties in arcano cubiculi, procul ab arbitris, procul ab hominum turba divinas inſpirationes, ceu cœleſte ſemen, in animum admiſiſti, ac deinde ſeu prurigine quadam humanæ converſationis, ſeu tædio ſolitudinis, ex ea in publicum proruipiſti; ibique quodammodo prodegiſti, imò & abjeciſti, quæ priùs conceperas quàm optimè. Ecce ſemen *ſecùs viam conculcatum.*

Nec conculcatum modò, ſed & ablatum; imò quod deterius, & aliud ſuperinjectum, idque miſellæ menti mirum quantum noxium. Ab hoc enim vitia concipis (ceu infelix lolium) quo bonum ſemen penitus extinguatur. Et hoc ideò tantum, quia inter homines fuiſti, quia *ſecus viam* abiiſti.

Teſtem volo illum, quo authore jam utor, Senecam, ſic enim de ſe ipſo. *Avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior, quia inter homines fui.* Epiſt. 7.

Ne & tu ei ſimilis aliquando redeas, mi Lector, author tibi ſum, imò author eſt ipſe DEUS: ut apud teipſum maneas, tecum habites, tecum loquaris, tecum agas in opportuna ſolitudine. Solitudo amica Dei verbo.

Erit illa tibi veluti *hortus concluſus*, in quam malo ſerpenti nullus pateat aditus. Erit inſtar *turris*, imò, & *ſpiritualis arcis*, quæ adverſarium arceat. (Sic enim illam appellat Orator ſacer) *Ab arce noſtra*, inquit, *hoc eſt à ſolitudine.* Erit illa *aſylum*, quò confugias ab hoſtis appulſu tutus. Erit *Cœleſtis doctrinæ ſchola, & divinarum artium diſciplina.* Erit denique *mors vitiorum, & fomes, ac vita virtutum*, dum divini ſeminis fomes erit. Orat. 2. Orat. 1. Baſil. de laud. Erem.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba: *Aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* verſ. 6.

QUÆ SIT ILLA PETRA? ET QUIS HUMOR, cujus penuriâ laborat?

Petra cor durum, & aridum.

PETRA illa, in quam infelici lapſu ſemen incidit, eſt cor hominis; ſed durum illud, ſaxeum, & impenetrabile, in quo cœleſte verbum, ceu ſemen, radices jacere non poteſt: quia aridum eſt, ac lapideum, nec affuſo etiam imbre quamvis copioſo molleſcit, quia eum non imbibit.

Tale cor Judæorum.

Ejuſmodi fuêre Judæi, dura capita, & ſaxeæ mentes; in quas etſi Meſſias liberali manu ſemen immiſerit, illicò tamen exaruit: quia non habebat humorem, quo foveri, alique poſſet.

Hanc porrò depravati animi duritiem, & indomitum ſupens pectus, viſus eſt Deus præſagiſſe; cùm eis legem obtulit, ſed ſcriptam in tabulis lapideis: in quibus enim potiùs? Erat illis cor omni marmore, imò & adamante durius, de quo olim præſago ſpiritu Zacharias:

Cap. 7. v. 12.

Aures ſuas aggravaverunt, ne audirent; & cor ſuum poſuerunt, ut adamantem, ne audirent legem, & verba quæ miſit Dominus exercituum in ſpiritu ſuo, per manum Prophetarum priorum. Non ſic in nova lege, lege

2. Cor. c. 3.

gratiæ, ac miſerationis. Ea quippe *ſcripta non in tabulis lapideis; ſed in tabulis cordis carnalibus*; hoc eſt, mollioribus, & opportuno humore madentibus. Quale fuit, etiam cor ſponſæ, quæ hæc & verè, & piè de ſeipſa. *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt*: erat illi quippe cor carneum, hoc eſt, facile, ſubactum, & multo perfuſum imbre, & quo imbueretur, & creſceret injectum à Deo ſemen. Et quia tibi ejuſmodi voveo, mi Lector, ideò paucis expono, quis ille humor, quo te madere velim, atque molleſcere; ſi tamen prius docuero, qui obdureſcat, & quaſi lapideſcat humanus animus. Accidit iſtud à peccato, quod vulgò dicitur *obduratio*, eſtque prava affectio cordis, ſceleri ſuo tenaciter adhærentis. Quod ex duplici capite evenire ſolet; primùm ex eo quod aures vel occludit divinæ voci, vel eam ſi fortè admiſerit, quàm primùm excludat: deinde quod voluntatem (in qua una libertas eſt) in tranſverſum agat, itaque evertat, ut nulla omnino ſalutis cura reliqua eſſe videatur.

Cap. 5. v. 3.

Sic olim evertit Iſraëlem, de quo mœſto cantu Jeremias: *Domine*, inquit, *percuſſiſti eos, & non doluerunt; attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti.*

Ecce ſaxea pectora, & caucaſo duriores animos, quibus nec boni ſenſus ſit, nec timor impendentis mali, nec dolor præſentis, nec ſtudium ſalutis.

Tale cor Pharaonis.

Et is quoque fuit infelix Pharao, monſtrum hominis, ſceleriſque portentum, qui, ut ait D. Auguſti-

Serm. 88. de Temp.

nus: *obdurato corde contra Deum ſe ſuperbus erexit.*

Et ii etiam ſunt hoc ævo quamplurimi, qui licèt auribus hauriant Dei voces; at eas animo ſtatim elabi ſinunt: aut ſi memoria ſubinde retinent, non ſinunt tamen radices agere, nec germen edere bonæ voluntatis, multò minùs fructum parere ſalutis, ac

Lib. 1. de Conſid.

beatitatis: quia ſcilicet, *nec compunctione ſcinduntur, nec pietate molliuntur, nec moventur precibus, nec cedunt minis; quin flagellis durantur magis*, ut deplorat D. Bernardus.

Tale malorum Chriſtianorum.

Ita (ne antiqua tantùm, & ipſo temporum lapſu detrita, ſectari videar) in Peraquariæ provincia in malo obfirmatus Neophytus unus aliquis. Is ſæpè

Annua Soc. Anno 1636.

monitus ab uno de Patribus Societatis, ut ſibi, Deoque vacaret impenſiùs; ut feſtivis diebus ſacro intereſſet; ut Eccleſiæ, ceu bonæ matris, præcepta ſervaret: impudenter, ac pervicaciter reſpuebat; imò & perperam agebat omnia.

Quippe primo verni jejunii ſabbato intempeſta nocte ferinam edere cœpit, adjiciens pudendum, atque inſolens illud. *Dormit nunc Deus, nec me modò obſcurâ nocte deprehendit.* Et hoc primum ſcelus, cui die ſequenti adjecit alterum, cùm in religionis ludibrium, ferinæ reliquum abſumpſit, & peccata peccatis accumulans, iterum ſacrum neglexit. Quod poſtremum cùm patrem non latuiſſet, miſſus qui ad dicendam cauſam hominem raperet.

Venit ille, & quidem valens, ac vegetus; ſed ubi pedem in domum intulit; ſubitò corruit, & diſrupto ventre, animum infœlicem cum ferina, & viſceribus, effudit. Ita malè periit, qui DEI verbum, ceu ſemen ſalutis, animo duriore, atque obfirmato ſuſcepit. Nec meliore ſorte alius, qui ut incredendo durus erat, & ſaxeus; ita incredulitatis pœnam tulit in ſaxum converſus.

Nieremb. de Mirac. nat. Europ. lib. 1. c. 2.

Daroſæ, urbe celeberrima, vel ideo, quia ſacræ hoſtiæ à Sacerdote involutæ linteo, dum prælium ibi erat (reportatâ jam à Ducibus victoria) in carnem immutatæ viſæ ſunt; prodigium illud inaudiit incredulus unus aliquis, qui pejerans per ipſas ſacras hoſtias, ſibique imprecans ut in lapidem converteretur, ſi quidem falſum aſſereret, ſaxeus illicò evaſit, hodiéque ſpectari à cunctis poteſt. Ita nimirum malè periit ille, & malè peribunt alii, quos eadem mentis obduratio DEO, ſuperiſque rebelles fecerit. Plura de hoc immani ſcelere, qui volet, conſulat libellum, cui titulum feci; *Flagella peccatoris.*

Venio ad opportunum tanto malo remedium: eſt ille modicus humor, qui tacito, lenique lapſu in animum incidens, eum reddit molliorem, ac DEI verbo planè pervium. Clariùs rem expono: eſt gratus imber lacrymarum, qui in peccatoris, quantumvis obdurati, mentem impluens, eam ſubigit, atque emollit; imò & peccatum omne (à quo uno illa durities) probè eluit.

Lib. de bapt. c. 2.

De Baptiſmi fonte, & aquis, pronuntiavit illud Tertullianus: *Nonne mirandum, & lavacro dilui mortem?* Si mirandum illud; & hoc magis: lachrymulâ vel unicâ, dilui ſcelus omne; quod ut ſolet piè expreſſit

In cap. 5. Matth.

Hugo Cardinalis, ſic enim ait: *Luctus eſt mentis humanæ baptiſterium.*

D. Greg.

Cui pronuntiato ut fidem faciat; è Petri ſede, hoc magni Pontificis depromit oraculum: *Mens lacrymis baptiſata videt lympidius.* Expuit nimirum humores noxios, & omnem, quæ à peccatis erat, lippitudinem. Et hinc aliud animæ bonum; ut DEI verba, immiſſaſque ſibi inſpirationes, & clariùs conſpiciat, & retineat avidiùs.

Bonæ

L. 6. in Luc. *Bonæ ergò lacrymæ*, exclamat Ambroſius, *in quibus eſt remiſſio peccatorum.*

Serm. 167. Bonæ lacrymæ, per quas *reatus ulcera abluuntur.*

Chryſol. *Bonæ lacrymæ, quæ violentæ ſunt in precibus; quæ veniam non poſtulant, & merentur.*

Hugo ſuprà. Bonæ denique lacrymæ, *quæ pondera vocis habent, quæ impetrant; non ſupplicant*, ut ſcitè D. Anſelmus.

S. Max. hom. 3. Has ipſi fundamus uberiùs, iiſque omnem animæ noſtræ ſinum cluamus. Eruot illæ nobis, quod olim pœnitenti Hebræorum populo, qui ut disertè notavit Salvianus, *officioſa undarum patientia liberatus eſt*, *Lib. 2. de guber. Dei.* & hac ipſi liberabimur, & æternùm quidem.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Aliud cecidit inter ſpinas.* verſ. 7.
QVÆ SINT ILLÆ, ET CVR INTERPRETE ipſa DEI *ſapientia, divitiæ appellentur ſpinæ?*

Lib. 4. adv. Marc. c. 20. AUDAX illud effatum Tertulliani: *Deum non natura beneficum; ſed æmulatione.* Quaſi munificus magis ſit ab æmulatione, quâ impulſus in largitiones proruit, quàm à natura, qua ad eas vel maximè propendet. Audax, inquam, illud pronuntiatum, quod tamen infinitam ſummi Numinis beneficentiam in aperto ponit, ac ſi in eo non eſſet ſola naturæ vis ad faciendum benè; ſed immeoſa quædam ab æmulatione propenſio, atque acceſſio.

Ne longiùs abeam à propoſito mihi argumento, in eo exemplum habes, mi Lector, divinæ, ac planè ſingularis munificentiæ, quæ cùm ſemen jam iterum, iterùmque jeciſſet, & quidem fruſtrà in ſterile, malignùmque ſolum; pergit nihilominus, & benigna, ac liberali manu projicit etiam inter ſpinas: ſed ô neſas, ô malum! ſicuti enim projectum ſecus viam ſemen conculcatum eſt, & *ſupra petram* exaruit; ita & inter ſpinas ſuffocatum eſt.

C. 22. v. 29. Hæc olim, atque etiam modò Jeremias triſti nænia: *Terra, terra, terra audi ſermonem Domini.* terra, inquam, ſeu ea, quæ ſecùs viam es; ſeu ea, quæ petroſa; ſeu denique quæ inter ſpinas: audi ſermonem Domini, & aperto ſinu Dei tui verbum (hoc eſt, cœleſte ſemen,) excipe. Verùm fruſtra clamat, atque inclamat Jeremias; non audit terra, non audit. Quî enim audiret? nam ea quæ *ſecus viam eſt*, nimiùm quantùm à Deo ſuo diſſita; ea verò quæ *petra eſt*, vocem non admittit, ſed retundit: ea denique, quæ *ſpinis* horret, hanc illicò præfocat, atque extinguit. Sic fruſtra clamat Vates, & fruſtra ſeminat ipſe DEUS: maximè verò *inter ſpinas*, hoc eſt inter opes, ac divitias: tales enim hæ audiunt, etiam oraculo divinæ ſapientiæ, quod priuſquam exponam, videndum erit, quàm à viris magnis appellationem ſortiantur.

Serm. 28. D. Chryſologus aiebat *fuiſſe ſanctis innocentes divitias.* Quippe divinitùs conceſſas ad uſum vitæ, non ad mortis uſuram; quales fuêre Jobo, Abrahamo, Davidi: ſed quia nocentes ſunt pleriſque mortalium, ideò ab authoribus antiquis, & SS. Patribus alio, atque alio nomine, ceu ſtigmate, notantur. *Divitiæ juſtis quid ſint?* Latinis dicuntur *copiæ*, voce ſanè militari, quæ inſtructam aciem deſignat; & Hebræis eadem vox *chail* exercitum ſignificat, & divitias. *Pſal. 75.* Ita & illi commune eſt nomen, à quo *viri divitiarum* ab Hieronymo dicuntur *viri exercitus*, vel quia divitem protegunt (ut vult Oleaſter) vel quia auri vis, exercitibus potior, *Lib. 12.* (ut opinatur Caſſiodorus.) Pecunia enim *Agmen habet blandiſſimum, arma ſuſcipit ex talentis.* Vel quia ſunt *arma diaboli* quibus mortales impugnat: *De caſt. connub. c. 6.* (ut credit B. Laurentius Juſtinianus) vel denique (ſi iis utaris benè) bellicæ ſunt machinæ, quibus hoſtem impetas, atque proſternas. Quales olim fuerunt Jobo; qui, ut notat D. Chryſologus: *In ipſis divitiarum machinis, & ipſe vicit, & nobis vincendi reliquit exemplum.* *Serm. 28.* Quod ſi imitaremur, rectè nobiſcum ageretur. At agitur cùm pleriſque quàm peſſimè, quia aliud illis ſunt: ut patebit ex Authorum fide.

Epiſt. 42. Senecæ, *divitiæ, aut periculum ſunt poſſidentium, aut onus*, quo demergantur, atque opprimantur: ſic eas appellandas cenſuit: *Quid injuſtis.* *Aurum*, inquit, *& argentum, & magni, levatiq; menſarum orbes, terrena ſunt pondera, quæ non poteſt amare ſincerus animus, ac naturæ ſuæ memor: levis ipſe & quando emiſſus fuerit, ad ſumma emicaturus.* *In conſol. ad Helviam c. 11.* Ut porrò ſic emicet ex innatâ ſibi inclinatione, onus illud abjici volt D. Hieronymus: *Epiſt. 4.* ſi habes, inquit, *ſubſtantiam, vende, & da pauperibus; ſi non habes, grandi onere liberatus es.*

Serm. 5. de Lapſis. D. Cypriano, *divitiæ* ſunt *vincula, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens vincta, & anima percluſa.*

Ecce quæ ab illis vinculis importentur mala; hæc ut declines Senecam audi, & ſi ſapis benè monentem ſequere; ſic ille tibi:

Epiſt. 104. *Opes auctoramenta ſunt ſervitutum, ideóque aurum, argentum, & quidquid felices domos onerat, relinquatur. Non poteſt gratis conſtare libertas.*

Lib. Sent. ſent. 27. D. Bernardo, Doctori lacteo, *divitiæ* ſunt *ſatellites voluptatum*, iis quippe quaſi violenta manu rapimur, atque abripimur ad blandos voluptatum carceres, & perditiſſimas quaſque morum corruptelas.

Hom. 19 in 2. ad Cor. D. Chryſoſtomo humanæ menti ſunt opes, quod infelici populo tyrannus: *Divitiæ*, inquit, *vinculum grave his, qui uti neſciunt; ſævus tyrannus, & inhumanus, omnia imperans in perniciem illorum, qui illis ſerviunt.*

Hæc ore aureo magnus Præſul, qui graviore uſus cenſura, eas ipſas, quas mundus ſtultè deperit, divitias *homicidas* eſſe pronuntiavit.

Hom. de divit. & paupert. *Videtis*, inquit, *divitias, quas ſemper fugitivas appellavi. Non ſolùm fugitivas: ſed etiam homicidas. Nec enim habentes ſe deſerunt: ſed jugulant.*

Ut proinde, qui iis ſeſe dederit, unà etiam jugulum dediſſe ſit cenſendus; gravi ſanè, ac deplorando mortis genere, à quo ille ipſe, quo authore hîc utor, D. Chryſoſtomus, divitias *tortores* vocitare ſolitus: *Silinus l. 4. in Alfon.* *Divitiæ*, inquit, *ſunt tortore acerbiores; tortor enim corpus vincit, divitiæ verò animam vinciunt.* Quod effatum S. Præſulis, & voce, & re etiam ipsâ probavit Sigiſmundus Cæſar. Erant illi ex Hungariâ delata nummorum aureorum omninò quadraginta millia. De quibus dum ſeduló cogitat, concubiâ nocte, ſomnum excutit ex oculis, & quietem ex animo. Ubi luci redditus, illicò in aulam conſiliarios evocat, & fortiſſimos quoſque militiæ duces: ad quos apertâ arcâ nummos digito monſtrans. *Ecce*, inquit, *crudeliſſimi hoſtes, ac tortores acerrimi, à quibus nulla mihi data quies, nullus oculis ſopor.*

Ite proinde, eos è gazis educite, & vos inter æquâ ſorte dividite. Illis porrò nova cum ſarcina, nec ingrata, diſcedentibus, ſubjunxit Cæſar: *Receſſit à me tortor, qui me flagellavit, ſecuriùs modò quieſcam.* Nimirum avaras arca dum flagellat opes; flagellat & animos: quod dum è ſacra ſede, quaſi de ſpeculâ contemplatur Divus Cyprianus, divitias appellat *ſpecioſa ſupplicia.* Nos, inquit, *inter divitias trepidos, cogitationis incertæ ſollicitudo diſcruciat, nec intelligit miſer ſpecioſa eſſe ſibi ſupplicia, auro ſe alligatum teneri.* *Specioſa* enimverò *ſupplicia*: attamen ſupplicia, quæ ut à tuo capite arceret indulgens Deus, argentum, & aurum malos omninò divitiarum cumulos, non extare voluit; ſed in imis terræ viſceribus abſcondi, è quibus tamen eos ſuo malo eruit inſana hominum cupido, atque avaritia. Quod diſertè, ut ſolet, annotavit Seneca: *Terra*, inquit, *quæ quidquid utile futurum nobis erat, protulit. iſta defodit, & merſit, & ut noxiis rebus, ac malo gentium prodituris toto pondere incubuit.*

Lib. 2. Epiſt. Epiſt. 2. — *Lib. benef. c. 10*

Cur divitiæ ſpinæ.

Sed ne longiùs: ad inſtitutum, à quo paululùm digreſſi ſumus, revertamur, inſiſtamusque illi appellationi, qua magnus animarum colonus divitias ſignari voluit. Has ipſe *ſpinas* appellavit, quæ cauſa? hæc erit petenda, ex quadam ſpinarum cum divitiis conſenſione.

Prima Analogia. *Hom. 32. in Ioan.*

Primùm ſpinæ ſteriles ſunt, atque infœcundæ. *Ut ſpinæ ſteriles; ita divitiæ,* inquit Chryſoſtomus. Illud natura docuit; voluit enim ut terra, quæ aurum producit, non eſſet ſerendis aliis fructibus idonea; ſed maligna quadam ſterilitate damnata: ut vel ex eo noſces, omnis boni vacuos fore animos, quos auri vel cupido, vel poſſeſſio occupârit.

Secunda. *Serm. 32.*

Deinde ſpinæ malorum ſunt imprimis feraces; pungunt enim, lacerant, ac cruentant eos omnes, qui illas incautè attigerint. Et eæ quoque ſunt divitiæ; primò enim ingentes curas generant: *qui accumulat opes, accumulat curas*, ut habet antiqua Hebræorum Paræmia. De illis pulchrè D. Cyprianus. Sic enim de divite: *Non cibus ſecurus, potúsve contingit: ſuſpirat ille in convivio, bibat licèt gemmâ; & cùm epulis marcidum corpus torus mollior alto ſinu condiderit; vigilat in pluma.*

Epiſt. 40.

Has inquietæ mentis vigilias fuſiùs explicat Divus Auguſtinus: *Cùm*, inquit, *cogitas de divitiis augendis; vide ſi facile dormis; ni fallor, ubi divitias inveniſti, requiem perdidiſti; Cùm vigilas, augmentum divitiarum cogitas; cùm dormis, latrones ſomnias; in die ſollicitus, & nocte pavidus; ſemper mendicus.* Auguſtino conſentit D. Chryſologus: *Auri cuſtos,* inquit, *ſervator argenti, ſecuritatem non habet, neſcit quietem, & cui deeſt ſecuritas, quies perit. Pœnâ dives eſt ille, non cenſu.* Et hoc unum ab opibus malum eſt: cui deinde accedit alterum, immanis videlicet laboris, timoris, dolorisque cumulus, ſub quo divitis animus opprimitur, ac fatiſcit: ecquis enim in iis parandis non inſumitur labor? nocte ſudatur, & die: fluvii tranantur, & maria: pericula ſuperantur, & vulnera: ipſáque mortis imago, etſi in oculis ſit, præ illis contemnitur. Neque tamen ibi ſiſtitur. Ubi enim eas labore quantumvis improbo acquiſieris, tum tibi relinquitur timor anxius, & vigil pavor, ne quis operosè partas opes vel clanculum ſuffuretur, vel palam auferat, vel inteotata lite, (ceu manu violenta) rapiat; vel ſimilis alius incurſet adverſæ fortunæ caſus, cui evertendis poſſeſſionibus artes mille, & viæ mille; à quibus iſtud quoque malum; ingens ſcilicet dolor, ſi illis orberis, quacumque demum ratione id fiat, ſeu hominum injuria, ſeu etiam amabili DEI providentia. Quæ omnia paucis, ſed nervosè complexus Ugo Carenſis, qui ſic de illis philoſophatur:

Serm. 22.

Cùm acquiruntur, pungunt per laborem; cùm habentur, pungunt per timorem; cùm perduntur, pungunt per dolorem. Sic in divitem hujus ſæculi verti poteſt illud, quòd olim in Babylonem torſit Iſaias: *Erit Babylon in poſſeſſionem Ericii.* Ut enim Ericius undique, & undique aculeis horret, pungit, ac vulnerat: ſic divitiæ ſuos poſſeſſores undequaque lancinant: tum verò maximè, cùm eas arctiùs conſtrinxeris, quia ut ille ipſe Ugo: *Quantò magis divitiæ cordi inſeruntur per amorem; tantò magis pungunt per dolorem.*

In Pſal 51. — *Cap. 14.* — *Ibidem.*

Pungunt, inquam, non carnem (quod toleratu facilè foret) ſed mentem, (quod longè acerbiſſimum.) *Cogitationum ſuarum punctionibus mentes lacerant*, inquit D. Gregorius.

Et tamen, quæ noſtrûm omnium cœcitas eſt, atque amentia; illas, & ſtultè amamus, & quæritamus impenſiùs: credimus enim nos iis bonis beari poſſe, quibus, ut ait Seneca: *Torquetur vita, dum ornatur.*

Lib. 7. de benef. c. 1.

Tertia. *Hom. 29. in Ioan.*

Sed & aliud eſt in quo divitiæ cum ſpinis conſentiunt: videlicet, quòd ſicut inter ſpinas, & ſpineta abduntur ſerpentes, & noxia mortalibus animalia: ſic in divitiis nidum quaſi ponunt omnia vitiorum monſtra, & ipſe eorum artifex malus Dæmon. *Ut inter ſpinas feræ, viperæ, ſcorpii deliteſcunt: ita & hic in fraudibus divitiarum*, inquit Chryſoſtomus.

Vidiſti hominem in paucis opulentum? mirum ſi ille non tangitur avaritia, non inflammatur cupiditate, non ardet invidia, non æſtuat ira, non flammas vomit, & vulnera, & cædes mille; ad has enim per opes via ſternitur; & inde ad ſummum malum, ad ignes, ad rogos æternos. Et hoc poſtremum eſt, in quo divitiæ cum ſpinis conveniunt.

Quarta. *Luc. 12. v. 20.* — *Serm. 2. de Apoſt.* — *Serm. 1. de matris martyr.*

Hæ quippe, & ignem facilè concipiunt, & agricolis pro flammarum pabulo ſunt; nec enim illis, aut eriguntur, aut fulciuntur ædificia, ut ex aliis lignis aſſolet. Sic & gazæ opulentiores, etſi incendiis æternis non ardeant ipſæ; at poſſeſſores ſuos in ea rapiunt, quæ ſuprema homini calamitas. Ita rapuit divitem illum malè ominatum, cui olim Dominus: *Stultè hac nocte animam tuam repetent à te; & quæ paraſti cujus erunt?* hæredum certè, qui & tui immemores, & mortalium ingratiſſimi; tu verò pœnæ hæres eris, & ignis æterni pabulum: quod ne & ipſe aliquando ſis, qui otioſo oculo hanc pagellam decurris, Auguſtinum audi, & obſerva benè monentem: *Non ſis ampliùs ſecus viam, nec terra petroſa, nec ſpinoſa:* ſed potiùs à ſemita communi benè ſejuncta, mollis, ſubacta, & ſpinis vacua; *ſic enim, paratur ager* animæ, inquit idem Præſul; qui etiam in aurem addit illud, quod memori mente repoſitum velim: *Qui defecerit in ſemine, non gaudebit in meſſe.*

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA MORALIS.

Ad illa verba: *Aliud cecidit in terram bonam.* verſ. 8.

QVÆ SIT ILLA TERRA BONA?

Non in aëre, aqua, igne jacitur ſemen.

AGRICOLA, qui ſpargendo ſemini occupatur totus, non projicit illud in aërem; quòd illicò levis diſſiparet aura: non etiam in ignem; quia edax abſumeret flamma: non denique in aquam; quia & hæc nimio humore imbueret, obrueretque: ſed jacit in terram, quæ & medium Orbis tenet, & opportuno, patentique ſinu ſemen excipit, ſovet, alit, egeritque primùm in germen; deinde in flores; denique in fructus.

Semen, eſt Dei verbum; fruſtra mittitur illud in animas leviuſculas, inconſtantes, & multo aëre, id eſt vanitate plenas. Fruſtra etiam in animas ab infami venere, libidine, ceu igne æſtuantes.

Sed in terra.

Fruſtra denique in animas molles, & à voluptate, ceu aqua, diffluentes. At benè in terram, hoc eſt (interprete Dei Sapientia) in cor bonum, & optimum.

At cur illud terra dicitur? An ex terræ natura, ac genio? Certè Homerus *terram* dixit *uxorem cœli ſtellati*: & hoc, quia terra virtute ſiderum fœcundatur, cœleſtique influxu ferax, fructus omnes & concipit, & parturit: ſic & cor, ſi modò bonum ſit.

Lyranus.

Quod autem illud ſi quæris: audies ex Lyrano. Cor bonum eſſe à fide, ceu lumine divino, optimum à gratia, ceu inſtrumento cœleſtium operationum.

Et quidem bona, quæ illa?

Cor bonum à perenni diſciplinæ obſervantia, & virtutum ſolidarum exercitio: Optimum ab interna rerum altiſſimarum contemplatione, & quæ ex ea manat, dulcedine, ac ſuavitate.

Albertus.

Cor bonum, id eſt, mundum à ſcelere; purum à labe; optimum à perfecta cum divina voluntate conſenſione.

Bonavent.

Cor bonum ab intellectu, qui rationis & veritatis ſit ſedes: optimum à voluntate, in qua pii affectus, & æſtus quidam, atque incendia superni amoris.

Auguſt.

Cor bonum ab amore proximi, cui ut ſibi velit eſſe benè; optimum verò ab amore DEI, quem & ſupra hæc, & ſupra quidquid eſt, aut eſſe poteſt in Orbe diligat.

Syrus.

Cor denique bonum, id eſt interprete Syro, *humile*. Optimum, id eſt, *pulchrum*, ab eo ſcilicet decore, qui à quadam virtutum omnium conformatione in animam emanat; & ſuperûm, ac Dei oculos rapit.

Si in ejuſmodi cor Dei verbum inciderit, fructum afferet, & quidem ingenti cum fœnore; in hoc trigeſimum; in illo ſexageſimum; in alio etiam centeſimum: ut aſſolet terra, quæ ſemen admiſit: eſt enim, quæ pro unico grano triginta reddit; eſt quæ ſexaginta; eſt etiam quæ centum; pro alia, atque alia ſoli bonitate, atque cultura.

Quæ fructum affert.

Et hanc & illam in te ô Chriſtiane quærit ſummus animarum colonus, CHRISTUS JESUS, ut cum fœnore auditum Dei verbum, ceu ſemen cultori tuo reſtituas, hoc enim à te exigit; ut exegit olim ab eo cui talentum commiſerat, utique non in ſudario recondendum; ſed negotiationi exponendum. Sic enim ad illum: *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, ut ego veniens, cum uſuris exegiſſem illam?* Quæ verba dum attendit, explicatque Beda, ſic ait: *Qui verbi pecuniam à Doctore percipit, emitq;*

Luc. c. 19.

credendo, neceſſe eſt eam cum uſuris ſolvat operando, ut quod auditu didicit, ſequatur & actu. Hunc enim ſuo quaſi jure depoſcit, qui pecuniam depoſuit herus; cujus hæ apud D. Gregorium Nazianzenum, ad ſervum voces: *Nec mutuum peto; ſed fœnus: nec talentum ſolùm; ſed & talenti quæſtum.*

Orat. cùm reverteretur ex agro.

Quod de talento dictum; hoc & de ſemine; ut & hoc cùm acceperis reddas cum uſura, & fœnore. Reddes autem, ſi quæ audis, *mox in rem tranſferas, & ſic diſcas, ut quæ fuerunt verba, ſint opera.* Ita didicit olim Moyſes, de quo ſic magnificè Philo Judæus: *Animo vivere malebat quàm corpore: Philoſophiæ* à Deo hauſtæ *præcepta quotidie factis repræſentabat, mentem verbis exprimens, facta dictis accommodans, ut cum ſermone vita congrueret. In ſumma, qualis erat vita; talis & oratio.* Nimirum à Deo benè doctus Moſes verba hauſerat; & facta reddebat.

Cum fœnore.

Epiſt. 108.

Ita quoque reddidere cives Januenſes, quos data epiſtola mirè prædicat D. Bernardus: In reipſa.

Exieram, inquit, *planè ſeminare ſemen, non meum; ſed Dei: & cadens in terram bonam ſemen bonum, fecit fructum centuplum, & tempeſtivum. Mira celeritas, quia magna neceſſitas; nec tarditatem paſſus ſum, nec difficultatem: una penè die & ſerens, & metens, & reportans cum exultatione manipulos pacis.* *Epiſt. 129.*

Ratio autem tam celeris, & copioſæ meſſis, ſi petitur, hanc affert: quia, *erat tanta audiendi aviditas, quanta & audientium caritas.* Et hæc, & illa, ſi foret in auditoribus divini verbi, alius omninò exiſteret ab hoc proventus: ſed proh dolor! is minimè eſt; & hoc quia ex illis plerique non habent *aures audiendi*. Et primùm quidem ii, qui ſic Dei verbum audiunt, ut aures duntaxat oblectent ſermone culto, atque expolito. Tum etiam illi, qui animum tantùm paſcunt eâ, quæ è pulpito jacitur doctrina, nec referunt ad mores ritè efformandos: ſimiles Iſraëlitis, de quibus ſic olim Deus Ezechieli: *Es quaſi carmen muſicum, quod ſuavi, dulciq; ſono canitur; & audiunt verba tua, & non faciunt ea.*

Summa celeritate.

Cap. 33.

O magne Vates Ezechiel, ô Propheta DEI altiſſimi, es Judæis quaſi carmen muſicum: verba quippe tua, molliter accidunt ad Judæorum aures; ſed non evadunt ad animos, quibus tamen ſolis funduntur; non impetrant opera, quæ tamen quæruntur vel maximè. Et hoc quidem, quia non habent *aures audiendi*. Uti nec habuit Herodes impius, qui Joannem quidem *libenter audiebat*, ſi modò blanda, & placentia loqueretur; at ubi jactabat verendum illud: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui;* tum & aures occludebat, & animum benè monenti obfirmabat; & tamen hic eſt, qui DEI voci potiſſimùm explicari, & patere debet. Ut enim rectè Clemens Alexandrinus: *Mens videt, mens audit; alia autem ſunt ſurda, & cæca.* Et ſurda ſit auris, & oculus cæcus parum intereſt; modò mens, & aurita ſit, & benè oculata; ſi ea ſit, & verbum DEI tenaciter retinebit, & *fructum afferet in patientia.* Hoc eſt, patientia comite, imò & duce dignos dabit cœlo proventus. Primùm fidei, tum etiam ſpei, tum caritatis, tum denique virtutum omnium; quos ſcilicet aut inducit, aut fovet, aut etiam auget patientia, de qua ſic olim magnificè Tertullianus in illa Apoſtoli verba: *Manent fides, ſpes, caritas. Fides,* inquit,

Marc. c. 6.

2. Stromat.

Et patientia.

1. Cor. 13.

L. de patient. c. 12. inquit, *quam Chriſti patientia induxit: ſpes, quam hominis patientia expectat: dilectio, quam patientia comitatur;* imò alit, fovétque; quod apertè cenſuit, docuitque D. Cyprianus, cujus hoc effatum: *Tolle* *Lib. de bon. patient.* *caritati patientiam, & deſolata non durat; tolle ſuſtinendi, tolerandíq; ſubſtantiam, & nullis radicibus, ac viribus perſeverat.* Appoſitè ſanè patientiam cum radice componit: ut enim arbor, ut planta quævis, à radice ſuccum trahit, & vitæ fontem: ſic virtus omnis à patientia haurit, unde foveri poſſit, ac ſuſtineri; unde fructus edere, qui ferant æternitatem.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

HOc loco Magiſter optimus è Diſcipulis longè plurimis, duodecim dumtaxat aſſumit: qui ſcilicet erant in primis curis, & amoribus. Iis primùm aperit, explicatque ſeriem imminentium ſibi tormentorum; deinde etiam acerbæ mortis; tum reſurrectionis; denique cæco, qui fortè de via occurrit, lucis uſuram reddit, non ſine amabili tam ipſius, quàm aſtantium ſtupore. Et hæc eſt contracta Evangelicæ hiſtoriæ ſeries, in qua conſultò duxi mihi abſtinendum iis, quæ ad Chriſti paſſionem, ac mortem ſpectare videntur, eorumque frequentem, ac tenacem memoriam; de his enim fuſiùs aliàs diſputavi: ideóque hic tantum inſiſtam illi beneficentiæ, qua tum Iesus cœco viſum reſtituit, & ex eo poſteris etiam saniorem mentem, atque ad cœleſtia magis oculatam. Ut ea quoque tibi ſit, pauca accipe.

EX D. THOMA.

Luc. 18. v. 35. CÆcus *ſedebat ſecus viam.* Quis ille? *peccator* inquit; verum enim illud Sophoniæ: *Ambulabunt ut cæci; quia Domino peccaverunt.* Ut autem ſeptem viſum corporalem impediunt; ſic & animam excæcant ſeptem.

I. *Eſt faciei inflatio, & tumor; hæc eſt ſuperbia.* Nimis inflata facies me videre non ſinit, inquit Aug.

Sap. 2. II. *Aëris obtenebratio.* Et hæc eſt *Invidia; excæcavit eos malitia eorum.* *1. Reg. c. 18.* Ita Judæos, ita Saülem, qui non rectis oculis aſpiciebat David.

Pſal. 30. III. Eſt *oculorum conturbatio:* hæc eſt *ira: Conturbatus eſt in ira oculus meus.*

IV. Eſt *pulveris ſuperjectio.* Hæc eſt *Avaritia.* Defluxi ad temporalia, & obſcuratus ſum, inquiebat Auguſtinus.

V. Eſt *oculorum clauſio.* Et hæc *acedia*, quæ mentis oculum claudit ne ſpiritualia bona videat.

VI. *Sanguinis, & humorum circa oculos multiplicatio:* *Proverb. 2.* hæc eſt *gula. Cui væ? cui ſuffuſio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Quod corpori gula; hoc & animæ.

VII. *Panniculi*, ſive *nubeculæ obumbratio;* ea quippe dum adnaſcitur oculo, & pupillam obtegit, & excæcat. Et hoc fit per *luxuriam.* Teſtis Auguſtinus, qui hæc de ſeipſo: *Aſcendebant nubeculæ de limoſa concupiſcentia carnis, & obnubilabant, & offuſcabant cor meum, ut non diſcerneretur ſinceritas dilectionis à caligine libidinis.* Vidiſti malum ab illa cæcitate ſpiritali, & quidem ſeptuplex; attende parata ſeptem illi remedia.

I. Eſt *fides. Reſpice*, inquiebat Chriſtus, *fides tua te ſalvum fecit* *Luc. 18.*

II. *Humilitas. Veni*, aiebat ille ipſe Salvator, *ut qui non vident*, id eſt qui præ humilitate ſe videre non exiſtimant, *videant.* *Ioan. 9.*

III. *Amaritudo pœnitentiæ;* fel enim vel Angelo teſte, ac medico *valet ad ungendum oculos:* in felle amaritudo pœnitentiæ. *Tob. c. 6.*

IV. *Dilectio proximi*, hoc eſt collyrium, quo ut ait D. Joannes: *Inunge oculos tuos ut videas.* *Apoc. 3.*

V. Eſt *abundantia lacrymarum*, quibus eluitur oculus mentis, ut olim cæco oculus corporis in natatoria Siloë, quò abiit, lavit, vidit.

VI. Eſt *devota oratio*, ad quam recurrentes cæci *Clamaverunt, Domine miſerere noſtri.* Clamaverunt, & viderunt. Clama, id eſt ora, & videbis. *Matth. 20.*

VII. Eſt *devota, Scripturarum ſacrarum auditio:* de hoc remedio ſponſor Iſaïas: *In die illa*, inquit, *audient ſurdi verba libri hujus & oculi cæcorum videbunt.* *Cap. 29.*

EX D. BONAVENTURA.

DIvus Bonaventura qui hanc, & illam Evangelicæ hiſtoriæ partem examinat, in ea, quæ Chriſti Domini paſſionem attingit, accuratiùs expendit illa verba: *Luc. c. 18.* *Tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.* Ecce quæ pati debuit, ac voluit generis noſtri reparator Jesus, & ſummus animarum medicus, ut illis ea ratione medelam faceret, & deſtrueret *corpus peccati;* in hoc enim tria reperies. *Dom. Quinquag. ſer. 3.*

I. Eſt *frontis inverecundia excludens pudorem:* hinc illuditur, & pudefit Jesus, ut illam deſtruat, & hunc reddat.

II. Eſt

II. Eſt *delectationis complacentia excludens dolorem*; & inde flagellatur Jesus, & hunc ſuſtinet, ut illam tollat.

III. Eſt *elationis ſuperbia excludens timorem*; & ideò conſpuitur Jesus, & pro viliſſimo habetur, ut inſolentem hominis ſuperbiam, faſtumque retundat, & cum humili demiſſione Dei timorem peccatori ingeneret.

Ecce quomodo *divina* quadam, & amabili *diſpenſatione* factum ſit, ut *illuderetur*, *flagellaretur*, *ac conſpueretur* Jesus. Ne tibi, ô infelix anima, malè illuderet dæmon, ne te gravibus pœnis flagellaret, ne in faciem tuam ignominiosè ampliùs ſpueret; hæc enim omnia pateris ſi neſcis, & patêris per ſummum probrum. Idcóque ut rectè Seraphicus Doctor: *Talia paſſus eſt Dominus antequàm occideretur corporaliter; quia talia patitur anima, ut poſt occidatur ſpiritualiter.* Serm. 2.

Primùm enim *traditur à diabolo ſuggeſtionibus*; & hoc quidem triplici modo, ac via. Primò per nimiam *temporalium concupiſcentiam*: quod malum ut amoveret Chriſtus, *ipſe traditur à Iuda per avaritiam*: ita nimirum *traditus pro denariis inimico, ne tu tradaris pro denariis diabolo.*

Secundò, Traditur anima malis ſuggeſtionibus *per proximorum diſplicentiam*, invidiam, odium: ideóque Chriſtus à ſacerdotibus traditus *propter invidiam.*

Tertiò, denique traditur anima ſuggeſtionibus pravis *per propriam complacentiam*: & hinc etiam Chriſtus traditus *propter complacentiam*: *Pilatus* enim *volens populo ſatisfacere dimiſit illis Barabbam, & tradidit eis* Jesum. Marc. 15. *O quot hodie tradunt ipſum, & ipſi diabolo traduntur propter dictas cauſas!* Et hoc primum peccatori à diabolo malum eſt.

Accedit alterum, quod etiam *illuditur proſperitatibus*: eo ferè modo, quo *illuditur muri, vel avi, vel piſci per eſcam in qua hamus latet.* Quippe malus dæmon, ceu princeps, ceu piſcator improbus *illudit homini in tribus.*

I. *In cognoſcendis, ligans oculos intellectus per velamen ignorantiæ*; quod ut tolleret Jesus, in *primâ illuſione oculis velatur.*

II. *Illudit in agendis, per hypocriſim* qua *ſimiles* ſunt *ſepulchris dealbatis*; cui malo, ut medelam faceret Jesus, *in ſecunda illuſione coram Herode veſte alba induitur.* Marc. 14.

III. *Illudit diabolus in appetendis, dum appetunt homines temporalia pro æternis*; contra quæ Chriſto in *tertia illuſione corona ſpinea, veſte purpurea, & arundine illuditur.* Et hoc ſecundum peccatori malum eſt.

Tertium additur à malo dæmone, à quo *flagellatur adverſitatibus.* Iſraëlitas olim & gravi preſſit onere, & gravioribus flagellis cecidit Pharao: hinc iſtæ ad Deum, & ſuperos querelæ: Exod. c. 5. *En famuli tui flagellis cædimur*; quas potiori jure uſurpabit peccator, quem flagellis tribulationum malè excipit dæmon: modò enim *perverſis, quaſi flagellis, utitur, modo flagello linguæ* fœdum in modum lacerat. Et his *flagellis inducit pronitatem, multiplicitatem, diuturnitatem in peccatis. Contra hæc flagella Chriſtus flagellatus eſt, ut te illis erueret,* & quidem 1. *Contra pronitatem, in flagella* pronus fuit: Pſal. 37. *ego*, inquiebat, *in flagella paratus ſum.* 2. *Contra multiplicitatem*: Pſal. 34. *multiplicata ſunt ſuper eum flagella.* 3. *Contra diuturnitatem*, Pſal. 72. fuit *flagellatus tota die*, quà *verberibus*, quà etiam *verbis*, & *flagellis linguæ*: *ſed heu à malis Chriſtianis flagellis pejoribus cæditur: olim enim flagellatus flagellis Iudæorum; flagellatur nunc flagellis falſorum Chriſtianorum. Et hoc tertium peccatoris eſt malum, cui adjungitur*

Quartum; quod ſcilicet *conſpuatur delectationibus*: *dæmon* enim *ſputum malæ delectationis projicit in animam per viſum*, ut videat vanitatem, & ea capiatur. Pro hac Chriſtus ſatisfecit dum *faciem ſuam non avertit ab* Iſai. c. 50. *increpantibus, & conſpuentibus in ſe.* Poſt *hæc autem occiditur anima per conſenſum ut olim poſt prædicta Chriſtus.* Tranſit deinde S. Doctor ad aliam Evangelicæ hiſtoriæ partem, quæ cæcum exhibet, & ut aliàs aſſolet ad mores rectè fingendos deflectens, ait:

Quatuor ex cauſis contingit cæcitas culpæ in anima.

I. *Carnis voluptate. Excæcantur enim in animabus ſuis omnes luxurioſi*: quippe, ut ritè D. Gregorius: Serm. 8. *Carnis delectatio mentem, quam inficit, obſcurat; ut inde inferius delectatur, inde caliginem ad ſuperna patiatur.* Ita paſſi quondam Sodomitæ, qui priùs mente capti, quàm oculis. Ita paſſus etiam Sampſon, qui & Iud. 16. figura eorum, qui ſic excæcantur.

II. *Superbiæ vanitate.* Ita excæcatus ille, qui Evangeliſta teſte dicebat: *Dives ſum, & nullius egeo; & neſcis quia miſer es, & miſerabilis, pauper, & cæcus.* Apoc. 3. Hujus figura eſt Rex Sedecias, qui excæcatus quia *regia dignitate* nimiùm *elatus.* 4. Reg 25.

III. *Rerum cupiditate.* Ab hac ſibi quàm maximè caveant Judices, *Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Nempe *camelum glutiunt diſſimulando majora; culicem colant, ponderando minora*, dum etiam *culpas pauperum diſtrictè examinant, divitum autem diſſimulant, parcentes camelo, & non culici.* Hujus figura eſſe poteſt Tobias, non ex ſe (procul enim abſuit ab avaritia) ſed ex cauſa ſuæ cæcitatis; excæcatus enim eſt ſtercore hirundinum: *ſtercus* autem Tob. 2. *ſunt temporalia bona, & mundana.*

IV. *Mentis infidelitate*, eſt fides bonæ mentis oculus: hunc erui vult malus Dæmon, ut olim Naas Ammonites viris Iabes Galaad: ad quos ita tyrannus 1. Reg. c. 11. impotens: *In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium veſtrûm oculos dextros. Dexter oculus eſt fides Divinitatis Chriſti: Siniſter eſt fides humanitatis*; illum lubentiùs eruit Dæmon, quàm hunc; ratus actum eſſe de anima, ſi vel illum tantùm eruere poſſit. Hujus figura fuit *Elimas Magus*, qui infideli, & pervicaci Actor. c. 13. mente reſiſtebat Paulo prædicanti fidem. Et hæc de cauſa cæcitatis ſpiritualis: deſcendit Seraphicus Pater ad illius remedia, & ait: *Quatuor ſunt quæ animam peccantis excæcatam videre faciunt*, quibus etiam in Serm. 4. Scriptura reſpondent *quatuor illuminantia cæcos.*

Primum unde cæcitati corporis petitum eſt remedium, fuit *Fel*: ita quondam junior Tobias benè doctus ab Angelo: *Aſſumens de felle piſcis linivit oculos* Cap. 11. *Patris ſui*; qui inde illicò ſanus, & videns. Quod corpori, hoc & *animæ*; cujus viſus reparatur *felle tribulationis.* Ita Ioannes, Chriſti ſcriba, *Angelo Laodiciæ Eccleſiæ*, id eſt Epiſcopo, ſuaſit ut *collyrio*, ſcilicet tri- Apoc. 3. bulationis, *inungeret oculos ut videret.*

Secundum, à quo & corporis depulſa cæcitas, eſt *Lutum*: teſtis ille cæcus Evangelicus, qui hoc olim nequicquam obſtrepentibus Judæis Veritati primæ, id eſt Chriſto, teſtimonium dedit: *Lutum poſuit mihi ſuper oculos, & lavi, & video.* Ioan. 9. Quod illud animæ ſit quæris? eſt *lutum Incarnationis*; eò quippe ſe demiſit *Dei Filius, ut in domo lutea habitare nobiſcum voluerit, ut aliquando in cæleſti habitaremus*, recepto priùs, qui nobis perierat, animæ viſu: *Ego*, inquie- Ibidem. bat, *in mundum veni, ut qui non vident, videant.*

Tertium unde cæco viſus redditus, fuit *verbum*: qui enim verbo creavit omnia, ſic & reparabit cùm voluerit. Ita reparavit cùm ad cæcum dixit Chriſtus, *Reſpice, & confeſtim vidit.* Luc. 18. Et ita videt anima *verbo prædicationis*: *declaratio* quippe *ſermonum tuorum*, ô Deus, *illuminat*: *ô quoties prædicator dicit peccatori*, Pſal. 118. *Reſpice præmium, reſpice infernum*; & reſpicit, & videt.

Quartum à quo etiam reparatur viſus, eſt *tactus.* Ita Jesus olim *miſertus* cæcorum *tetigit oculos eorum*, Matth. 20. *& confeſtim viderunt.* Sic & cæcam mentem *tangit* Deus *tactu gratiæ*, de quo Pſalmiſta: *Tange montes*, id eſt ſuperbos, *& fumigabunt, fumo contritionis: montes ſunt ſuperbi peccatores; hi autem fumigabunt in mundo* Pſal. 143. *aut ardebunt in inferno*, inquit D. Bonaventura.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Cæcus quidam ſedebat ſecùs viam mendicans.* Lucæ c. 18. verſ. 35.

QVIS ILLE CÆCVS?

Matth c. 20. verſ. 30. Nomen cæci *Marcì c. 10. Lucæ c. 18.* *Pagninus in nom. Hebraic.*

DIVUS Matthæus eò loci, ac temporis duos ait in Chriſtum incurriſſe cæcós: D. Marcus, & D. Lucas, unius tantùm meminêre; & is dicitur *Bartimæus*, hoc eſt, *filius Timei*, cujus nominis alia, atque alia eſt Etymologia.

Prima malum, quo laborat, exprimit: *Bartimæus*, enim, idem eſt, ac *filius cæcus*, aut *cæcitatis*, ut ſit nomen Syrum, ſed corruptum, quod propriè dici deberet
I. Etymologia *Barſamæus*, hoc eſt, *filius cæcus*: *bar* enim idem eſt quod *filius*, & *ſamæus cæcus*; fortè inditum id nomen hebræo more, quo proles recens natæ eam appellationem ſortiebantur, quam eventus aliquis, & caſus intuliſſet, ſeu fortunatus is foret, ſeu infortunatus. Ita quia fortaſſis cæcum hunc effuderat natura, *bartimæum*, vel *barſimæum* placuit appellari.

Secunda. Secunda ejuſdem nominis Etymologia ex Hebræo, & Græco fonte petita, videlicet ex voce *bar*; id eſt *filius*; & Græca τιμὴ ſeu honor: ſicque *Bartimæus* erit *filius honoris*; bono ſcilicet omine, quòd eſſet in re etiam ipſa: quia & progenitoribus ſuis, & ipſi Chriſto honori futurus erat, ab inſigni illo, & poſt homines natos inaudito prodigio.

Tertia. Tertia nominis Etymologia etiam eventui futuro conſona fuit; ſignificavit enim hunc cæcum *filium* fuiſſe *admirantis*: *bar* quippè *filius* eſt, & *tamah*, id eſt, *admirari*; ſicque *Bartimæus*, *filius* fuit *admirantis*: & rectè; quia omnes eo ſanato invaſit ſtupor, & nova quædem ab inuſitato favore admiratio: à qua jam inde à nativitate *Bartimæus* audit.

Hujus unius nomen exprimit Evangeliſta, quia ut notat D. Auguſtinus, *ex aliqua magna felicitate dejectus, notiſſimæ, & famoſiſſimæ miſeriæ fuit: qui non ſolùm cæcus; verùm etiam mendicus ſedebat. Hinc eſt, quòd ipſum ſolùm voluit commemorare Marcus, cujus illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit, quàm erat nota illius calamitas.*

Et hæc ad hiſtoriæ fidem, ac litteram dicta ſunto; ad myſticum ſenſum, quæ ſubjiciam, ſpectabunt.

Cæcitas ſpiritualis. Duo ſunt quæ nobis eſſe debent in votis, primiſque curis. Unum, quod de Chriſtianis ſui ſeculi, audacter jactavit Tertullianus. *Ut ſalvis oculis animo ſimus ad libidinem cæco.* Alterum ut ſi fortè illi ſalvi non ſint; at ſaltem mens ſit ſalva: quia ut rectè D. Hieronymus in conſolatione ad Caſtrutium cæcum. *Meliùs eſt videre mente, quàm carne.* In hac qui cæcutit, non ideò miſer, in illa verò miſerrimus. Et hæc eſt cæcitas ad quam delabor, & quæro qui ea teneantur. Nodum hunc ſolvet D. Auguſtinus, cujus calculo qui peccato inficitur, hoc ipſo eſt cæcus. *Naſcimur*, inquit, *omnes cæci, quia naſcimur omnes peccatores.* Hæc porrò cæcitas ſacris baptiſmi aquis eluitur: ſed, ô malum! in aliam plerumque labimur, dum in aliud ſcelus devolvimur. *Ambulabunt* enim *ut cæci, quia Domino peccaverunt* ait Sophonias. Igitur ut ad rem propiùs.

In Apolog. *Tract. 44. in Ioan.* *Cap. 1.*

Et quæ ſit illa? Cæcus eſt is omnis, cujus mentem, ceu animæ pupillam, lethale ſcelus occuparit. Et quidem primùm, Judice D. Chryſoſtomo.

Hom. 22 in Matth. *Avarus cæcus eſt: amor namque pecuniarum in pupillam mentis, quaſi quidam malignus humor influxit, denſamque jam nebulam prorſus operatus eſt.* Ita Orator aureus, qui avaritiam vult inſidere menti, ut ſolet oculo noxius humor, ut nebula adverſa ſoli, cujus lumen mortalibus eripit; lumen, inquam, cœleſte, ac divinum: ad hoc enim cæcus eſt avarus, ad cætera verò malè oculatus; ut ſcitè advertit D. Ambroſius, cujus hoc eſt pronunciatum: I. Avaritiæ.

Serm. 59. *Avaritia cæcitas eſt, errorem religionis inducit. Cæca, inquam, eſt avaritia; ſed diverſis fraudum oculata ingeniis. Non videt quæ divinitatis ſunt; ſed cogitat quæ cupiditatis.* Nec mirum, quia quanta eſt oculorum acies, ea auro tenetur, imò & obruitur. Et hinc (ut rectè D. Cyprianus) *Magna cæcitas auro alligatum teneri, & poſſideri magis quàm poſſidere.*

Propter hanc à B. Ægidio Minorita componitur avarus cum Talpa:

De contemp. mundi. *Hominem*, inquit, *avarum jure comparaveris Talpæ, qui hoc ſolum putat bonum, evertere humum, & in ea demorari; cùm ſint alia longè potiora, quæ is ignorat.* Hæc quidem ille ſimplici, ſed tamen nervoſa eloquentia; quam velim audirent ævi noſtri divites, qui & ipſi roti ſunt in terra, & eam inſano molimine dum evertunt, & ſe ipſi evertunt, & malo dæmoni prædæ ſunt, ut Talpa agricolæ, à quo capitur dum egeſta humo ſe prodit. Et hoc ab avaritia, ceu cæcitate malum eſt; cui adjice & aliud, quod etiam poſt fata perennat: quod ut ait Propheta, *Relinquant alienis divitias ſuas.* Ex vero enim hæredes, & filii, ſæpè ſæpiùs alieni ſunt, dum parentum, quorum bona occupatunt, immemores exiſtunt; ita, ut hîc D. Auguſtinus: *Diviti illi qui ardebat in flamma, ſucceſſores alieni fuêre:* quippe nemo unus omnium illi ſuccurrit, nemo aquæ guttulam infudit, vel maximè ſitienti. *Pſal. 48.*

Quod illi quondam, hoc tibi modo avare, qui ut ille in inferno ſepultus es; tibi etiam, qui meliore ſorte in flammis expiatoriis: *alieni tui*, hoc eſt hæredes, ne guttulam aquæ frigidæ, id eſt, ne modicam quidem eleëmoſynam, in pauperes effundent, unde tibi in ignibus illis refrigerium. Et tamen illis dum viveres, laboraſti, ſudaſti, vixiſti totus. O Cæcitas, ô Cæcitas!

Sed ab avaro diſcedo, venióque ad libidinoſos: II. Libidinis.
Nam & hi quoque cæci ſunt; mente quidem ſemper, corpore etiam ſubinde, quod prohibitæ veneris ſupplicium eſt.

Mercius in Epigrammate ſic in cupidinem invehitur: *Prudentiæ corruptor, mentis ſurreptor, fur rationis*, quæ animi oculus eſt; quo per impudicos amores eruto non perſpicit homo, criminis fœditatem, non præſentia mala, non futuras cœlo vindice pœnas, non geheunam, cui pronus imminet.

Hom. 11. in 1. ad Cor. *Quando*, inquit Chryſoſtomus, *ab impudica libidine capta fuerit anima, ſicut nubes, & caligo corporis oculos: ita cùm illa eripuerit mentem, perſpiciendi facultatem, nihil ſinit videre ulteriùs; non præcipitium, non gehennam, non timorem.* Quî enim videret, qui ratione, ceu oculis orbus eſt? Nimirum impudicis illis ganeonibus facit dæmon, quod corvi cadaveribus, quorum oculos primùm invadunt, fodicant, eruunt, abſumunt.

Corvus

Li. de Beſtiis cap. 31. *Corvus eſt Diabolus*, inquit Hugo Victorinus, *qui in cadaveribus primum oculos petit, quia in hominibus carnalibus intellectum diſcretionis extinguit, & ſenſum mentis evertit.*

Et hunc quidem in Sodimitis olim evertit præpoſtera libido, à qua deinde in tanti ſceleris pœnam, percuſſi ea cæcitate, ut etiam oſtium non viderent: *l. de Abrah. c. 6.* nempè ut notat D. Ambroſius; *Cæca eſt omnis libido, & quod eſt ante ſe, non videt.*

Ante ſe habet immanem illam peccati ſpeciem, ac turpitudinem; & eam tamen non videt.

Ante ſe habet pudorem, ac verecundiam, quæ ſcelus illud ſequitur, ac premit; & tamen eam non videt.

Ante ſe habet infamiam, & probroſum orbe toto nomen; neque tamen & hoc videt.

Denique ante ſe habet inferni flammas, & parata venereis incendia; & tamen etiam ea non videt.

Lib. 6 in c. 21. Ioan. Nimirùm ut rectè D. Cyrillus Alexandrinus: *Sibi ipſi oculos eruit, & deſtitutus lumine mentis in foveam iniquitatis* (imò & inferni) *agitur præceps.* Et hoc ab infanda cupidine malum eſt, à quo etiam in leges humanas, imò & cœli tabulas evaſit illud: ut impudorati illi, atque adulteri amitterent oculos corporis, quia ſibi jam effoderant mentis.

Ita Zeleucus legiſlator apud Antiquos nominatus, legem ſtatuit ut adulteri orbarentur oculis: quam pœnam in filium ejus criminis reum derivari voluit; cùmque id deprecaretur univerſa civitas, ne huic repugnare tenaciùs, aut datam aliis legem Zeleucus infringere videretur; ſic eam temperavit, ut ſibi oculum unum, filio alterum erui voluerit; præclaro ſanè incorruptæ juſtitiæ, ac ſeveritatis exemplo; quo gravius olim dedit Cœlum, tum in Sodomitis (de quibus antè) tum in Algaro Re- *Polydor. l. 4. hiſtor. Angl.* gulo, qui cùm virginem Oxonienſem fugentem inſequeretur, derepentè oculis captus eſt, quos tamen deinde eadem virgine apud Deum deprecante recepit; nempè quia jam facti pœnitens, oculos animi receperat. Sed ne longiùs; deſcendo ad *II. Iracundiæ.* alia vitiorum monſtra, quæ & damnata ſunt ſpirituali quadam cæcitate, quæ malorum propè ſummum eſt.

Hom. 30 ad popul. Et quidem iracundus Cæcus eſt: *ira* quippe, ut inquit D. Chryſoſtomus, *videre non permittit*; tum quia in intellectum fumos emittit, ingentémque nebulam, à quâ obtegitur ratio; (*Iracundia enim cæcas parit cogitationes*) tum quia voluntatem, affectúſque omnes in tranſverſum agit, ne intelligentiæ ductum ſequantur. Et huic & illi periculoſa cæcitas; quæ *Epiſt. 78. ad Suggen. Ab.* etiam ambitioſos occupat; ut enim pulchrè Divus Bernardus: *Cæca ambitio magis imo, quàm ſummis delectari.* Cœleſtia tibi offert Deus, imò ſumma, ac divina, ad quæ aſpires; & terrena, abjectáque ſtultè deperis. Aperit cœli regiam, æternoſque in ea *IV. Ambitionis* honores ultrò quaſi objicit; & tu vanos aucuparis, fumos, & inanem ab hominum favore gratiam, quam vel una dies, imò & hora diſſipabit. Gloriam immortalem ſub oculos ponit, & alta nomina; (ſed quæ virtus ardua tibi faciat,) tu verò (quæ magna cæcitas eſt) famam captas, & emis per ſcelera, & miſerabilem ſervitutem; quam in aulico hujus ævi eleganter deſcribit D. Cyprianus:

Lib. 2 Epiſt. Epiſt. 2. *Illum vides*, inquit, *qui amictu clariore conſpicuus fulgere ſibi videtur in purpura; quibus hoc ſordibus emit ut fulgeat? quos arrogantium faſtus priùs pertulit? quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit? quot tumentium contumelioſa veſtigia, ſtipatus clientium cuneo, ante præceſſit, ut ipſum etiam ſalutantium comes pompa poſtmodum præcederet, obnoxia non homini, ſed poteſtati? neque enim moribus coli meruit ille, ſed faſcibus.*

Hæc S. Præſul, ex quo diſcis quàm cæco ad honores eat pede ſtulta mortalium ambitio, primùm enim eos emit ſordibus, id eſt vitiis, quos auro puro, hoc eſt virtute, ſibi debuit comparare.

Deinde miſerabilem ſervit ſervitutem, qui natus eſt, ut eſſet in libertate filiorum DEI.

Tum etiam in iis, quorum gratiam venatur, non tam mores ſpectat, quàm faſces: & his ſe fœdè ſubjicit, qui virtutem unam colere debuit, ac revereri. Denique (quæ ſumma cæcitas eſt) dignitates, quas imprudens affectat, & leves eſſe, & ferendo faciles credit; cùm tamen, & graviſſimæ ſint, & humeris valentioribus, imò ſubinde, etiam angelicis, formidandæ: *Putant*, inquit Oleaſter, *inſenſati filii Adam, imperia, regna, & principatus hujus ſæculi honores eſſe, non onera: quos puer* JESUS *arguit qui ſuum principatum, quaſi grave onus ſuper humeros gerit.* *In c. 9. Iſaiæ.* Et ita gerant hujus ævi principes eſt neceſſe; ſi modò talem æſtiment, qualem natura, ratio, Deúſque eſſe voluit, non qualem aſpicit cæca regnandi libido; cui velim aperiri oculos, ut attendat etiam illud D. Chryſoſtomi aurei oratoris:

Hom. 66 ad popul. Antioch. *Non ita corona caput circumdat: ſicut animam ſolicitudo.* Hanc ſi ſpectarent incauti mortales, non eo pede, eoque curſu in honores involarent, non irrumperent in curarum, ac ſolicitudinum turbam: ſed potiùs quà poſſent fugerent, ac declinarent. Quòd ſi in eas inviti traherentur, aut vocarentur, ut olim Aaron: ſic ſaltem in illis vitam exigere ſtuderent, ut dignitas mortalis ad immortalem viam pararet, atque aſcenſum; ut ritè monuit olim Agapetus Diaconus, cujus hoc effatum: *Utere ut oportet regno hoc inferiore; ut ſcala tibi fiat ſuperioris claritatis.*

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Clamavit: IESV fili David miſerere mei.* verſ. 38.
QVIS ILLE CLAMOR?

I. Clamor eſt Sanctorum. VIDEO heroas magnos, qui DEO ſupplices acciderunt velut ſacri oratores, vocem altiùs extuliſſe; & in clamores validos erupiſſe.

Ita quondam Moyſes, cùm Iſraëlem à tergo urgeret, premerétque Pharao, ad Dominum clamavit pro ope ſibi, ac ſuis impetranda. *Exod. c. 14. v. 15.* Hinc illud DEI ad ipſum: *Quid clamas ad me?*

Ita Samuel, cùm inſtaret armatâ manu Philiſtæus, *clamavit ad Dominum pro Iſraël, & exaudivit eum Dominus.* *1. Reg. c. 7. v. 9.*

Ita David cùm gravius immineret malum, cùm adverſus ſtaret Abſalon, & ſpiritus collegit, & vocem, quæ ſonaret efficaciùs, quò altiùs; *Pſal. 140.* ſic enim de ſe-ipſo: *Domine clamavi ad te, exaudi me.*

Ita denique ne in ſervis dumtaxat hæream, clamavit, & ipſe Dominus JESUS, Patris æterni Verbum, *preces ſupplicationeſq́; offerens cum clamore valido.*

Hebr. c. 5. v. 7.

Oratio clamor eſt.

In cœlos aſcendit clamor, & deſcendit in terras miſeratio: à qua ſalvum eſt genus omne noſtrum.

II. Cordis.

Serm 6. in Pſal. Qui habitat.

Si porrò quæras quis ille clamor? audies ex D. Bernardo: *In Dei auribus deſiderium vehemens, clamor magnus. Quippe animarum verba, ſunt ipſa deſideria,* ut ſcitè D. Gregorius. Hæc non tam voce explicantur, quàm imo corde concipiuntur: & audiuntur illicò à Domino. Ita quondam auditus David, qui hæc ingenuè ac verè de ſeipſo: *Clamavi in toto corde meo,* non latius os diduxi, non linguam expedivi, non labia explicui, non vocem niſi quæ cordis erat. Illâ clamavi, & illâ ſum exauditus; quia Deus cordis clamores magis audit, quàm oris: *Cor ego priùs clamet,* inquit Ambroſius, *ut ſermo poſſit audiri.*

Pſal. 118.

Lib. 1. de Cain. c. 9.

Et alio loco ille ipſe S. Præſul: *clamet,* inquit, *fides, clamet affectus, clament paſſiones tuæ.* Et ſic in cæco noſtro clamavit fides, clamavit ingens affectus, clamavit & illa ipſa, quam patiebatur, oculorum orbitas; quibus acceſſit & ipſa vox oris, veluti quædam interpres animi, & teſtis illius, quæ latebat intus, affectionis.

III. Orationis, quæ

I. Humilis ſit.

Sed & alius clamor eſt; qui etiam in cœlos evadit. Eſt ille oratio: ſed quæ inquies? ea, quæ eſt *de profundis*, hoc eſt, de humili animo, & in ſeipſo abjecto. Ea fuit Davidis, qui ſic olim ad Deum: *De profundis clamavi ad te Domine.* Hoc in verſu ludit pius Interpretum labor.

Pſal. 129.

Lyrano, *de profundis* clamare Davidem, eſt de terra Babylonis, quæ erat demiſſa, & ipſo ſitu profunda.

Trevero, de carceribus, atque ergaſtulis. Lorino, de antris, & latebris, in quas ſe receperat à Saüle profugus.

Aliis *de profundis*, hoc eſt, de voragine, ac barathro peccati: quod abyſſus eſt, & quidem immenſa.

Aliis denique *de profundis*, hoc eſt, de corde profundo & humili; nimirum opportuna animi demiſſio, ſibi valles facit, è quibus eò altiùs clamet, quò profundiùs. Et hunc clamorem audit Deus; ut enim ait ille ipſe Propheta: *Reſpexit in orationem humilium.* Vel ut alii legunt, *in orationem cicadæ*, & hinc mihi ducitur alia lex bonæ orationis, quæ *laborioſa* ſit oportet.

Pſ. 101. v. 8.

II. Laborioſa.

Cicadam inter, & alias aves multùm intereſt; ſive tempus attendas, ſive canendi modum, ſive denique organum è quo elicitur.

Lib. 2. Florid.

De tempore ſic Apuleius: *Natura quibuſdam avibus brevem, & temporarium cantum commodavit: hirundinibus matutinum, Cicadis meridianum, noctuis ſerum, ululis veſpertinum, bubonibus nocturnum, Gallis antelucanum.*

Tempus ergò, quo accinit Cicada, laborem notat non exiguum, alto ſcilicet ſole, æſtúque meridiano, cùm alia ſilent, & languent animalia. Imò toto die canere Cicadam vult Heſiodus: *Clamoſa,* inquit, *etiam die toto.*

Ad tempus accedit ratio canendi, & organum planè ſingulare: nec enim ore canit, & ſolâ aeris ad aſperam arteriam alliſione (ut aliæ volucres) ſed ipſa viſcerum commotione, & hiatu pectoris. *Recepto* enim (ut ait Plinius) *duobus ſub pectore cavis, ſpiritu mobili, occurſante membrana intus attritu ejus ſonant viſcera*, viſcera inquam, non guttur; & inde canendi labor immodicus eſt in Cicada; quæ ut advertit Divus Gregorius Nazianzenus: *Lyram habet ſub pectore.*

Lib. 11. c. 15.

Orat. 34.

Ex hac diſce, mi Lector, quæ tibi debeat eſſe oratio, quiſve clamor: ſit ille laborioſus, & conſtans in paucis; orantem te videat Sol oriens, ſpectet meridies, & laudet occidens. Incumbit vertici altior aliquis perſecutionum æſtus? age, etiam in eo vocem expedi, & cœlo ſuaviter accine: *Reſpexit Deus, & audit orationem Cicadæ*: audit & turturis, ſed cùm tempus inſtat laboris. *Tempus,* inquit, *putationis advenit, & vox turturis audita eſt in terra noſtra.*

Cant. 2. v. 12.

Cùm putantur vites; exercendæ tum vires, & exantlandi labores, à quibus auditur *vox turturis*, hoc eſt, animæ in dolore, laboréque gementis. Ad hunc & illum nos excitans Jeremias: *Levemus,* inquit, *corda noſtra cum manibus ad Deum*, in quæ verba ſic D. Gregorius:

Thren. c. 3.

Corda cum manibus levat, qui orationem ſuam operibus roborat: nam quiſquis orat, ſed operari diſſimulat; cor levat, & manus non levat: qui verò operatur, & non orat; manus levat, & cor non levat. Ut commoda tibi, ut cœlo grata ſit oratio, & cor, & manus eleves oportet. Quod ipſum olim ſponſam edocuit animarum ſponſus; ſic enim ad illam:

Lib. 18. Mor. c. 5.

Oſtende mihi faciem tuam: ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Cant. c. 2. v. 14.

Faciem primùm exhiberi vult, eámque à bono opere decoram; deinde ſonare vocem, quæ dulcis erit, ſi tamen facies decora, hoc eſt, opera juſta; quod liquet ex Paraphraſi Chaldæa, quæ ſic habet:

Oſtende mihi aſpectum tuum, & opera tua recta, fac me audire vocem tuam: quoniam vox tua ſuavis in oratione, in domo ſanctuarii, & aſpectus tuus pulcher in operibus bonis.

III. Plena ſpe, ac fiducia.

Sed & aliud eſt, quod in clamore, hoc eſt, in oratione cœlum amat. Spem ſcilicet, & conceptam de divina bonitate fiduciam, qualem jam inde à primâ mundi ætate extulit *Enos, qui cœpit invocare nomen Domini.* Vel ut appoſitè ad meum inſtitutum Septuaginta: *Speravit invocare nomen Domini.* Quidni enim ſperaret, qui & nomine ſpes erat, & re etiam ipſa? *Enos* quippe, Hebraicè, id eſt, *ſpes.* Hanc quoque induit Moſes, cùm pro populo ad Dominum veniret orator, ut rediret exorator. Hinc illæ Dei, quaſi jam precibus evicti, ad ſervum voces; *Quid clamas ad me?*

Gen. c. 4. v. 26.

Exod. c. 14. v. 26.

Eò loci, ac temporis ingentibus malis oppreſſus Iſraël clamabat univerſus, reſonabat aer & cœlum omne effuſis populi vocibus; & tamen ad eum non dixit Dominus: *Quid clamas ad me?* ſed ad unum Moyſem, qui fortè ne vocem quidem edebat. Ut enim de illo Ambroſius: *Sonum ejus non audio, vocem ejus non agnoſco, ſilentium ejus lego, clamorem ejus in operibus deprehendo. In operibus*, inquam fidei, ac ſpei; quibus cùm plenus eſſet, etiam tacens clamabat. Et populus qui illis erat vacuus, etiam clamans ſilere videbatur.

In Pſal. 118.

Clamabat populus, & non audiebatur, inquit Ambroſius: *tacebat Moyſes, & audiebatur. Non enim ad Deum clamabat populus, qui injuſta, & viris indigna clamabat: ſed Moyſi dictum eſt. Quid clamas ad me? hoc eſt, tu ſolus ad me clamas, qui de me ſperas. Tu ſolus ad me clamas, qui virtutem meam excitas. Tu ſolus ad me clamas, qui per univerſam terram annuntiari meum nomen expectas.*

Ibidem.

Ecce præclaras animi voces, virtutes, inquam, quas ferè ſolas, cœlum audit: & quidem præcipuè ſpem, quia altùm clamat, etſi ſileant cætera. Eluxit illa in cæco, qui hæc ad JESUM Servatorem: *IESV fili David miſerere mei.* Paucula verba, ſed amoris, ſed ſpei plena, à quibus audit iſtud indulgentis Dei: *Quid tibi vis faciam?* ac deinde etiam hoc miſerentis: *Reſpice, fides tua te ſalvum fecit.* Ita nimirum, ut piè Divus Bernardus: *Sola ſpes apud te* (Domine) *miſerationis obtinet locum; nec oleum miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis.*

Serm. 3. de Annunt.

Ejuſmodi vas fuit S. Rembertus Bremenſis Archiepiſcopus. Hic ad Deum ſupplex venit, ut cruentam Normannorum eluvionem aut ſiſteret, aut averteret. Galliam illi, Germaniámque ferè totam diripuerant, vaſtarántque, cùm pro grege ſuo Deum oravit, exoravitque pius Paſtor; ibi enim cœlo tandem vindice cæſi, atque ad internecionem deleti.

Silveſter Petra Sancta Taumaſia Tom. 3. c. 6.

At

At undeea vis in orante Præſule? Utique ab inuſitato precationis æſtu, precantiſque fiducia. Et hanc, & illum teſtantur duo miracula, quæ etiamnum viſuntur non ſine ſtupore. Primum eſt quod ad hunc uſque diem ſuperſint veſtigia cubitorum ejus impreſſa lapidi, cui ſupplicabundus innitebatur. Et hoc fervoris indicium fuit.

Alterum ſpei, ac fiduciæ argumentum erit: quod locus ubi ſe in preces effuderat, etiamnum perpetuò vireat, etiam adulta, aſperáque hyeme, cum flaceſcunt, ac marceſcunt cætera omnia. Et hic viro fidenus in Deum animi ſignum fuit. Ut & tibi ſit Amice Lector, vide ut eodem quoque fervore, eadémque fiducia ad ſuperos orator accedas.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Quid tibi vis faciam? Domine ut videam.* V. 14.

QUAM CONSONA CHRISTI BONITATI EA INTERROGATIO? Et è contrario, quàm diſſona illius cæci reſponſio?

I.
Ipſa miſeria ad petendum excitat.

DIXIT olim Baſilius Seleucienſis: *Miſeria ipſa patronos dat*; eſtque veluti muta quædam oratio; & quidem longè efficaciſſima, ad impetrandum. Quæ in miſello hoc (de quo in præſens quæſtio) erat cæcitas, miſeria erat, quæ patronum daret, & tacitè oraret, atque exoraret. Verùm in ea minimè ſtetit cæcus ille noſter: nam & vocem altiùs edidit, & quod in votis habebat, expreſſit. Roganti enim Chriſto: *Quid tibi vis faciam?* Subjecit illico: *Domine ut videam. Humanam apponit neceſſitatem, tanquam deprecatricem*; ut in ſimili dixit poſtea Tertullianus.

Tertul. ad Marc. l. 4. c. 12.

Eſt ærumnoſa neceſſitas, tacita quædam deprecatio; & illam exhibere Salvatori quàm optimo ſatis ſupérque fuit. At illi preces addit; imò & clamore ingenti, auras fatigat. Exclamat enim: JESU *fili David miſerere mei.* Cui ille benigniùs: *Quid tibi vis faciam?* Conſona profectò divinæ bonitati interrogatio, conſona, & ſaluti homuncionis illius.

II.
Chriſtus ipſe triplici de cauſa.

Prima.

Primùm enim ab illa elicere voluit ingens deſiderium conſequendæ ſanitatis. Ita deinde fecit illi Paralytico, qui ad piſcinam probaticam jacebat, & motum aquæ expectans, & hominem, qui in eam immitteret. Ex illo enim quæſivit: *Vis ſanus fieri?* Videri potuit ſuperflua ea quæſtio, maximè iſti pauperculo, cui triginta octo annis ægritudo illa incubuerat. Superflua tamen non fuit; imò ex hoc ipſo maximè neceſſaria: quò enim quis diutiùs alicui infirmitati quaſi indormiſcit, eò magis ad eam excutiendam debet excitari. Mali quippè diuturnitas, callum obducit, & quendam veluti ſtuporem; quem olim in Iſraële cœlum luxit, atque damnavit. Sic enim ad Moyſen Dominus: *Ego audivi vos dicere. bene vobis erat in Ægypto.*

Num. c. 11. v. 18.

Mirum profectò, ſed verum tamen. Libero Iſraëli dura videri debuit ſervitus, quæ eum olim oppreſſerat: at ſtupidæ plebi, levior eſt viſa; imò & cum illa benè ſibi eſſe credidit; quin & meliùs, quàm in adepta jam libertate. Ita nimirum diuturnitas mali, illius ſenſum ſi non tollit; at ſæpè ſæpiùs retundit. Quod maximè verum eſt, ubi non tam corporis eſt ægritudo: quàm mentis. Ubi ea longo uſu inveterata: tum enim opus eſt ſtimulis, opus etiam ea interrogatione: *Vis ſanus fieri?* primus quippe gradus ad ſanitatem eſt illius deſiderium, quod hic provocat JESUS; atque utinam provocaret etiam in iis, qui modò cæci ſunt, ſi non corpore, at ſaltem animo; utinam, inquam, iis in aures injiceret illud indulgentis cœli: *Quid tibi vis faciam?* & illi reſponderent? *Domine ut videam.* Annueret profectò Dominus, & viderent, quàm malè illis illuſit mundus, quàm ſubdolè decepit abblandiens caro, quàm funeſtè in retia traxit dæmon, & quibus objecit periculis; illa & viderent, ac declinarent. Sed ne longiùs, ad alias rationes devolvamur.

Secunda.

Ad illas orantis voces: JESU *fili David miſerere mei*, quaſi evictus Dominus illicò ſubjecit: *Quid tibi vis faciam?* & fiet. Mira profectò vis orationis, de qua & verè, & magnificè Theodoretus:

Omnipotens oratio, cum ſit una, omnia poteſt. Præcipit oratio, cùm deprecatur.

In hiſtor. relig.

Ita præcepiſſe viſa in hoc cæco. Ita etiam in muliere illa Syrophœniſſa, cui dixit Chriſtus: *O Mulier magna eſt fides tua; fiat tibi, ſicut vis.* Quaſi diceret, voluntas tua eſt mea omnipotentia, nimirum hanc poſſidet, hanc continet, hanc explicat orans prout libuerit: continet quidem cùm in flagella expedire ſe parat; explicat autem, cùm in beneficia laxat, atque effundit.

Matth. c. 15. v. 28.

Illius exempla ſi voles, habes in ſponſa, cujus *labia* (vel ipſo teſte ſponſo) *ſicut vitta coccinea* quia ſcilicet, (ut ibi notat Guilbertus) ea labia Deum ligant, & *vulneratur Deus oculo, labio inflammatur, etiam & ligatur.*

Cant. c. 4. v. 3.

Sic ligatus olim ab orante pro populo Moſe; cui Deus: *Dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos: & deleam eos. Hebraicè javach*, id eſt, *me mihi permitte, relinque abire liberum.* Quibus verbis, inquit Hieronymus, *Oſtendit ſe teneri poſſe.* At quibus inquies vinculis? certè non aliis, quàm orationis: ſubdit enim S. Doctor: *Potentiam DEI ſervi preces impediebant.* ut autem impeditur illa, ne in pœnas ſeſe explicet; ita quodammodo aperitur, ut beneficia, gratiaſque prodiga quaſi manu diffundat.

Exod. c. 32. v. 10.

Epiſt. 127.

Hanc porrò vim amabilem agnovere primævi Chriſtiani, de quibus ſic olim in Apologetico Tertullianus:

Coimus in cœtum, & congregationem, ut ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis grata Deo eſt.

Cap. 39.

Tertia.

Poſtrema ratio, ex qua manavit ea Chriſti interrogatio: *Quid tibi vis faciam?* hæc fuit. Ut ad beneficium accederet impenſa recipientis voluntas, à qua mirum quantum illud augeri ſolet, atque æſtimari.

Non refert, inquiebat olim Seneca, *quid ſit quod datur, niſi à volente volenti detur. Si ſervaſti me non ideo Servator es. Venenum aliquando pro remedio fuit; non ideò numeretur inter ſalubria. Quædam proſunt, nec obligant.*

Lib. 2. de benef. c. 18.

Quarta.

Nimirum ut obligent, requiritur ſtudioſa quædam voluntas, quæ illa ambiat, ac poſtulat. Ut hanc impetraret Chriſtus, ſic olim ad cæcum: *Quid tibi vis faciam?* Quas Domini voces dum expendit D. Bernardus, à ſe quaſi alienus, exclamat.

Quanta eſt miſeratio tua Domine, quanta dignatio tua? ſiccine Dominus quærit, ut ſervi faciat voluntatem. Verè cæcus ille, qui non conſideravit, non expavit, non exclamavit.

Serm. 1. in converſ. S. Pauli.

Digitized by Google

Abſit hoc Domino; tu magis dic, quid me facere velis. Sic enim decet, ſic omninò dignum eſt, non meam à te, ſed à me tuam quæri, & fieri voluntatem. Contrarium tamen accidit. Nam & cæci illius voluntatem quæſivit Dominus, & verò etiam fecit. In quo profectò neſcio quid mirandum magis, an Chriſti indulgentia, an miſelli illius impudens cæcitas.

Verè enim cæcus, qui non conſideravit, quis eſſet, qui ex eo id quæreret.

Verè cæcus, qui ſi conſideravit, non expavit, vel ſtupore attonitus, vel amore victus, & quodam veluti beneficentiæ miraculo.

Expenditur cæci petitio.

Verè Cæcus, qui non exclamavit, abſit hoc à me; ego enim ex te potiùs quærere debeo, *Domine quid me vis facere?* Verùm hoc non quærit, ſed adjicit illicò præceps illud, *Domine ut videam.* Quid facias? Cæcus eſt, non corpore ſolùm, ſed & animo magis. Et ita cæci plures, qui Evangelici illius cæci potiùs, quàm novi Apoſtoli ſunt imitatores. Ea quippe eſt eorum *puſillanimitas*, imò & *perverſitas*, *ut ab eis quæri oporteat. Quid vis ut faciam tibi? non ipſi quærant: Domine quid me vis facere? Conſiderare neceſſe habent miniſtri, & vicarii Chriſti, quid ſibi præcipi velint; non ipſi conſiderant, quæ ſit voluntas præceptoris.* Hanc explorare debet quiſquis ſibi benè cautum eſſe volet ſeros in annos. Et certè explorare debuiſſet cæcus ille noſter, & iſtud adjicere, quod deinde Saulus: *Domine quid me vis facere? O verbum breve*, inquit Bernardus; *ſed plenum, ſed vivum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptatione. Quàm pauci inveniuntur in hac perfecta obedientiæ forma:* Hanc ſi obſervaſſet cæcus ille noſter, Domino quærenti: *Quid tibi vis faciam*, illicò reſpondiſſet. Quód lubet ô Domine, quod tuæ gloriæ conſonat magis, quod & meæ ſaluti; non autem inconſideratum illud: *Domine ut videam.*

Ibidem.

Expenditur & Sauli.

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Domine ut videam.* verſ. 41.

REMNE BONAM PETIERIT NOSTER ILLE CÆCUS?

Oculi quales à natura.

DICITUR oculus à verbo *oculo*; quod ciliis, ac ſuperciliis quodammodo occultetur. Ejus uſuram amiſerat noſter ille cæcus; hanc ſibi reſtitui poſtulat à Chriſto, ceu corporum medico, ceu liberatore animarum. Quæritur an rectè? Ut illi controverſiæ fiat ſatis, primùm ſtatuendum, quid à natura, quid etiam à virtute, quid denique à vitio homini ſit oculus. D. Chryſologo: *Oculus eſt animæ feneſtra, ſpeculum mentis, lumen corporis, membrorum dux.*

Hæc eſt oculi deſcriptio, eáque perelegans, petita ex fine, quem in illo formando ſibi propoſuit author naturæ Deus. Eſt ille alius, atque alius. Primus, ut imagines rerum extra ſe poſitas excipiat; ac deinde tranſportet in animum; & hinc dicitur animæ feneſtra, quia per illam res objectæ pervadunt ad mentem, ceu arcem intelligentiæ.

Alter eſt, ut latentes intrinſecùs affectiones prodat, & quaſi ſpectandas exhibeat; & hinc audit *ſpeculum mentis*; quia ut in ſpeculo nos intuemur ipſi; ſic in oculo patet quis ſit animus, & quâ intrinſecùs paſſione, ceu colore, imbuatur. Nempe in oculis (ut rectè Plinius) *animus inhabitat.*

Lib. 11. c. 37.

Alius oculo finis eſt. Ut corpori luceat, eáque luce motus illius omnes regat; & inde vocatur *lumen corporis*: & à Pythagora dicuntur oculi *portæ ſolis*, quaſi per illos, *Sol*, hoc eſt, lumen ſubintret. Ab aliis dicuntur veluti *ſtellæ*, & gemina ſidera microcoſmi, id eſt, hominis; ut enim ſtellæ Antiquis dictæ ſunt *oculi Deorum*; ſic oculi ſtellæ ſunt hominis, ceu cujuſdam terreſtris Dei.

Laërtius lib. 8.

Stobæus l. 1.

Eclog. Phyſ.

Denique appellatur oculus *membrorum dux*; quia eſt velut quidam anteambulo, qui viam demonſtret; qui ducat, qui doceat quæ ineunda ſit ſemita, quævè declinanda. Et hic eſt finis, hoc officium, quod natura oculo præſcripſit, cui adde & aliud, ad quod inclinat ipſa virtus. Ea hac teſte D. Gregorio Nyſſeno: *Oculi nobis omnium operum magiſtri ſunt, atque Doctores:* tacitè quippe præſcribunt, quid agendum ſit, quídve fugiendum. Nimirum per illos aſpiramus ad cœleſtia totis animis, ac viribus capeſſenda, dum ad ea aſpicienda ferè ſolùm eriguntur, ad cætera verò demittuntur. Et tales fuere magnæ Virgini Mariæ: quæ ut notat Petrus Galatinus, *Oculos ſemper humi defixos habuit, niſi dum oraret*; tum etiam in cœlos attollebat. Diceres illi non fuiſſe oculos, niſi ut cœleſtia ſuſpiceret; deſpiceretque cætera. Et ii quoque nobis à virtute debent eſſe oculi, ut rectè olim Baſilius magnus, qui Libanii ſcholam ingreſſus, adoleſcentes docuit *pudore ornari, demiſſos habere oculos, ſurſum animum*, ut refert Cyril. Hieroſolymitanus, ſint deinde etiam vigiles, ac veluti cuſtodes; ideò enim illos natura in capite, ceu arce, ceu ſpecula, collocavit; ut hoſtem adventantem videant, & quà licet, avertant. Quo in genere primum eorum officium erit, non *objicere*, ut ait Lactantius, *irritabiles formas.* Non *offerre formas illices, & faciles voluptates, ut ſic viſu deſtruant caſtitatem*, ut ſubinde ex vitio fieri notavit D. Cyprianus.

Quales à virtute.

Hom. 7. in Cant.

Matri. magnæ. l. 7. c. 5.

Catech. 6.

De zelo & livore.

Et ii fuere Virginis Matris oculi, qui ne in Angeli quidem ora, vultúmque converſi; quam oculorum cuſtodiam diſertè prædicavit S. Eucherius: *Turbata eſt*, inquit, *non in vultu, ſed in ſermone ejus. Non enim Angelum, ſed verbum Angeli attendebat.* Atque utinam tales nobis à virtute forent oculi, qui nec cogitare de Virgine, nec in formas illices abire poſſent. Quod ſi fortè aliorum vitio, ac libidine obtrudantur illæ; tum alterum oculorum officium erit, eas illicò vel avertere, vel lumine torvo frangere.

Hom. ſuper Miſſus.

Ira quondam feciſſe viſus S. Ludovicus Catalaunenſium Epiſcopus, in quem cùm Regina petulantes oculos conjeciſſet, oculorum tela torvo retorſit aſpectu, imò retudit, ac fregit. Placuit ſuperis invicta tanti Præſulis caſtitas, quæ vel in oculis eluxerat; placuit, inquam, & miraculo etiam, vel ad poſterorum memoriam, vel exemplum, probata. Ejus quippe oculus poſt mortem in exſucco, atque arido cadavere, nec caligavit unquam, nec extinctus eſt. Verùm ne longiùs. Vidimus qui à natura, qui à virtute ſint oculi; ſpectemus, modò qui etiam à vitio: & hoc quidem ex authorum fide. Plutarcho, oculus eſt *anſa amoris capiendi.* Vix enim aperis oculos ad contuendum oris venuſtatem, quin ſubitò (ni caves) animum ſubeat amor, & ſuis te laqueis irretiat. Hinc illud ſalubre monitum Euſebii Emiſſeni: *Quàm facilè poteſt in puncto temporis evagari velocitas oculi, tam ſollicitè præcavenda eſt irruentis noxa delicti.*

Thom. Cant. l. 2. c. 30. v. 33.

Quales à vitio.

Hom. 4. de Epiph.

D. Gre-

Hom. 4. in Eccl. De Mer. germ. D. Gregoriu Nyſſero viſus dictus eſt *veluti bellicus aries*, qui primùm oculos quatit; deinde, & animum labefactat. Indéque manavit illud Taciti: *Primi in omnium prælius oculi vincuntur.* quod maximè verum, ubi de caſtitate certamen eſt; hæc enim oculo plerumque vincitur, quia ut ſcitè D. Auguſtinus: Serm 83. de tempor. *Prima adulterii oculorum tela ſunt, ſecunda verborum.* Ab illis primùm tangitur, ac ſauciatur mens pudica; deinde etiam ab his. Cujus exemplum habes illuſtre Num. c. 25. in Hebræis, qui oculis malè capti *fornicati ſunt cum filiabus* Moab, & hinc deinde victi, qui priùs victores. Quod eleganter expreſſit Baſilius Seleucienſis, qui ſic de Iſraelitis contra Madianitas pugnantibus: Orat 6. *Cùm armis vincerent, oculis labebantur: pilis atque haſta ſuperiores, forma jaculis vulnerabantur, imò & vincebantur.* Nimirum eos abduxerat vaga oculorum libido, & à ſe quodammodo extulerat, omnéque robur infregerat, ut eviratos crederes, & fœminarum in morem molles. Verùm ab illis diſcedo, Supra. redeóque ad D. Chryſologum, cujus initio quæſtionis memini. huic oculus dictus eſt *introitus vitiorum*, non quidem à natura; ſed à ſcelere, cui connivet, dum incautiùs aperitur, & patet. Nullum enim eſt vitium, quod non inducat in animum nimia oculorum licentia. Primùm concupiſcentiam incendit; deinde iras acuit; tum etiam ferro manus armat; denique in cædes rapit. Quod olim in Davide videre licuit, aſpexit ille liberiùs Berſabeam, & oculo captus eſt: tum eam concupivit: tum ad prohibitam venerem vocavit; & torum ſuum infami adulterio fœdavit: tum ſallaces, ac funeſtas literas dedit: tum denique Uriæ Hethæi ſanguinem fudit. Ecce quot ſcelera, qua data porta ruunt, & per oculos in animum irruunt. Adeò verum illud magni Præſulis effatum, oculus eſt *introitus vitiorum.*

Tren. c. 3. v. 51. Eſt etiam malus *animorum prædo*, de quo triſti næniа canebat Ieremias, *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Septuaginta legunt *vindemiavit*. Hoc eſt ſpoliavit bonis omnibus, & fructum omnem bonæ vitæ eripuit. Nimirum oculus (ut inſolens prædo) ubi per tranſmiſſas imagines evaſit in animum; tum & Dei gratiam, & amorem eripit, & cæteras virtutes, quæ mentis erant pretioſa ſupellex. Ab immani illo furto, ac rapina factum autumo, ut D. Baſilius, oculos vocarit *ἀσωμάτους χεῖρας*, *incorporeas manus*, quæ ſcilicet prenſant, atque ſuffurantur etiam quæ ſpiritus ſunt, quæ gratiæ, quæ caritatis, cæterorumque donorum cœleſtium: ad quorum jacturam alluſiſſe viſus Clemens Alexandrinus, dum ait *Teſſeram virtutis ferant oculi:* nempè jactus oculorum, ſimilis eſt jactui aleæ. Hic præceps eſt ac temerarius, vnoque volutatu ſubinde longè maximam affert bonorum jacturam. Sic & oculorum conjectus levis quidem eſt, & ludus eſſe videtur: at is in quo virtutis opes, & cœli gazæ tibi pereant, & nihil niſi miſerabilem animi pauperiem relinquant.

Habes amice Lector, quales à vitio, naturaque corrupta ſint oculi; ex quibus (ſi modò in Chriſtiana Logica ſis benè doctus) conficies illicò, non adeò ſaluti conſonam fuiſſe cæci illius ad Dominum orationem dum; ait, *Domine ut videam*, Ecquid enim, amabo te, petit? Oculorum vſarum? *At quæ anſa ſit impuri amoris*, quo capiatur malè. Quæ *bellicus aries*, quo quatiatur & concidat. Quæ *introitus vitiorum*; quibus inficiatur, & ſqualleat. Quæ virtutum prædo, quæ rapina Cœleſtium divitiarum, quibus antea Cœlo nitebat opulentus. Hæc, inquam, à Chriſto poſtulat, dum oculorum, & lucis hujus uſuram impenſiùs efflagitat. Et non videtur tibi parum æqua, parum ſana petitio? videbitur ſanè, ſi modò juſtus es morum cenſor ac judex, ſi in oculis eſt, quod ab oculis impendet malum.

Certè B. Petrus Abbas Claravellenſis, cùm ex morbo unum oculorum amiſiſſet; & alterum eodem extingui, ac perire poſtulabat: quòd ab illo ſibi metueret quàm peſſimè. Hinc de oculis, pio & liberali joco jactare ſolebat illud. *Unum de inimicis amiſi: & plus à reſiduo, quàm à perdito formido.*

Hæc ille & cenſuit, & dixit. Et idem cenſuêre alii, & dixêre; quos inter S. Audomarus Teruani quondam Epiſcopus. Is multis annis orbus oculis, & lucis uſura; ad D. Vedaſti Sepulchrum eam cùm recepiſſet, Deum enixè rogavit, ut ſi cæcitas ſaluti magis eſſet congrua, illam rurſus pateretur; impetravit illicò, & reliqua vita paſſus eſt.

Ejuſdem mentis fuit S. Herluca Bavara. Hæc Sigebert. in Chron. in primo ætatulæ flore, plus ornando corpori dabat, quàm animo. Hinc cœlo miſerente damnata eſt cæcitate: à qua tamen mens illi reddita eſt benè oculata. Is nimirum divinæ ſapientiæ ludus, ut dum carni lux hæc aſpectabilis ſubtrahitur; detur animo ſuperior altera; cujus appulſu etiam moneri ſe ſenſit, ut ad D. Cyriaci Martyris ſepulchrum veniret ſupplex; & pro altero oculorum recuperando oraret, indubiè etiam exoratura. Venit, vicit, vidit. Sed uno duntaxat oculo, in altero priſtinæ vanitatis pœnam tulit etiam ad mortem, & tumu- Raderus in virid. Part. 3. c. 8. lum uſque & quidem volens ac lubens, ut quæ probè noſſet, quæ lues olim ab oculis ad animum emanaſſet: & è contrario, quàm amœna, quàm aurea, quàm divina lux à cæcitate ad eundem profluxiſſet. Mitto alia ejuſmodi vel teſtimonia, vel exempla, quorum ferax eſt omnis ætas; quæ ſi mentis oculo hauſiſſet noſter ille cæcus, ad eam quam in Chriſti aures intulit orationem, addidiſſet hæc paucula: *Domine ut videam*, ſi tamen videre expedit animo, expedit ſaluti, atque æternitati; tum enim perfecta, & ſuis numeris abſoluta fuiſſet oratio. Verùm illi venia danda, & certè etiam dedit Servator mitiſſimus, & quam oculis petebat lucem, indulſit. Ait enim: *Reſpice, fides tua te ſalvum fecit.* Benefi- Fidei vis quanta? cium ſanitatis quantum, quantum illud fuit, non potentiæ ſuæ, non bonitatis inclinationi aſcribit, ſed orantis fidei: tantùm nimirum poteſt hæc, quantùm & Deus. Cæcitatem tollere unus poteſt Deus; poteſt & fides: elementis, imò cœlis, ac Soli imperare poteſt Deus; poteſt & fides. Ea inſtructus Joſue *ipſis elementis ſtationem imperavit*, inquit Tertullianus: nec illis modò, ſed & Soli: *Fiducia habitantis in* Adverſ. Phyſh. c. 10. *ſe* DEI *locutus eſt* JESUS, *ſtet Sol, & ſtetit*, ut diſertè notat Divus Hieronymus. Eam indue, mi Lector, & eris, quod illi, velut Omnipotens.

DOMI-

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Cap 7. v. 1. BENE cenſuit, benè ſcripſit Huſſæus Vates: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Vix enim nati haurimus communem aëtem, cùm ecce nobis cum humanâ ſorte, ac miſeriis eſt pugna, in quâ arma ſunt lacrymæ, & pueriles ejulatus: à quibus ubi adoleviimus cum nobis ipſis ſingulare certamen eſt; imò & cum dæmone, ac poteſtatibus tenebrarum, cum quibus & ipſe Servator optimus congredi voluit: ut & communem hominum aleam ſubiiſſe, & pugnæ ſpeciem, exemplumque victoriæ dediſſe videretur. Totius rei ſeriem per varias quæſtiones digeremus, ubi tamen priùs pauca

EX D. THOMA.

OCCASIONE jejunii, quod obſervavit Servator Optimus, quatuor hic proponit.

Serm. 2. I. *Iejunium eſſe Dei præceptum*, quod tulit quadrupliciter. 1. *Per ſeipſum, Adæ & Evæ in paradiſo*, dum prohibuit edere de ligno ſcientiæ boni, & mali. 2.
Cap 16. *Per legem Moyſi* datam in Levitico. 3. *Per Prophetas.*
Ioel 2 *Sanctificate Iejunium.* 4. *Per Apoſtolos. In fame, & ſiti,*
2. Cor. 11. *in jejuniis multis.*

Matth. 6. Adde autem in jejunio quotuor eſſe *neceſſaria.* 1. Ut à peccatis nos mundemus. *Cùm Iejunas faciem tuam lava.* 2. Ut *occultemus*: ideò deſertum petiit. 3. Ut *perſeveranter jejunemus*, uti Chriſtus diebus omninò quadraginta. 4. Ut *tentationes dæmonum ſuperemus*, uti & Chriſtus. Et hoc eſt quod proponit.

II. *Chriſti*, ſcilicet *exemplum.*

III. *Non jejunantibus nocumentum.* 1. Eſt *malum culpæ, & hæc fuit iniquitas Sodomæ, Saturitas panis, &* Ezech. 26.
abundantia. 2. *Malum damni*, privatio à fructu vitæ æternæ. 3. *Malum vitæ præſentis. Propter crapulam* Eccl. 37.
enim *multi perierunt.* 4. *Pæna famis, & ſitis in inferno perpetua.* Quod patet in Epulone, & aliis, in quos cadet aliquando illud Iſayæ: *Ecce ſervi mei comedent,* Cap. 45.
& vos eſurietis.

IV. *Ex Iejuniis emolumentum.* 1. *Vitiorum mortificatio.* 2. *Mentis in Deum elevatio.* 3. *Virtutum acquiſitio.* 4. *Æternæ beatitudinis præmium*, quæ omnia ſic expreſſit D. Gregorius: *Qui corporali Iejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.*

EX D. BONAVENTURA.

Homin. 1. Quadrag. Serm. 2. EXCUTIT ille non minùs ingenioſè, quàm piè ſingula verba, atque imprimis iſta: *Ductus eſt* JESUS *à ſpiritu*: utique ſancto, qui licèt *unus ſit in ſubſtantia, multiplex eſt in effectu*: & inde ductus.

Matth. 4. I. *A ſpiritu veritatis contra ſpiritum erroris.*

II. *A ſpiritu æquitatis contra ſpiritum diſſimulationis adulantis.*

III. *A ſpiritu fortitudinis contra ſpiritum puſillanimitatis ſuccumbentis.* Et hoc eſt primum, quod annotat; & diſcutit Sanctus Doctor.

Secundum eſt iſtud (*in deſertum*) utpotè locum aptiorem pugnæ, aptiorem & victoriæ. Eſt enim deſertum. 1. *Locus aſperitatis* commodus exercendæ abſtinentiæ corporis, adeòque etiam edomandæ gulæ, qua nos malus dæmon impugnat. 2. *Locus ſterilitatis*, & inde aptus avaritiæ, & cupiditati reprimendæ, qua, ceu telo potenti, nos petit, & ſæpiùs etiam ſauciat. 3: *Locus deſpectabilitatis ad confundendam jactantiam ſecularis ambitionis*, quæ Urbes frequentat, ac theatra, amátque & ſpectare, & ſpectari: non ſic Chriſtus, vitam ille aliquamdiu exegit in deſerto procul ab hominibus, imù cum feris animantibus, *ut erubeſcat membrum, quod ſe elevat in altum per ambitionem, cùm viderit caput ſuum deprimi in imum per humiliationem.* Et illud eſt ſecundum, quod expendit Seraphicus Doctor. Tertium

Eſt, *ut tentaretur*; ita nimirum *dux vitæ à principe mortis tentatur*, & quidem 1. *In deſerto de gula.* 2. *In templo de vana gloria.* 3. *In monte de avaritia. His enim tribus tentationibus primum Adam dejecerat*; & his deinde dejecit è poſteris innumeros: at non ſic ſecundum Adam, tentabitur ille quidem; at non vincetur. *Tentabitur*, inquam.

I. *Vt habeamus exemplum quo inſtruamur*, diceréque Serm. 3.
poſſimus cum Pſalmiſta: *Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad prælium.* Pſal. 143.

II. *Vt habeamus apparatum armorum, quo congrediamur*; hoc eſt virtutes, quæ Chriſtianæ mentis arma ſunt; nempe *loricam juſtitiæ, ſcutum fidei, galeam ſa-* Epheſ. c. 6.
lutis, ſeu ſpei, *& gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.*

III. Ut habeamus *auxilium, quo muniamur*, & quod deinde adpromittet ore, calamóque diſcipuli, *Ego te ſervabo ab hora tentationis*, uti olim tres pueros in Apoc. c. 3.
fornace babylonica, quos etſi tetigit flamma, non Dan 3.
exuſſit: ſic nimirum *corpus, quod abſtinentia frangit, tentatio non exurit*, ut rectè Iſidorus.

IV. Denique ut habeamus *promiſſum, quo alliciamur*, ſcilicet æternam gloriæ coronam, pro qua obtinenda certandum longè operoſiùs quàm pro corona Imperii, aut regni cujuſdam temporalis. Et hoc eſt tertium, quod fuſiùs examinavit S. Doctor.

Quartum eſt pugnæ locus, iſque triplex, in quo & tria

Google

tria hominum genera impugnat malus dæmon, triplici enata tentationum genere: videlicet.

Serm. 1.

I. In deſerto: *Deſertum* autem *eſt mundus. Hic impugnat omnes fideles, & quidem per gulam, & carnalitatem*; hinc etiam ad illos: *Dic ut lapides iſti panes fiant.*

Math. 4.

II. In monte: *Mons* autem *eſt altitudo dignitatis ſive Eccleſiaſticæ, ſive ſæcularis. Hic impugnat rectores, & potentes, & hoc per avaritiam*, ceu machinam validiorem, quam verbis illis admonet: *Hæc omnia tibi dabo.*

III. In templo: *Per templum* verò *monaſtica vita ſignificatur, hæc impugnat regulares per apoſtaſiam*, quam ita paucis ſuadet; *mitte te deorſum.* Quæ omnia dum ſpectat D. Bernardus, ſic ad ſuperos: *Heu me Domine Deus, quia undique mihi mala, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta, quocumque vertam me nulla uſquam eſt ſecuritas, ſed Chriſtus in his omnibus vincens vincere docet, in deſerto activos, in templo contemplativos, in monte Prælatos.* Ubi hæc protulit S. Doctor de tentato Servatore; tum pauca ſubjicit de tempore, & modo, quo tentatus à malo dæmone; nempe *cum jejunaſſet quadraginta diebus*, ut poſteros omnes doceret quadraginta dierum jejunium prodeſſe.

Serm. 4. Quatuor Quadrag.

I

I. *Ad conſequendam veniam*, ſic eam *aſſecuti Ninivitæ; ſic innumeri labentibus ſæculis*: ut enim *poſt quadraginta dies corvus de arca emittitur; ſic dum aperta oris feneſtra in confeſſione, peccati nigredo proditur, culpa dimittitur.*

Ninivitarū Jon. c. 3.

Gen. c. 8.

II. *Prodeſt ad augendam gratiam*: ſic Moyſi profuit, dum poſt quadraginta dierum jejunium duas legis tabulas ledit. Duæ tabulæ ſunt amor Dei, & proximi; lapideæ ſint oportet, ut ſcilicet durent in Ævum omne: non autem vitreæ ut pleriſque mortalium. Poſt quadraginta dies purgationis delatus in templum eſt JESUS; & poſt quadraginta jejunii dies in templum cordis venit cum columba pœnitentiæ, & turture continentiæ.

II. Moyſis. Deut. c. 9.

Luc. c. 2.

III. *Prodeſt ad obtinendam victoriam*; ſic enim à jejunio Servator optimus *vicit omnes tentationes diaboli, in deſerto, in monte, in templo.* Sic & Holofernem vicit Iſraël, dum ex conſilio Heliachim Sacerdotis orationi jejunium jungit: ſic & Goliathum vicit David: ſic & dæmonem vinces ipſe.

III. Chriſti.

Iudit. 4.

1. Reg. 17.

IV. Denique *prodeſt ad promerendam gloriam*, ſic profuit Heliæ, qui in virtute *ſubcinericii panis ambulavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſque ad montem* DEI *Oreb.* Oreb, id eſt *menſa*: *jejunando* enim *ad menſam gloriæ pervenimus. Hæc menſa perdita eſt per gulam in paradiſo; recuperanda eſt per abſtinentiam in mundo.*

IV. Heliæ.

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA.

Ad illa verba: JESUS *ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Matth. c. 4. verſ. 1.

IN QVOD DESERTVM? A QVO SPIRITV? Quo fine?

Mons vicinus Jericho memorabilis.

COMMUNIS opinio habet, deſertum illud fuiſſe præcelſum montem vicinum Jericho: fuit ille multis nominibus memorabilis.

Primùm inſigni miraculo Elizæi Prophetæ: cùm in cœlum abiiſſet Elias igneo turbine vectus, unà cum pallio ſpiritum ſuum demiſit in Elizæum, cujus probè conſcii incolæ Jericho Prophetam adeunt, & urgent, ut aquas eò loci ſteriles, imò & noxias elueret, ac purgaret. Paruit Propheta, juſſitque afferri vas ſale plenum, & egreſſus ad fontem, qui ad montis illius pedem ſcaturiebat, ſalem in eum miſit, & ait:

I. Miraculo Elizæi.

4. Reg. 21.

Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultrà in eis mors, & ſterilitas.

Hinc in Eccleſiam manavit ille mos, ut aquis cum ſolemni benedictione ſal commiſceatur, ut non corpori tantùm, ſed & animæ ſint ſalubres.

II. A Joanne Bapt.

Adrich. in deſcript. ter. ſanctæ, p. 19.

Fuit deinde ille ipſe mons nominatus ab incolâ nobili D. Joanne Baptiſtâ, qui etiam in eo venientem ad ſe Chriſtum digito monſtravit, adjecto & hoc encomio pleno fidei, ac majeſtatis: *Ecce agnus Dei.*

III. A jejunio Chriſti.

Fuit denique celeberrimus à ſolemni quadraginta dierum jejunio, quod ibi perfecit Salvator Univerſi; & qui etiam ab eo dicitur *Quarantena.*

Viſa olim in eo monte Eccleſia, ac Monaſterium, quod Græci Monachi incolebant; collapſum tamen injuria temporis, quo etiam loca ſancta ſenſim exedi ſolent, ac collabaſcere. Et hæc pauca de loco, in quem eductus Chriſtus; addamus etiam à quo ſpiritû.

Eò ductus à Spiritu ſancto.

Voluerunt nonnulli à malo genio, ſed perperàm: fuit ille bonus, fuit enimverò Spiritus ſanctus. Unde Syrus vertit: *A ſpiritu ſanctitatis*, qui ſcilicet antonomaſticè ſanctus eſt, & fons ſanctitatis. Ejus impulſu ductus eſt in deſertum JESUS; Græcè ἀνήχθη, è medio ſublatus, vi quadam amabili, & ſacro impetu divini ſpiritus, qui eum in aviam ſolitudinem rapiebat, tanquam in ſcholam oranonis, abſtinentiæ ſedem, ac vitæ Angelicæ palæſtram, imò etiam arenam, in quâ ſolus cum ſolo Lucifero congrederetur, certamine ſcilicet ſingulari, cui ſimile nulla vidit unquam, aut videbit ætas. In eo quippe, DEUS cum dæmone, Princeps lucis cum principe tenebrarum certavit acriter, generoſè vicit, glorioſè triumphavit; eo ferè modo, quo ipſe Sol Orbis hujus oculus è nube victor excedit.

Poëta non ignobilis finxit certamen eſſe Soli cum nube, appenſâ illi hac epigraphe: *Splendor ex me.* Nimirum à nube triſtes tenebræ, caligo denſa, & propè atra nox: ſed à ſole ſplendor, quo frangitur, diſcutitur, atque in auras tenues ipſa nubes quanta quanta eſt evaneſcit. Sic à Chriſto JESU, qui ſplendor erat Æterni Patris, diſſipatus inferni tenebrio, & noctis profundæ parens profligatus. Et hic ſcopus, hic finis fuit cur in deſertum, ceu pugnæ locum emiſſus Chriſtus, ut & tentatus vinceret ipſe, & nos tentati etiam vinceremus.

Ibidem tentatus.

Rationes.

Ideò tentatus eſt Chriſtus, ne vincatur à tentatione Chriſtianus, inquit Auguſtinus.

I. In Pſal. 99.

Ideò tentatus, ut occultum animi robur proderet, darétque argumenta divinæ cujuſdam fortitudinis, quæ etiam in tentatione exhiberi debet Chriſtianus, cui ſub oculos eſſe velim illud Tertulliani:

II. Lib. ad Martyr. c. 4.

Virtus duritiâ extruitur, mollitiâ verò deſtruitur. Et hoc Senecæ licèt hominis profani; *Marcet ſine adverſario virtus, & ſæpè majori fortunæ locum facit injuria, ipſaq; calamitas virtutis occaſio eſt.* Hæc ſi deſit, & illa

De Provid. c. 2.

Epiſt. 91.

De Provid. c. 4.

& illa ferè ut deſit oportet: *Tolle caritati patientiam, & deſolata non durat; tolle ſuſtinendi, tolerandiq; ſubſtantiam; & nullis radicibus, ſive viribus perſeverat*, inquit Divus Cyprianus. (Cypr lib de bono patien.)

III. Ideò denique tentatus Chriſtus, ut nos vel hoc uno exemplo doceret nemini in cœlo paratam eſſe coronam, cui in terris non fuerit cum mundo, cum carne, cum dæmone pugna, & ea quidem acerrima.

(In c. 4 Luc.) *Quando tentaris*, inquit Ambroſius, *cognoſce quia paratur corona. Tolle Martyrum certamina, tuliſti coronas: tolle cruciatus, tuliſti beatitudines: Nonne tentatio Ioſeph virtutis eſt celebratio? nonne injuria carceris, corona eſt caſtitatis.* Hæc S. Præſul ut Chriſtiano majores adderet animos vel exemplo Martyrum, vel ſpe gloriæ, ac beatitatis.

Erit enim in ævum omne verum illud Divi Ambroſii:

Quando tentaris, cognoſce, quia paratur corona.

Teſtis erit monachus ille religioſam olim vitam profeſſus ſub B. Hermanno, monacho primùm Hemenrodenſi, ac deinde Abbate S. Mariæ. Hic, inquam monachus, nocte coneubia, graviſſimam à dæmone, à carne tentationem paſſus, & hujus, & illius ſemper victor. (Henriquez l. 1 Diſt. 12. c. 4.) Ruri tum agebat ejuſdem ordinis frater Converſus, vir quidem ingenio ſimplici, at candidis moribus, & vitæ integritate inter ſuos notiſſimus. Hic ea ipſa nocte, in amœna ſomni unius imagine *columnam* vidit, & quidem erectam, atque immobilem, è quâ ad clavum pendebat *corona Imperatoria*, quam dum animo ſedulus contemplatur non ſine inſigni voluptatis ſenſu, adfuit illi Dominus Jesus, qui coronam è clavo pendulam ſuſtulit, & hæc illi:

Accipe coronam, & defer illi monacho (eum utique proprio ſignans nomine) quia hac ipſa nocte, eam cœlo judice promeruit.

Ubi à ſomno, nocturniſque tenebris & ſibi, & luci redditus eſt Converſus ille, B. Hermannum, Præſulem ſuum adiit, & totam rei in ſomnis exhibitæ ſenem explicuit. Ex qua intellexit Abbas, in ea ſcena actum eniinverò de illo ſuo monacho, cujus & tentationem, & victoriam apprimè callebat.

Fuit nimirum ille veluti *columna* quædam in domo Dei: ſed ſtans mole ſua, ſua virtute fixa, firmáque, nec ullis tentationum incurſibus moveri, flectique potuit; nedum ſterni, ac frangi: & hinc illi appenſa *corona*, eáque *Imperatoria*; ut qui ſibi, qui carni, qui dæmoni ſciret imperitare; ubique ſuus, ubique victor.

Ut & ipſe *columna* ſis; & exemplo ſuo docet hîc Chriſtus, & ſpecie coronæ te provocat, allicitque. Et hæc ſecunda ratio.

Addo rationem aliam petitam ex maligno dæmonis ingenio. IV. Chriſtum ille aggreditur ſtatim à baptiſmo, & illapſu divini ſpiritus; more ſcilicet modóque infamis pyratæ, qui naves alto mari ſequitur, non ubi vacuæ; ſed cùm mercibus pretioſis graves, cùm auro multo, gemmíſque divites; tum in eas involat immanis prædo. Sic & diabolus è ſtyge in mundum hunc, velut in mare emiſſus prædas agit, & animas virtutibus, ceu auro, ceu gemmis divites, atque ornatas impetit, ut ſpolia detrahat. Adeò verum illud D. Hilarii:

In ſanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta graſſantur: quia ſcilicet, *victoria ei eſt magis expetita de ſanctis.* (Can. 3.)

Hæc improbi dæmonis molimina, pro eâ qua erant vigilis animi ſolertia adverterunt Eremi cultores apud Caſſianum, V. docti videlicet longâ experientia, (Collat. 21. c. 28.) quadrageſimali tempore magis impeti monachos, quàm alio quovis: ut enim olim Ægyptii Iſraëlem magis oppreſſêre operibus luti, & lateris cùm abire geſtiret in promiſſam ſibi terram; ſic & dæmon bonas mentes eò vehementiùs concutere nititur, ac deprimere, quò altiùs illæ aſſurgere voluerint, & in cœlis quaſi nidum ponere. Ideóque tum temporis quàm maximè vigilandum, atque ut piè monet S. Leo: *Major cautio, & ſollicitior adſumenda prudentia, quando hoſtis acriori ſævit invidia.* (Serm. 2. de Quadrag.) Extimulat nimirum iſta, & *expoliati hoſtis impius furor*, ait ille ipſe S. Præſul *novum quærit lucrum, quia jus perdidit antiquum.* Perdidit, inquam, ſacro illo tempore jus illud omne, quod in animas ſæpiùs ac propè toto anni decurſu improbè uſurparat. Et hinc malè artes, inſidiæ doloſæ, & ſi illis minùs promoveat, aperta prælia; contra quæ conſtantia, ceu clypeo ſeſe tegat Chriſtianus animus.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Ductus eſt in deſertum.* verſ. 1.

CUR IN DESERTUM POTIUS QUAM ALIUM in locum ductus à ſpiritu Chriſtus?

(Hom 13. in Matth.) Respondet ore aureo Chryſoſtomus, ut aptiore ad pugnam loco tentaretur. Is enim eſt genius mali dæmonis, ſolum aggredi amat, ſolumque tentare: (I. Ut daret locum tentatori.) aucupum ſcilicet more, modóque qui avibus laqueos tendunt deſertis in locis, non autem ubi populi frequentia.

II. Altera ratio; ut nos doceret abire à mundi ſtrepitu, ab hominum oculis, à curis, ac negotiis hujus ævi: (Ut doceret amorem ſolitudinis. Lib 3 de Virgin.) *Et nos*, inquit Ambroſius, *procul à luxuriâ, procul à laſciviâ, tanquam in arido vitæ iſtius, ac jejuno ſolo, fugitantem deliciarum Chriſtum ſequamur; non in foro, non in plateis Chriſtus reperitur. Nequaquam igitur quæramus Chriſtum, ubi invenire non poſſumus. Non eſt Chriſtus circumforaneus. Chriſtus enim eſt pax; in foro lites:* (Ibi Chriſtus) *Chriſtus eſt juſtitia; in foro iniquitas. Chriſtus operator eſt; in foro inane otium: Chriſtus caritas eſt; in foro obtrectatio: Chriſtus fides eſt; in foro fraus, & perfidia: Chriſtus in Eccleſia eſt; in foro idola.*

Hæc S. Præſul ut nos ex hujus ſæculi pulvere, ac tumultu evocet in opportunam cum Chriſto ſolitudinem, in quâ ſcilicet nobiſcum, & cum Deo agamus. Et verò ut agamus aliquando ſuadet natura, ratio probat, & illuſtrium virorum authoritas.

Ad profanos Scriptores appello.

Romanus Orator Tullius non cenſebat eum eſſe liberum, qui non aliquando ſecederet, & huic otio vacaret.

Mibi, inquiebat, *is liber eſſe non videtur, qui non aliquando nihil agit.* (2. de Orat.)

Hinc in Tuſculum ſuum abire ſolitus, ut qui Romæ Reipublicæ quodammodo fuerat, in Tuſculano ſuus eſſet. (Ibi quies.) Ita enim de ſe ipſe ſcribit:

Moror

Maror in Tuſculo meo ſemiliber: quaſi à Reipublicæ curis bona pars libertatis periiſſet, & ab otio tota redderetur.

Epiſt. 56.

Ciceroni conſentit Seneca: *Seceſſi*, inquiebat, *non tantùm ab hominibus, ſed etiam a rebus, & primùm à meis. Poſterorum negotium ago, illic aliqua quæ poſſent prodeſſe, conſcribo.*

Ibi negotiū Æternitatis.

Nos autem qui Chriſtiani dici & verò etiam eſſe volumus, non ut ille Poſterorum negotium agimus (in quo plerumque vanitas) ſed æternitatis (in qua ſalus, ac beatitas.) Hoc portò negotium agemus opportunè in ſeceſſu, ac ſolitudine, & ea moliemur, quæ nobis proſint ſeros in annos.

Eam ut amarunt boni omnes.

A profanis authoribus ad ſacros venio, & hi in paucis amantes ſolitudinis.

Rechabitæ vitæ olim ſanctimoniam ſectantes, & à vinu abſtemii, & ſeceſſus adeò ſtudioſi, ut iis civitas eſſet pro carcere.

Hinc Propheta regius iis inſcripſit pſalmum ſeptuageſimum, cui titulus:

Pſalmus *David filiorum Ionadab, & priorum captivorum.*

Quandonam autem capti, nuſquam legitur: imò Joſias Rea piè pro eis anxius ne à Chaldæis caperentur, è ſolitudine in urbem induxit.

Hunc nodum ſolvit D. Hieronymus dum ait:

Epiſt. ad Paulinam.

Filii Ionadab Ieroſolymam intrare compulſi, hanc primam captivitatem ſubtinuiſſe dicuntur, quod poſt ſolitudinis libertatem, urbe quaſi carcere ſint recluſi.

Quod ipſum etiam ex ſuo ſenſu inculcat vir ſanctus Epiſtolâ ad Ruſticum Monachum, in qua hæc verba:

Epiſt. 4.

Mihi oppidum carcer eſt, ſolitudo paradiſus. Ac ne dicat unus aliquis eum ſolitudinis amorem, curámque convenire tantùm viris religioſis, quos ipſa vitæ ratio à mundo ſecrevit: è multis unum accipe, eúmque in ſceptro, ac purpurâ, adeóque in ſummo negotiorum æſtu.

Is eſt David, qui de ſeipſo canit:

Pſal. 140.

Singulariter ſum ego donec tranſeam. Hoc eſt interprete D. Chryſoſtomo. Solitarius vivo; ſolitudine ſcilicet mentis, non corporis: & illa etiam cadere debet in eos, quibus vita vel maximè negotioſa; quod ut evincam cum D. Bernardo vel ad ipſius ſummi Pontificis ſolium evado, cui etſi propè totus incumbat Orbis, diſtrahátque Univerſi cura; non ita tamen, quin & ſibi quandoque, & ſæpiùs vacare debeat. Ita ad Eugenium pius orator acceſſit Bernardus; illum audiamus:

Lib. 5. ad Eugen.

Commendarunt Sancti.

Cùm omnes, inquit, *te habeant, eſto etiam tu ex habentibus unus. Quid ſolus fraudaris munere tui? uſquequo vadens ſpiritus, & non rediens? uſquequo non recipis te, & ipſe inter alios vice tuâ? Sapientibus, & inſipientibus debitor es, & ſoli negas te tibi.*

Hæc ubi altiori ſtylo dixit Bernardus, tum familiari ſimilitudine monet, urgetque, ut qui aliis ſeſe impendit in illâ negotiorum turbâ, ſeipſum ſibi ſervet in ſolitudine.

Participant, inquit, *de te omnes, omnes de fonte publico bibunt, hoc eſt de pectore tuo, & tu ſeorſim ſitiens ſtabis? Derivantur aquæ tuæ in plateas, homines, & jumenta, & pecora bibunt ex iis; & inter cæteros bibe tu de fonte putei tui.* Quidni enim bibas? ſi & homines (hoc eſt ea humanitatis, rationiſque divinæ lege viventes,) & jumenta, ac pecora (hoc eſt pecudum more vitam in ſordibus, ac luto ſcelerum ſuorum degentes) bibunt tamen de fonte tuo, & purioris ſapientiæ hauriunt aquas, eaſque ſalientes in vitam æternam; quidni & ipſe bibas, priuſquam te ipſe reficias? utque reficias, *Memento interdum reddere teipſum tibi. Utere tu quoque te inter multos, aut certè poſt multos.*

Quibus ornarunt titulis.

Hæc D. Bernardi, aliorumque ſanctorum conſilia vel ab uno Chriſti exemplo petita; quod ſecuti ii omnes, qui ad altiorem virtutis, ac perfectionis gradum aſpirare voluerunt.

D. Gregorius Nazianzenus eo devotæ mentis otio ſolitus oblectari, illud appellabat.

Orat. 42.

In morbis animi medicinam.

S. Aper Epiſcopus Tuilenſis *familiare ſecretum taciti ruris*, quod ipſe piâ conſuetudine petebat.

S. Paulin. Epiſt. 29.

D. Paulinus, ævi ſui miraculum, *cœleſtem* vocitabat *officinam*, in quâ in nobis formaretur Chriſtus, qui in ſæculi turbis, ac tumultu ſæpè deformatus.

Serm. 8. de Iejunio.

D. Leo *aulam mentis* appellabat, in qua mens divinæ vacaret ſapientiæ, & omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum in meditationibus ſanctis, deliciis lætaretur æternis.

C. 58. v. 13.

Denique Iſaias aiebat ejuſmodi ſeceſſum eſſe *Sabbathum delicatum*: in quo cœleſtibus deliciis recreatus animus conquieſceret, & viam ſibi faceret ad Sabbathum æternitatis.

Et hæc è multis collegi, ut benevolum Lectorem variis aut familiæ curis diſtractum, aut Reipublicæ negotiis à ſe quodammodo avocatum, ad ſe revocarem, ſibique redderem, ac priſtinæ virtuti, quam recuperabit in amico ſeceſſu, procul à fori ſtrepitu, & hominum frequentia, à qua plurimum decedere ſolet illius ſplendoris, quem à rebus benè geſtis hauſerat.

De Orat.

Verum enimverò illud Latini Oratoris pronuntiatum: *Dum in ſole ambulamus, etiam non cogitantes coloramur.* Ab æſtu ſolis hujus ſenſim ſine ſenſu ſolvi ſolet, ac tabeſcere niveus ille color, & amabilis purpura, quæ genas, & ora veſtiebat, indueique neſcio quid fuſcum, ac luridum. Quod corpori, hoc & humanæ menti vitium erit; ſi enim hæc ſæpè ſæpiùs in aperto ſit, ſi ſub hominum oculis, & ſæculi luce; etiam non cogitans malè colorabitur.

Ne porrò colorem illum invìſum ſuperis ferat in domum æternitatis; opportunè ſe ſibi reſtituet, & ſacro otio in aliquâ ſolitudine.

Uſurparint etiam viri Principes.

Tom. 2.

Ita cum orbis ſtupore, atque approbatione à mundi ſtrepitu, & magni imperii luce ſe ſubduxit Carolus quintus Auguſtus Cæſar, de quo hæc Sacchinus hiſtoricus ſocietatis noſtræ; *Carolus major fuit in ſua eremo, quàm in imperio.*

Dion. Caſſiu. in vita Adriani.

Ita Similius, qui vitam propè omnem in aula Adriani Imperatoris abſumpſerat, ejus extrema ſolitudini dedit; ut uni ſibi vacaret, qui publico vacarat impenſiùs. Tenuit ea vitæ ſolitariæ ratio ſeptem non ampliùs annos, quibus exactis naturæ ceſſit & fato, ſibique hoc epitaphium ſcripſit, tumulóque ſuo inſcribi voluit: *Hic jacet Similius ſenex longævus, qui ſeptem annos non ampliùs vixit.* Nimirum quod aulæ, quod mundo vixerat, non rebatur ſe vixiſſe vir prudens. Neque etiam reputabit quiſquis ævi ſui dies, & annos, non ad vitæ hujus calculos, ſed ad æternitatem revocarit.

Solitudo mentis.

Sed, inquiet unus aliquis, paucos venire in eam ſolitudinem, ac ſeceſſum, non à negotiis tantùm, ſed & à locis, in quibus actum eum ſtrepitu, ac clamore ſeu aulæ, ſeu fori. Conceſſerim id facilè non cuicumque dari idoneo; ſed contendo omnibus obtingere poſſe ſolitudinem, ſi non corporis, at ſaltem mentis; ad quam nos evocat D. Bernardus.

Serm. 40. in Cant.

Deus, inquit, *ſpiritus eſt, ideò ſola tibi indicitur ſolitudo mentis, non corporis. ſede ſolitarius, ſecede non corpore; ſed intentione, & devotione.*

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Vt tentaretur à diabolo.* verſ. 1.

QVÆ CIRCVMSTANTIÆ? QVÆ SERIES? Quis ordo tentationum? Quis finis?

IN ſequentibus quæſtionibus paucula hinc & inde ſpargam ex D. Chryſologo. Hic autem in unum veluti faſciculum cogam, & videbo quis tentet? ubi? quando? quomodo? & quibus vitiorum monſtris? quid primùm objiciat? quid deinde? quid ad extremum?

Quis tentat? Ad primum, quis impetat? *Diabolus eſt mali author, nequitiæ origo; rerum hoſtis, ſecundi hominis ſemper inimicus; ille laqueos tendit, lapſus parat, foveas fodit, aptat ruinas, ſtimulat corpora, pungit animas, dat virtutes odio,* (Serm. 11.) *vitia dat amori, humana tentat, violat divina, & hinc uſque ad Chriſtum tendit tentator temerarius.*

Ubi? At ubi? in deſerto, in primo quaſi virtutis limine. Nimirum *diabolus ſemper primordia boni pulſat, tentat rudimenta virtutum, ſancta in ipſo ortu feſtinat extinguere, ſciens quod ea ſubvertere ſundata non poſſet.*

Quando? At quando tentavit? Cùm ſcilicet *eſuriit; tum enim tentandi materiam invenit, quia ad jejunium non audebat accedere, quia ſic jejunantem Deum non hominem ſentiebat. Tunc ſenſit hominem, tunc mortalem credidit, tunc eum putavit poſſe tentari, quando eum eſurire callidius explorator*

Quomodo? *inſpexit.* Sed quibus viis? quibus vitiorum monſtris? quibus armis ac telis? crapula certè & gula.

Serm. 12. Nimirum *diabolus qui jejunantibus nobis eſurit, qui noſtris ſemper ſaturatur ex culpis, ille cibum noſtrum deducit in crapulam, potum noſtrum in ebrietatem diffundit, ut*

I. Tentatio. *mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animi domicilium, animæ vas, murum ſpiritus, virtutum ſcholam, Dei Templum, in ſcenam criminum, inviſtiorum pompam, voluptatum redigat in Theatrum.* Quod

Serm. 12. ut faciat, Chriſto ceu divino pugili, obtrudit illud: *Dic ut lapides iſti panes fiant.* Neque mirum quod inde prima tela petat, quod jejunium impetat; ſciebat nimirum *jejunium eſſe Dei arcem, Chriſti ca-*

Serm. 11. *ſtra, murum ſpiritus, vexillum fidei, caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum;* quod ut evertat objicit illud: *Dic ut lapides iſti panes fiant. Sic dicendo hominem vult monſtrare non Deum, non cibum parare vult, ſed vult amputare jejunium.* Hinc eſurienti etiam dura offert, hinc famem etiam aſperis palpat, hinc inediam horridis urget, hinc ſigna petit, *ſed ſigna fidei ſunt praſtanda, non dolis; credenti danda ſunt, non ſunt danda tentanti.* Et verò non dabit Chriſtus, ſed opponet illud: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Nempe *Verbum Patris verba ſalutis noſtræ eſurit non panem: & agit ut homo ſemper vivat cæleſti verbo; terreno pane non ſemper.*

II. Tentatio. Venio ad ſecundum inimici telum. *Si filius Dei es mitte te deorſum:* hoc ſignum petit latentis in humanitate Divinitatis. *O ſignum* exclamat Præſul aureus, *mitte te deorſum; convenientius dixerit ſi filius* DEI *ſis, aſcende in cœlum cùm ſit hominis ad ima cadere, Dei ad ſuperna conſcendere.* Verùm quid agas? diabolus eſt, diabolum agit ex genio, atque ut primùm Adam olim gula tentavit, deinde præſumptione & affectata quadam ſpecie Divinitatis: ſic & ſecundum Adam impetit.

Sic nimirum ſuis ſuadet, ſic ſuis providet ſemper; ſic Serm. 11.
ſuos elevat ut de alto præcipitet validius in ruinam; ſic ubi aſcenſum ſuadet *non aſcenſum providet, ſed ruinam;* verùm ut ſubinde id aſſequatur in homine qui *ad aſcenſum difficilis, facilis invenitur ad lapſum;* at Serm. 12.
in Chriſto id non obtinebit; *cadere* enim *non poteſt Deus.*

Vidiſti quomodo *ſe diabolus conſiliis ſuis prodat,* atten- Serm. 12.
de qui in *reſponſione ſua Dominus ſe revelet* dum ait:

Non tentabis Dominum Deum tuum. Se utique Dominum, ſe Deum intelligi voluit hoc dicendo, qui non de pinna templi tantùm ſe dedit ad terram, ſed è cœlis ſe ad inferos uſque jactavit; ut non cadentium forma; ſed eſſet reſurrectio mortuorum.

Et hoc ſecundum telum fuit, quod etiam irritum III. Tentatio.
cecidit; ſpectemus tertium, quod validis lacertis evibrat, ac jacit, dum & ponit ſuper montem excelſum, & oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & addit impudens illud, ac temerarium: *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me.*

Hæc dicit non qui poſſit dare, ſed fallere; nec promiſſa conferre, ſed auferre. Offert quæ Dei ſunt Deo, authori quæ authoris ſunt repromittit, Regna ſcilicet mundi hujus, gloriam Univerſi, qua ſcilicet illudat improbè, uti illudit incautis & miſeris mortalibus: ſed ut hos fallat, at Chriſtum non fallet; audiet enim:

Dominum Deum tuum adorabis, cui ſcilicet *genu flectunt omnia non ſolum cæleſtia & terreſtria, ſed etiam inferna: adorabis ergo tu in inferno ſtridens & ejulans eum, quem ad te adorandum modò temerarius deſertor invitas.*

His excuſſa tartarei hoſtis omnia tela, his fractæ vires, his aperta fraus, & doli. Sed ò malum! *diabolus toties, & taliter repercuſſus à Domino, circa nos ſervos ejus modò toto furore diſcurrit, & ſic ſuos alloquitur, & armat miniſtros. Tempus non modò jejunii obſervatione debellat, per gulam, per crapulam, per ebrietates, per luxuriam homines attentare non poſſumus, armate ergo lites; ſeminate diſcordias, excitate odia, concitate iras, inſpirate mendacia, extorquete perjuria, ſuggerite blaſphemias, vaniloquia diffundite, infundite dolos, conflate avaritiam, lucra turpia providete; ut quod venter modò ad luxuriam non dependit, vel ſacculus claudat, & reponat ad pœnam.*

Vides quomodo jejunium formidet Tartareus hoſtis, ut illo debellari ſe credat & alia vitiorum monſtra, quaſi auxiliares copias evocet; attende quæ etiam tibi arma offerat Servator Optimus.

Arma ſcilicet *jejunii: jejuniis vicit ipſe, ut nobis vin-* Serm. 11.
cendi vires, vincendi formam taliter largiretur. Sint illa Jejunia Chriſto duce & hortatore *ſine lite, ſine* Serm. 12.
clamore, ſine ira, ſine dolo, ſine ſimulatione, cum tota miſericordia, caritate, pietate.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm jejunâſſet quadraginta diebus.* verſ. 2.

QUÆ IN OMNI ANTIQUITATE Quadrageſimalis jejunii obſervantia?

Hæretici oſores jejunii.

IEIUNIUM acriter impugnarunt Epicurei, Libertini, Anomæi, noſtri temporis hæretici: imò quotquot à vera fide aberrarunt, etiam ab hujus legis obſervantiâ longiùs receſſerunt.

Manichæi, ne cum Eccleſiâ conſentire viderentur, diem Dominicum jejunio ſibi præfixum voluerunt; contra quos D. Auguſtinus.

Epiſt. 86. *Die Dominico*, inquit, *jejunare ſcandalum eſt, maximè poſtquam innotuit Manichæorum hæreſis.*

Hæreſ. 75. Aërius apud Epiphanium, jejunium quadrageſimale, Judaicum inventum appellabat, & illorum tantùm qui ſub antiquæ legis jugo fuiſſent, duráque illius ſervitute; non autem illorum, qui mitiore aurâ uterentur, & ſpirarent in ſtatu gratiæ, optatáque ejus libertate.

Ejus amantiores ſancti. Contra hunc hæreticum pugnavit Epiphanius; pugnabit & Auguſtinus, cujus eæ voces dignæ cedro.

Serm. 62. de Temp. *Aliis diebus jejunare remedium eſt, aut præmium; in Quadrageſimâ non jejunare peccatum eſt.*

Iovinianus partim Stoicis, partim Epicureis addictus, & ipſe Epicuri de grege porcus, hoc è pulpito jactare ſolitus; jejunia, & à cibis abſtinentiam omninò prodeſſe nemini: & hoc quidem hæretico ſpiritu, genióque; mitiore tamen quàm Calvinus, qui & Jejunium *ſuperſtitioſum* eſſe dixit: imò & abſtinentiam à certis cibis *dæmonum doctrinam* eſſe pronuntiavit; voce ſanè, ſpirituque diabolico: contra quem pugnat omnis ætas, & venerandæ Antiquitatis authoritas, pro qua hæc paucis accipe ex D. Chryſologo.

Serm. 166. Hic ut probet jejunium quadrageſimale *altioris intelligentiæ continere myſterium*, variis oſtendit exemplis.

Exod. 16. Primum eſt à populo Judæorum quem *quadraginta annis panificus in eremo pavit imber.* Nimirum illi Deus, qui tum *ſervitutis humanæ ademit laborem, blando rore, cæleſtem præbuit, & evexit annonam.*

Num. 13. Secundum eſt ab exploratione terræ promiſſionis quæ facta diebus quadraginta, *ut hic ſacratus numerus promiſſus Iſraëliticum populum vocaret ad terras qui nos quadragenariis curſibus evocat, & perducit ad cælum. Namque & noſtri corporis terram quadraginta diebus explorat tunc, & circuit cæleſtis inſpectio, ut expugnatis & expulſis vitiorum gentibus, regionem noſtri cordis poſſideat turba virtutum.*

Moyſes. Tertium eſt à Moyſe, *qui dierum quadraginta jejunio ita humano defæcatus eſt, & exinanitus à corpore, ut* Exod. 24. *totus divinitatis mutaretur in gloriam, & adhuc in noſtri corporis obſcuro, toto fulgeret lumine Deitatis. Neque intueri eum mortalium viſus poſſet, qui ſubſtantiâ Dei diu paſtus tota mortalis cibi oblitus fuerat adjumenta.*

Elias. Quartum eſt ab Elia, *quem jejunium quadrageſimale levavit ad Cælum, & purificato ſic corpori ignei* 4. Reg. 2. *currus addixit obſequium.*

Ezechiel. Quintum eſt ab Ezechiele, *qui eximius Prophetarum fuit, & quadraginta diebus jacens latere uno, captivitatem futuram dum præfigurat, abſolvit.* Ezech. 4. *quia ſacratus numerus iſte ſuſcipit iniquitates ut deleat, vincula patitur ut relaxet.*

Sextum à Chriſto, qui & ipſe *intrat ipſum numerum dierum quadraginta jejunii, ut quod adumbraverat in famulis, ipſa jam veritate perficeret; & quæ ut Dominus & author præceptis inſtituerat, roboraret exemplo. Non enim ſuffecerat hoc tantum tanti numeri Sacramentum imperaſſe verbis, niſi commendaſſet & facto.* Chriſtus. Matth. 4.

Hæc S. Præſul, qui & *à tempore diluvii Sacramenti hujus intendit aperire myſterium*; quod & facit

Ejus antiquitas. Beatus Alcuinus, qui Jejunii Quadrageſimalis obſervantiam petit vel ab ipſo Noëmo, primáque renaſcentis Orbis infantiâ. Cenſet enim Noëmum, ut iratum Numen placaret, & immenſam illam aquarum eluviem ſiſteret, orbémque elemento merſum ſibi redderet ac ſuis, quadraginta dierum jejunium in ipſa arca exegiſſe.

Quod verò, inquit, *poſt quadraginta dies dicitur Noë feneſtram aperuiſſe, ſignificat jejunio cælum reſerari. Ideò Moyſes, Elias, & Chriſtus quadragenario numero jejunia conſecrarunt, tanquam tribus temporibus neceſſaria. Ante legem, ſub lege, ſub gratiâ.* Interrog. 126.

Hîc animum, oculóſque fige, benevole Lector, & nota: Jejunia tribus temporibus neceſſaria: ante legem; ſub lege; ſub gratiâ: neceſſaria, inquam, non libera: quod ſi ea in triplici illo ſtatu neceſſaria cenſuit Orbis univerſus, quomodo libera, quomodo ſuperſtitioſa hæreticus pronuntiabit? ſed ab illis diſcedamus, & inſtitutum proſequamur.

B. Ioachimus, & Anna nobile par conjugum, ut à ſe ſterilitatis vitium notamque amoverent, quadragintâ diebus jejunio, & orationi vacarunt, ut partum, quem natura negabat, Superûm favor, ac grana concederet: Ita mihi author eſt S. Germanus in Encomio Virginis, ubi Annam ſic loquentem inducit:

Conjux autem meus ſolus in monte cùm eſſet, dies quadraginta jejunans, ſimilia Deum comprecabatur. Anna ſcilicet in horto, longè melior Evâ, Jejunii & orationis fructus carpebat; Ioachim autem in monte eos libabat, & ab illis cælo propitio fœtum edidit, Virginem extulit, à qua prima tunc humano generi ſpes ſalutis affulſit. Ecce mercedem immenſam orationis & jejunii, quæ naturæ vim affert, leges ejus ſolvit, & ſupremum Numen votis ſuis quodammodo cogit connivere.

I modo Hæretice, quiſquis es, pugna cum omni antiquitate, Moyſen damna, atque Eliam, imò & Servatorem ipſum, qui tibi exemplo præfuit, atque authoritate; ut enim aureè Chryſologus. Et inſtitutio.

Quòd Quadrageſimam jejunamus, non eſt humana inventio, authoritas eſt divina, ad quam deinde acceſſit & ipſa D. Petri conſenſio, qui ut ait Abulenſis: *Quadrageſimam primus inſtituit jejunare, imò & Adventum:* Etſi hic non ab omnibus ſit receptus; illa tamen communi totius Orbis Chriſtiani conſenſu eſt admiſſa jam inde ab ipsâ naſcentis Eccleſiæ infantia. Serm. 11. Matth. 6. q. 112.

Plura de Jejunio non ſubjicio, quia ea paſſim tum in commentariis occurrunt, tum in libris editis. Conſulat Lector, quæ de eo argumento fusè, & deſertè elucubravit R. P. Drexelius.

QUÆSTIO QUINTA MORALIS.

Ad illa verba: *Dic ut lapides iſti panes fiant.* verſ. 3.

QVOMODO SVOS ALVMNOS PASCAT malus dæmon?

Tertul. in Jejun.

PRIMUS generis noſtri parens Adam *ſalutem gula vendidit* non ſuam tantùm; ſed quod ampliùs, etiam poſterorum. Ut hanc & illam repararet Salvator optimus ſolemne ſibi jejunium indixit, à quo tantùm accederet boni, quantùm à gula deceſſerat. Ita nimirum, ut doctè Tertullianus: *Gula à primordio homicida tormentis inediæ punienda.* Et verò in ſeipſe punire voluit Deus homo; eo quippe fine à ſpiritu ductus in deſertum ut *interdicto cibo primordiale delictum expiaretur*, inquit Tertullianus. Verùm invidus dæmon, & callidus explorator, ubi eſurire Chriſtum inſpexit, tunc *ſenſit hominem, tunc mortalem credidit, tunc eum putavit poſſe tentari*; imò etiam vinci, ut olim primum Adam: & accedens dixit.

A gula, id eſt malum. — *In ſcorpiaco.* — *A jejunio i. remedium*

Chryſol. ſerm. 11.

Dic ut lapides iſti panes fiant. Hæc prima tentatio, in quâ D. Chryſologus primùm oſtendit quantùm à jejunio adhorreat dæmon, quantùm illius vim extimeſcat.

1. Etiam tentatio dæmonum.

Quare non dixit: ſi filius Dei es, dic ut homines, aut Angeli; aut aliquid aliud fiant; ſed dic, ut lapides iſti panes fiant? hanc ubi quæſtionem movit, ad eam reſpondet: *Signum panis petit, qui ſignum jejunii pertimeſcit: ſignum panis petit, ut jejunii tremendum ſibi refugiat ſignum. Panem malus ingerit conſolator, ut virtutem mutet, ut propoſitum violet jejunantis.*

Serm. 13.

Deinde lapides offert mutandos in panem, in quo D. Chryſologus ſummæ arguit imprudentiæ.

Serm. 11.

Miſer, inquit, *malus eſſe vis, ſed non potes; cupis tentare, ſed neſcis. Eſurienti tenera offerre, non dura debuiſti. Famem non aſperis palpare, ſed blandis. Inediam non horridis urgere debueras, ſed guloſis:* His ſcilicet eſurientem ſollicitare artis erat, atque aſtutiæ; illis petere ſummæ fuit inſcitiæ, atque inurbanitatis.

Qui ſuos paſcit lapidibus.

Verùm, ut ingenioſè notat ille ipſe D. Chryſologus (quo authore hîc utor) eſt ille genius mali dæmonis, illa eſt inclementia, ac durities: *Lapides eſurienti offert*, quia nimirum *humanitas talis eſt ſemper inimici, ſic paſcit mortis author, ſic invidus vitæ.*

Ibidem.

Sic pavit aliquando fœminam non ignobilem, Viri primarii uxorem, qui à D. Chryſoſtomo probè edoctus ad religionem orthodoxam conjugem ſuam adducere nitebatur. Verùm hæc ſimulare docta quaſi viro morem gerens, atque Eucharistiam ſumens, clam ancillæ dedit, intereáque ori ſuo admovit panem, à ſectæ ſuæ Antiſtite inauguratum improbè: ſed mox ſceleris ſui, ac ſimulationis pœnam ſenſit: ſenſit enim panem illum ſectariorum re etiam ipſa in lapidem converſum. Ita nimirum lapide ſuos paſcit improbus ille hæreticorum genius; in hoc etiam pejor illo, qui Chriſtum tentavit: nam hic lapides in panem verti petiit; ille verò etiam panem in lapidem mutat, ut eo paſcat mulierem hæreticam.

Baronius An. Chriſti 400.

Hic te paucis volo, ô quiſquis es illius ſectæ diſcipulus, qui panem reſpuis Euchariſticum, vitæ panem, eſcámque immortalitatis, qui ea paſci renuis: vide quomodo te paſcant tui miniſtelli, non pane, ſed lapide; quem dum præſentis, & guſtas: cum ſi me, ſi Deum audis, abjice; atque à bona tua matre, id eſt Eccleſiâ, verum panem accipe: ſed ut dixi vitæ panem, panem immortalitatis, Chriſti corpus; hoc paſci te volo, amóque, denique ſic volo, hæc deinde etiam ad te, ô peccator qui dæmonis conviva eſſe cupis, dùm te aliquo ſcelere lethali polluis, credis ab illo mel & lac, nectar & ambroſiam propinari poſſe: putas offerendum panem, quo inſolentem paſſionum appetentiam, famemque ſopias, atque extinguas: credis, inquam, & nimiùm quantùm falleris miſer; lapides objiciet, atque obtrudet, dura, aſpera, & horrida tibi dabit, quibus nec paſci poterit animus, nec mens refici, nec appetitus ſatiari.

Ratio in aperto eſt, quia ut corpus hoc mortale lapidibus veſci non poteſt; ſic nec immortalis animus iis voluptatibus ſaginari, quas ſeu dæmon, ſeu mundus offert: *quia alium cibum habet manducare*, aliis natus eſt deliciis, alteri menſæ à Deo authore, ac parente deſignatus. *Ioan. 4.*

Eſt illa, inquit Chryſologus, *menſa æterni Patris, in qua nos alit virtutis cibo, ſalutis epulo, deliciis honeſtatis, & gloriæ*: & quia ab illis mundo duce etiam longiùs abiit adoleſcens ille prodigus, hinc cœpit egere, & famelicus eſſe; quia fames eſt, & quidem valida in regione peccati, duræque voluptatis. Fidem habe filio prodigo, qui paternæ *affectionis deſertor, pietatis refuga, deputatur porcis, porcis addicitur, & cupit implere ventrem de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* *Ibidem.*

Ecce, inquit, aureâ fandi copiâ Chryſologus: *Quàm crudele miniſterium, quia neque convivit porcis, qui vivit porcis.* *Ibidem.*

Habes benevole Lector quî ſuos paſcat dæmon, qui caro, quî etiam mundus: lapidibus ille, dum ſcilicet duriſſima quæque objicit à paſſionibus ſuis eſurienti, ac ſatiſcenti animulæ. Ecquid enim ſi te plus æquo premat gloriæ fames, atque appetentia; nunquid omninò durum eſt, & Principum, & Magnatum nutus ſequi, ad eorum leges vivere, gratiam venari, favores aucupari, & in Regum atriis noctes inſomnes, ac vigiles agere? *Porcorum ſiliquis.*

Quod ſi te exedat, ac cruciet auri fames, numquid etiam & illa lapides obtrudit; duros, inquam, labores, vigilias, æſtus diei ac ſolis, hyemis aquilones ac frigora, & curas propè innumerabiles, quas non digerat vel ferreum pectus?

Quod ſi tibi molliùs blandiatur caro, orexímque proritet, quid aliud illa tibi offeret etiam vel maximè eſurienti, quàm porcorum ſiliquas, fœdas, inquam, voluptates, carnis lenocinia, paſcua lutulenta, quibus ne refici quidem poteris ut velis quàm maximè. Ut proinde *miſer* ſis, & miſerabilis, qui *porcorum deficis, & eſuris in ſaginam; miſer qui ſqualentis cibi cupis, nec impetras qualitatem.* Futurus autem fœliciſſimus, ſi cum filio prodigo tot miſeriarum aliquando pertæſus, & in teipſe reverſus exclames: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo. Surgam & ibo ad patrem*: etſi enim ego *perdidi quod erat filii; ille tamen quod patris eſt, non amiſit*: ſurgam proinde, & dicam; *Iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis*, ut ſi

Chryſol. ſerm. 1. — *Luc. c. 15.* — *Chryſol.*

minùs

minùs de paternâ menſâ delicatioribus cibis uti liceat, liceat ſaltem cum abjecto ſervorum grege pane veſci, famémque tot annis laceſſitam edomare.

Fatebor enim ô Deus, ô Pater Æterne, quod *eſurientes vitia plus delinquunt, luxurioſos ſatietas capere non poteſt, quia voluptas neſcit expleri.* Idem.

QUÆSTIO SEXTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei:* verſ. 4.

QUÆ HOMINI SPES, QUÆ FIDUCIA ESSE DEBEAT in divinâ Providentiâ? Quæ deinde appetentia divini Verbi?

I. Miracula dæmoni negat Chriſtus.

VIx ea verba, ceu telum in hoſtem, emiſerat Dæmon: *Dic ut lapides iſti panes fiant;* cùm ea altioris ſpei, atque in Deum Patrem fiduciæ clypeo excepit, retuditque Chriſtus: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei:* quaſi diceret: exigis, ô maligne tentator, ut lapides in panes vertam: poſſum equidem qui poſtea aquas in vinum mutabo: ſed ejuſmodi *ſigna, fidei ſunt præſtanda, non dolis; credenti danda ſunt, non ſunt danda tentanti. Facienda ſunt ad petentis ſalutem, non ad facientis injuriam. Diabole, tibi ut quid ſigna, cui nihil ſubvenit ad ſalutem? cui totum reſtat ad pœnam? cui & ſigna proficiunt ad ruinam?* Non igitur ea à me accipies; nec enim illis opus, quia non in ſolo pane nutritur homo, ſed *in omni verbo*, hoc eſt in omni eâ re, quam Deus ore præcipiens ad hominem miſerit, ut illâ paſcatur.

Quia hæc ad fidem, & ſalutem.

Chryſol. ſerm. 11.

1. Interpretatio.

Videtur Servator Optimus ea verba ſumpſiſſe ex Deuteronomio, ubi Moyſes ſic olim populo tumultuanti locutus ſcribitur:

Cap. 8.

Afflixit te Deus penuriâ, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & Patres tui. Vt oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane vivat homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.

II. Dei verbo, i. providentiæ fidendum docet.

Voluit eo loco Iſraëlis animos erigere, ut in ſuâ illâ rerum omnium egeſtate cœlos ſuſpicerent, inde potiùs annonam eſſe petendam, quàm in terris requirendam: & verò è cœleſtibus horreis eſt demiſſa populo numeroſiſſimo non ad dies, aut menſes, ſed ad annos omninò quadraginta; quibus illos fovit Deus, nutrivitque, vel ut ſedula nutrix ſolet, vel ut indulgens mater.

Poëtæ in docta commenta faciles, Deas inter ſtatuêre unam aliquam terræ Deam, quam vulgò Rheam appellabant. Erant illi undequaque ſparſa ubera, pendentes mammæ, quibus omne animantium genus lactaret, atque paſceret.

Ejus, ceu matris, ubera.

Fuit ea ſpecies quædam, & imago naturæ, quam ab aliis omnibus creaturis veluti ſejunctam credebant, tanquam parentem, & nutricem cæterarum. Ex vero tamen neque Dea terræ, neque naturâ ab aliis diſcreta; ideóque ea fabula eſt, doctúmque commentum, ex quo diſcas quæ ſit inclinatio divinæ bonitatis, ac providentiæ, quæ omnibus ſeſe demittit, ut ſolet ad ubera mater, & blanda nutrix. Ne mirere, quòd Deum ter Opt. ter Max. aut hominum matrem, aut nutricem appellem, eo ſe quippe nomine voluit appellari.

Habuerunt Judæi decem Dei nomina, auguſta quidem illa, ſumma, divina, inter quæ nonnulla majeſtatem oſtentant, alia bonitatem commendant; illud autem maximè, quod Hebraicâ voce dictus eſt Deus *Saddai:* id eſt *mamma*, & *mammeus*, eò quòd ſit homini, quod infanti mamma, imò quod totus mammeus.

Dei nomen SADDAI i. mamma.

Quod ſi is eſt Deus; quis adeò cordis expers erit, qui non ei ſe totum, ac ſua committet; ſatis conſcius quod ut cætera deſint omnia, non deerit in ſe ſperanti Deus; qui dat eſcam in tempore opportuno, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione: *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Pſal. 146.

Quod ſi corvum è nidulo Deus audit, & eſcam hianti roſtro ingerit; non audiet hominem, in ſuâ egeſtate clamantem? audiet enimverò: neque ea tantùm ſubminiſtrabit, quæ vitæ neceſſaria, ut olim Eliæ, Danieli, Paulo Eremitæ, aliiſque innumeris, ſed quandoque quæ etiam ad delicias: è multis qui produci poſſent, unus erit teſtis Abbas Apollo, qui in ſummâ annonæ caritate vidit ab ignotis hominibus, ſibi, ſuiſque ſuppeditari cibos, non qui neceſſitati, ſed qui deliciis ſervirent: quales erant uvæ, mala punica, ficus, & ejus generis fructus, quos uti non ferebat Ægyptus, ita ſingularis in Deum fiducia afferebat.

Qua ſuos alumnos nutrit.

In vitis PP.

I. Cibo.

Sed hoc, inquies, datum numeroſæ Congregationi; demus etiam quod uni.

Cùm Divo Franciſco langueret ſtomachus, utpote propè everſus vel morbi inclementia, vel aſperæ hyemis, & longinqui itineris incommodis; fratri Bernardo (qui viæ comes erat) indicavit quod nihil æquè ad conciliandum appetitum, facere poſſet, ac ſylveſtris avicula. Vix illius appetentiam aperuerat vir ſanctus, cùm ecce ad fores advolavit cœleſtis genius, & quidem celeri vectus equo, è quo ut deſiliit, ad infirmi lectulum acceſſit, obtulitque aviculam quàm optimè conditam; hæc etiam adjiciens: *Accipe ſerve Dei, quod tibi mittit Dominus.*

Wadingus Tom. 1.

Dixit, & evanuit; peracta ſcilicet ea ſcena, cujus ergo venerat, dum aviculam curando nauſeante ſtomacho attulerat.

Sed demus non afferre; demus & panem deeſſe, & cætera ſi voles omnia: vel dabit æquo id animo, fortique pati (uti olim dedit Simeoni Stilitæ, cui ſingulari beneficio, ac robore conceſſit exigere viginti octo quadrageſimas ſine cibo, potúque) vel certè addet animo, quod ſubtrahet corpori: quia non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

II. Miraculo.

2 Iterpretatio.

Conſtat homo corpore, & animâ, & hac quidem ut potiſſimâ ſui parte: illi panis eſt pro cibo, quo alitur, huic autem verbum Dei quo nutritur. Eo probè paſtus David exclamabat: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine: ſuper mel ori meo.*

III. Verbo.

Meritò ſuper mel eloquia DEI, DEI verbum, quod ut ait D. Chryſoſtomus, non è floribus colligitur, non è rore concocto, ſed è Spiritus ſancti gratiâ; cui pro favo cor hominis, pro alveari pius animus, pro melle DEI verbum; quod D. Auguſtinus altiore voce uſus appellavit *Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum.*

Hom. 6. in Matth.

Serm. 38. ad Fratr. in Eremo.

Eodem vocant nonnulli Interpretes illa Sapientis verba: *Angelorum eſcâ nutrivisti populum tuum, & panem Angelorum manducavit homo*. Hoc eſt Dei verbum, de quo Drogo Hoſtienſis Epiſcopus: *Panis*, inquit, *Angelorum, quem manducavit homo putreſcere neſcit, non vadit in ſeceſſum, ſed tendit in excelſum, illuc reducit hominem, unde traxit imaginem.*

Sap. 16. *Lib. de Sac. Dom. Paſ.*

Ecce vim illius panis, ecce mirabilem energiam, quam dum olim præſentiret Magdalena, hærebat ad pedes Domini, & ſedula audiebat verbum ejus, dum interim Martha ſollicita ſatagebat circa plurima; nec mirum, quia ut advertit Auguſtinus, Maria, *mirâ ſuavitate tenebatur, quæ profectò major eſt mentis, quàm ventris.*

Serm. 27. de verb. Dom.

Ad illam nos quà exemplo, quà verbo invitat Chriſtus dum ait: non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Serm 13. *Quàm verè*, exclamat Chryſologus, *vivit in verbo Dei, Dei verbum. Quàm verè panis non indiget pane.*

Neque verò eo etiam egent, quos Chriſtus eodem cœleſti illo pane recreârit.

Teſtes habeo Martyres fortiſſimos Epictetum Presbyterum, & Atonem monachum, qui à Latroniano tyranno primùm acriter cæſi, dein pice, & adipe perfuſi, ac in ardentem cacabum immiſſi, eùm incolumes evaſiſſent, triginta dierum inediâ damnati; eam tolerarunt ſolo divini verbi pabulo, ſacriſque Pſalmis: *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Vt cognoſcamus in terrâ viam tuam; in omnibus gentibus ſalutare tuum.* *Vita PP. l. 1.*

Hæc verba in eo ſquallore carceris, faméque pro pane, imò & pro deliciis fuêre, quibus non ipſe tantùm animus, ſed & ipſum corpus refici, ac recreari videbatur.

QUÆSTIO SEPTIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Statuit eum ſupra pinnaculum Templi.* v. 5.

QVAM SIT PERICVLOSVS AD ECCLESIASTICAS dignitates aſcenſus?

Vocatio ad Eccleſiaſticas dignitates.

INTER eos, qui in Eccleſiaſticâ dignitate, ceu pinnaculo templi conſiſtunt, quidam eò evocantur benigniore cœli nutu, Deique placito, quidam eò deportantur à carne, mundo, dæmone: Hos inter, & illos magnum omninò diſcrimen.

Una à Deo.

Primùm qui à Deo vocantur, ii pedetentim aſcendunt, & veluti per quoſdam gradus; de quibus Venerabilis Ælredo in Allegoriis Tilmanni:

Ad l. 2. Reg.

Primus gradus eſt converſionis, ſecundus purgationis, tertius virtutis, quartus ſcientiæ, quintus contemplationis, ſextus caritatis.

Per hos gradus viam ſibi facilem, ac ſecuram ſternunt ad primos in Eccleſiâ honores, culménque ſacræ dignitatis. Contrà verò, qui malo ſpiritu aguntur, ii derepentè uno quaſi ſaltu, imò & volatu tranſcendunt in pinnam templi, & primas cathedras occupant; quod cum ingenti doloris ſenſu dum videt D. Gregorius Nazianzenus exclamat:

Alia à malo ſpiritu.

Orat. de Epiſcop.

Qui fit, inquit, *ut magni pretii gemmæ difficulter conquiri poſſint, Antiſtes verò facilè momento reperiatur, qui nihil antea præſtiterit, & novitius ad dignitatem accedat? ô ſubitam morum mutationem! res divinæ modò ſunt jactus alearum, cuborumq;*. Hæc ubi altiore ſtylo extulit orator Sanctus, tum eundem aculcatâ oratione ſic pungit:

Heri Simon Magus eras, hodie Simon Petrus, heu nimiam celeritatem! heu!

Meritò S. Pater repetit illas voces, ſeu gementis, ſeu miſerentis, heu, heu! quia eos, qui ſic aſcenderunt manet miſerabilis caſus, & ruina.

Ælredo ſupra. Quàm hæc periculoſa.

Qui ſine in gradibus, (de quibus ſuprà) *nititur, non tam ſeſſurus, quàm ruiturus aſcendit*, inquit Ælredo, cui ſuo calculo præivit Gregorius Magnus, cujus hoc è primâ Eccleſiæ cathedra oraculum:

Lib. 7. Ep. 118.

Qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi ut creſcendo decreſcat, & aſcendendo deſcendat? Eum quippe finem & ſibi & illi propoſuit malus dæmon, qui ſic extulit: appello ea ipſa verba, quæ olim ipſe ad Chriſtum: *Mitte te deorſum.* Nimirùm elevârat in pinnaculum templi, non ut ibi ſecurus conſiſteret, non ut inde ad ſuperiora conſcenderet, ſed ut graviore lapſu iret in præceps: Is ſcilicet diaboli genius eſt: *Semper diligit caduca, in his ſedet & regnat, in quibus uſque ad infernum deſcendat*, ut doctè notavit Origenes. *Hom. 5. in Ioſ.*

Ejus farinæ homines, qui ſic ad ſacros honores aſcenderunt, componi ſolent cum Coloſſis, & magni ponderis ſimulacris; *qui quòd intus malè librati ſunt, vacillant, ac ſubvertuntur.*

Ratio eſt ea, quam in ſimili reddit Plutarchus: eùm ineruditi artifices, *baſi non rectè poſita ſublimem ſuperſtruunt poteſtatem, ſimul cum ipſo pondere nutant, & ad ruinam inclinantur.* *Lib. de doctrina Principum.*

Sic & ii omnes, qui promoventur ad Ordines Eccleſiaſticos malè intus in conſcientiâ librati, nec rectâ intentione baſique ſolidæ virtutis, unà cum pondere ſuæ dignitatis inclinantur, & corruunt. *Alia à carne, & ſanguine.* Neque porrò melior eſt ſors eorum, qui carne duce, hoc eſt ut lautiùs vivant, & cutem curent, quæritant ampla, & opima beneficia; audient illi; & verò etiam obedient dæmoni dicenti, *mitte te deorſum.*

Ad Petrum appello; inductus ille quondam in domum Principis Sacerdotum fœmineo favore, & gratiâ, non tam Chriſtum, quàm ruinam invenit; erravit enim quàm turpiſſimè: *Quomodo autem non erraret, quem intromiſit oſtiaria, & oſtiaria Iudæorum?* inquit Ambroſius. *Lib. 10. in Luc.*

Errabunt & illi, & quò per ancillam oſtiariam (hoc eſt per carnis, & cuticulæ curam) Chriſto propiores eſſe contenderint, hoc per lapſum, & ruinam fient remotiores.

Neque meliùs in pinnaculo templi, hoc eſt in Eccleſiaſtico gradu ſtabunt ii, quos mundus evexerit, & maleſana ambitio.

Primùm enim ii, & hominibus, & Angelis ridiculi videbuntur: deinde etiam concident. quod in ſimili oſtendit Plutarchus: *Alia à mundo.*

Si quis, inquit, *ſtatuas parvulas, atque ridiculas pedamentis, & baſibus magnificis, ſublimibuſque imponeret, multò minores ad aſpectum proponeret, multò, magiſq; ridendas: Ita ſanè qui indignos dignitate, & honore, atque in virtute puſillos in ſublime extollit*; eos primò hominum riſui exponit; dein etiam ad caſum parat: ſicuti enim qui ſtatuam parvulam viderit in baſi

magnificâ,

magnificâ, ac ſublimi, eam illicò loco ſuo movet, & ſubducit è baſi, ne eam malè occupet; aptam ſcilicet Coloſſo, aut ſimulacro ſtupendæ molis, & baſi æqualis. Sic rerum omnium opifex Deus homunculos illos, veluti exiles, abjectáſque ſtatuas, quas in Eccleſiæ baſi, ſeu dignitate perperàm viderit conſtitutos, de ſua ſtatione deturbabit, eóque graviore ruinâ, quò altiùs antea fuerant provecti.

Neque verò quicquam eſt, quod illi de Deo querantur, ſed plurimùm, quod de ſeipſis, tum quia in eas animarum curas involarunt ſine curâ; tum quia infirmos humeros tanto oneri ſuppoſuerunt, contra rationis, & prudentiæ leges. Et hoc eſt malum, quod deploravit olim D. Bernardus, & quod modò fortaſſe deplorandum eſt magis.

Epiſt. 42. *Curritur*, inquit, *in Clero paſſim ab omni ætate, & ordine, à doctis pariter, & indoctis ad Eccleſiaſticas curas, tanquam ſine curis jam quiſque victurus ſit, cùm ad curas pervenerit.*

Rationem hujuſce præcipitis ambitionis hanc reddit S. Doctor, quia *videntes illos, qui jam proprios humeros cupita ſarcinæ ſubmiſerunt, non ſolum non gemere tanquam ſub onere, ſed inſuper appetere plus onerari; non deterrentur periculis, qui cupiditate cæcati non vident, ſed favoribus ampliùs, quos illis invident, provocantur.*

Alia ab Ambitione, & Avaritia. Ubi cauſam hanc extulit inſanæ illius cupiditatis, tum indignabundus exclamat:

O inſulta ſemper ambitio, & inſatiabilis avaritia, à quâ quid aliud expectes, quàm illud ſuggerente; imò & impellente dæmone; *Mitte te deorſum.*

Optima quæ ab honorũ fuga. Non ſic Chriſti famuli, boníque æmulatores, non currunt illi, non evolant ad primos in Eccleſia honores: ſed vel ad eos aſcendunt per ſcientiæ, demiſſionis, caritatis, & virtutum omnium gradus; vel potiùs eò trahuntur, ac rapiuntur inviti, atque reluctantes. Et jure ſanè meritiſſimo: ut enim non minùs ſanctè, quàm providè ſanxit Leo Imperator:

L. 31. Cod. de Epiſt. & Cler. *Non pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes. Tantùm ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur rogandus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Sola illi ſuffragatur neceſſitas excuſandi. Profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.*

L. 3. Ep. 25. Et talis ævo ſuo fuit D. Ambroſius, qui hæc de ſeipſo; *Quàm reſiſtebam nè ordinarer: poſtremò cùm cõgerer, ſaltem ordinatio protelaretur; ſed non valuit præſcriptio, prævaluit impreſſio.*

Is etiam fuit D. Gregorius Nazianzenus, qui hæc olim ad ævi ſui Epiſcopos, plùs æquo dignitatis illius amantes ſcripſit:

Quamobrem vos & ſolia retinete vobis, quando illa vobis prima eſſe videntur. Valete, inſolentes eſtote, Patriarchatm per ſortes inter vos diſtribuite. Magnus hic mundus vobis cedat. Mihi certè accedere arbitrabor, quidquid de eo deceſſerit. Magnus, inquam, hic mundus vobis cedat, qui magnum eum creditis, quia parvi eſtis: ego certè parvum noſco, qui ſolam in Deo magnitudinem agnoſco. Orat. de Epi.

Hæc S. Præſul, quo cum omnes Eccleſiaſticos & ſentire, & loqui velim.

Ita certè ſenſit, ita locutus eſt S. Malachias, qui cùm ad Archiepiſcopatum urgeretur, & à Malcho Leſvorenſi Epiſcopo, Legatóque Apoſtolico: & à populo contra infandum illius ſedis invaſorem; ſic ad illos:

Ad mortem me ducitis. ſed obedio ſpe martyrii, ea tamen conditione, ut Eccleſia mea pacem habente, liceat redire ad priorem ſponſam meam, & amicam, de qua rapior, paupertatem, alio deinde ſubſtituto. Henriquez. l. 2. faſc. Ciſter. Diſt. 3. c. 5.

Hic ſiſte mi Lector, & attentiùs tecum expende, tecum meditare, quis ſenſus, quæ vox magni iſtius Præſulis?

Vocatur, imò violenta manu ducitur ad Archiepiſcopatum, ad Pedum, & primas Hiberniæ Infulas, & *ad mortem* duci ſe credit, liberéque pronuntiat; nec obedit niſi martyrii ſpe; ita nimirum S. Malachiæ dignitas Archiepiſcopalis mors eſt, & Archiepiſcopum creari, idem eſt ac mori; nec ad hanc quam opinatur mortem rapi ſe patitur, niſi ſpe mortis longè melioris à martyrio.

Quod ſi hoc non aſſequatur ſpe deluſus ſua, ad paupertatem (quam ſponſam, quam amicam vocat, & à qua nonniſi vi abripitur) redire cupit; alterique Pedum, & Inſulas cedit, hoc uno lætus, ac dives ſi paupertate ſe involvat ſua.

Et hic eſt ſenſus magnarum mentium, quæ Eccleſiaſticas dignitates non ex imperito vulgi judicio, non è blandientis fortunæ phaleris æſtimant: ſed ex ſeipſis, atque ex ſolidæ virtutis calculo; quem etiam te velim inire amice Lector, ne dum ſurſum aſcendere incautus paras, deorſum cadas, atque occidas.

QUÆSTIO OCTAVA

MORALIS.

Ad illa verba: *Mitte te deorſum.* verſ. 5.

QUOMODO CARNALIS HOMINIS SIT, ad ima ſe inclinare, imò & mittere ſe deorſum contra naturam?

Dei eſt aſcendere. VBI irrita cecidere prima dæmonis tela, ſecundam machinam admovet, ſtatuitque Dominum ſupra pinnaculum templi, & ait: *Si filius Dei es, mitte te deorſum.* In quo

Chryſol. ſerm. 13. Primùm arguitur inſcitiæ, quia *convenientiùs* dixiſſet: *Si filius Dei es, aſcende in cœlum, cùm ſit hominis ad ima cadere; Dei ſit ad ſuperna conſcendere.*

Deinde damnatur & inſignis malitiæ: qui *Sic ſitis ſuadet, ſic ſuis providet ſemper; ſic ſuos elevat, ut de alto præcipitet validiùs in ruinam:* Sic inquam *ſuis ſe conſiliis diabolus prodit, qui lapſus quærit, præcipitia imperat, & impellit de alto ad mortem, non de humili tollit, & elevat ad coronam.* Ibidem.

Sic etiam diaboli ſuggeſtionibus malè audiens homo ſe ipſe deorſum mittit, dum pravis affectionibus ſe in terram, & terrena inclinat, atque totus abjicit, contra Servatoris ſui præceptum, atque exemplum: imò contra ſuam ipſius naturam, quæ *corporis ſtaturam dedit ei rectam, ut iſta corporea exterioris, viliorisq; rectitudo figmenti, hominem interiorem ſuæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi.* *Quid enim*, ut Bernardi verbis utar, *indecentiùs quàm curvum recto corpore gerere animum? perverſa res eſt & fœda luteum vas, quod eſt corpus de terrâ oculos habere ſurſum, liberè ſuſpicere, cœlorumq; luminaribus oblectare aſpectus: ſpiritualem verò, cæleſtemq; creaturam ſuos è contrario oculos, id eſt, internos ſenſus, atque affectus*

Etiam hominis quod probatur. Ex ſtatura corporis recta. D. Bernard. Serm 24. in Cant. Ex animo inhabitante.

affectus trahere in terram deorſum, & quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto tanquam unam de ſuibus, amplexariq; ſtercora. Hæc ubi pro ſtylo notavit Bernardus; tum ipſi corpori linguam expedit, & verba ſuggerit, quibus de animâ meliore ſui parte queratur.

Erubeſce, inquit, *anima mea, divinam in pecorinam commutaſſe ſimilitudinem. Erubeſce volutari in cœno, quæ de cœlo es. Erubeſce anima (ait corpus) in mei conſideratione. Creata ſimilis creanti recta, me quoque accepiſti adjutorium ſimile tibi; utique ſecundùm lineamenta corporea rectitudinis. Me ergo meam (quam tui gratiâ accepi) retinens e. & ſervante prærogativam, tu quomodo non confunderis amiſſa tuam? Cur ſuam in te conditor intuetur abolitam ſimilitudinem, cùm tuam in me tibi conſervet, aſſiduèque repræſentet? Iam omne adjutorium, quod ex me tibi debebatur vertiſti tibi in confuſionem: abuteris obſequio meo, indignè humanum corpus inhabitas brutus & beſtialis ſpiritus.*

Et hæ corporis de animâ ſunt querelæ, eæque juſtiſſimæ, ut quæ non à cœlo tantùm, Deoque defecerit, ſed etiam à ſeipsâ, in terram prono, ac præcipiti affectu decidendo, ſeſeque rebus abjectis inclinando.

Deſcendere dæmonis eſt. Quod ſi ex me quæſieris, unde porrò ſit ille lapſus? unde tanta inclinatio? audies utique: à tartareo ſpiritu. Deus enim, ut antè dixi, in prima Univerſi molitione, hominem erectum eſſe voluit; & meritò. *Conveniebat enim* (ut inquit D. Baſilius) [*In Catena.*] *eum quærere ſuperna, tranſcendere terrena intuitu.* At improbus dæmon eum eſſe vult curvo in terram animo, quandoque etiam & corpore.

Ita voluit, & verò etiam fecit in illa muliere, *quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo; & erat inclinata, nec omninò poterat ſurſum reſpicere.* [*Luc. c. 13. v. 11.*]

Lyranus vertit, *quæ habebat dæmonium imbecillitatis.* Dæmonium utique, à quo non tantùm carne, ſed & mente erat incurvâ, ut etiam ſunt modò plerique mortales, laſcivi, avari, deliciis ſuis implicitı, de quibus D. Chryſoſtomus: [*Et vitioſorum.*]

Qui ſunt, inquit, *reverà recti, ii ſtant. Qui degit in deliciis non ſtat; qui eſt laſcivus, & libidinoſus, qui eſt avarus, & pecuniæ deditus*, non ſtat, *ſed eſt inclinatus.* [*Serm. 22. in Ep. ad Epheſ.*] Et hoc quidem arte, doloque dæmonis, qui illis in aurem, & animum immiſit noxias illas voces: *Mitte te deorſum.* Hæ quippe ſunt ſolius mali genii ſuggeſtiones.

Appello D. Gregorii fidem: *Immundi ſpiritus*, inquit, *dixerunt animæ tuæ; incurvare ut tranſeamus. Recta quippe ſtat anima, cùm ſuperna deſiderat, & nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni ſpiritus cùm hanc in ſua rectitudine ſtare conſpiciunt, per eam tranſire non poſſunt. Tranſire namq; eorum, eſt immunda illi deſideria ſpargere. Dicunt ergò; incurvare, ut tranſeamus.* [*Hom. 31.*]

Vide, ô anima Chriſtiana, an ſic cadere, an ſic incurvari velis, ut per te tranſeat dæmon, totáque inferorum caterva.

QUÆSTIO NONA

MORALIS.

Ad illa verba: *Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* V. 5.

QUOMODO SACRIS SCRIPTURIS ABUTATUR malus dæmon? quomodo etiam hæretici?

Scriptura abutitur dæmon.

UT Servatori quàm optimo præcipitem è pinnaculo templi lapſum ſuadeat improbus dæmon, locum affert è pſalmis petitum: & in eo primùm peccat, quia non integrum producit, ſed mutilum; omittit enim ea verba, *ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*; [*In Pſ. 90.*] deinde perperàm intelligit, falſóque interpretatur, uti advertit ſanctus Chryſoſtomus, Hieronymus, Hilarius, aliique, qui hoc loco Cuſtodes Angelos notari volunt, quos Deus è cœli regiâ in terras emittit ad hominum opem, ſalutemque in tuto reponendam.

At Chriſto, Deo homini, ſuus non fuit Cuſtos Angelus; humanitatis enim cuſtos erat ipſa Divinitas; Angeli non cuſtodes illius, ſed miniſtri, ſed ſervi.

Igitur in ſua illa interpretatione erravit dæmon; & quamvis daremus in ea non erraſſe, quòd eo loci quilibet Angelus deſignari potuerit, ſive is eſſet cuſtos, ſive ſervus, & adminiſter, uti opinatur D. Ambroſius; [*In cap. 4. Luca.*] tamen in altero hallucinatur quàm turpiſſimè: ea quippe Angelorum cuſtodia, vigilque ſpiritus promittitur juſtis, & prudenter, & piè ſeſe gerentibus, non autem & imprudenter, & impiè Deum tentantibus, uti facit is qui nullâ impellente neceſſitate, nullo ductu boni genii ſeſe ex alto mittit in præceps.

Quid enim, ut ſuavi, lacteáque D. Bernardi utar eloquentiâ, *quia mandavit Deus? nempe quod in pſalmo ſequitur. Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Numquid & in præcipitiis? qualis via hæc de pinnaculo templi mittere ſe deorſum? non eſt via hæc, ſed ruina; & ſi via eſt, tua eſt, non illius.* [*Serm. 14. in Pſal. Qui habitat.*]

Neque mihi hîc opponat Hæreticus aliquis mali magiſtri malus diſcipulus, etiam eos quos Eccleſia Romana ut Martyres habet, ac colit, ſeſe quandoque & in ignes, & in aquas pronos, ac præcipites immiſiſſe; ut poſteris deinde ſæculis S. Pelagia Antiochena unà cum matre, ac ſororibus, de quibus ita ſuaviter, piè, & nervosè D. Ambroſius:

Hinc perſecutoribus imminentibus, inde torrente fluvio excluſa à fuga, incluſa ad coronam: quid veremur, inquiunt? Ecce aqua, quis nos prohibet baptiſari? Et hoc baptiſma eſt, poſt quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua, quæ virgines facit; quæ cœlum aperit, inferos tegit, mortem abſcondit, Martyres reddit. Hæc effatæ conſertis manibus quaſi choros ducerent in medium progrediuntur alveum. Videres piam matrem ſtringentem nodo manus. Has tibi, inquit, *Chriſte, hoſtias immolo, Præſules virginitatis, Duces caſtitatis, Comites paſſionis.* [*Lib. 3 de Virginibus.*]

Hæc illæ interprete D. Ambroſio; quibus ſimilia dixêre ac fecêre Virgines aliæ, quæ ſeſe in ignes, ardentéſque rogos dedêre præcipites; exiſtimabant nimirum puræ illæ mentes majus eſſe virginitatis præcipitium, quàm vitæ, & ad hoc interno quodam, cæleſtique inſtinctu impellebantur; rebantur enim ſatius eſſe mori Martyres, quàm virgines violari.

Accedebat etiam ad hoc mortis genus illata quædam à Tyrannis neceſſitas, & ingenuus virtutis amor, qui in tuis ſuggeſtionibus nec eſt, nec eſſe poteſt, maligne tentator, dum ad Chriſtum ais: *Mitte te deorſum, Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te.*

Erras improbe, erras, non mandavit Deus Angelis ſuis, ut eos exciperent, quos ſua imprudentia, auſúſque temerarii in ejuſmodi agerent præcipitia.

Verùm

Verùm is tibi jam inde ab orbe condito genius fuit, in Scripturis malè ludere, & incautis auribus, animiſque illudere.

Te revoco ad prima naſcentis Univerſi tempora, in quibus adhuc ſuus, & Dei erat Adam, paradiſi civis, & accola; affuiſti tu mihi ſerpentis ſpecie, & hæc Evæ, primæ mortalium parenti in aures immiſiſti.

Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradiſi? Hebraicè *aphthi: etiámne præcepit?* quaſi de præcepto dubius interrogaſti, cùm tamen tibi conſtaret omninò latum illud eſſe: ſed is tibi ſpiritus eſt, qui dubia pro certis, falſa pro veris ingerit, qui Scripturâ adulterat, imò & mox adulterare docet.

Abutitur Eva ejus instinctu. Gen. c. 3. v. 3.

Patuit hoc ipſum in Eva, cujus mens, & intelligentia mox ſibilo tuo infecta Scripturam & ipſa corrupit, atque adulteravit; ſubjecit enim, *præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus, ne fortè moriamur:*

In duobus errat malè cauta mater: primùm enim addit iſtud de ſuo, *ne tangeremus illud*, ut exaggeret divini præcepti vim, atque inclementiam; quo vetabatur non comedere tantùm, ſed & tangere. Hoc autem poſtremum indulgens Dominus non vetuerat.

Abutuntur & eadem hæretici, & depravant.

Addit deinde & alterum mendacium: *Ne fortè moriamur*, dubiæ fidei vocula, *fortè*. Hanc è ſuo cerebello adjecit fœmina, à qua Scriptura vitium paſſa eſt, uti & poſteris deinde ſæculis ab Hæreticis omnibus, qui ſacroſancta, & adorabilia verba, vel ad inſanos ſenſus detorquent, vel mutilant, vel pervertunt, quemadmodum hîc fecit eorum magiſter cacodæmon.

De Præſcript. c. 27.

Eorum ingenium dum caſtigat Tertullianus gravis morum cenſor, illis tribuit & *adulterum ſenſum, & corruptorem ſtylum*, itaque duobus verbis uſitatam eorum malitiam complectitur: cùm enim illis ſenſum adulterum tribuit, ſignificat novas, & inauditas divinarum literarum interpretationes cudere, falſas, impias, & à nativo ſenſu ac Spiritu Sancto alienas.

Qua de re ſæpè queruntur etiam Sancti Patres, & in id genus impudentiæ gravi & aculeatâ oratione invehuntur.

Epiſt. ad Ammon.

S. Athanaſius ait illos innocentes, indemnatáſque Scripturas velut in equuleo diſtendere.

Orat. 36.

S. Gregorius Nazianzenus dicit eos ſacrarum literarum genuinum ſenſum, atque mentem impio latrocinio ſuffurari.

Epiſt 5. l. 3. c. 25.

S. Hilarius de iiſdem Hæreticis ad Conſtantium Auguſtum loquens: *Non ceſſant*, inquit, *ore impio, & ſacrilego animo Evangeliorum ſinceritatem corrumpere:* quod idem exprobrat Syneſius, cùm eos vocat *improbos Trapezitas:* & S. Irenæus eos appellat *Impudoratos*; ut qui ex ſuo judicio Scripturam interpretantes ſine pudore, ſine reverentia, eâ non minùs impudenter, quàm impiè abutantur.

Lib. 3. Stromat.

Hujus impudentiæ audaciſſimæ, & flagitioſiſſimæ impietatis exemplum refert Clemens Alexandrinus. Erat è Nicolaitis unus aliquis, qui cùm Chriſtianam virginem vidiſſet, ſummâ oris elegantiâ ac pulchritudine, eáque frui vellet ad explendam impuri corporis libidinem, accedens, dixit: ſcriptum eſt: *Da omni petenti.* O Hæreticum hominem verè impudoratum, qui Dei voces pudicitiæ, & honeſtatis effectrices ad inceſtum facinus, & perditam luxuriem ſuadendam torquere non veretur. Sed nimirum is eſt hæreticorum genius, qui non tantùm torquere, & novas, atque inſanas divinarum literarum expoſitiones comminiſci ſolent, verùm etiam quandoque & ſæpiùs (ut notat Tertullianus) *corruptore ſtylo* depravare, & pro ſuo arbitrio ſacroſancta Dei verba minuere, atque immutare; quod quantum ſit facinus, vel ex ipſis humanis legibus cognoſci poteſt. *Quantum illud ſit ſcelus.*

Orat. de Pent.

Teſte D. Chryſoſtomo, ſi quis in Regum, & Imperatorum litteris quippiam addidiſſet, aut imminuiſſet, is capitali ſupplicio damnandus erat. Quod ſi hominum jure, ac placitis rectè ſancitum illud, quid divinâ lege cenſebis eſſe ſtatuendum in eos qui ſacras paginas, & Scripturæ oracula detruncando violant? Si de Imperatorum ſanctionibus ſcitè pronuntiavit Ambroſius velut *divinos adorari apices*, quid de Scripturarum codicibus, quæ Dei ad nos litteræ ſunt, & velut oracula de cœlo miſſa; quid inquam de iis pronuntiandum cenſuiſſet? qua animadverſione, quo ſupplicio dignos, qui iis inſolenti niſu vel aliquid addere, vel minuere præſumpſiſſent? & tamen id Hæreticis omninò vulgare eſt, atque uſitatum: hinc illæ querelæ, & juſta expoſtulatio SS. Patrum. D. Hieronymus dicebat illos Dei teſtamentum *laniare*. *De arbitr. interd. c. 4.* *In c. 9. Ezechiel.*

Tertullianus, *Evangelia corrodere:* quâ Metaphorâ etiam uſus S. Epiphanius addere ſolitus illud: Evangelium ab illis corroſum habere ſpeciem *veſtimenti à tineis multis corroſi.* Ut proinde & verè, & eruditè Hæreticos *tineas* appellarit D. Ambroſius. Et tamen ut ii ſint, ut ex vero *tineæ*; impudenti tamen audaciâ, & temeritate jactant, ſe Scripturas *emendare, ac corrigere*, dum ſic iis pro animi ſui libidine aliquid adjiciunt, aut detrahunt. Non corrigunt tamen, aut emendant, ſed quàm peſſimè vitiant *Sacræ Scripturæ impii fures*, ut eos vocitabat D. Gregorius Nazianzenus. *Lib 1. in Marcionem.* *Hæreſ. 42.* *Præf. in Luc.* *Euſeb. l. 5. c. ult.* *Orat. 30.*

Quod ſi ex me quæſieris cur ita Scripturis abutantur Hæretici, audies; ut ſuam colorent impietatem, ut malorum opinionum turpitudinem celent, & (ut ait D. Athanaſius) ea quaſi larva doloſa inumbrent, vel, ut peracutè Vincentius Lerinenſis, quia probè nôrunt *fœtores ſuos nulli placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur; idcircò eos cœleſtis eloquii, velut quodam aromate aſpergunt*, itaque rudi plebeculæ, & quæ acutis non eſt naribus, improbè imponere conſueverunt. *Tom. 2. p. 260.*

QUÆSTIO DECIMA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Oſtendit illi omnia regna mundi, dicens: hæc omnia tibi dabo.* verſ. 8.

QUOMODO DIABOLUS OSTENDERIT CHRISTO omnia regna mundi, & quem in finem.

In Matth. c. 14.

Digito monſtravit.

INTERPRETES abeunt in diverſas ſententias. Euthymius cenſet dæmonem ex edito colle quaſi digito notaſſe, & monſtraſſe omnes Univerſi partes, puta Orientem, Meridiem, Occidentem, Aquilonem, & in eis ſita regna: hinc Romanorum, illinc Perſarum, iſtinc Aſſyriorum.

In Idea.

Cenſent alii dæmonem in aliqua idea Chriſto Servatori exhibuiſſe ſpectanda omnia regna mundi, eo ferè modo, quo deinde poſt ſeros annos D. Benedicto, de quo ita D. Gregorius: *Omnis*, inquit, *mundus velut ſub uno Solis radio collectus, ante oculos ejus adductus eſt.* *Lib. 2. dial. c. 35.*

In imaginatione.

Rupertus aliò ſtylum vertit, creditque à dæmone phantaſiæ Chriſti impreſſam imaginem Orbis univerſi: itaque eum non oculis, ſed imaginationi ſubjecit importunus tentator.

Sed bonâ tanti viri veniâ, ab eo abhorret pius animus, neque dæmoni tantùm in Chriſti phantaſiam audet concedere, ut ei pro libito ſua phantaſmata, ac ſimulacra impreſſerit.

Origenes pro eâ, quâ fuit ingenitæ mentis ſolertiâ, putat Chriſto exhibita omnia regna mundi, hoc eſt, impios homines, in quibus & mundi, & dæmonis regnum eſt. In his enim regnat à fornicatione, in illis ab avaritiâ, in iſtis à ſuperbiâ; in aliis ab aliquo ſimili vitio dominatur: verùm ut ita ſit, ita in mortalibus dominetur, regnétque dæmon; in Chriſto ſic regnare nec voluit, nec ut voluiſſet, potuit; ideóque ea ſententia à vero eſt aliena.

In Regnorum imaginibus.

Janſenius opinatur dæmonem ante Chriſti oculos Regnorum imagines propoſuiſſe: & hæc ſententia vero propior: poteſt enim malus genius (modò cœlum non renuat) ex aëre, nubibúsque effingere ſpecies aliquas rerum, ſcilicet auri, argenti, gemmarum, urbium, regnorum: & eas probè fictas, & formatas oculis ſiſtere viſendas. Et ita hîc factum opinamur probabiliùs. Si enim varius appulſus lucis, varia (ut Philoſophi aiunt) luminis modificatio, tum in Iride, tum in nubibus aliis, tum in ipſo cœlo quaſi colores exhibet, & velut aliqua rerum terreſtrium ſimulacra, qualia etiam videre nos credimus in ipſis nubibus, in quibus & montes, & valles, & quaſi ſpecies aliqua caſtrorum diſcurrentium; ſi, inquam, ea omnia fiunt ſolo cauſarum naturalium molimine, ac concurſu; quidni ſimilia quæpiam dæmonum vi, & arte fieri poſſe credamus, & reipſa eo loco, ac tempore etiam facta, Deo ſic permittente.

Certè ut credamus illud, faciunt multa his non abſimilia eorum arte ſæpiùs conſpecta.

Abbati Pachomio invidebat improbus dæmon maximè cùm Deum oraturus in genua ſupplex accideret; cui aliquando ſuis præſtigiis lacum ad oculos, imò & ad genua objecit, ut ea ſurrigeret vir ſanctus.

Vita PP. lib. 1.

Simili dolo uſus, ut S. Simeonem Stylitam, ævi ſui miraculum in fraudem induceret, vanámque ſui æſtimationem. Ei quippe ſe præbuit Angeli ſpecie, eáque altiore quodam lumine conſpicuâ, cum equis igneis, igneóque curru. Hoc ſchemate viro ſancto ſcenam paravit malus genius, eíque hæc paucis in aures, ac animum immiſit.

Simeon audi bona verba, quæ tibi per me Dominus. Miſit ille me inſtructum hoc curru, his equis ut in cœlos te rapiam, ut olim Eliam rapui, & terris eduxi. Agedùm ergò currum aſcende, téque mortalibus oris eripe, & redde immortalibus, ubi te præſtolatur Dominus, & beatæ mentes.

Hæc ille blandè nimis, atque ſubdolè, ad quæ ita Simeon: *Domine vis me rapere peccatorem in cœlum*: tum nimis credulus dextrum extulit pedem, ut in currum inferret; ſed unà etiam manum ad ſignum crucis, ad quod illicò & dæmon, & objecta currus, equorúmque ſpecies evanuit, ſtupente, ſéque ipſo damnante Simeone: qui ſibi quaſi reſtitutus, præpropero pedi hanc pœnam indixit, ut ſtaret arrectus ille, nec terram, columnámve (cui inſiſtebat) tangeret, uſque dum verè adeſſet dies Domini, quæ Simeonem peccatorem vitæ ſubduceret, & terris. Ita porrò factum, & factum benè. Propoſiti tenax anno integro ſterit in columnâ, uno duntaxat pede gravem corporis molem ſuſtinens.

Mitto his affinia pleraque, ex quibus id conficio, potuiſſe dæmonem arte, dolóque non abſimili, Chriſti oculis offerre imaginem aliquam Regnorum, auri, argenti, gemmarum, & eorum, quæ puſillus hic Orbis ſuſpicit: quibus addidit & has voces plenas fraudibus & mendaciis.

Chryſol. ſerm. 13.

Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Hæc dicit non qui poſſit dare, ſed fallere: offert quæ Dei ſunt, Deo; authori, quæ authoris ſunt, repromittit. Cùm tamen hujus unius ſit dare regna, per quem *Reges regnant*; hujus eadem tollere, qui terribilis eſt, & aufert *Spiritum principum*. Dæmonis autem nec ſit dare regna, nec auferre; ſed fallere, ſed improbè mentiri, ſuiſque mendaciis miſeris mortalibus illudere.

Prov. 21.

In his mihi homines fallit.

Et ita modò illudit quamplurimis, quibus in aures, & animos blandiùs inſinuat illud: *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me.* Quid ad hæc ævi noſtri mortales? O nimium, inquiunt, liberalis, nimium quantum prodigus es Lucifer; non petimus ut des nobis omnia regna mundi; ſed duntaxat vel minimam eorum portionem; erit illa nobis plùs ſatis.

Avarus enim dicit, da mihi vel unum nummum aureum; & ego cadens adorabo te.

Luxurioſus ait, concede mihi vel modicam, vel momentaneam prohibitæ Veneris voluptatem; & ego cadens adorabo te.

Invidus aliquis, & vindictæ cupidus: hoſtis, inquit, eſt mihi, quem odi, quem horreo, agè bone dæmon, exprime vel guttam ſanguinis illius; & ego cadens adorabo te. Næ infelix anima, næ nimium projecta ſalutis æternæ cura. Quid agis? quid loqueris? quid meditaris? venalem te dæmoni exhibes ac præſtas, non Orbis univerſi pretio (quod exiguum foret) ſed minimè, ſed putidiſſimæ voluptatis; non factura profectò, ſi altè admiſiſſes in animum illud Chriſti Servatoris:

Matth. c. 16. v. 26. 27.

Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?

Pro Anima, inquam, quæ etiam apud Antiquos audiit; *particula Divinæ auræ, ſurculus Divinitatis, ſcintilla ignis divini.*

Pro Anima, cujus pretium Deus eſſe voluit; non hanc terræ molem, non immenſa cœlorum ſpatia, non auri nitorem, & gemmarum lucem, non denique quidquid habet hic orbis aſpectabilis: ſed ipſum Chriſti, id eſt, Dei hominis ſanguinem, ac vitam, & quidem per extrema ſupplicia expreſſam. Et tamen illam ipſam animam, ô homo, ô ſtulte mercator, vel obolo venalem exponis, vel abjicis, captus gutta mellis, id eſt, infimæ voluptatis.

Quanta miſeria ſic falli.

Damnatus olim Adamus, & Eva, quibus ut ait Bernardus, diabolus *porrigit pomum, & ſurripit Paradiſum.*

Tract. de grad. humilit.

Damnatus Eſau, qui lentis edulio primogenita vendidit. Damnatus Jonathas, qui favo mellis, paternas iras, & ſententiæ letalis fulmen in ſe traxit. At magis damnandus es, qui immortalis animæ ſubſtantiam, cum mortali, fragilique bono commutas, & eo deluſus procidens etiam dæmonem adoras.

At, inquiet unus aliquis; novum & inſolens illud, animam voluptatis pretio vendi; dictum videtur iſtud ex quadam oratoriæ artis licentiâ, potiùs quàm ea veritate. Quiſquis ille eſt, qui ita cenſet, audiat Auguſtinum, & indubiè cum eo & ſentiet, & loquetur:

Unuſquiſque, inquit, *peccando animam ſuam diabolo vendit, accepto tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis.* Vile profectò pretium rei tam pretioſæ.

Refert Thomas Cantipratanus, quod ſubjicio. Duo non infimæ ſortis homines dum in popina helluantur, & à vino incaleſcunt, fortè de ſtatu animarum futuro in altera vita ſermo inter pocula incidit. Irriſit unus aliquis, & fabuloſos manes illos, umbras, & anicularum terriculamenta eſſe liberè pronuntiavit? fit cachinnus, & ecce tibi novum hoſpitem: ſubit popinam homo viribus, & corporis mole ſpectabilis, aſſidet, quæritque, qua de re *L. 2. Apum. c. 56.*

ſermo

ſermo eſſet. De animabus ſubjicit is, qui animas prius ſabulas fecerat, ego quidem tantilli facio, ut facili pretio in ſymbolum compotationis eam tradi-turus ſim, ſi quis emere velit. Tum novus conviva, placet ait, paciſcamur, neque cunctatio eſt, conventur de pretio, bibitur hilariter in veſperum, tum verò emptor: abeundum cuique eſt domum, nox evocat. Quæro tamen à vobis ô hoſpites, ô judices, quicumque hîc adeſtis. Qui vendit equum capiſtro colligatum, an non capiſtrum cum equo facit emptoris? Aſſentiuntur omnes, & quidem hilariter, unus impalleſcebat, qui vendiderat: tum ille nil moratus, animam & corpus, id eſt totum hominem, quem ſibi bacchi amphora emerat, è loco ſuo ſurſum, atque inde ad inferos rapit. Sed ecquis ille? infidus eſt mercator animarum, cacodæmon eſt. Sed ecquis venditor? Ille ipſe quem audiſti, quem inter pocula vidiſti baccho, meroque madentem: imò tu fortè ipſe es, MI LECTOR, certè is eſt qui peccatum aliquod letale etiam vel unicum, aut deſignat animo, aut perpetrat, ille animam dæmoni vendit; pretio etiam viliſſimo. Sed ne longiùs, redeo ad Evangelicæ hiſtoriæ ſeriem, quam hîc evolvo.

Regna mū-di non dan-tur cadenti. Spectaſti benevole Lector mali genii malas artes, regna mundi oſtendit, & offert ad cadenti: & incauti mortales, ut ea conſequantur mancipiorum inſtar accidunt ad genua dæmonis; hoc eſt vitus animum cœlo altiorem inclinant; hic avaritiæ, ille libidini, iſte ambitioni; quaſi vero regna quis obtineat cadendo, & non potiùs ſurgendo, atque aſcendendo.

Per vitia.

Certè mundi, & regnorum largitor Deus, cujus ſcilicet ſolius eſt ea dare, non dat cadenti; ſed potius aſcendenti. Clarius rem explico; non dat abjicienti ſe ad vitia; ſed ad virtutes aſſurgenti.

Sed aſcen-denti.

Fuit olim inter antiquiores Sophos agitata ea quæſtio, quibus virtutibus, ſeu gradibus ad regni ſolium pararetur aſcenſus. Itum in diverſas ſententias.

Per virtutes veluti gra-dus. Sunt qui *ſecuritate*, & *cautela*: ab hac, & illa ad regnum Italiæ Theodoricum veniſſe voluit Ennodius, dum ſic ad illum in panegyri. *Nec viri fortu in te deeſt ſecuritas, nec cautela metuentis.*

Lib. 3. c. 4. Ariſtoteles in Politicis *prudentia* ad regnum aſcendi cenſuit, ubi *prudentiam illius qui præeſt ſolam virtutem propriam eſſe dixit.*

Plut. in Opuſc. Alexander ſua doctus experientia, *Conſilio*, *Eloquentia*, & *Arte Imperatoria* etiam Orbis univerſi imperium obtineri poſſe exiſtimavit, nec immeritò.

Lib. 1. Ægyptii, ut tradit Diodorus ſiculus *liberalitate* comparari regna crediderunt; dum liberalitatem virtutem eſſe regiam pronunciarunt. Et hinc etiam factum ut Sacerdotum coriphæus cùm Regi ſacris operanti adeſſet, ut eum ſui muneris faceret certiorem, illud moneret imprimis, ut benignus ac liberalis bonorum communicator eſſet.

Et ii fuerunt Viri Principes, qui cùm Principis appellatione gloriarentur; beneficentia ſua, ac liberalitate tanti menſuram nominis impleverunt.

Onuphrius in ejus vita. Et is quoque cæteros inter fuit Alexander V. Pont. Max. ſic in omnes munificus ut vix quicquam ſibi, palatióque ſuo relinqueret. Indeque liberali joco jactare ſolitus illud: Se divitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem.

Pierius in Hier. l. 40. Putarunt alii ad regna gradum fieri paterna in ſubditus *providentia*, qua illis proſpicit de annona, ad vitam ſuſtinendam neceſſaria. Dicitur *Iſis*, quæ prima ſpicas invenit, easin modum coronæ capiti circumiuliſſe: & eas circumferat quiſquis regnat; nulla enim corona honeſtior, & regnanti capiti magis accommoda, quàm ea, quæ ex ſpicis, & frumento conficitur.

Quod ipſum docuit, & ſua authoritate confirmavit Aurelius, qui coronas ſibi confeceſſit dicitur ex panibus qui ſiligneì vocantur, ut hoc pacto indicaret Principem ſibi conficere coronam vel ipſa erogatione panis: ita populos paſcere, eſt Principem coronare. *Vopiſc.*

Hanc porrò amabilem providentiam in ſponſo, ceu Rege ſuſpexit, ac prædicavit ſponſa, dum ſic ad illum: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas*: *Cant.* *quia* ſcilicet ut annotat D. Ambroſius, *regale eſt paſcere*; & virtus regia providentia: & hanc vel exemplo ſuo docuit Chriſtus Rex ſapientiſſimus, qui ſæpiùs etiam miraculo multa hominum millia è paucis panibus pavit: quam beneficentiam dum aſpiciunt, amant ac mirantur populi: *venturi* erant *ut raperent eum, & facerent eum Regem.* Quem enim potiùs, quàm beneficum, ac providum?

Sed & alia virtus huic affinis, quæ ad regna tollit; nempe pius *amor*, & impenſa *cura* ſuorum, maximè verò privatorum, atque egenorum. Et hanc olim commendavit Philo licèt Judæus in libello, quem ſcripſit de creatione Principis: quem ita monet: *Ne in exiguis conſerat opem Princeps, ſed majora exanimet diligentiſſimè.* Quæ autem ſint illa majora, explicat dum ait: An *privati, egeni, obſcuri premantur.*

Ad hunc amorem, & curam etiam ſpectat doloris ille ſenſus, quem vulgò *compaſſionem* dicimus, & quæ etiam virtus regia: ex hac dolet, ac ingemit ſubditorum malis etiam viliſſimorum. Ut enim Seneca Principem adumbraturus: *Nemo Regi tam vilis eſt, ut illum perire non ſentiat*; & rationem hanc ſubjicit, quia *quabiſcumque pars imperii eſt.* *Lib. 1. de Clement. c. 17.*

Et hanc compaſſionem vidimus in Chriſto, qui ſic olim: *Miſereor ſuper turbam*: quæ ſcilicet in via defeciſſet ſi jejuna dimiſſa fuiſſet: & hæc fuit ſuavis illius providentia, quæ etiam in profanis Principibus eluxit.

Exemplo erit Pompeius, qui ut civibus ſuis Romæ annonæ caritate laborantibus ſuccurreret, in Sardiniam Siciliámque navigaturus, oborta tempeſtate, ac repugnantibus nautis, primus navem conſcendit, anchoriſque propria manu ſublatis exclamaſſe fertur: *Navigare neceſſe eſt; vivere non eſt neceſſe.* Et hæc tantus Imperator, qui ex eam ſuos caritate ſervaret, *creatus verbo quidem annonæ procurator, re autem ipſa Dominus terræ, mariáq*, quia providus, amans, ac compatiens ſuorum. *Plut. in Apopht.*

His finio, & ad extremum adjicio. Religione in Deum, pietate in ſuperos, & debita ad divinas leges ſubmiſſione ad regna gradum fieri. Ita ſibi fecit Conſtantinus Magnus; qui Maxentio immaniſſimo hoſte profligato non minùs verè, quàm religiosè prununciavit illud:

Ego certè & proſperam meam fortunam, & meas res omnes pietati acceptas refero.

Ita fecit Carolus Quintus Imperator Auguſtus, qui expugnato Frederico Saxoniæ Duce ſic ait: *Illud Cæſaris uſurpare non poſſum. Veni, Vidi, Vici: ſed dicam, Veni, Vidi, & Dominus Deus vicit.* Ecce pietatem in Deum, ecce ſubmiſſionem Cæſaris omnia in Deum referentis, & ſua illi ſigna ſubmittentis, unà; et am animum. Quod & alii Principes, ac Reges Chriſtiani fecêre; fecit & S. Ludovicus probè memor moniti S. Præſulis Bernardi: *Regna terræ, & jura regnorum tunc ſanè ſana ſunt Domino, atque illæſa perſiſtunt, ſi divinis ordinationibus, ac diſpoſitionibus non r ſiſtunt.* *Euſeb. tract. ad S. Catum c. 22.* *Ioan. Bor. lib. 5.* *Epiſt. 255.*

Et hæc dicta ſint, ut liquidò appareat perperàm dixiſſe dæmonem: *Hæc omnia*, ſcilicet mundi regna, *tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Verè enim regna non dantur per vitia coram dæmone cadenti; ſed per virtutes ad Deum aſcendenti.

Digitized by Google

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

VIDETUR ea Divinæ Providentiæ ratio, ut ſerena nubilis, læta triſtibus, ima ſummis miſceantur; quod & in argumento mihi propoſito luce meridianâ clariùs apparebit.

Cùm enim Servatori noſtro gravia imminerent ſupplicia, & triſtis in cruce occaſus, à quo ipſas ſurgentis Eccleſiæ columnas, primáque robora domus Dei (Apoſtolos intelligo) concuti quodammodo, ac labefactari oportebat. Ut eos à fide firmaret Chriſtus, unáque ſuppliciorum acerbitatem, mortis ignominiam, ſepulchri tenebras, aut diſſiparet, aut certè temperaret; voluit eos amœna quadam gloriæ ſuæ ſpecie recreare; quod ut faceret, in montem eduxit, evocatiſque ex altero velut Orbe Moyſe, atque Eliâ, ſacratiſſimæ ſuæ faciei lumen addidit, & veſtibus candorem ſupra omnes naturæ leges, ac ordinem; à quo ita captus Petrus, capti & alii, ut æternam in eo monte, ſacroque ſeceſſu manſionem exoptaſſent. Et hæc ferè eſt hiſtoriæ ſeries, è quâ varias deducam quæſtiones ad mores hominum efformandos aptiſſimas; ſi tamen priùs

EX D. BONAVENTURA.

DE hoc Evangelio nihil reperi in concionibus Doctoris Angelici, ideoque pauca ex Seraphico, & quidem primò ex illis Evangeliſtæ verbis:
Matth. c. 17. *Aſſumpſit* JESUS *Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Ex duodecim diſcipulis tres dumtaxat aſſumuntur,
Dom. 2. Quadrag. Serm. 4. non ſine myſterio: quod ſic evolvit S. Doctor ut in illis tribus deſignari velit, & aſſumi tres hominum ſtatus; videlicet *Prælationis, Actionis, & Contemplationis.*

Primò enim *aſſumpſit Petrum, qui primus fuit in Eccleſiæ regimine, & inde in Petro cæteros de ſtatu prælationis,* ad quos Dominus etiam illud, quod olim Zoroba-
Aggai c. 2. bel: *Ego aſſumam te Zorobabel fili Salathiel ſerve meus, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi.*

Secundò aſſumpſit Iacobum, qui primus futurus erat in amaritudine pœnitentiæ per tormentum paſſionis, & hinc *in Iacobo cæteros de ſtatu actionis,* quæ pœnitentia maximè exercetur: in hac dum ſudat Rex David, ſic
Pſal. 26. ad Deum ſuum: *Quoniam pater meus* (Diabolus) *& mater mea* (Concupiſcentia) *dereliquerunt me;* propter amaritudinem pœnitentiæ, *Dominus aſſumpſit me.*

Tertiò aſſumpſit Ioannem, & in Ioanne cæteros de ſtatu contemplationis, ad affluentiam ſpiritualis conſolationis; ut verum eſſet illud Davidis oraculum: *Beatus quem ele-*
Pſal. 64. *giſti* (ad ſtatum actionis per exercitium bonæ operationis) *& aſſumpſiſti,* ad ſtatum contemplationis per augmentum dilectionis, qualis potiſſimùm fuit in Joanne. Subjicit deinde S. Doctor, explicátque etiam illud Evangeliſtæ: *Duxit illos in montem excelſum;* quò enim potiùs?

I. Mons vallibus eminet, & primò orientis ſolis radios excipit, deinde demittit in valles; ſic & Prælati, *ſublimes tanquam montes divinæ lucis irradiationes primò in ſe recipere debent, & deinde per bonæ vitæ exemplum in ſubditos, tanquam in valles tranſmittere.* Sed heu ſecus omninò faciunt multi *Prælati; ratione ſtatus inducunt* JESUM *uſque in ſupercilium montis, & inde præcipitant eum in cordibus ſubditorum propter mala exempla: quibus melius fuiſſet toto tempore vitæ ſuæ ſtetiſſe in plano; quia quantò ſtatus altior, tantò caſus gravior.*

II. Mons ſua ſtat mole firmus, nec ventis, & turbinibus, nec grandine, nymbíſque movetur: nec *Activi* tribulationibus, quibus ſunt expoſiti, quia nimirum *confidunt in Domino,* ſuntque *ſicut mons Sion,* *Pſal. 124.*
qui non commovebitur in æternum.

III. Mons *quæcumque recipit ſtatim diffundit, & quaſi ſe exonerat ad plana:* mox ut illi *infunditur pluvia, ſtatim refunditur:* ſic & Contemplativi, quos cœlo benigniore exceperunt divinæ gratiæ imbres, ad plana, ad ſubjectos ſibi populos demittunt, ut in illos cadat illud Joelis: *In illa die ſtillabunt montes dulcedinem,* *Cap. 2.*
& colles fluent lacte; Dulcedinem, inquam, *piæ Compaſſionis in afflictos, & lac piæ prædicationis in debiliores,* & à virtute adhuc parvulos.

IV. Subdit, exponitque illa verba, *Transfiguratus eſt ante eos,* Petrum videlicet, Jacobum, & Joannem; Indéque. 1. *Ut in Petro illuminaret Prælatos ſplendore* quodam divinioris intelligentiæ, quæ petita primùm è cœlo, hoc teſtimonio Æterni Patris: *hic eſt filius meus dilectus;* deinde *Moyſis* [illegible] *profundo limbi;* denique *Eliæ, quaſi de medio* ſcilicet *paradiſi.* 2. *Ut in Iacobo confirmaret activos in ſpe expectationis futuræ gloriæ.* 3. *Ut in Ioanne inflammaret contemplativos amore caritatis.*

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Aſſumpſit* IESUS *Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Matth. c. 17. verſ. 1.

CUR ILLOS PRÆ CÆTERIS DISCIPULIS?

DIXIT olim ex antiquis nonnemo, Deum Opt. Max. numerorum calculis oblectari, maximè verò ternario; quia is Sanctiſſimæ Triadis eſt numerus: in cujus gratiam tres à Domino aſſumptos fuiſſe placuit Damaſceno: Sed cur, inquies, tres illos, Petrum, Jacobum, & Joannem? Hîc vertitur cardo quæſtionis, in quâ id ſtatuo.

Aſſumptos fuiſſe præ reliquis, quia à virtute, à meritis, à tolerandis Domini causâ laboribus futuri etiam præſtantiores.

In Petro amor.

In Petro Eccleſiæ petra elucebat inſignis in magiſtrum amor.

In Ioanne Virginitas.

In Joanne illibatæ, virginitatis, & caſtimoniæ floſculus.

In Iacobo elucet victoria ſui.

In Jacobo ſingularis animarum zelus, & ardor, à quo & *Boanerges* dictus, hoc eſt tonitrui filius; & Jacobus, hoc eſt ſupplantator, & ſui, ac mundi victor.

Ita nimirum habent cœli leges: non venit in partem gloriæ, niſi qui jam multis paratus eſt laboribus.

Ab hac glorificatus Chriſtus. L. de Coron. Mil c 14

Huic aſſertioni fidem aſtruet ipſe Chriſtus DEI filius, Deus homo, de quo ita magnificè Tertullianus: *Non ante Rex gloria à cœleſtibus eſt ſalutatus, quàm Rex Iudæorum proſcriptus in crucem.*

Lib. 9. de guber. Dei.

Martyres.

Fidem deinde facient & Martyres, invicti Chriſti pugiles, *qui*, ut ait Salvianus, *ad cœleſtis regiæ januam gradibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de equuleis, cataſtiſq; fecerunt.* Et verò etiam facient ii omnes, qui in Chriſti ſchola probè eruditi fuerint, mox etiam laureâ donandi. *Diſcipulus es*, inquiebat olim ore aureo Chryſoſtomus, *magiſtrum imitare, hoc eſt quippe diſcipuli: ſi verò ipſe quidem per tribulationem perrexit, tu autem per requiem vis ire, non eandem viam vis pergere, quàm ille perrexit, ſed aliam. Quomodo ergò ſequeris non ſequens; quomodo eris diſcipulus, non ſectans Magiſtri veſtigia?* Non eris certè, non eris diſcipulus, qui tantùm ab ejus doctrina diſcedes; *qui Chriſto in carne paſſo non eadem cum eo cogitatione* (vel ut vertit Fulgentius) *ſcientiâ* armaberis, ſcientiâ inquam amaræ paſſionis: quâ non eſt viſus armari etiam ipſe Petrus, cùm amabili illâ luce, gloriæque cœleſtis illecebrâ captus exclamavit:

Hom. 28. in Epiſt. ad Hebr.

Diſcipuli Chriſti.

Domine bonum eſt nos hîc eſſe. *Neſciebat*, inquit Evangeliſta, *quid diceret.* Et ſanè in illo gloriæ, ac voluptatis æſtu neſciebat; quia palmam ſine pugna, requiem ſine labore, gloriam ſine præviâ ignominia, & patientiâ ambiebat. Quo vino laborarunt è poſteris plerique: hinc ſeræ, veræ tamen iſtæ Divi Bernardi querelæ:

Serm. 21. in Cant.

O Domine JESU *volunt omnes te frui, at non ita & imitari; conregnare cupiunt, ſed non compati. Non curant quærere, quem tamen deſiderant invenire, cupientes conſequi, ſed non ſequi. Non ſic illi quibus aiebat, vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.* Hæc ubi dixit ut eorum felicitati teſtimonium redderet luculentum, exclamat:

Beati qui digni habiti ſunt teſtimonio tuo, benigne JESU: *ipſi revera ibant poſt te, & pedibus, & affectibus*: & nos pariter eamus, & non tam pedibus, quàm affectibus; iis enim opus quàm maximè, quia ut disertè D. Chryſoſtomus:

Ad Philip. Hom. 12.

Surſum poſita eſt palma, ideoque *Vide* ô anima mea, *quantum ſit ſpatium percurrendum, vide quanta ſit ſublimitas, & quò pervolandum ſit alis ſpiritus.*

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Duxit illos in montem excelſum.* verſ. 1.

CUR DISCIPULOS IN MONTEM EDUXIT IESUS? *Et cur in montem Thabor?*

In montibus Deus facit prodigia.

MANAVIT illa perſuaſio inter antiques, malos genios amare valles, bonos autem montibus oblectari: quæ opinio inde ferè orta; quod pleraque prodigia cœlo propitio edita ſint in montibus.

I. Ut Orbi daret Abraham inſigne obedientiæ miraculum, atque exemplum vocatus à DEO in montem *Moria*, hoc eſt montem *Latria*, ſeu *adorationis*.

II. Moyſes ut legem cœli typis excuſam acciperet, in montem Sina eductus. Et ut ab antiquis illis diſcedam: Salvator Optimus viſus eſt in paucis amaſſe, & quæſiſſe montes aut beneficentiæ ſuæ, aut prodigiis magis opportunos.

III. Ita quondam è monte, ceu pulpito concionem habuit de octo beatitudinibus.

IV. In monte innumeram propè multitudinem paucis panibus pavit.

V. In monte Hermon, in quo ſita urbs Naim, viduæ filium, & vitæ, & matri reddidit.

VI. Denique, ne morer in argumento ſatis obvio, in monte cœnam ultimam, & SS. Euchariſtiam inſtituit: in monte per extrema ſupplicia ſpiritum Deo Patri reddidit, divina pro genere humano victima. E monte cœlos àſcendit, Superis additus & gloriæ.

Ita Superis, Deique filio accepti montes, non alio conſilio, votóque quàm ut abjectos mortales evocaret ad ardua virtutis, quæ in monte ſita.

VII. In Thabor.

Sed cur inquies in montem Thabor educti unà cum Chriſto diſcipuli? cur præ cæteris iſti prodigio deſignatus ille? In ſacris paginis commendatur mons Thabor triplici nomine.

Primùm quidem, quia ab eo monte manavit olim omen, & nuntius illustris victoriæ contra Siſaram Dei, & Iſraelis hoſtem.

Debora Propheti ſſa divino ſpiritu afflata, Baracho duci fortiſſimo animos fecerat, ut cum exiguis copiis è monte Thabor deſcenderet, in apertam, effuſámque planitiem, in eáque cum Siſarâ congrederetur: factum illud peropportunè, & inſignis de hoſte reportata victoria: à qua celebrari cœptus in Scripturis mons Thabor, de quo cecinit Vates Regius:

Pſal 88. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentiâ.*

Alterum ad quod fortè præſago ſpiritu longè ante proſpexit Vates, & à quo vel maximè nominatus mons Thabor, fuit quòd in eum poſt longa ſæcula, ſeróſque ſoles Dei filius eſſet aſcenſurus, daturuſque diſcipulis ſuis ſpeciem aliquam, lucemque futuræ aliquando gloriæ, ac beatitatis; quòd in eo audiendæ hæ Patris Æterni voces, *Hic eſt filius meus dilectus*; voces, inquam, à quibus & ipſe mons Thabor, licèt ſenſus expers, exultare viſus. Denique quod in eo monte viſendus Deus homo, quod opus eſt divini brachii: quia in eo ſe totum explicuit Dei potentia; cùm opera leviora dicantur, & certè etiam ſint opera digitorum, aut manuum Dei, qualia ſunt cœli, de quibus Propheta: *Opera manuum tuarum ſunt cœli*, & ipſe Orbis univerſus quem *tribus digitis appendit*.

Thabor idem eſt ac Poſtremùm denique à quo celebris mons Thabor, eſt varia nominis etymologia, & plena arcanis myſteriis, quæ paucis eruemus, & ad mores deducemus.

Thabor apud Hebræos tres patitur etymologias:

Electio. Prima ut idem ſit atque *electio*, & præ cæteris electus, quòd cœlo, ſoléque benigniore frueretur, quòd in olivas, vineas, alioſque fructus ſeſe effunderet, quòd denique à Deo deſignatus veluti theatrum aliquod cœleſtium prodigiorum.

Puritas. Altera etymologia, & ſignificatio nominis Thabor eſt *puritas*; quia eò loci purus, ac defæcatus aër, qui ad hominis incolumitatem, atque ſolertiam conducit plurimùm; ut enim tradunt medici, aër convertitur in ſpiritus vitales, & animales, à quibus ferè pendēt omnes ingenii fœtus, atque operationes.

Lumen veniens. Poſtrema ſignificatio nominis Thabor, eſt hæc; *lumen veniens*: ita appellari placuit quia ipſe Chriſtus, increata Sapientia, & fons divini luminis in eum venire, atque videri debuit.

Sed hactenus litteræ datum ſatis, ad mores veniamus.

In Eccleſiaſticis tria deſiderantur. D. Hieronymus qui ætatem in ſacris litteris trivit, cenſet montem Thabor ſymbolum aliquod eſſe ſtatus Eccleſiaſtici, ac Sacerdotalis; in quo tria requirit in ipſo nomine Thabor velut expreſſa.

Vocatio. Primum eſt divina quædam *electio*; nemo enim hanc inſtituendæ vitæ rationem eligere debet, niſi qui ſingulari Dei gratiâ à Deo ſit electus. *Nemo ſibi*

Ad Heb. 5. *ſumit honorem, niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Nemo ergo ſe in hunc Eccleſiæ montem duci patiatur amicorum manu, gratiâ magnatum, ac favore; nemo tumore vano, & inſolenti ambitione; nemo divitiarum, & cupiditatum illecebris malè captus: etſi enim ſic videatur in ſublime tolli, tollitur ut deprimatur magis, & miſerabili caſu cæteris omnibus & documento ſit, & exemplo; quod malum ut à cæterorum Eccleſiaſticorum cervicibus averteret, ita unum aliquem compellavit olim D. Bernardus:

In Declamat. *Age*, inquiebat, *aſcendat ſuperbia tua ſemper, omne ſublime videant oculi tui, feſtina multiplicare præbendas, mox ad Archidiaconatum evola, demum aſpira ad Epiſcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus: quoniam ſic itur ad aſtra. Quò progrederis miſer? an ut ab altiori gradu ſit caſus gravior? neque enim ſic paulatim decides, ſed tanquam ſulgur in impetu vehementi, quaſi alter Satanas ſubitò dejiceris.*

Hæc ſunt orationis fulmina, quæ S. Doctor æſtu quodam devotæ mentis in eos evibravit, qui vanâ ducti ambitione in montem Thabor, hoc eſt, ſacri ordinis culmen aſcenderent.

Neque his inferiora jecit S. Chryſologus, à quo tot oracula, quot verba:

In altum tendens cadit ab alto, cœlum pulſans intrat profundum. O ambitio quàm cæca ſemper! ô quàm ſemper præſumptio peſſima! ô quàm perdit conceſſa, qui inconceſſa captat! Captat autem inconceſſa, qui alio quàm Dei ſpiritu hunc ſtatum ſuſcipit. Serm. 152.

Alterum, quod è monte Thabor ad Eccleſiaſticos deduci voluit D. Hieronymus, eſt ſingularis quædam animi *puritas*, & illibata vitæ, ac morum innocentia. Puritas.

Cautum olim, & ſeverè quidem, ne Sacerdotum corpora aliquâ maculâ aut nævo notarentur: ita enim ferebant verba legis:

Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo. Levit. 21. v. 21.

Quo ex loco Philo Judæus hoc conficit argumentum: *Si mortale corpus Sacerdotis inſpici oportet ne quo contactum ſit vitio, quantò magis animum immortalem.* Lib. 2. de Monarch.

Quod ſi omni corporis, ac multò magis animæ vitio carere debuit is, qui cœlo victimas (puta bovem, aut ovem) mactare debuit; quantò magis ille qui immortali Deo, Dei filium, Deum ipſum in Venerabili Sacramento ſumpſerit offerendum?

Pulchrè pro eâ munditie, ac caſtitate, de quâ mihi quæſtio, B. Petrus Damianus argumentum ducit à Virgine Dei Matre; à Joſepho putativo Patre, etiam Virgine; illum audiamus. Ita habet:

Si Redemptor noſter tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modò de virgineo utero naſceretur, ſed etiam à nutritio Virgine tractaretur: & hoc cùm adhuc puerulus vagiret in cunis; à quibus nunc obſecro tractari vult corpus ſuum, cùm jam immenſus regnat in cœlis? Si mundis attingi manibus volebat in præſepio poſitus; quantam corpori ſuo nunc vult adeſſe munditiam jam in paternæ majeſtatis gloriâ ſublimatus? Lib. 1. Epiſt. Epiſt. 67.

Quòd ſi in iis qui ſacrum illud corpus aliquando vel ſolis manibus contrectare debuerunt, eum requiſivit, & etiamnum requirit animi corporiſque nitorem; quantò magis eum deſiderabit in Sacerdotibus, qui illud non tractare modò, ſed & conficere debent? De iis certè pronuntiavit D. Ambroſius:

Mundiores debent eſſe cæteris, quia actores ſunt Dei. Actores inquam, qui tragicam illam, & cruentam ſcenam in monte Calvariæ olim exhibitam, modò incruentam oſtentant, imò & faciunt in auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio. Pluribus ſuperſedeo in re ſatis ſuperque notâ. In 1. ad Timoth. 3.

Venio ad poſtremum, de quo Sacerdotes tacitè monet tertia etymologia nominis *Thabor*; hoc eſt *lumen veniens*. Lumen boni exempli.

A lumine duo manant, quæ mirantur & amant Philoſophi: ſplendor ſcilicet & calor; & hic & ille petendus à Sacerdote, ceu altero mundi Sole, ceu Eccleſiæ lucernâ: *Lucerna*, inquam, *ardens, & lucens: Eſt enim tantùm lucere vanum, tantùm ardere parum, ardere atque lucere perfectum eſt*; quod in Sacerdote, viróque Apoſtolico requirit Bernardus, qui eum modò cum Sole componit, modò cum lucernâ.

Cum Sole quidem, cujus ardor igneus eſt, & conſtans; nec ullam omnino lucis ſuæ defectionem patitur, quia eam habet à ſeipſo, non ab alio mutuatur ut Luna: hinc ait cum Eccleſiaſtico Bernardus:

Sapiens permanet ut Sol, ſtultus ut Luna mutatur. quia enim ſplendet Luna ſine fervore, modò plena, modò exigua, modò nulla videtur: mutuatum ſiquidem lumen nunquam in eodem ſtatu permanet; ſed creſcit, deficit, extenuatur, Cap. 24.

annihila-

annihilatur. *At verò Solis ardor igneus eſt*; & quia igneus, hinc etiam conſtans, nunquam non ſuus: & is debet eſſe Sacerdotis ardor, qui intrinſecus petatur, & ab ipſo igne caritatis, à quo etiam diffundatur extrinſecus lumen exempli boni; ut ex vero ſit lucerna ardens, & lucens.

Benè, inquit Bernardus, *lucerna ardens, & lucens*, non autem *lucens, & ardens; quia*, viri Eccleſiaſtici *ex fervore ſplendor, non fervor prodit ex ſplendore:* ut ſunt nonnulli, *qui non eò lucent, quia fervent; ſed magis fervent ut luceant: & iſti non planè fervent caritatis ſpiritu, ſed ſtudio vanitatis*, quæ longiùs abeſſe debet ab eo ſtatu, & à ſacratioribus myſtis, qui ſunt quaſi lucerna, non ſub modio poſita, ſed ſuper candelabrum, ut luceant omnibus qui ſunt in domo Dei, hoc eſt Eccleſia: luceant, inquam, exemplo vitæ ſanctioris, quam qui vel oculis tantùm uſurparit, cenſebit illicò eos jure meritiſſimo elatos eſſe cum Chriſto in montem *Thabor*, & quaſi *lumen veniens*, quod quaquaverſum effundatur in ſubjectas valles, ſubditumque gregem.

Et certè id luminis, id exempli boni ab iis expectandum vel ex ipſâ tantùm illius vocationis ſublimitate; à quâ nihil abjectum, nihil obſcurum, nihil vitioſum obtrudi debet: quia ut præclarè Bernardus ad Eugenium Pontificem maximum:

Lib. 2. ad Eugen. de conſid. *Monſtroſa res eſt gradus ſummus, & animus infimus; ſedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus, & fructus nullus.* Erit autem omninò nullus, ſi vitæ exempla deſint; nec enim homines capiuntur verbis, ſed exemplis: quia ut rectè notavit Seneca:

Epiſt. 16. *Longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla; quia homines ampliùs oculis, quàm auribus credunt.*

Et quia is hominum genius eſt, ut in virtutis viam exemplis ducantur, ſic autem ducere Sacerdotalis eſt officii; hinc graves intentantur de cœlo minæ, ſi id neglexerint: ita enim Deus Oſeæ voce, calamoque: (Vis exempli boni.)

Audite hoc Sacerdotes, quia vobis judicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor. (Cap. 5.)

Vos Deus in Eccleſiaſticum ſtatum, ceu in montem Thabor evexerat, ut eſſetis quaſi in ſpeculâ, & dominico gregi invigilaretis, ne malus dæmon, ceu auceps retia tenderet, laqueoſque necteret: ſecus autem accidit; vos enim potiùs facti eſtis ipſi laqueus, & rete expanſum ſuper Thabor, quo illaqueantur, & capiuntur animæ veſtris exemplis maliſque moribus ſeductæ: hinc vobis judicium eſt, ad quod ab ipſâ ſpeculatione rapiemini: facilis enim ab illâ ſpeculâ ad Dei judicium eſt lapſus; quod ipſum indicat elegans Hebræi nominis paronomaſia: judicium quippè, & ſpeculatio tantùm diſtinguuntur tranſpoſitione unius litteræ: quia judicium Hebræis dicitur, *miſpat*: ſpeculatio autem *mitpſa*, quo facilis ſit, & prona converſio à ſpeculatione ad horrendum Dei judicium, ad quod olim abiit infelix Sacerdos, (Anno 1611.) cui nomen Ludovicus Goffredy, quem P. Petrus Coton è Societate noſtra Marſiliæ inter Sacerdotes confidentem vidit, non facie hominis; ſed bufonis: nimirum hominem exuerat primùm magicis artibus; (Franciſc. Roſſet in hiſt. trag.) dein ipſi dæmoni ſignata etiam proprio cruore ſyngrapha mancipatus; denique propter immania crimina ad rogum & flammas damnatus, in quibus corpus cineri, & animam impœnitentem æternis conceſſit incendiis; non conceſſiſſet, ſi & vocationis ſuæ, & puritatis, & exempli boni memor fuiſſet.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Transfiguratus eſt ante eos.* verſ. 2.
QVÆ RATIO? ET CAVSA ILLIVS Transfigurationis?

Cauſæ ex parte Chriſti. E VARIIS cauſis, quæ produci poſſent, quædam ad Chriſtum ſpectant; ad Diſcipulos aliæ. Et hæ quidem ad Chriſtum.

I. Prima, Ut ea luce, ſeu faciei, ſeu etiam toti reliquo corpori circumfuſâ latentem ſub eâ veſte Divinitatem proderet, & (ſi minus per modum habitus, at ſaltem inſtar paſſionis tranſeuntis) eum fulgorem in corpus duceret, qui ab animâ jam beatâ in illud derivari ſolet.

II. Secunda, Ut jam inde oſtenderet, quâ luce, quâ majeſtate, ad Univerſi judicium venturus eſſet, qui etiam ab hominibus judicandus eâ gloriâ donaretur.

III. Tertia, Ut liquidò demonſtraret ſponte ſe eam corpori gloriam denegaſſe, & ſub hoc corporis integumento quaſi lucernam ſub modio poſuiſſe; ac miraculo quodam perenni continuiſſe: fatendum enim quod res eſt, ab animâ beatâ claritatem aliquam convenientem in corpus effundi emanatione quadam vel phyſicâ (ut aliqui volunt) vel quod malim, morali: adeò ut eam ſupprimere pro miraculo haberi debeat: & ſic in Chriſto factum autumat Cornelius, aliique Interpretes. (In cap. 17. Matth. v. 1.)

Ex parte diſcipulorum. Et hæ rationes ad Chriſtum Dominum attinent; reliquæ, quas ſubjiciam, ad diſcipulos, & genus hominum univerſum.

Prima, Diſcipulis longè cariſſimis objecerat imaginem aliquam futuræ ſuæ paſſionis (quâ ad cœlum eſt via) modò gloriam exhibet, ſpeciem beatitatis (quæ vitæ meta, terminus, & finis eſt) quâ in re Servator Optimus fecit quod ſagittarii ſolent: Hi ſagittam ex arcu non priùs emittunt, quàm ſcopum aſpexerint, in quem ea dirigatur. I.

Vitæ ſcopus eſt beatitudo, mens ſagitta, quæ eò devolat mediâ paſſionis viâ; ideoque illa primùm homini, ceu ſagittario proponi debet; ut ex ea noverit, quò mens, intelligentia, & omnis conatus animæ dirigendus: ſcilicet ad bravium ſupernæ vocationis, lucemque æternæ beatitatis; non autem ad paucula bona, quæ mundus offert; & qui etiam in iis, quæ ut bona venditat, *Tripliciter miſeros* mortales *onerat; labore, timore, dolore. Cum labore ſiquidem pervenit homo ad quod cupit, cum timore poſſidet, cum dolore amittit.* Et hinc ducitur (Gotfridus in c. 11. Iſaia.)

Secunda ratio, ob quam Servator Optimus ante diſcipulorum oculos transfigurari voluit. Fuit autem ejuſmodi: ut eos avocaret ab illecebris hujus ævi mortalis, & poſito ſub oculos bravio æternitatis ad illius amorem transferret, atque ad ardua quæque ejus gratiâ toleranda animaret, eo ferè modo quo in ſtadio Reges, Cæſareſque ſolent. II.

Quemadmodum, inquit Chryſoſtomus, *Reges in equorum curſu, atque certamine, in ipſo agone coronas, veſtes,* (Orat. de illo.)

Diligamus etiam perſequentes. *veſtes, cateraq; munera ante certantium oculos ponunt: ſic & Dominus in medio ſtadio præmia locavit.* Jam enim illud ingreſſuri diſcipuli, videbantur emittendi mox è carceribus, & per labores, ſudores, egeſtatem, famem, ſitim, equuleos, cataſtas, rogos, cruces, in hoc vitæ ſtadio decurſuri: ne porrò in iis animos demitterent, ſed pergerent alacres ad metam, ſcopumque propoſitæ beatitatis; eis in ipſo ſtadii limine præmia propoſuit, lucemque veluti adnatam corpori jam beato: à quâ ita caperentur, ut ne oculis quidem dignarentur lumen omne, quod bonis caducis, & mortali pulchritudini aſperſit mundus; quem deſpicientes illicò etiam præterirent.

Et jure ſanè meritiſſimo, ut enim Philoſophi: *Lumen majus offuſcat minus*, & Oriente Sole fugiunt minora lumina, & pulchritudo pulchritudine vincitur; de quo probè doctus, S. Joannes Chryſoſtomus, ex uno de reliquis vult eſſe conjecturam.

Hom 6. de Pœnitent. *Tu verò*, inquit, *cùm mulierem videris formoſam, ſplendentem oculis, ornatam ſtolâ, libidine titillantem, deſiderantem viſum: reſpice deſuper ſtantem coronam, quò tale ſpectaculum prætereas.* quod in his illecebris fœmineæ formæ faciendum eſſe dixit S. Præſul, hoc in omnibus hujus vitæ mundique lenociniis Chriſtus.

Divitias tibi congerit mundus, & auri vim atque gemmarum: *reſpice deſuper ſtantem coronam, quò tale ſpectaculum prætereas.*

Voluptates ſuas ingerit blanda caro, & per mollia brevis ævi blandimenta ducit, per Bacchum & Venerem trahit: *Reſpice deſuper ſtantem coronam quò tale ſpectaculum pretereas.*

Orbem tibi aperit ſemper inſatiabilis ambitio, & regna regnis, ſceptra ſceptris addi vult, & Univerſum ſi voles: *Reſpice deſuper ſtantem coronam, quò tale ſpectaculum prætereas.* Prætereas, inquam, non tam metu pœnæ, quàm ſpe gloriæ, quâ ferè ſolâ ducuntur altæ mentes: & hinc

III. Tertia ratio, Cur Chriſtus diſcipulis veluti filiis longè cariſſimis oſtenderit imaginem aliquam futuræ quondam beatitatis; ſervis objicitur timor, & gehennæ metus; filiis ſervatur ſpes, & amor Dei, ceu parentis optimi.

Aug. in Pſal. 18. *Timet ſervus offendere Dominum ſuum, ne jubeat eum verberari, vel in compedes mitti, in carcere includi, aut in piſtrino conteri; filius verò timet, non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur; ſed ne offendat gaudium paternum, ne offendat oculos amantis.*

Serm. 22. in Aſcenſ. Metus ille, & ea ſpes eſt veluti ſuperior, & inferior mola, *inter quas*, ut bellè notat Petrus Bleſenſis, *ſemper molitur Chriſtianus. Spes ad alta ſubvehit*, ut inquit D. Gregorius: *timor* autem *cor inferius premit.* Mor. c. 16.

Timor eſt animæ tanquam læva ſponſi, quæ eſt ſub capite; ſpes autem eſt dextra illius, quæ eam amplexatur. Ita enim locum illum Canticorum explicat Hugo Carenſis:

Cap. 16. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læva ſponſi juſtitia eſt*, inquit, *dextera ſponſi eſt miſericordia, quæ per ſpem amplexatur, & conſolatur Eccleſiam.*

IV. Quarta ratio, probat meritò dici, quòd Chriſtus ſit transfiguratus ante eos, non autem in ſe: quia ut advertit D. Damaſcenus: *Qui coram diſcipulis transfiguratur, ſemper eodem modo glorificatus eſt in ſe, & divinitatis ſplendore collucet.* Orat. de Transfig.

Ad Heb. c. 13 v. 8. JESUS-CHRISTUS *heri, & hodie: ipſe & in ſecula*, inquit Apoſtolus.

Et hoc eſt ſpecimen veræ, ſolidæque virtutis, animique ſibi conſtantis, qui ſemper unus eſt, nec alius hodie, alius cras à ſeipſo dici poteſt, ut plerique mortales, quos ſua inconſtantia ut pilas habet: Epiſt. 120. *Sic maximè coarguitur animus imprudens*, inquit Seneca, *qui alius prodit, atque alius (& quo turpius nihil judico) impar ſibi eſt. Magnam rem puta unum hominem agere, præter ſapientem autem nemo unum agit. Cæteri multiformes ſumus, modò frugi tibi videbimur, & graves; modò prodigi, & vani. Mutamus ſubinde perſonam, & contrariam ei ſumimus, quam exuimus.* Hæc ubi verè pronuntiavit Seneca, tum Lucilium, quem ſuis Epiſtolis inſtruit, ita monet:

Hoc ergo à te exige, ut qualem inſtitueris præſtare te, talem uſque ad exitum ſerves. Effice ut poſſis laudari, ſi minùs ut agnoſci. De aliquo, quem vidiſti heri meritò dici poteſt. Hic quis eſt? Tanta mutatio eſt.

Si hæc in ſui ævi hominibus improbavit, damnavitque Seneca; quantò magis in Chriſtianis & improbandum eſt, & damnandum?

Quinta denique ratio cur Servator Optimus, qui ad duriſſima quæque ſervabatur ſupplicia, voluerit priùs oſtentare diſcipulis ſuis imaginem aliquam, lucemque gloriæ, atque inuſitatæ lætitiæ, hæc fuit: V.
ut ſole ipſo clariùs appareret, eos qui in excelſo virtutis conſiſtunt, ſuis quoque perfundi gaudiis, ſuis frui delectationibus, iiſque puriſſimis, utpotè quæ ab animâ potiore hominis parte, ad corpus ipſum, quod infima, luteáque portio, dimanare ſolent. Uti & tum ab animâ Chriſti in corpus ipſum effluxerunt.

Quod ipſum olim D. Bernardus inculcatum eſſe voluit Fratribus de monte Dei, ad quos ita ſcribit: *Si ſpiritu ambulamus, non ideò amittimus delectationes; ſed traducimus à corpore ad animam, ab exterioribus ſenſibus ad interna:* à quibus peti debet ſolida, pura, ac defœcata voluptas.

Teſtes volo non Sanctos tantùm (à quibus homini, cui caro, & venter Deus eſt, non erit tanta fides) ſed etiam Judæos, ac Gentiles.

Ex illis Philonem, ex his Senecam audi: ille in libro. *Quod deterius potiori inſidietur*, ita habet: *Quia in ſolis animi bonis genuinum, ac ſincerum gaudium reperitur, ideò in ſe quiſquam ſapiens gaudet; non iis quæ circa ipſum.* Pulchrè *in ſe*, hoc eſt, in animo, in conſcientiâ rectâ, in bonis virtutis, quæ intrinſecus ſunt; non autem in *iis quæ circa ipſum*, qualia ſunt fortunæ bona, & omnia mundi oblectamenta, quæ extrinſecus & circa ipſum ſunt.

Philoni conſentit Seneca, qui hæc ad Lucilium: Epiſt. 23.
Nolo, inquit, *tibi umquam deeſſe lætitiam, ſed volo illam tibi domi naſci.* Quomodo autem naſcatur domi, ita oſtendit, urgétque.

Ad verum bonum ſpecta, & de tuo gaude. Quid eſt autem hoc? de teipſo, & tui optimâ parte, hoc eſt, ex bonâ conſcientiâ, ex honeſtis conſiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, & continuo tenore unam (ſcilicet virtutis) *prementis viam.*

Ecce unde domi naſcitur lætitia, eáque ex vero unica; quia quæ deforis accedit umbra tantùm eſt lætitiæ, & inane quoddam illius ſimulacrum. Cujus olim conſcius Seneca, & à natura probè doctus Lucilium ſuum ita monere ſolitus.

Hoc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remiſſurus, ut contentus ſis temetipſo, Epiſt. 20.
& ex te naſcentibus bonis; quæ quanta ſint vel hac unâ interrogatione ſatis aperit. Quæ poteſt eſſe fœlicitas Deo propior? Verè nulla, quia ut Deus à ſemetipſo bonus, ita & fœlix, ac beatus; ad eam Deo proximè accedet homo, qui ſemetipſo, & ex ſe naſcentibus bonis contentus erit; contra quod faciunt plerique mortales, non abſimiles bruto animali, de quo Plinius:

Animal, inquit, *eſt perpetuò ſitiens ex naturali loco Afri-* Lib 10. c. 73.
cæ, ubi eſt perpetua aquarum carentia; & tamen ipſe ad remedium ſitientium prodeſt mortuus; quia in ejus corpore inveniuntur veſicæ plenæ aquæ ſaluberrimæ, quibus latrunculi Getuli contra ſitim utuntur.

Huic, inquam, animali plerique inter homines ſimiles ſunt; perpetuò nimirum ſitientes, nec ullam liquidi gaudii partem percipientes; quia non à ſe, ſed extra ſe aquas, & ſolatia petunt ad ſedendam animæ

fatiſcentis

fatiſcentis ſitim; miſeri ſanè qui deforis emendicant, quod intus ab animo, à virtute haurire poſſunt. *Miſeri*, inquam, *qui* (ut aliâ metaphorâ explicat B. Laurentius Juſtinianus) *in lubrico fœlicitatis humanæ pedem figere molientes, deſideriorum ſuorum finem quærunt, nec inveniunt.* Miſeri rurſum, qui non in ſe, non in Domino gaudent, ut gaudere voluit Apoſtolus: cujus hoc oraculum:

Gaudete in Domino ſemper, non in ſæculo, inquit Anſelmus; *ſed in Domino: id eſt, non in iniquitate, ſed in veritate; non in flore vanitatis, ſed in ſpe æternitatis*, in quâ & gaviſi Diſcipuli in glorioſâ Chriſti Transfiguratione. *Ad Philip. c. 4.*

QUÆSTIO QUARTA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Apparuerunt illis Moyſes & Elias.* V: 3.

AN VERE APPARVERINT, VNDE, Et cur illi præ cæteris?

Utrum animæ verè appareant? VIDEO primam quæſtionem revocari poſſe ad hanc theſim. An ſpiritus verè appareant; an tantùm oculis illudant, aut phantaſiæ. Epicurei, aliique hæretici antiquiores, quibus anima fuit pro ſale, negabant apparere mortalium animas, ubi ſemel vitam exuiſſent. Et hoc quidem ex illo principio, quòd ut brutorum animantium, ita & hominum animæ mortales eſſent. Hinc olim Ethnici Chriſtianis reſurrectionem mortuorum aſſerentibus objicere petulans illud: *Aniles fabulas aſtruunt, renaſci ſe ferunt poſt mortem, & cineres, & favillas. Immortalitatem poſthumam ſomniant.* *Minut. in Octav.*

Negant Hæretici. Hæc illi quondam, quæ etiam modò noſtræ ætatis athei, quos hîc non refello, quia eorum error in aperto eſt.

Alii hæretici, ut olim Vigilantius, & ſuperiore ſæculo Calvinus, etſi immortales hominum animas admittere videantur; negant tamen aliquando redire in auras & mortalium aſpectum.

Contra quorum errorem, infandámque hæreſim hæc aſtruo.

Aſſerunt Catholici. Primùm animas, ubi corpus poſuerunt, in mundum hunc aſpectabilem redire non poſſe vi propria, ſive jam in cœlo ſint donatæ beatitate, ſive ad inferos damnatæ, ſive etiam in flammis expiatoriis.

Ratio eſt, quia illæ jam ſunt in termino, (ut loquuntur Theologi) hæ autem in carcere; è quo excedere non poſſunt, niſi Deus annuerit.

Hinc olim Abraham epuloni petenti ut Lazarum è ſuo ſinu demitteret in infernum, reſpondit id enimverò fieri non poſſe, quia, inquiebat, *inter nos & vos magnum chaos firmatum eſt; ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.* *Luc. c. 16. v. 26.* Et hoc quidem longè veriſſimum ſi naturæ vim ſpectes; at ſi ſuperiorem aliquam, ac divinam, eâ devotatæ hominum mentes, vel à cœlo delabi, vel emergere ex inferno, vel exire de purgatoriu poſſunt, & nobis ſeſe ſiſtere. Quod adverſus Vigilantium acriter pugnans Hieronymus, luculentè probat; ſic enim contra illum:

Tu Deo legem impones, ne ſolutas carne mentes, & corpori reddat, & nobis.

Tu Apoſtolis vincula injicies, ut uſque ad diem judicii cuſtodia teneantur? Dæmones toto vagantur Orbe, & Martyres poſt effuſionem ſanguinis arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt? Poteruot certè, poterunt ſi modò Numini placuerit. Et hoc apud Catholicos extra litem eſt, & Scripturæ fide teſtatum.

1. Reg. c. 28. Ita quondam Samuelis anima Sauli ſe viſendam dedit evocata non Pythoniſſæ carmine, ſed Dei nutu, ac voluntate.

Ita lapſis deinde ſæculis animæ Oniæ magni Pontificis, & Jeremiæ Prophetæ, Judæ Machabæo, Viro fortiſſimo apparuerunt: ut ei fidentes animos fa- *2 Mach. c. 15.* cerent, & dextram etiam ferro in hoſtes armarent. Extendit enim *Ieremias dexteram, & dedit Iudæ gladium aureum.* Dicens: *Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei Iſraël.* *v. 15. 16.*

Moyſes. & Elias verè apparuerūt. Ita denique, ne vetera tantùm conſecter, Chriſto Servatori, ac Diſcipulis apparuerunt Moyſes, & Elias: ille pridem vita functus: hic autèm adhuc vivens, & ſpirans alium ab eo quem haurimus aërem. Quis ille? & ubi? alta nox; in qua ſi quid ab authoribus eſt lucis, eam accipe.

Elias è Paradiſo terreſtri, alióve loco, in montem Thabor adductus altiore vi, qualis eſt vel angelica, vel divina. *Unde?* Moyſis autem anima è Patrum lymbo rurſum in auras evocata, & aëreo corpori juncta, quo ſub aſpectum caderet, ut ſenſit Divus Thomas; *D. Thom. 3. Parti, Quæſt. 45. art. 3. ad 3.* vel ſi mavis vero corpori, quod eductum è ſepulchro, & animæ redditum, ut D. Hieronymo placuit: ex quo id conficies, tum temporis reſurrexiſſe Moyſem, ut illi ſcenæ ſerviret, ac deinde eâ exactâ mox mortuum ſine ullo tamen doloris ſenſu. Alterum quod in præſentiâ eſt ſtatuendum: Si quæratur, cur præ cæteris, quos olim terra tulit, & cœlum amavit, Moyſes, & Elias huic ſcenæ ſerviant? *Sed cur illi?* cur noo potiùs Abraham à fide nominatus? cur non Iſâac illuſtris obedientiæ victima? cur non David vir olim ſecundùm cor Dei? cur non alius è Patriarcharum, aut Prophetarum albo?

Si, inquam, quæratur illud, rationum inſtar omnium eſſe poſſe, ac debere divinam voluntatem; quia tamen ut ait D. Cyprianus: *Apud ſummam rationem, nihil expers rationis eſſe poteſt*, ideò cum Interpretibus illius cauſas inquiremus. *Epiſt. 63.*

Prima. Ut tam Moyſes, quàm Elias de Chriſto teſtimonium redderent, & tam lex, quam Prophetæ de eo magnificè loquerentur. *I. Ratio.*

Secunda. Ne diſcipuli Chriſtum ut Prophetam haberent, ſed alium ab iis, eúmque longè ſuperiorem. II.

Tertia. Quia ita factum oportuit, & jure quidem meritiſſimo; ut Moyſes, & Elias, qui olim à jejunio quaſi cœleſtes angelicique redditi ſunt, & ipſi cœleſtibus Conciliis intereſſent, & venirent in communionem aliquam illius gloriæ, quâ corpus ſuum ipſe donârat Chriſtus à ſolemni quadraginta dierum abſtinentiâ. Ita ſenſit olim D. Hieronymus: III.

Ob jejuniorum, inquit, *conſortia Dominus noſter Moyſem, & Eliam transfiguratus in monte ſecum oſtendit in gloria.* *L. 2. contra Iovin.*

Quarta denique, quia & Elias popularem auram averſatus, curru igneo hominum oculis ſubductus eſt: & Moyſes inglorio, ignotoque mortalibus ſepulchro donatus, etiam poſt fata gloriæ ſoliſque fugiens videri poterat: hinc obſcuros, ingloriosque cineres & vitæ, & luci reddidit Deus, ut inde noveris, apertam ad honores, gloriamque, viam hanc eſſe; ambire neſciri, & latere. Ut verè dixerit Venerabilis Balduinus: IV.

Digitized by Google

In Alleg. Tilmani. *Humilitas ſine honore ipſa ſufficit ad honorem; honor verò ſine humilitate ſe perducit ad confuſionem*: Hinc piè, ut aliàs ſolet, & melleè unumquemq; monet D. Bern. *Deſcende ut aſcendas, humiliare ut exalteris. Hæc enim* Serm. 2. de Aſcenſ. *eſt ad ſublimitatem via, & non eſt alia præter ipſam: qui aliter vadit, cadit potius quàm aſcendit.*

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Loquebantur cum illo, & dicebant exceſſum ejus.* Lucæ c. 9. verſ. 31.

QVIS ILLE DOMINI EXCESSVS? Et cur de eo Moyſes, & Elias cum Chriſto loquerentur?

Quis ille exceſſus? EUTHYMIUS in hunc locum opportunè notat Græca exemplaria, duas habere lectiones.

Una eſt ἔξοδον, hoc eſt, *exceſſum*, ſeu *exitum*. Altera eſt δόξαν, hoc eſt *gloriam*; & hæc, & ille morti Chriſti convenit quàm optimè.

Dicitur hæc *exceſſus*, exitúſque è vita mortali ad Mors Chriſti. immortalem, è cœno malorum, ac miſeriarum, in cœlum gloriæ, ac beatitatis; è ſinu crucis in ſinum Æterni Patris.

Dicitur etiam mors Chriſti gloria, quia nunquam ita ſe prodidit Chriſti divinitas, ſapientia, potentia, majeſtas, quàm cùm in crucem elatus expiravit; tum enim omnis creatura Deum hominem agnovit, & authorem ſuum mutâ voce teſtata eſt; aſtra quippe fugientia, cœlum atrâ nube tectum, marmora diſſilientia, patentes inferi, Judæi ſua pectora quatientes, verbo uno Orbis ipſe univerſus, Deo in cruce morienti ingemuit, unáque lumen Divinitatis, quod ſub humanitate velut ſub modio latuerat, produxit in oculos, aſpectúmque Univerſi; quod antè Filio ſuo promiſerat Æternus Pater: rogItanti enim (*Pater ſalvifica me ex hac horâ, propterea* Ioan. c. 12. v. 27. 28. *veni in hanc horam. Pater clarifica nomen tuum.*) Illicò de nube reſpondit: *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* At quà viâ? non aliâ ſanè quàm crucis, ac mortis, à quâ lumen omne gloriæ ac divinitatis ad homines emanavit, ad quos reſpexiſſe crediderim eos, qui inter Arabes olim fuerunt ſapientes.

Cenſuerunt illi figuram crucis omnium facilè principem eſſe, eámque ita ſuſpexerunt, ut ipſius cœli, ſiderúmque dominam, & omnium propè miraculorum effectricem pronuntiârint: ex quâ perſuaſione viſum apud illos emblema nobile; imago ſcilicet, ac ſimulacrum Solis, in cujus medio eminebat figura crucis, in quam velut in centrum deduci videbantur ſolares radii, & ab ea viciſſim multo fœnore repercuti in omnem omninò circumferentiam immenſi corporis, ut meritò dubitares plúſne à Sole crux ipſa luminis, quàm ipſe Sol à cruce accepiſſet. Hæc erat tabellæ ſpecies, cui appendi potuit hoc lemma:

Pſal. 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.*

Ita ex Sapientum opinione, imò & veritate Chri- Cur de illo exceſſu loquerentur? ſtus in cruce, ceu Sole, poſuit tabernaculum gloriæ, ac beatitatis. Sed hæc attigiſſe ſit ſatis. Venio ad alterum quod mihi propoſui; cur de illa cruce, exceſſúque loqueretur Moyſes, & Elias? Variæ produci poſſunt rationes.

I & II. Ratio Paſſionis Chriſti utilitas. Una quidem, ut diſcipulis (etiam ea quæ tum temporis dicebantur) audientibus, faceret animos opprobriis, ſuppliciis, ipſáque morte majores.

Altera, quia, ut inquit D. Gregorius *per calicem* Hom. 23 in Evang. *pervenitur ad majeſtatem*: & per paſſionem, mortemque Servatoris tam ipſis, quàm cæteris mortalibus facilis aperiebatur ad cœlum via.

Sed & alia ad mortalium mores traduci ratio po- III. Mortis memoria etiam in luce gloriæ. teſt, taciteque unumquemque monere etiam in ſummâ gloriâ, ac fœlicitate opportunam, imò & neceſſariam mortis memoriam; ad quam Eugenium Pontificem maximum revocandum perpetuò putavit D. Bernardus. Ita enim ad illum:

Epiſt. 237. *Iugi meditatione inter hujus tranſeuntis gloriæ blandimenta, memorare noviſſima tua; quia quibus ſucceſſiſti in ſedem, ipſos ſine dubio ſequeris ad mortem.*

Hæc Eugenio Bernardus, quem in Petri cathedrâ thronóque ita ſedere voluit, ut quandoque & ſæpiùs ſederet in cinere; in quo mente ac cogitatione ſedit deinde Innocentius IX. Pontifex Maximus, de quo hæc ad fœlicem tanti Pontificis recordationem, & poſterorum exemplum referri ſolent. Viſebatur in ejus ſecreto conclavi expreſſa imago quædam, & ſimulacrum mortis ad quod ſe ipſe quotidie ſiſtere pius Pontifex, ibíque excutere animi ſenſa, cogitationes, conſilia, decreta, & de rebus omnibus deliberare, in oculis ſcilicet, ac conſpectu mortis, à qua ſine dubio ita in ſummo felicitatis culmine temperatur animus, ut ſui memor ac cineris extollatur numquam, Curopal. p. 101. numquam evaneſcat: Cujus veritatis non inſcii Imperatores Orientis in regio ornamento, ſiniſtrâ textile ferebant aureum, ſimile codici, quod appellabant ἀκακίαν: hoc eſt, innocentiam, ſeu criminum vacuitatem.

In eo verò textili incluſus erat, aggeſtúſque pulvis, ſymbolum funeris, hieroglyphicum mortalitatis, cujus etiam in purpuræ luce, gloriáque memi- IV. Paſſionis recordatio. niſſe Imperatores oportebat. Sed longiùs abeo, venio ad poſtremam, & potiſſimam rationem. Ea exemplo erit, ac documento; quod ſcilicet nihil vel ipſi Chriſto gratius, vel magnis mentibus utilius eſſe poſſit memoriâ Dominicæ paſſionis, in quâ unâ tota eſt Chriſtiani hominis philoſophia, veráque ſapientia.

Ibant olim è diſcipulis duo in caſtellum Emaus, & quia adhuc in oculis erat erecta magiſtro crux, effuſus ſanguis, & vita per extremos cruciatus extorta; hinc de eâ ſecum ipſi agere, ſecum loqui, & longam cruentæ tragœdiæ ſeriem non ſine ingenti animi ſenſu retexere.

Placuit Servatori quàm optimo ea mens, ea paſſionis memoria, & fuſi de illâ ſermones: hinc ſeſe iis de viâ quaſi comitem adjungit, amátque etiam ex ipſis audire quid de ſentiant, & loquantur. Hinc illa quæſtio: *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem?* Retexunt illi, ponúntque etiam ſub oculos imaginem diræ paſſionis: *De IESV Nazareno*, inquiunt, Luc. c. 24. v. 19. *qui fuit vir Propheta, potens opere, & ſermone, & quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, & Principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.*

Antequam ſe viæ ſocium daret, non erat inſcius Quàm grata Chriſto. eorum, quæ diſcipuli animo, & ore volvebant; ea quippe jam abſens perviderat pro divinâ, quâ erat intelligendi vi, atque perſpicaciâ; amabat tamen ea iterum, iterúmque repeti. Qui Filio de memoriâ

paſſionis

Digitized by Google

paſſionis ſuæ ſenſus fuit, is fuit & Matri, quod raro exemplo fit illuſtrius.

Pomerium l. 3. de B. Virg.

B. Joannem Evangeliſtam ardens olim inceſſit cupido videndi Virginem poſteaquam in cœlos erat evecta. Igitur à ſe abreptus vidit cum Filio Matrem, & audiit eam de illius tormentis in cruce toleratis, atque de ingenti ſuâ erga eum commiſeratione æquè diſſerentem, atque ſi in Calvariæ vertice etiam tum ſtetiſſet. Filio inde ſupplicavit, ut cœleſte quoddam munus, idque non vulgare omnibus impertiret, qui piè harum rerum meminiſſent: Filius illicò hæc quatuor dona ſpopondit.

Primum erat, ut quiſquis Virginem per dolores antè adductos precaretur, is antequam è vitâ diſcederet, verum de præteritis culpis dolorem cœlitùs impetraret.

Quatuor privilegia ab eo conceſſa.

Alterum fore, ut ſuo ipſius præſidio præſertim imminente morte muniretur. Deinde verò ſe illius, quiſquis eſſet, cordi ſua ſupplicia inſcripturum, ideóque mercedem olim munificam præſtiturum. Denique ſe Matri omne jus, facultatémque concedere pro tali aliquo quidlibet impetrandi.

Ecce ut non in viâ tantùm, ſed & in patriâ; ut non mortalibus ſolùm, ſed etiam immortalibus, ipſique Dei filio, ejúſque Sanctiſſimæ Matri volupe eſt de amariſſima ejus paſſione & cogitare, & loqui.

Varia utilitas.

Neque verò id mirum, cùm ab eâ etiam iſtic Superis parta gloria, & hîc mortalibus jacta fundamenta altioris Philoſophiæ, veræque ſapientiæ; quod & agnoverunt è Chaldæis ſapientes, & ab illis Indi, qui Meliaporæ degunt, vulgóque dicuntur Chriſtiani S. Thomæ, apud quos una vox Chaldæa *Maſchal*, & crucem, & ſapientiam ſignificat, quia probè edocti Apoſtoli, tumentes illos, elatique ſupercilii Philoſophos & ſibi, & Eccleſiæ ſubjecerunt, ut proinde rectè dixerit D. Ambroſius: *Scientia Piſcatorum ſtultam fecit ſapientiam Philoſophorum.*

I. Sapientia ſacra.

Prophana illa Philoſophorum ſapientia in ſpecie multa pollicebatur, in re autem ipſa pauca ſuis aſſeclis tribuebat.

II. Apatheia.

In Stoicorum ſcholâ celebris erat ea quam dicebant *Apatheia*. Bonum omninò nomen, res verò ipſa melior: nomen inane ſuis conferebat ſchola, rem autem minimè. Ubi enim in Lycæo de dolore diſputabant illi Sophi, invicti videbantur; diceres animæ, & ſenſus omnis expertes: at non ita ubi cum morbis, cum podagra, chiragra, calculo, alióve dolore cominus erat pugnandum: tum enim molliculos dixiſſes, & fœminas potiùs, quàm viros; adeò faciles dolori dabant manus, & animos.

III. Patientia in adverſis.

At non ſic, qui in Chriſti ſcholâ benè doctus; ſtabit ille immotus ad omnes ſeu fortunæ, ſeu invidiæ incurſus; & ſi fractus illabatur Orbis, impavidum ferient ruinæ: non quod doloris ſenſum amiſerit (quod eſſet ſtuporis in corpore) ſed quod ſibi à Crucifixi præceptionibus, atque exemplis patientiam, & robur fecerit (quod eſt virtutis in animo.) Ubi enim incurſant mala, ubi corpus pulſant, & ad mentem ipſam appellunt, ea cum Chriſto patiente componit, ſibique in aurem immittit illud Sidonii Apollinaris:

Epiſt. 4. l. 9.

Pauca toleramus, ſi recordamur quid biberit ad patibulum, qui invitat ad regnum. Et hac unâ cogitatione, ceu clypeo ſe munit, & nominatam illam Antiquis *Apatheiam* longè meliùs aſſequitur.

Stotol. de amore Crucifixi in Præfat.

Teſtis mihi erit Juſtus Lipſius non minùs à doctis ingenii monumentis, quàm à vitæ, morúmque integritate celebris. Is morti jam proximus ab amico literato monitus, meminiſſet ſe Philoſophum eſſe, cúmque præſtaret in morte, quem in vitâ. Eo momento, quo è vivis abeundum, quo cum dolore, morbis, ipſáque morte luctandum, opus eſſe quàm maximè *Apatheia* illâ inter Stoicos celebratâ. Ad hæc Lipſius etſi proſtrato corpore, erecto tamen animo. *Apage*, inquit, *Philoſophiam iſtam*: tum converſus ad Chriſti è Cruce pendentis imaginem: *En*, inquit, *Philoſophia mea.* Mox ſuaviſſimè expiravit, & in cœlos, ut ſperamus, exceſſit, donandus eâ laureâ, quam in Chriſti ſchola ſibi in vivis pararat.

IV. In morte ſecuritas.

Et ſic etiam exceſſit P. MICHAEL ALFORDUS, è Societate noſtra. Hic quatriduo antequam de vita decederet, inviſenti ſe cuidam in hæc verba locutus.

Henricus Morus hiſt. Angl. Soc. IESV. l. 9.

Duo & viginti nunc ſunt anni, ex quo diebus ſingulis in unum ex ſacris Chriſti vulneribus irrepere ſoleo, ne igitur ex morbo minùs attentus, hanc conſuetudinem intermittam, revocet, oro, mihi in memoriam, quo die in quod vulnus ingrediendum ſit, hodie mihi pes ſiniſter ſedes eſt. Dies erat mercurii: quarto poſt die, quo habitandum illi erat in Chriſti ſacroſancto latere, quod hoc carmine celebrârat:

O Anima ingredere in centrum, pia viſcera Chriſti.
O ſacrum pectus da mihi amore mori.

piam efflavit animam Audomari, Arteſiæ urbe nobili, receptus (uti ſperandum eſt) in eo divino pectore, quod ſæpè pulſaverat, ut æternùm viveret in cœlis, qui etiam modò vivit, & ſpirat in terris in ea, quam ſcripſit Hiſtoria Anglo-Saxonica à primo fidei in illa Inſula exordio per duodecim ſæcula deducta; quam melioribus typis publico dedit Jo. Mathias Hovius, typographus Leodienſis.

Et hic (ut jam liquido oſtendi) in Chriſti ſchola benè doctus.

Vis alium in eadem palæſtrâ probè inſtructum, & à Crucifixo edoctum agere & pati fortia, quod Philoſophum, quod Chriſtianum decet quàm maximè.

Archangelus de Ronalto, in ejus vita.

Is erit è Petri Sede Pius V. Pontifex Maximus. Hic in illa negotiorum mole, quæ Cathedram illam propè obruit, Chriſtum de rebus agendis conſulere ſolitus, & horam unam ante Crucifixi ſimulacrum argenteum exigere; tum abſolutâ oratione ſummo animi affectu, corporiſque ſubmiſſione pedes exoſculari, oſculóque haurire cœleſtem ſapientiam, à qua Orbi univerſo redderet oracula. Die verò quadam dū idem agere aggreditur Crucifixus pedes retraxit.

V. In periculis ſalus.

Hic attonitus hærere, ſtupere, dolere, gemere pius Pontifex, & quaſi de negatâ gratiâ queri: deſiit tamen queri ac dolere, ubi reſciit in ſuam perniciem ſtatuæ pedes veneno infectos. Noluit nimirum Chriſtus, ut unde primos vitæ ſpiritus hauſerat, unde divinioris ſapientiæ fluenta in animum derivârat, inde fœdam in corpus luem, & lethale toxicum traheret.

Atque hæ ſunt rationes, cur bonis mentibus voluptati ſit de Chriſti exceſſu, ſeu paſſione, & meminiſſe, & loqui: ut olim Moyſes & Elias, non ſine amabili ſtupore locuti ſunt.

Moyſes quidem, quia tum vel maximè agnoſcere, ac mirari cœpit, quî veritas cum figurâ, quî ſerpens æneus à ſe quondam erectus ad populi medelam contra venenatos ſerpentis morſus conveniret cum Chriſto, qui in cruce ad Univerſi ſalutem erat offerendus.

Elias autem tum primùm aſpicere, amare, vereríque Judicem & ſuum, & totius Orbis, cui ipſe demùm in ultimâ illa ſcenâ aſſiſtere debebat; Judicem, inquam, qui à paſſione, morteque eam ſibi & in terris, & verò etiam in cœlis poteſtatem fecerat.

Ut ea, benevole Lector, tibi ſit ad ſalutem, non ad condemnationem, ſuadeo ut de illo exceſſu, de quo Moyſes & Elias, ſæpè loquaris ipſe, ſæpiuſque apud te mediteris; memor illius, quod ſcriptis reliquit Albertus Magnus:

Tract. de Miſſa.

Simplex recordatio, vel meditatio Paſſionis Chriſti, plus valet quàm ſi quis per annum jejunaret in pane, & aquâ qualibet ſextâ feriâ; vel diſciplinaret ſe qualibet hebdomadâ per annum uſque ad effuſionem ſanguinis, vel quotidie legeret unum Pſalterium.

QUÆSTIO SEXTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Bonum eſt nos hic eſſe.* verſ. 4.
VNDE IN PETRO AMABILIS ILLE STVPOR?

Ut gloriâ cœleſti rapiuntur Sancti.

SI quando Sol aſpectabilis Orbis oculus in nubem rariorem & diaphanam inciderit, eam ita penetrat, ac perfundit aureâ luce, ut propè Solem alterum credideris.

Quod nubi, hoc ſacro Chriſti corpori in Transfiguratione datum eſt: nimirum illi fuit beata anima pro Sole, cujus radiis, cœleſtique luce derepentè dum perfunditur & clareſcit, eâ mirè captus Petrus exclamat:

Domine bonum eſt nos hic eſſe. Pauca verba, ſed ſtuporis, ſed amoris plena, quæ ita fuſiùs explicat Divus Auguſtinus:

Soliloq. c. 22. D. Petrus.

Hanc dulcedinem ut guſtavit Petrus, omnium oblitus clamavit quaſi ebrius, dicens: bonum eſt nos hic eſſe, hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus; ſufficit nobis te videre: ſufficit tantâ dulcedine ſatiari. Vnam enim ſtillam dulcedinis ille guſtavit, & omnem aliam faſtidivit dulcedinem: quid facturus ſi torrentes hauſiſſet, & mana beatitatis?

Nimirum vel una ſtilla divinæ illius dulcedinis, vel tenuiſſimus appulſus radiorum illius æterni Solis, ita mentis humanæ oculum, ſenſúmque omnem ad ſe rapit, ut cæterorum ſubeat oblivio. Quid ſtillam dico, quid radium? Neque hic, neque illa ſenſui ut ſubjiciatur eſt neceſſe: plus ſatis eſt quod menti, ac cogitationi. Tuos æſtus teſtor, & ſtuporem amabilem Franciſce. Cùm eſſes aliquando in extaſi, exceſſúque præcelſæ orationis, de tua prædeſtinatione certior factus es, noménque tuum in cœleſtibus tabulis jam inde ab æternitate deſcriptum legiſti. Quid deinde? vix ab illo exceſſu tibi redditus eras, cùm exclamare cœpiſti: *Laudetur Dominus meus, ipſi glòria & honor ſine fine.*

D. Franciſcus. In ejus vita.

Ea porrò cogitatio, is impetus exultantis animi, & in ſeipſo geſtientis ſic octo dies integros tenuit, ut nec de ulla alia re loqui, imò nec cogitare poſſet; ac ne horas quidem canonicas decurrere. Adeò volupe tibi erat in una illa meditatione hærere, ac deliciari.

Magnæ ſcilicet, & mirum quantùm potentes ſunt gloriæ cœleſtis illecebræ, quas qui vel oculo, vel mente leviter uſurpârit, ad alia ſeſe abjicere nunquam poterit.

D. Paulus.

Ita Paulus raptus in Paradiſum & ſuaviſſimo Chriſti aſpectu, imò & per tranſennam (ut nonnullis placet) clarâ divinæ eſſentiæ viſione recreatus; ubi terris rèdditus, omnia arbitratus eſt ut ſtercora.

S. Ignatius. Biderm. l. gloria S. Ignatii. c. 4.

Ita S. Pater Ignatius, & ipſe quondam elatus ut divinam eſſentiam in ſeipſa videret, ad ſe terrâſque rediens, cœlúmque, ad quod abreptus animo, iterum iterúmque reſpectans, exclamare ſolitus:

Quàm mihi ſordet terra, cùm cœlum aſpicio: quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram: quid inquam mihi in cœlo eſt, niſi tu ſolus, ô Deus: quid mihi eſt in terra, niſi fumus, umbra, vanitas: quid enim aliud ex vero in terra ſit? *Cùm* in hac via mortali *tranſieris*, inquit Auguſtinus, *attende poſt te; poſt te enim fumus, ſi ante te Deus.*

Conci. 3. in Pſ. 26.

Ratio illius.

Rectè, *ſi ante te Deus*; ſi enim ut pleriſque mortalibus poſt te Deus, & ante te creatura: hæc ut puſilla ſit, magna tibi videbitur, & oculis affectuíque illudet quàm peſſimè: at ſi ante te Deus, & poſt te creatura; hæc apparebit ut fumus, umbra, vanitas: Deus autem ſolus ut veritas, ſolus ut bonum, à quo omne bonum, & ſine quo nihil eſt bonum: ſed proh dolor! multis evenit ut illud bonum non videant, quia neſcio quo faſcino tenentur eorum oculi. Multi, inquam, eo vitio laborant in animo, quo olim bonus Tobias in corpore. Huic *dormienti ex nido hirundinum inciderunt calida ſtercora ſuper oculos, & factus eſt cæcus.*

Contrà mundani terrenis capiuntur. Tob. c. 2. v. 11.

Ita pleriſque mortalibus accidit: Dum in hujus vitæ via indormiſcunt voluptatibus ebrii, & malè ſopiti; res mundi, honores, divitiæ, ceu ſtercora inciduſt in oculum mentis, & ipſi illicò cæcutiunt, nec altiora ſe ſpectant, nec cœleſtia contemplantur; imò res illas brevi perituras ita ſtultè depereunt, ut amentes exclament: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Ita Baccho, & Venere malè captus homo, dicit *bonum eſt nos hic eſſe:* alius honoris amans & vanæ gloriæ, etiam ait: *Bonum eſt nos hic eſſe:* divitiis alter & auro cumulando improbè deditus, etiam inquit, *bonum eſt nos hic eſſe*, verè autem non eſt bonum. Sed quid facias? cæcus eſt, & ab hyrundinis, hoc eſt rei leviſſimæ ſtercore oculis orbatus. Quod malum ita deplorat D. Gregorius:

Ratio hujus.

Ecce mundus in ſeipſo aruit, & adhuc in cordibus noſtris floret. Vbique mors, ubique luctus, ubique deſolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; & tamen cæcâ mente carnalis concupiſcentiæ ipſas ejus amaritudines amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus.

Hom. 28. in Evang.

Cæcâ, inquit, *mente*, & benè; quia niſi cæca eſſet, falſa illa bona, & vera mala non amaret. Ne porrò amare pergat, illi remedium idem adhibe quod Tobiæ olim Angelus Raphaël, qui Dei medicinam ſignificat. Curavit ille ut Junior Tobias ſenioris oculos illiniret felle piſcis: paruit hic, & ex oculis parentis excidit albugo, quaſi membrana ovi, & viſum recepit.

Tob. c. 11. v. 14. Remedium

Quis ille piſcis quæris; quódve ei nomen? *Vranoſcopus*, hoc eſt *ſpectator cœli*; ſic dictus, quia inter omnes piſces ſolus ille ingentem habet oculum, qui aquis minimè merſus, ſed ſemper eminens ac ſuperior, cœlum ſpectat, & contemplatur. Hâc utere medicinâ, quiſquis oculo mentis orbus es, & illine felle, hoc eſt memoria paſſionis amariſſimæ Servatoris tui; vide quid pro te Deus homo; tum deinde cœlos ſuſpice, & illicò, omnis albugo & ſquamma rerum humanarum, quæ per oculum intelligentiæ ſparſa lumen aſpectus ademerat, excidet. Vadem habeo eundem D. Gregorium.

Qui cœleſtis, inquit, *vitæ dulcedinem perfectè cognoverit, ea quæ in terris amaverat libenter relinquit; in comparatione ejus vileſcunt omnia, deſerit habita, congregata diſpergit; deforme conſpicitur quidquid de terrena rei placebat ſpecie.* Rationem autem hanc ſubjicit: *Quia ſola pretioſa margaritæ claritas refulget in mente.*

Hom. 11. in Evang.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, & Moysi unum, & Eliæ unum. Non enim ſciebat quid diceret.* v. 5.

IN QUO TUM FUERIT PETRI ERROR, Et in quo nunc ſit mortalium?

Errat hic Petrus.

CŒLESTIS ille ſplendor, & portio quædam divinæ, ſempiternæque lucis, adeò Petri oculos, animúmque rapuerat, ut & ſui, & cæterorum oblitus exclamaret illicò: ſiſtamus hîc Domine, figamúſque tabernacula: nimirum, ut diſertè D. Auguſtinus:

Petrus *tædium patiebatur à turbâ, invenerat ſolitudinem montis, ibi habebat Chriſtum panem mentis. Ut quid inde diſcederet ad labores & dolores, habens in Deum ſanctos amores, & ideò bonos mores: benè ſibi volebat eſſe.* Et tamen ab Evangeliſta, Deíque ipſius calculo erroris arguitur, atque inſcitiæ. Sed in quo hæc inquis?

I. Quia palmam petit ante pugnam.

Primùm in eo, quòd ante pugnam aſpiraret ad palmam, ante noctem patientiæ & tribulationis, diem affectaret, lucemque beatitatis contra Juſtitiæ, imò & ipſius naturæ leges, atque immutabilia Superûm placita.

Serm. de Transfig.

Tempora patiendi non prævenit fœlicitas regnandi, inquit S. Leo: *tempora* dico *patiendi*, quæ quidem *dura ſunt, & auſtera*, ut fatetur Salvianus: *Sed quid facias? non licet rerum mutare naturas: niſi duris non itur ad regnum.* *Vicibus ſuis diſpoſita rès eſt*, inquit doctò calamo Tertullianus; *nunc illi lætantur, nos conflictamur*; nos, ait, qui & nomine & re etiam ipſa Chriſtiani ſumus, adeóque memores illius viciſſitudinis, quam nobis & natura, & divina lex præſcripſit.

Lib. 4. ad Eccleſ.

L. 3. de ſpec. c. 28.

Eam Tertullianus ut ſolet magnificè deducit è duobus. Primum è viciſſitudine noctis, ac diei. Deinde ex ipſis arboribus, ac plantis; à quibus conficit idem nobis uſu venire, quod illis.

Dies, inquit, *moritur in noctem, & uſquequaque ſepelitur; funeſtatur mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur; ſordent, ſilent, ſtupent cuncta. Ubique juſtitium eſt, quies rerum. Ita lux amiſſa lugetur. Et tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum Sole eadem, & integra, & tota Orbi univerſo reviviſcit, interficiens mortem ſuam noctem; reſcindens ſepulturam ſuam tenebras, hæres ſibimet exiſtens.*

Ubi argumentum duxit ab occaſu, & ortu Solis hujus, tum idem concludit à plantis, & arboribus.

Lib. de Reſurr. carnis c. 12.

Etiam terra, inquit, *de cœlo diſciplina eſt, arbores veſtire poſt ſolia, flores denuò colorare, herbas rurſus imponere, exhibere eadem quæ abſumpta ſint ſemina; nec priùs exhibere quàm abſumpta.* Quem naturæ modum, ac ordinem dum ſtupet, addit: *mira ratio de fraudatrice ſervatrix, ut reddat, intercipit; ut cuſtodiat, perdit; ut integret, vitiat; ut etiam ampliet, priùs decoquit. Revera fœnore interitu, & injuriâ uſurâ, & lucro damno ſemel dixerim univerſa conditio recidiva eſt.*

Quod ſi Univerſa conditio recidiva, neceſſe profectò eſt, ut ea quoque ſit hominis, adeóque ut priùs hic patiatur, & occidat, quàm reſurgat, ac triumphet cœleſti donatus luce ac beatitate. Et quia hunc ordinem in ſua illa petitione, *Bonum eſt nos hîc eſſe*, non eſt viſus ſervaſſe Petrus, hinc de illo ait Sacer Hiſtoriographus, *Non ſciebat quid diceret.*

II. Quia in cœlo, non in terris hærendum.

Alterum, & quidem affine primo, in quo etiam neſcivit quid diceret, fuit iſtud quod addidit, *Faciamus hîc tria tabernacula.* Optat in eo monte ſibi figere tabernacula, & tamen ut rectè notat S. Iſidorus:

Sanctis in hoc mundo tabernaculum non eſt, quibus ſcilicet patria, & domus in cœlo eſt. Unde meritò ejus inſcitia hoc loco arguitur, uti & eorum omnium, qui ſibi in hoc mundo ſtatuere amant tabernacula, ut olim Megarenſes, quos acriter reprehendit Tertullianus, & D. Hieronymus, dum in eos jure meritiſſimo jactat illud:

Lib. 3 ſent.

Ædificant tanquam ſemper victuri, & vivunt tanquam cras morituri.

Inſanas ædium moles, atque ſubſtructiones terris erigunt; & cœlo inſultare, ac minari videntur improbè, quaſi in annos Neſtoreos, & ſæcula vitam ducturi; cùm tamen (quæ etiam alia inſania eſt) Epicureorum more ita bibant, edant, epulentur, tanquam cras morituri. Helluones profectò, & abdomini nati, & in diem à Baccho & Venere vivere malè docti.

III. Quia tranſitoria erat ea gloria quâ petebat.

Tertium, in quo Petri fuit amabilis error, is fuit, quòd ea gloria, ea lucis amœnitas ad horam tantùm eſſet duratura, nec amplius; & tamen ut eâ frueretur, tabernacula erigere parabat. Is error veniâ dignus; quia hoc ipſum, ut veroſimile eſt, ignorabat Petrus captus illecebrâ objectæ de cœlo voluptatis.

Major profectò mortalium hoc ævo error eſt, atque inſania: de caducis illi; quaſi de æternis judicant, & in iis pedem, hoc eſt, affectum ſuum ponunt, cùm tamen illis nihil fugacius ſit, ac brevius.

Humana omnia, & carnalia nondum rectè advenerunt, & avolarunt, inquit aureo ore Chryſoſtomus.

Hom. 1. in Gen.

Et nulla res longa mortalium eſt, omniſq; fœlicitas hujus ſæculi dum tenetur, amittitur, ut olim grandiore ſono pronuntiavit Hieronymus. Et licèt, ut ſcitè notavit D. Gregorius:

Gaudia hujus ſæculi tanquam manentia blandiantur, tamen *amatores ſuos citò tranſeundo decipiunt.* Et quia ita decipi etiam volupe eſt, hinc gravis error, & miſerabilis inſania, cui D. Auguſtinus æternum væ ſic intentat: ut priùs tamen eam ſuo calculo damnet.

In cap. 38. Ezechiel.

Lætitia hujus ſæculi vanitas eſt, cùm magna expectatione ſperatur ut veniat, & non poteſt teneri cùm venerit. Iſte dies qui lætus eſt, cras utique non erit. Tranſeunt omnia, evolant omnia: væ qui amant talia.

Et ea quæque eſt mūdi hujus.

Si illis væ dixit Auguſtinus qui amant tantùm; quid iis dixiſſet, qui etiam cogitationes ſuas, ſtudia, amoréſque in iis ſic figunt, ut refigant nunquam?

IV. Quia uni ſibi non aliis conſulebat.

Poſtremum, in quo præproperâ gloriæ cupiditate peccaſſe viſus Petrus, eſt quòd uni ſibi voluerit eſſe benè, quaſi aliorum memoria ex animo penitùs excidiſſet; quod eſt alienum ab officio boni Paſtoris, qui à quiete ad labores, à contemplatione ad actionem, ſubditorum cauſâ, deſcendere debet. Exemplo poterat eſſe ille ipſe, qui in oculis erat Moyſes, cujus eæ quondam ad Dominum voces:

Contra Paſtoris officium.

Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.

Exod. c. 32. v. 32.

Quæ verba dum apud ſe tacitus expendit D. Bernardus, exclamat:

 O verè

Serm. 12. in Cant.

O verè hominem unctum unctione miſericordiæ, loquitur parentis affectu, quem nulla poſſit delectare fœlicitas, exortibus quos parturivit.

Nimirum quiſquis animos Paſtoris induit, unà etiam induit & matris, à qua ille ipſe D. Bernardus amoris ſimilitudinem petit.

Et Matris amores.

Dicat, inquit, *dives quiſpiam mulieri pauperculæ. Ingredere tu ad prandium, ſed quem geſtas infantulum relinque foris, quoniam plorat, & moleſtus eſt nobis; numquid faciet? numquid magis eliget jejunare, quàm expoſito pignore caro, ſola prandere cum divite? Ita nec Moyſi cedit ſolum ſe introduci in gaudium Domini ſui, foris remanente populo, cui licèt inquieto & ingrato, vice pariter, & affectione matris inhærebat.*

Et quia is quoque eſſe debuit affectus Petri, & erga ſibi creditas oves inclinatio: hinc uni ſibi gloriam dum depoſcit relicto deforis grege, incurrit illud: *Non ſciebat quid diceret*, quid optaret.

Et hinc velim exemplum ſumat quiſquis eſt Paſtor, itáque ſibi cupiat eſſe benè, ut interim ovibus non ſit malè, imò potiùs quàm optimè. Si enim ut ratione ſolâ duce de illo pronuntiavit Seneca:

Ad Polybium.

Omnium ſomnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio: ſic & omnium ſalutem, ac beatitatem illius unius caput, & periculum quodammodo defendere debet, ac tueri.

QUÆSTIO OCTAVA THEOLOGICA,

Ad illa verba: *Hic eſt Filius meus dilectus; in quo mihi complacui; ipſum audite.* verſ. 5.

AN CHRISTUS SOLUS CHRISTIANO SIT AUDIENDUS? An non etiam Eccleſia, ſupremique in eâ Paſtores?

IN hac quæſtione duo mihi agitanda propoſui; primùm quis ſit allatorum verborum ſenſus genuinus, & quis eorum finis, ac ſcopus. Alterum quàm inſulsè, ac perditè iis abutatur Calvinus, & ex illo noſtri temporis Hæretici.

Serm. de Bapt.

Senſus litteralis probatur.

Ad primum quod attinet. Angelus unus aliquis Æterni Patris vices agens hancè nube vocem extulit: *Hic eſt Filius meus dilectus. duo grata vocabula*, inquit B. Cyprianus, *Filius, & dilectus noſtris ſenſibus imprimuntur, ut communio nominum nos aſſociet collegio munerum, & tanta dulcedinis nomina noſtrum emolliant animum, accendantq́; devotionis affectum.*

Ad eas amoris voces adjecit alias, quæ ſubmiſſionem ſpirant, atque obedientiam: *Ipſum audite.* Non Moyſem, aut Eliam, qui jam ſcilicet ex monte, & ex diſcipulorum oculis abierant, cùm ea vox inſonuit: *Ipſum*, inquam, *audite*, hoc eſt, ejus inſtitutionibus, ac mandatis per omnia credite atque obedite.

Bis è nube audita vox illa: *Hic eſt Filius meus dilectus*; primùm cùm à Joanne Baptiſta àquis intinctus eſt Chriſtus, & digito monſtratus ut Meſſias & generis humani reparator. Deinde cùm in monte Thabor diſcipulis propoſitus veluti Doctor, ac Legiſlator: ubi etiam acceſſit præceptum illud: *Ipſum audite*, non Moyſem: hic enim (ut doctè notat Tertullianus) facta abrogatio legis veteris, & inſtitutio novæ. Et hanc commendare iſtorum verborum finis, ac ſcopus fuit; ex quo deſcendo ad ſecundam quæſtionem, paucisque oſtendo, nullum Calvino, nullum Hæreticis ab his verbis patrocinium peti poſſe; quod ut evincam, primùm producam impium Calvini dogma; tum illud ex ipſis Scripturæ verbis, certáque fide, ac ratione confutabo.

Inſtit. l. 4. c. 8. v. 7.

Non temerè, inquit Calvinus, *Filium ſingulari prærogativâ nobis Doctorem ordinavit: ipſum, non hominum quempiam, jubens audiri. Paucis quidem verbis ejus nobis magiſterium commendavit, cùm dixit: Ipſum audite; ſed quibus ineſt plus quiddam ponderis, ac energia, quàm vulgo exiſtimetur. Perinde enim eſt, ac ſi ab omnibus omnium doctrinis abductos huic uni nos ſiſteret, ab uno omnem ſalutis doctrinam petere juberet, ab uno pendere, in uno hærere, denique (quod verba ſonant) unius voci auſcultare. Et ſane quid jam ab homine aut expectari, aut expeti debeat, ubi Verbum ipſum vitæ familiariter ſe nobis, ac coràm explicavit? Quin omnium hominum ora clauſa eſſe convenit, poſtquam ſemel locutus eſt ille, in quo cœleſtis Pater omnes ſcientiæ, & ſapientiæ theſauros voluit eſſe abſconditos. Et ſic quidem locutus eſt, ut & Dei ſapientiam (quæ nullâ in parte biulca eſt) & Meſſiam (a quo omnium revelatio ſperabatur) decebat, hoc eſt, ut poſt ſe nihil aliis dicendum reliquerit. Eſto igitur hoc firmum axioma. Non aliud habendum eſſe Dei verbum, cui detur in Eccleſiâ locus, quàm quod lege primùm & Prophetis, deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur, nec alium eſſe ritè docendi in Eccleſiâ modum, niſi ex ejus verbi præſcripto, & normâ.*

Improbatur fictitius Calvini.

Hactenus Calvinus, qui ex propoſitione antecedente veriſſimâ falſiſſimam elicit concluſionem, malus omninò Logicus: quod ut pateat, rétexo quod ille malè & fusè texuit.

Ad diſcipulos de Filio loquens dixit Æternus Pater. *Ipſum audite*: quid inde infert Calvinus? Ergò, inquit, *non hominum quempiam.* Ergò *ab omnibus omnium doctrinis abducti huic uni vos ſiſtite, ab uno pendete, in uno hærete, denique unius voci auſcultate.*

Unde id ſequitur? quænam illa ratiocinatio? quæ concluſio? Ipſum audite; ergò neminem præter ipſum: Quis non videat eam concluſionem cum eo antecedente minimè eſſe cohærentem? quis non videat & falſam eſſe, & ab omni Logicæ regulâ, ac ratione alienam? & tamen & cohærentem, & veram eſſe contendit Calvinus, quem erroris facilè arguet vel unius diei Logicus, qui ex primis Philoſophiæ, imò & ipſius naturæ principiis luce clarius oſtendet, ex propoſitione particulari affirmante, non poſſe inferri concluſionem univerſalem negativam: quod ut pateat contra Calvinum, in ſimili oſtendo.

Cap. 18.

Dixit olim ipſe Chriſtus D. Matthæo teſte, Eccleſiam eſſe audiendam: ait enim: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*: an indè ſequitur: Eccleſia eſt audienda; ergo nemo præter Eccleſiam, ergo nec Chriſtus ipſe, nec Æternus Pater, nec Spiritus Sanctus? Quis non damnet, quis non irrideat eam concluſionem? Tamen in Calvini Logicâ nec damnanda, nec explodenda, ſed habenda erit pro legitimâ, utpote priori alteri conſimilis, atque cognata.

Sed & alias Calvini concluſiones examinemus.

Verbum ipſum vitæ, inquit, *familiariter ſe nobis, ac coràm explicavit*; ergo *omnium ora clauſa eſſe convenit*, ergo

Google

ergo & Apoſtolorum, ergo & Evangeliſtarum? Unde id conficit? Non conficit certè, nec verò etiam magis conficere poteſt, quàm illud alterum, quod antè excuſſi.

Sed addit Calvinus: *Sic Chriſtus locutus eſt, ut & Dei ſapientiam (quæ nullâ in parte hiulca eſt) & Meſſiam (à quo omnium revelatio ſperabatur) decebat. Hoc eſt*, ut ipſe quidem interpretatur, *ut poſt ſe nihil aliis dicendum reliquerit.*

Et hæc interpretatio falſa eſt vel ipſo Meſſia judice; è terris enim abiturus diſcipulis longè cariſſi-
Ioan. c. 16. v. 12. mis dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modò: cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

Multa igitur habuit Chriſtus dicere, quæ tamen non dixit ipſe, ſed Spiritui Sancto dicenda reliquit, quia ea tum excipere, & portare diſcipuli non pote-
Matth. 28. rant. Multa deinde dixêre Apoſtoli, quos Chriſtus emiſit *ad docendum omnes gentes*, neque tamen inde vel ex parte aliqua hiulca fuit Dei ſapientia, vel Eccleſiæ ſuæ minùs providus Meſſias, ad cujus ſapientiam, & amabilem providentiam ſpectavit, lapſu temporis multa aperire, quæ ſub initium naſcentis Eccleſiæ diſcipuli, fidelèſque portare non poterant. Et ſanè ita factum eſſe conſtat ex Actis Apoſtolorum, primóque eorum Concilio, in quo hoc emanavit decretum dignum cedro: *Viſum eſt Spiritui San-* *Act. c. 15.*
cto, & nobis

Eò loci ac temporis in quæſtionem venerat illud, deberéntne fideles circumcidi, & ſervare legem Moyſis. Viſum eſt eâ de re in Apoſtolorum Concilio deliberandum; ac tandem ſtatuendum illud: Nullo modo Chriſtianis antiquæ legis jugum imponi oportere: quod ut ſuum haberet pondus, ita controverſiam illam decidi placuit: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*: quæ verba ſi æquâ mente oculóque aſpexiſſet Calvinus, vidiſſet illicò & Spiritum Sanctum, & Apoſtolos, qui eo regebantur, adeò, que etiam eorum in Petri Sede ſucceſſores lapſu temporis multa decernere poſſe; ſive ea ſpectent ad fidei dogmata, ſive ad mores ritè efformandos: Ex quibus conficitur omninò non Chriſtum ſolùm eſſe audiendum, ſed & Eccleſiam, & in eâ ſupremos Paſtores, quorum nomini aſcriptum illud lemma ab ipſo Servatore: *Qui vos audit, me audit.* *Luc. c. 10.*

QUÆSTIO NONA
MORALIS.
Ad illa verba: *Ceciderunt in faciem ſuam.* verſ. 6.
QUOMODO IUSTI CADANT, QUOMODO IMPII?

Ubi derepentè inſonuit è nube vox illa: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipſum audite: ceciderunt diſcipuli in faciem ſuam*, ſeu reverentiâ Numinis, ſeu ſacratiore metu, ac horrore, quem in eorum animis elapſa de cœlo vox ingeneraverat.

Sed cur inquies, *ceciderunt in faciem ſuam?* Hîc vertitur cardo quæſtionis, in qua paucis aperiam
Impii cadũt retrorſum, quod probatur. quî cadat juſtus, quî etiam impius: magnum quippe hunc inter & illum diſcrimen eſt.

Impius enim cadit retrorſum, juſtus autem antrorſum: exempla è Scripturis ſacris accipe.

I. In Heli. In filios plus æquo indulgentior Heli Sacerdos, ubi captam arcam audiit, ſuſum Iſraëlem, cæſos in
1. Reg. c. 4. v. 18. prælio filios, *cecidit de ſellâ retrorſum, & fractis cervicibus mortuus eſt.* Ea pœna illi decreta juſto Dei judicio, ut qui filiorum ſcelera, nimiâ indulgentiâ, quaſi retrorſum & poſt ſe abjecerat ne venirent in oculos conſpectúmque, & ipſe retrorſum cadens ſibi cervices eliderer cæco quodam, & miſerabili caſu. Antichriſtus de quo Jacob fatidico ſpiritu,
Gen. 49. v. 17. velut *Ceraſtes in ſemitâ mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro.* Antichriſtus inquam dolis, & artibus quaſi Ceraſtes, & ſerpens aliquis, in hujus
II. In Antichriſto. vitæ ſemitâ incautos mortales mordebit, non ſecus ac equum in calcaneo ferit Ceraſtes: ſed quo fine, quâ mente? Certè malè ſanâ: *ut cadat aſcenſor ejus retrò;* Hoc eſt ut præceps, & cæcus ruat primùm in omne ſcelus; deinde in barathrum deſperationis æternæque damnationis; in quam incidunt ii, qui cadunt retrò & ſui, & Dei immemores. Sed caſum iſtum ſpectabit occidens Orbis; videamus & alterum, quem in impiis vidit enaſcens ac ſurgens Eccleſia.

Salvatori quàm optimo imminebat infœlix proditor Judas cum immani ganeonum manu, non tam armis, quàm animis ferociente, cui obvius ille, pro eo quo ardebat patiendi deſiderio æſtúque amoris, quæſivit verbulo: *Quem quæritis?* cúmque ſubjun- III. In Iuda, &
xiſſent illi: *Ieſum Nazarenum*, addidit ille: *Ego ſum.* Judæis.
Et ecce eâ vocula, quæ tamen amoris erat atque indulgentiæ plena, plena etiam majeſtatis, *abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Ecce ut cadunt ſcelerata, & inviſa ſuperis capita, tremendo ſanè judicio, & pœnâ formidabili, quam Vates regius pro ſuo in Deum zelo, iis malè apprecatur; qui depravatâ ſuâ voluntate à cœlo averſi videbantur: *Aver-* *Pſ. 94. v. 4.*
tantur, inquit, *retrorſum;* quaſi dicat: ô juſte ſcelorum vindex Deus, qui in veniam celer, & præceps; ad pœnam tardus, & propè plumbeus es: cùm à tuâ illâ tarditate atque indulgentiâ non reſipiſcant peccatores; immitte quod longè maximum eſt ſupplicii genus, ut ſcilicet *avertantur retrorſum*, & occidant. Hæc ſunt vota, quæ Davidi pius zelus expreſſit.

At non ſic, non ſic cadunt juſti, & cœlo quon- Juſti cadunt
dam aſcribendæ mentes; ſi quandoque cadunt illi, antrorſum.
cadunt in facies ſuas aut ſupplices & venerabundi. Ut olim Abraham ad Dei ſui voces: ut viginti quatuor ſeniores, quos in exceſſu mentis vidit Joannes cadere in facies ſuas ante thronum Agni, aut certè *Apoc. c. 5.*
metu quodam, ſanctóque horrore perculſi: ut hic *v. 18.*
diſcipuli, aut denique, ſi (quod humanæ imbecillitatis eſt) in peccatum aliquod cadant, ita cadunt ut mox reſurgant.

Et hinc elabor ad alteram quæſtionem, quid ſit Quid ſit ca-
juſtum in faciem ſuam cadere, quid impium retror- dere antror-
ſum? ſum?

In faciem cadere, inquit D. Gregorius, *eſt in hac* *L. 9. Moral.*
vita ſuas culpas agnoſcere, eaſq; pœnitendo deflere. Retrò *c. 10.*
verò, quo non videtur, cadere, eſt ex hac vitâ repentè decedere, & ad quæ ſupplicia ducatur, ignorare.

Quod ipſum expreſſit in Ezechielem his verbis:
Quid eſt quod electi in faciem, & reprobi retrorſùs ca- *Hom. 9.*
dunt, niſi quod omnis qui poſt ſe cadit, ibi procul dubio cadit, ubi non videt. Qui verò ante ſe ceciderit, ibi cadit, ubi videt.

Cadit

Cadit ergo (interprete D. Gregorio) juſtus in faciem ſuam, quia & culpam, in quam incidit, ſub oculos habet. & pœnam, quam incurrit, contemplatur; & ideò tam hanc, quàm illam reſurgendo declinat.

Quid retrorſum? Cadit autem impius retrorſum, quia etſi turpiter in ſcelus, & ſupplicium proruat; tamen neque hoc, neque illud attendit.

Juſtorum more modóque cecidit olim David, qui hæc de ſeipſo:

Pſal. 50. *Iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum coràm me eſt ſemper.* hoc eſt interprete D. Auguſtino:

In Pſal. 50. *Non poſui poſt dorſum meum quod feci. Peccatum meum ante me eſt; non poſt me.*

Fuit tamen, fuit olim tempus cùm David peccatum ſuum abjeciſſet poſt ſe: at ubi ad eum *miſſus eſt*

2. Reg. 12. *Propheta, & de ove pauperis ſimilitudinem propoſuit*, tum ante ſe poſuit ſuam iniquitatem, eámque agnovit. *Nimirum Propheta ad hoc miſſus abſtulit à dorſo peccatum, & ante oculos poſuit, ut videret illam ſententiam tam ſegram in ſe eſſe prolatam.*

Quod ipſum fecit Dominos Judæis, qui mulierem deprehenſam in adulterio ei offerebant lapidi-

Aug in Pſal 50. Joan. c. 8. v. 8. bus obruendam, quibus ille: *Non ait, occidite, non ait, dimittite; ſed ait: Qui ſe ſcit ſine peccato eſſe, primus in illam lapidem jaciat. Et inclinans ſe ſcribebat in terrâ:* eorum ſcilicet peccata, & malè actæ vitæ ſeriem, quam hactenus in dorſum rejecerant, ipſe ſub oculos ponebat. Et hinc ab illa pudore ſuffuſi ſeſe omnes ex aſtantium cœtu, Chriſtique conſpectu ſubduxerunt. Utinam etiam à ſceleribus ſuis, quibus hacteous indormierant. Sed pleriſque omnibus ſecus accidit, quia peccata ſua retrò ſemper

Retrò cadit. qui peccata retro habuit: non antè. retinent, retrò & cadunt; hoc eſt, ex hac vita repentè decedunt, & ad quæ ſupplicia poſt eam ducantur, ignorant.

Demus hujuſce caſus exemplum è multis unum. Mihi retulit Sacerdos Anglus, vir io paucis doctus, ac religioſus, adeóque fide dignus, in Provinciâ

I. Exemplum illius. Lancaſtrenſi, notum ſibi hominem, cujus nomini parcendum duxit, ut & familiæ parceret. Alebat hic domi pellicem, cujus amoribus adeò implicitus erat, ut vix expediri poſſe videretur. Ab amicis ille aliiſque ſæpius monitus, ut ſeſe expediret dæmone illo familiari atque domeſtico: non expediit tameo, nec vivos benè morientes audiit. Ad mortuos igitur ventum eſt; affuit enim opportunus monitor, anima ſcilicet pii parenis jam vitâ functi, qui in amœnâ noctis imagine, ſeſe filio ſpectandum præbuit; & hæc illi paucis pro paterno in eum affectu.

Redde te fili acceptis à Patre legibus, atque inſtitutis, redde conſcientiæ, redde Deo; & domeſticum illud malum, pellicem inquam è domo, ex oculis depelle. Hæc ubi dixit, abiit è conſpectu: at non abiit Adoleſcens à viis ſuis peſſimis, ſed iis magis ac magis viſus eſt inſtitiſſe. Igitur rurſum nocte aliâ ſopito affuit parens, & ad monita minas addidit, adjecitque futurum ut ipſa D. Martini die è vivis excederet, & daretur inferis, niſi vitam mutaret in melius. Non mutavit tamen, nec verba monentis audiit, nec minas aliquo loco habuit; imò petulanti joco jactare cœpit ea eſſe ſomnia papiſtica, & puerorum terriculamenta: adeò miſerabilis adoleſcens abierat retrorſum, & ſui & Dei oblitus, & imminentium pœnarum temerarius contemptor: Contemptorem appello, quia ut parentis optimi minas eludere videretur, & ſeipſe, ac ſuos fallere; ipſo D. Martini Epiſcopi feſto convivium apparari juſſit inſano ſumptu, & inter pocula, ebriáſque menſas explodere cœpit objecta ſibi in ſomnis ſpectra. Sed diſſimu ante cœlo hilaris, & multo vino madidus abiit D. Martini dies; imò & nox impuris amoribus data, ſolitæque Veneri. Ubi primùm illuceſcere viſa ſubſequens dies, & ſol ſurgere, è ſtrato ſurrexit ille; non ut à ſolutiore vitâ ad arctiorem ſurgeret, ſed ut in cœlum jactaret impias voces. Ecce jam ut in aperto ſunt ſomnia illa papiſtica, ut dies, ut nox, quæ mihi debuit eſſe decretoria, & fatalis, non ſolùm innoxia effluxit, ſed & hilaris, atque amœna inter delicias, amoréſque meos. Vix hæc dixerat, cùm in libidinem præceps & in pellicis amplexus ruit, & oſcula; quæ dum incautus carpit, derepentè ſolutis quaſi totius corporis nervorúmque compagibus, averſo capite mortuus concidit, & infelicem animam expuit (& quidem ut illi oſtento ſua fides eſſet, atque authoritas) ipſa die D. Martino Pontifici, & Martyri ſacrâ, quàm ante prævidere potuiſſet, ſi Calendarium tam ſedulò percurriſſet, quàm chartas luſorias: in eo enim legiſſet D. Martino Epiſcopo Turonenſi, ipſo dierum ordine ſupparem D. Martinum alterum, eúmque Pontificem ſimul & Martyrem, qui pedo graviore feriret, mactarétque Superis ac Deo rebelle caput; à quo velim poſteros omnes probè monitos, ut ſapere diſcant, & non temnere Divos.

Hoc exemplo etiam uſus ſum in Opuſculo altero, cui titulum feci *Flagella peccatoru*; putavi tamen & huic quoque inſerendum: quia fieri facilè poteſt, ut qui hunc Libellum habeat, careat altero.

Iſti affine eſt illud quod contra impœnitentes referre ſolebat Thomas Morus:

Impœnitens nequam, qui per totam vitam ſceleratè vivebat, jactare ſolebat ſe in ultimo articulo tribus tantùm ſore paucis verbis recitatis ſalvum fore. Hic tandem necdum adeò ſenex, equo pontem diffractum tranſiens, titubante equo, cùm illum erigere conaretur, nec poſſet, ſed neceſſario ſibi in aquas cadendum videret, laxatis habenis cadens exclamat: Capiat omnia Dæmon, atque ita cum tribus ſuis verbis immerſus periit. Hæc author in vita Thomæ Mori, cui pro coronide addo & alterum. L. 2. c. 5. de foro pœnit. II. Exemplum. Cap. 12.

Senex quidam Eremicola in Urbem fortè venerat, & cum ſportis, quas venales deferebat, tantiſper hæſerat ad ædes hominis prædivitis, ſed moribundi; cùm ecce (mirum viſu, dictúque!) citato curſu advolant Equites duo, truci vultu, ardentibus oculis, armatâ manu, non ferro, ſed ignito titione: ubi deſcendêre ex equis, primùm ædes, dein etiam ægrotantis cubiculum ſubeunt, & lectulo propiores facti minas intentant: vix incurrerant in jacentis oculos ea tartari monſtra, cùm ingens illi horror, gemitus, lamenta, & miſerabiles ejulatus, inter quos auditæ & iſtæ voces. O Deus, ô Deus adjuva me. Hic miſellum hominem irridere, atque explodere de triſti ſtyge emiſſi equites. Næ te, inquiebant, amentem, atque inſanum, qui Dei tui memor es in extremo vitæ limine, in ultimâ pereuntis ævi metâ, cujus tot annis immemor fuiſti: næ te perditum, qui ſub occaſum Solis hujus cœlum ſuſpicis atque imploras, nec priùs adhæſiſti cùm tibi toties ſurgeret amœna dies, dies ſana, dies ſalutis, de qua in præſentia conclamatum eſt; ibis enim infœlix, ibis in domum æternitatis, in tenebras ibis, profundámque ſtygem, & nimiùm dilatæ pœnitentiæ dabis pœnas. Fuit olim fatemur, fuit illi locus; at modò præcluſi aditus, & adempta ſpes omnis ſalutis, ac miſerationis. Vix hæc audierat æger, cùm nequicquam reluctantem exhalavit animam, & ut ita loquar, citatis equis ad inferos deſcendit, qui nimium tardo pede ad Superos per pœnitentiam redire contempſit. III. Exemplum. Dilatæ pœnitentiæ, pœna. L. de exemp. Vita ſpirit. n. 18.

Meliore ſorte S. Jacobus Eremita & ſibi & Deo per pœnitentiam redditus.

Juvat hìc illius hiſtoriæ ſeriem paulò fuſiùs attexere, ut liquidò pateat, quomodo etiam juſti turpiter ſubinde cadant, (quæ magna eſt eorum infirmitas) & quomodo etiam reſurgant (quæ Dei ter Opt. ter Max. eſt miſeratio.) S. Jacobi Eremitæ.

Cùm

Cùm caſtitatis eſſet amantior, illius ſervandæ cauſa ſe in ſpeluncam abdiderat, & annis omninò triginta in ea latuerat multis etiam miraculis clarus.

Quis non crederet talem, tantúmque virum extra periculi aleam eſſe, & mali dæmonis tela; non fuit tamen: ab hoc illi aliæ atque aliæ ſtructæ ſunt inſidiæ.

Primùm enim, neſcio cujus malevoli invidia, emiſſa in eum eſt procax meretricula, cui ut pudor venalis, ſic & anima. Hæc ſub primas tenebras ad boni Eremitæ ſpeluncam venit, admittique impenſè petit: negavit ille, perſtitit illa ad mediam noctem clamitans ejulansque miſerabiliter, addensque illud periculi plenum, ne ſe feris mox mox vorandam relinqueret.

Hic tangi ſe ſenſit aliquo commiſerationis ſenſu, admiſit in exteriorem ſpeluncæ partem, mox que periculum fugiens in interiorem ſe recepit, & oſtium apprimè clauſit.

Verùm interiora ſpeluncæ quà gemitibus, quà muliebribus lamentis penetravit impudens meretricula, fingens etiam ſe acutiſſimo cordis dolore tangi, cui medelam facere poſſet Vir Dei, ſi vel tantùm manu affectam corpuſculi partem tangeret, & cruce ſignaret. Bollandus in ejus vita 28. Jan.

Hîc diu ſecum diſputare, ſecum quærere multa cœpit Eremita noſter, ac tandem lamentis evictus, ac precibus importunis, ex interiore ſpelunca egredi, & primùm pauculis verbis ſolari, deinde admotâ etiam ad illius pectus dexterâ oleo inungere, ac fovere; denique & ſignare cruce.

Dum hoc officium, ut videbatur caritatis, obit dextra, ſiniſtra interim malè mulctatur; nam eam ad quatuor omninò horas in igne retinet, & eò uſque ſerpente flamma adurit, ut etiam ipſæ digitorum, articulorumque compages ſolverentur, & exciderent.

Ita nimirum ignem igne vincendum credidit Jacobus Eremita. Et certè tum temporis vicit; imò & mulieris impudentiam, quæ eo ſpectaculo victa, tota abiit in lacrymas pœnitentis animæ, & vitæ meliori eſt reſtituta: nam & baptiſmum ſuſcepit, & religionis habitum, in quo & piè & ſanctè diem ſuum obiit.

Ita victor abiit Eremita; victor meretriculæ, imò & ſui. Quis non putaret invictum? Non fuit tamen. Dum anima hoc corpore, ceu ſepulchro clauditur, in illo tuta nunquam conquieſcit; neque verò conquievit Jacobus, aliàs illi inſidias parante malo dæmone, quem cùm ex Virgine ejeciſſet, illius parentes operoſiùs inſtiterunt, ut ad duos ſaltem dies inibi apud illum liceret commorari, ne fortè ſi extemplò ad ſuos rediſſet, iterum in illam malus hoſpes involaret.

Annuit Eremita. Hîc tempus agi rem, hîc anſam tentationis invenire dæmon, hîc ignem admovere inſanæ libidinis, quo ſic exarſit, ut virginem oppreſſerit. Lapſus.

Et hoc primum facinus, & quidem, quod mireris, in extrema propè ſenectute: adeò nulla ætas à Venere tuta.

Acceſſit deinde & ſcelus alterum; neque enim facilè ſiſtit, qui in lubrico voluptatis pedem incautè poſuerit. Ne fortè proderetur infame ſtuprum & illius author, ſuaſit illi malus genius è medio tollendam eſſe virginem; ſuaſit, & verò etiam perſuaſit: itaque factum eſt, ut cujus pudori vim attulerat, afferret & vitæ: utque etiam tegeretur infanda cædes, exanime cadaver in flumen abjicere placuit.

Ecce ſcelera aliis atque aliis ſceleribus innexa, quibus dum quaſi furiis agitatur, ad veniæ ac ſalutis deſperationem propè adducitur.

Verùm, quæ cœli indulgentia fuit, dum vulnus, quod latebat, viro religioſo aperit, ſaniora primùm conſilia recipit; deinde dat ſe in viam ſpe plenus; in hac occurrit ſepulchrum profundum & horridum, in quod abjecta hominum cadavera, & oſſium aridorum multa congeries. Et pœnitentia.

Ratus hunc locum opportunum pœnitentiæ à ſe exigendæ, in eum deſcendit, & ſubmotis unam in partem oſſibus, aliam deſignat, & in ea ſibi etiam vivo ſepulchrum facit.

In eo delituit annos omninò decem, perennibus vigiliis, orationibus ac jejuniis corpuſculum affligens, bis tantùm per hebdomadam ſepulchri oſtium aperiens, ut pauca olera, quæ inibi ſuccreſcebant, colligeret, & iis famem edomaret.

Ecce longam & ſeveram Jacobi Eremitæ pœnitentiam: hanc imitare, qui fortè cum eo lapſus es.

****

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

RECTE cecinit olim Poëta:

Summa petit livor, perflant altiſſima venti. Ovid de Rem. Amor.

Imò quod ſtupeas ac deteſteris, etiam divina. Exemplo erit ipſe Chriſtus, Deus homo: qui dum è corporibus humanis, velut ex hoſpitiis, dæmonia ejicit, ſenſit à Iudæis ſe maledico dente peti; audiit enim illud: *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Immanis fuit ea calumnia illata bono nomini Salvatoris: quam modeſtè diluit.

Primùm ex eo, quòd dæmon in dæmonem pugnare non ſoleat: Deinde quod eorum filii, Apoſtoli videlicet, non mali dæmonis arte, atque vi; ſed in Dei unius digito, dæmonia pellerent, adeóque etiam ipſe, à quo ſcilicet ea poteſtas velut à fonte dimanarat: tum etiam liquidò oſtendit, ſe tartareis illis ſpiritibus longè ſuperiorem, cùm eos vel ſolo nutu, ac voce depellat, cogatque in tartara: denique ex-

plicat & illud, quod ad mores plurimùm facit, quàm periculoſa ſit in peccatum recidiva; & quomodo ab illa *noviſſima hominis* fiant *pejora prioribus*. Et iſta paucis hic annotaſſe ſuffecerit; plura ſuggerent infrà à nobis agitandæ quæſtiones, ſi modò prius

EX D. THOMA.

Luc. c. 11. IN illa verba: *Erat IESVS ejiciens dæmonium, & illud erat mutum*, tria notat S. Doctor:

Serm. 2. I. Eſt *ejiciendi frequentia*: 1. Enim ejecit de Cœlo, 2. de Paradiſo, 3. de animabus, 4. de corporibus.

II. Eſt *ejecti nequitia*, quæ patet, ex triplici malo, quod dæmon obſeſſo intulit: 1. Enim ipſum poſſedit, 2. Excæcavit, 3. Loquelam abſtulit.

Quod corpori, hoc & animo per peccatum facit: 1. Enim qui lethaliter peccat *a dæmonio poſſidetur*, 2. *Cæcus efficitur*: *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt*, inquiebat Sophonias. 3. *Mutus efficitur, & ad Deum laudandum, & ad confitendum peccata*: *Canes muti non valentes latrare*, exclamabat Iſaias.

III. Eſt *ejectionis utilitas*: 1. *Fuit liberatio à poſſeſſione dæmonis*, 2. *Viſus reſtitutio*, 3. *Loquelæ rèintegratio*:

Et hæc tria ſignificant etiam tria beneficia, quæ conſequitur anima in juſtificatione: 1. Enim *à poteſtate diaboli eripitur*: *Qui nos eripuit de poteſtate tenebrarum*, inquiebat Apoſtolus. 2. *Lumen gratiæ reſtituitur*: *Dominus enim illuminat cæcos*. 3. *Loquela redditur*, & ad Deum laudandum, & ad confitendum peccata: hoc beneficium dum ambit Propheta, ad Deum ſic clamat: *Libera me de ſanguinibus*, id eſt peccatis, *& exultabit lingua mea juſtitiam tuam*. *Pſal. 14.*

EX D. BONAVENTURA.

Domin. 3. Quadrag. Serm. 1. AD illa Sacri Hiſtorici verba: *Erat IESVS ejiciens dæmonium. Ejectio*, inquit, *diaboli quadruplex eſt*.

Prima de cœlo, diabolo ſcilicet *ſuperbiente*. De hac ita deinde Ezechielis voce: *Peccaſti, & ejeci te de monte Dei, & perdidi te, ô Cherubim*. *Cap. 28.*

Marc. c. 16. *Secunda de impio pœnitente*: Ita de Magdalena ejecit *ſeptem dæmonia*, id eſt ſeptem peccata capitalia, quibus ceu dæmonibus ſpiritualiter erat obſeſſa.

Matth. c. 8. *Tertia Chriſto præcipiente*: Ita ex duobus miſellis ejecit dæmones, quos deinde in porcos intrare permiſit: *Porci ſunt luxurioſi*, qui ut illi abeunt in mare, hoc eſt, in vitia omnia præcipites.

Quarta mundo credente; tum enim verum fuit illud *Ioan. c. 12.* Chriſti: *Princeps mundi hujus ejicietur foras, per mundi converſionem*. Hæc ubi ſic explicuit, tum ſubjicit illud oraculum Chriſti, de quo mali dæmonis artes, imò & vis major exprimitur: poſtquam enim cœlo propitio per pœnitentiam ab homine exierit ſpiritus nequam, ſæpè redit, & *aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*. ſunt hi interprete D. Bonaventura, *ſeptem peccata capitalia*, qui etiam ſeptem modis ejiciendi ſunt:

I. Eſt *Superbia*: hic ejicitur *verbo ſanctæ prædicationis*.

1. Reg. 18. II. *Invidia*: hic Saülem invaſit, qui non rectis oculis aſpiciebat David: Ejicitur ille *beneficio Dominicæ paſſionis*, ut olim citharâ ſpiritus malus à Saule: *Memoriâ* quippe *paſſionis caritas accenditur, invidia confunditur*.

III. *Ira*: hic expellitur *exemplo bonæ converſationis, patientiæ, & manſuetudinis*.

IV. *Avaritia*: hic de ſua ſtatione deturbatur *digito occultæ inſpirationis*, quo tangi debet mens avara, & concuti.

V. *Acedia*: hunc impugnat, expugnatque *ſtudium continuæ orationis*.

VI. *Gula*: & hunc vincit *inedia devotæ jejunationis*.

VII. *Luxuria*: & hunc ab anima, ceu malè uſurpato hoſpitio, expellit *fumus amaræ contritionis*; ſi enim *cordis particulam* (ut olim Tobias docente Angelo) *ſuper carbones infernales per recordationem ſuppoſueris, fumus ejus, id eſt contritio, extirpabit omne genus dæmoniorum*, maximè luxuriæ. Ubi iſta expoſuit S. Doctor, ad extremum delabitur ad illud Epiphonema, quod olim extulit pia mulier: audierat illa Chriſtum frequenti populo perorantem, & capta ſuavi divinaque illius eloquentia, ac vi dicendi exclamârat.

Beatus venter qui te portavit. Beatus omninò venter, qui Chriſtum portavit, beatior mens, quæ eum portat. Portat, inquam; ut enim *Maria in ventre, ſic nos in mente Chriſtum portemus*. Portemus, & hoc quidem quinque modis: *Luc. c. 11.* *Serm. 4.*

I. *In corde per dilectionem, libenter chariſſimi in utero cordis portemus, qui nos in utero ſuæ miſericordiæ ſemper portat, quouſque in lucem vitæ æternæ nos pariat. Portamini*, inquiebat Deus Iſraëli, *à meo utero*, id eſt, miſericordia. *Iſai. c. 46.*

II. *In brachio*, ut olim pius Simeon: *in brachio, hoc eſt, in opere*.

III. *In corpore, per caſtigationem, per pœnitentiam, carnis mortificationem, & ſenſuum refrænationem*: *Portate Deum in corpore veſtro*, inquiebat Apoſtolus, qui & *ſtigmata Domini* portabat. *1. Cor. 6.*

IV. *In ore per prædicationem, orationem, laudationem, collocutionem*: ita portavit Paulus, de quo illud Chriſti oraculum: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum*. Ita portant bonæ mentes ſimiles illi columbæ, quæ *portabat ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo. Columba anima innocens*, quæ ad Noëmum, id eſt, Chriſtum, venit; *ramus bonum opus, vel exemplum: folia virentia, verba ædificatoria. ſed heu quidam non columbæ Dei; ſed ciconiæ ſunt diaboli, qui ſæpius ranam quàm ramum in ore habent: ii ſunt detractores, mendaces, turpiloqui*. *Actor. c. 9.*

V. *In capite per glorificationem*, & beatitatem. *ut hanc coronam portaremus in cœlo, Chriſtus pro nobis coronam portavit in mundo*.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA.
Ad illa verba: *Erat* IESUS *ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Lucæ c. 11. verſ. 14.

QVOMODO MVTVM, NATVRA, CASV, AN DÆMONIS VITIO?

Mutus quis?

OBMUTESCIT homo (qui plerumque ſuâ culpâ nimium loquax) tribus potiſſimùm modis.

I. A naturâ.

Primùm, aliquo deerrantis naturæ vitio, aut caſu, quo ita implicatur organum linguæ, ut in verba, & voces articulatas ſeſe nequeat explicare.

II. A pœnâ.

Secundò, in pœnam admiſſi ſceleris juſto Dei vindicis judicio: ita obmutuit ille, de quo Antonius Magni Simeonis Stylitæ diſcipulus, & ejus vitæ ac geſtorum ſcriptor accuratus.

In ejus vitâ

Homo erat ventri & Veneri natus, qui ſtultè & perditè uxorem alienam deperibat, ſæpiúſque ad vetitos amplexus ſollicitarat: illa verò amans pudoris & honeſtatis, impurum illum amaſium à ſe conſtantiſſimè ſemper rejecerat, & ad mortem uſque, ac ſepulchrum inviolatum torum ſervârat. Non tulit impudicus ganeo ſepulchro illatum corpus, & quidem intactum à ſe, atque illibatum. Igitur per ſummum nefas in ſepulchrum involavit, & in exanimi ac frigido corpore libidinem ſuam explere ac ſatiare contendit: ſed qui vivam ſervarat Deus inter flammas & ignea cupidinis tela, etiam mortuam ſibi pudoríque ſervavit. Adeò Superis cura ſuorum eſt etiam poſt fata; imò & parata tam cæcæ & inſanæ libidini ſupplicia: derepentè enim obmutuit & obſurduit adulter infamis, eodémque in loco per annos quadraginta conſiſtere juſſus, donec tandem miſerante cœlo, cùm iſtac inferretur Antiochiam verſus magni Simeonis Stylitæ corpus, ad feretri contactum, & vocem, & auditum recepit: tum demum liber à dæmonio muto, & ſurdo, quo tot annis malè fuerat obſeſſus; æquo ſanè Dei judicio, ut qui ſæpiùs impudicas voces, & perditi amoris tela in aures pudicæ mulieris jecerat, nec tamen unquam auditus erat, & vocem ipſe amitteret & auditum. Ita nimirum habent cœli leges, per quæ peccat quis, per hæc & punitur. Quod & in Davide primùm latrone, deinde Monacho factum memorant Annales.

Exegerat ille vitam in ſæculo multis latrociniis infamem; ut eam mutaret in melius, prætetitáſque culpas ſolemni pœnitentia deleret, ad Monaſterium ceu aſylum, confugit, in eóque ita ſe virtutibus probavit, ut omnibus & exemplo eſſet, & ſtupori. Benè geſta probavit Deus, & pœnitenti annuit, Angelúmque miſit, qui in cella gementi, antiquiſque ſceleribus illacrymanti aſſereret deleta jam omnia peccata.

Non credidit ille nimiùm bona nuntianti genio, quod crederet majoris eſſe molis & operæ, peccata (quæ maris arenas, & numero, & mole excederent) penitùs expungere. Cui vindex Angelus: *Si Zachariæ incredulo non peperci*, inquit, *nec tibi parcam: idcircò eris amodò non loquens:* cui bonus latro ingemiſcens, altúmque ſuſpirans ait: Ecquid Angele, bone mentis Achates, ecquid erit iſtud? in ſæculo loquax fui, in Monaſterio mutus ero? iſtic ad nugas, ad impudica colloquia, ad blaſphemas voces nimiùm quantùm expeditus fui; hic autem ad Dei laudes, ad cantica, pſalmóſque mutus, & elinguis? Non eſt æqua, bone Angele, non eſt æqua & meti meæ, & huic loco pœna. *Vita Patr.*

Cui Angelus pœnæ nuntius, & arbiter. Ad pſallendum, inquit, loquêris, ad cætera tacebis, & mutus eris ut piſcis. Et ita factum in reliquos annos. Optandum eſſet quamplurimos ea pœna mulctari: ad vana, impura, impia obmuteſcerent; loquaces tantùm, & canori ad Dei ſui laudes: ſed ſecus omninò evenit; ad has muti, ad illa mirum quantum garruli: causam ſi quæris, ea eſt in aperto; laborant illi dæmonio muto. Et hinc venio ad tertium modum, quo ſæpiùs obmuteſcit homo; ab inſidente videlicet dæmone, & linguam tartareis vinculis impediente, ne ſeſe exerat, & vocem, in ea quæ ſalutis ſunt, effundat.

III. A dæmonis maleficio.

Ita miſellus ille homo, de quo in præſens Evangeliſta, laborabat dæmonio muto, Græcè κωφός, quod mutum, & ſurdum ſignificat: & is fuit ille judice Tertulliano, ac Chryſoſtomo, imò & Euthymio etiam, cæcus: & hic quidem non natura, non caſu, ſed dæmonis maleficio: quod deplorans Chryſoſtomus exclamat: *O peſtiferam dæmonis aſtutiam, utramque viam occupavit atque obſtruxit, quibus ille erat crediturus. viſum, atque auditum.*

Lib. 4. contra Marcio. Chryſ. Mat. 12.

Ea nimirum eſt fraus mali dæmonis, ſenſus omnes, per quos, veluti per januas Deus in animum illabi ſolet, occupat, atque obſtruit, ne quæ ſit via, ne quis aditus ad ſalutem; quod ex dicendis magis apparebit.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad eadem verba: *Erat* IESUS *ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.*

QVOMODO MALVS DÆMON MVTVM REDDAT PECCATOREM?

Pſal. 140. v. 3.

HÆc olim in cœlos vota emiſit David: *Pone Domine oſtium circumſtantiæ labiis meis.* In quæ verba D. Auguſtinus: *Non dixit*, inquit, *clauſtrum, ſed oſtium. Oſtium & aperitur, & clauditur. Ergò ſi oſtium eſt, & aperiatur, & claudatur. Aperiatur ad confeſſionem peccati, claudatur ad excuſationem peccati; ita enim erit oſtium continentiæ, non ruinæ.*

Os confeſſione aperit David.

Ejuſmodi fuit ex regio voto, Deíque miſerentis beneficio os David, *oſtium* fuit, non *clauſtrum*, ut aliis pleriſque; quod dum expendit D. Ambroſius, facundè ut ſolet & piè ſic inquit:

Peccavit David, quod ſolent Reges; ſed pœnitentiam geſſit, flevit, ingemuit, quod non ſolent Reges, quibus plerumque & authoritas dat peccandi licentiam, & confeſſionis gratiam pudor adimit. Fraude ſcilicet dæmonis miri; qui pudorem à peccato removet, cui tamen ineſſe debuit quàm maximè, & eum præpoſterè in pœnitentia collocat, à qua tamen abeſſe debuit longiſſimè; quod inter illius fraudes & agnovit, & repoſuit S. Chryſoſtomus:

Proœmio in Iſaiam.

Cum noſſet, inquit, *Satanas, quia peccatum verecundiam habet, pœnitentia fiduciam; ordinem reprobus permutavit, & invertit. Pœnitentiæ dedit verecundiam, fiduciam peccato.*

Dæmon claudit.

Quod ipſum ut in cæteris mendax, tamen in hoc uno verax, & agnovit, & clarè confeſſus eſt. Quadam enim die è Sanctis Patribus unus aliquis, cui mentis oculus aliis perſpicacior, dæmonem vidit obambulantem ſedulò Confeſſariorum ſedilia; eúmque ex eo quæſiſſet, quid rerum ageret, quid moliretur importuna illa huc illuc curſitatione. Reſpondit: ego Pœnitentibus reddo quod eripui, reſtituo quod furatus ſum: rogatus ecquod eſſet iſtud; adjecit: Peccantibus pudorem abſtuli, reſtituo pœnitentibus: Ecce ut ſeſe cum illis gerit malus animorum prædo, & fur improbus: *Peccato fiduciam præbet, confeſſioni pudorem & verecundiam.*

Caſſian. Collat. 2. c. 11.

Injecto pudore ceu clauſtro.

Chryſ. hom. de Pœnit.

Hac, ceu potenti quadam machina uſus eſt, ut Hiſpanam virginem genere nobilem: ſed vitiis deinde infamem expugnaret.

Hæc orba matre, orba & tutore, abiit à ſolitis bonæ mentis exercitiis, inciditque in adoleſcentis amores, importunoſque dolos, quibus tandem evicta pudor ceſſit impuro amori, vitiúmque paſſa: certa nec illud deponere in Confeſſarii aures, etſi ſæpiùs (uti aliàs) ad tribunale Confeſſionis accederet, & ſacratiora Synaxeos myſteria uſurparet.

Tenuit ea vitæ, & improbi ſilentii ratio, annos omninò tres, quibus exactis cœlo ita diſponente, concionatorem audiit è Societate noſtra; virum omninò Apoſtolicum *P. Ioannem Ramires*, cujus eloquentia, zelóque victa, ſtatuit eum adire, & generali confeſſione totius vitæ peccata eluere: ad quod plurimum contulit morbus à Deo vindice opportunè immiſſus, quo lectulo affixa Patrem ad ſe evocavit, & pio quodam pœnitentis animi ſenſu, multiſque lacrymis peccata depoſuit: ſed non omnia; vicerat enim pudor, vicerat & malus dæmon, & confitenti os obſtruxerat, cujus inſcius Pater, abſolutionem de more impertierat, & ſpe bona plenus receſſerat; cùm ecce, qui Patri datus erat ſocius, Collegii Rectorem adiit, & à ſe viſa ejuſmodi enarravit. Viſum è lectuli angulo iterum, iterúmque per intervalla temporis, prodire manum, enormem illam, nigram, & piloſam totam, unguibúſque terribilem, quæ miſellæ os obſtrueret, & tantum non ſuffocaret.

Nierembergius.

Hæc ubi è ſocio accepit Rector. Patrem Ramires illicò ad eam redire juſſit, etiam intempeſta nocte. Paruit ille, atque ad illius ædes properavit ſub horam noctis undecimam; quibus priuſquam ſuccederet, audiit etiam deforis clamores, atque ejulatus, intellexitque à famulis jam obiiſſe Domicellam, cujus ergo venerat, recitatiſque de more ad corpus defunctæ precibus, ad collegium rediit, & inde Deo ſupplex ad templum coram Venerabili, & hoc quidem pro defunctæ animula; invaſerat enim illum ingens de ejus ſalute ſollicitudo, cui dum ardentiùs indulget, & vota in cœlos emittit etiam ad ſpatium horæ integræ, ecce derepentè auribus excipit magnum omninò fragorem, gemitibus, ac lamentis immixtum: deinde uſurpat oculis, horrendum omninò ſpectaculum, mulier erat catenis undique cincta, cincta & flammis edacibus: ad quod dum ſtupet, horret, hærétque dubius, quærit ex ea, ecquæ ſit, auditque ſtatim, eam eſſe domicellam, cujus confeſſionem exceperat etiam paucas ante horas. Ubi ſtupori, ubi & dolori pluſculum datum eſt, petit Pater, ecquæ tanti mali cauſa? ſubjunxit illa, peccata in confeſſione graviora reticuiſſe, cùm prodere debuiſſet: acceſſeram, inquiebat, atque ad tuos pedes abjecta eo conſilio veneram, ut omnia vitæ anteactæ ſcelera panderem, ea maximè, quæ erant pudenda magis, atque enormia: ſed invidit malus dæmon, & linguam tenuit, & os clauſit admota veluti manu, ne ea, ut par erat, in aures tuas effunderem, & hinc malum, hinc & mea damnatio, & quidem ad æterna inferorum incendia.

Dixit, & mox ex oculis abiit cum ingenti fragore, ejulatu, atque lamentis, reddenda utique inferis, & ſuppliciis nunquam interituris crucianda. Ecce quàm noxius ille pudor, quàm damnabilis verecundia.

Ab hac & illa miſerrimus eſt peccator, ut qui rerum naturas invertat, & omnia jubeat ire præpoſteris legibus: cùm in janua, ipſóque limine adhuc eſſet peccatum, illicò pudor, ceu illius comes, ceu etiam anteambulo in animum aſcendere debuit, & ex oculis, ac fronte eminere, ſicque avertere malum illum hoſpitem, & infame peccati monſtrum; at omninò ſecus accidit, & hoc malitia dæmonis muti, à quo relinquitur pudor pœnitentiæ, & ſervatur in illud tempus, cùm ad Sacerdotis aures deponendum eſt ſcelus; tum enim pudor, qui hactenus vel abfuerat, vel malè latuerat, aſcendit in frontem, imò & mentem, & linguam ita occupat, ut in pœnitentiæ voces ſeſe expedire non poſſit; quod æqua lance dum expendit Chryſoſtomus, exclamat:

O te miſerum, cùm effectus es peccator non erubeſcebas: quando juſtus efficeris, te primum pudet. Frontem contrahere debuiſti, cum primùm peccaſti, & tum demum explicare cùm pœnitere cœpiſti, & juſtus eſſe; at ſecus omninò feciſti ô peccator! quæ magna eſt tua miſeriâ, imò & intolerabilis, inſania, contra quam, ut ſolet, nervoſè declamat D. Auguſtinus:

Chryſoſt. Ibidem.

Quæ ab hoc mala.

Sunt multi, inquit, *quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis inſania! De vulnere ipſo non erubeſcis, de ligatura vulneris erubeſcis.*

In Pſ. 101.

Te ipſum hìc judicem volo, peccator: ſit aliquis lethali affectus vulnere, cujus tamen nec tædeat, nec pudeat; ſed tantùm odio, horrori, pudori ſit illud, ſi fortè ſpectantium oculis pateant etiam ſola vincula, & ligatura vulneris: an non eum malè ſanæ mentis proclamabis, cui adeò præpoſteræ curæ ſint, & cogitationes? Quod ſi eum tuo calculo ſtultum facis, ac pronuntias; te ipſe illo ſtultiorem & vide, & cùm licet, etiam damna. Damnavit certè Tertullianus grandiore ut ſolet ſtylo:

Plerosque, inquit, *videas publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre, pudoris magis memores, quàm ſalutis. Conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentiâ ſuâ pereunt. Intolerandum ſcilicet pudori, Domino offenſo ſatisfacere, ſaluti prodactæ reformari.*

Lib. de Pœnit. c. 10.

Hæc ubi dixit, tum deinde illos ſic pungit, & damnat: *Næ tu verecundiâ bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandam verò ſubducens.*

Denique ut exemplo ſuo doceat exuere pudorem illum: *Ego*, inquit, *rubori locum non facio.* Ne & tu facias quiſquis hæc legis, arma tibi in manus dabo, quibus dæmonem illum mutum & impetas, & expugnes, ſi fortè eo aliquando fueris occupatus.

Quæ etiam remedia.

Primum eſt, quod culpa, & pudendum illud ſcelus uni tantùm homini, & quidem Dei vices agenti, atque in terris judici aperiatur, in quo certè minus eſſe debet pudoris, atque verecundiæ: quod inſinuavit Divus Auguſtinus: I.

Non te pudeat, inquit, *coram uno dicere, quod te non puduit forſitan coram multis, & cum multis facere.*

L. 2. de Viſit. infirmorum.

Heu

Heu cur erubeſcis confiteri, quod facere nequaquam erubuiſti? melius eſt coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die judicii coram tot millibus hominum gravi repulsâ denotandum erubeſcere.

II. Alterumq; quod etiam pudorem imminuit, eſt quod illud quale quale demum eſt ſcelus ſub inviolabili ſecreto, ſigillóque ſtrictiſſimo ita detegatur, ut retegi non poſſit, etſi totus ruere deberet Orbis, & hæc mundi machina ſúsque déque verti; quod dum rectè expendit Tertullianus, ſic ait:

Lib. de Pœnit.

Periculum pudoris tunc oneroſum eſt, cùm penes inſultaturos in riſiloquio conſiſtit, ubi de alterius ruinâ alter attollitur, ubi proſtrato ſuperſcenditur. Cæterùm inter fratres, atque conſervos, ubi communis ſpes, metus, gaudium, dolor, paſſio, quid tuos aliud quàm te opinaris?

Rectè inquit, *quid tuos aliud quàm te opinaris?* Ex vero enim pœnitens Confeſſarium non alium, quàm ſe hac in cauſà opinari debet, imò minus ab illo quàm à ſeipſo metuere; ipſe enim ſcelus ſuum evulgare ut velit, poteſt; Confeſſarius ut velit, nullo tamen jure poteſt; imò nec ulla vi, ullis ſuppliciis, ne morte quidem ipſa eò cogi, ut vel unicum ſcelus ſibi in confeſſione commiſſum prodat. Adeò hujus ſecretum, ſigillúmque ſacrum eſt, atque inviolabile.

III. Adjice & huic telum alterum, quo peti poteſt & jugulari mutus dæmon; eſt autem illud ejuſmodi, quod ingenua peccatorum confeſſione & magnam tibi appares bonorum ſupellectilem, & ingentia mala devites; nam ea una & culpam lethalem eluis, & pœnam, quæ æternos in annos erat reſervata, fœliciter effugis, amabili ſanè & ſtupendo gratiæ divinæ compendio; quod ea qua ſolet eloquentiæ vi, nervóque explicat Tertullianus:

De Pœnit. cap. 9.

Exomologeſis, inquit, *cùm provolvit hominem, magis relevat; cùm ſqualliduм facit, magis mundatum reddit: cùm accuſat, excuſat: cùm condemnat, abſolvit: In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.*

Rectè, inquit, *in quantum non peperceris tibi, in tantum tibi parcet Deus*: Si enim victus improbo pudore, tibi ut videris; parcis, nec parcis tamen, ſed noces potiùs; nec tibi parcet Deus, ſed inflictum animo vulnus ad inferos ipſos deferes, erisque præda nil miſerantis orci; & hoc quidem juſto judicio, quia nec ipſe tui miſertus es.

Hiſtoria Indica per P. Iacob. Samierium Anno 1590.

Ejuſce rei exemplum habe, & ea uno diſce quæ fraus, quæ vis, quæ malevolentia muti dæmonis, & in quæ pericula præcipitem agat animam, quam obſederit.

Anno Chriſti 1590. in Urbe Itata, quæ ſita eſt in India Orientali, puella fuit Chriſtianis ſacris imbuta, cui nomen Catharina; hæc victa carnis illecebris in ſecretiore conclavi, remotis arbitris, non alio teſte quàm conſcientia, fœdæ libidini ſeſe dedebat: ne porrò dederet magis, eam tetigit vindex Dei manus, & lethalem morbum immiſit, futurum opportunum, ſi modò voluiſſet, monitorem. Ægrotanti affuit è Societate JESU Sacerdos unus aliquis, eámque officii ſui monuit, ut confeſſione ſacra maculas animi elueret. Paruit illa, & novies eſt confeſſa: at leviora tantùm peccata; ſemper enim pudori cedens, noxam illam propudioſam alto ſilentio preſſit.

Quæ denique pœna.

Exemplo oſtenditur.

Tantum malum eſt malè ſanus pudor, & verecundia. Ubi è cubiculo exceſſit Pater, ancillis, quæ fortè aderant, narrat Catharina, dum confiteretur, ſibi propiùs à ſiniſtris affuiſſe Æthyopem unum, qui crebrò in aurem animúmque jaceret illud, ne pudendum iſtud ſcelus aperiret, utpote reponendum inter leviores culpas. Ecce dolos, ecce technas muti dæmonis, qui eam obſederat; contra quem ex adverſo à dextris ſtabat Maria Magdalena, peccatrix olim infamis, at poſtea nominata pœnitens. Ægram illa monebat ſedulò, ut in lucem, apertúmque proferret, quod in animo malè latebat ſcelus, & inter bona verba Confeſſario panderet. Latens vulnus ſanari non poſſe, quia *quod ignorat medicina, non ſanat*. Hæc illa ancillis inter colloquia, & familiares jocos enarrat; refertque objectas ſibi hinc Stygii Æthyopis, inde D. Magdalenæ ſpecies, probáque monita: quæ dum audiunt illæ, Patrem illicò revocant in conclave, audita exponunt, ut tanto malo medelam faciat: facit ille, & quod ſui muneris eſt ſedulus exequitur, ægrámque monet, rogat, obteſtatur per quidquid ſacrum eſt, atque inviolabile, ut liberè explicet quidquid animum gravare poteſt, quidquid Deo judici diſplicere. Eundum paucas poſt horas è cubiculo in domum æternitatis, è lecto ad ſolium Judicis. Nì pareat, jactam eſſe ſalutis aleam. Mirum dictu, ſed verum tamen! ſurdæ canit, & operam perdit, adeò miſellam animulam occupârat mutus dæmon, & ad confeſſionem delictorum mutam atque elinguem fecerat. Morbo igitur, mortique cedit, & ſuam illam noxam, atque infandum ſcelus in ſtygem deſert, æternámque noctem.

Ad poſterorũ bonum.

Verùm quæ Dei erga ſuperſtites miſeratio, quæ vivorum cura fuit, voluit Catharinam rurſum in auras, lucémque invitam venire, ſeſéque uni ex ancillis illis ſiſtere, ſed horribili ſpecie, inter circumſtantes flammas, & voraces rogos, qui illi erant quaſi pro veſte; in quâ dum gemit, hæc ad exemplum, cautelámque multorum addidit. Æternis illis ignibus addictam ſe, quòd leviores culpas in confeſſione edixiſſet, celaſſet autem graviores. Invitam quidem, ac reluctantem illud effari, cogi tamen à Deo Judice, ut ſuo malo ſapiant alii, quos adhuc hæc mortalis aura retinet. Atque hæc illa. Interea etiam bonus Angelus ſeſe illi ipſi ancillæ viſendum exhibet, imperátque ut totius rei geſtæ ſeriem, viſáque aliis omnibus fideliter explanet, ut unius malo doceantur, & ſapiant multi.

Annuæ Quitenſes in America. An. 1652.

Certè ſaperent ſi annuente cœlo id illis accideret, quod quibuſdam Indis vel ipſa dæmonis fraude, dolóque.

In America habet Societas noſtra miſſionem Mainenſem in urbe, cui à *Valliſoleto* nomen eſt. In ea mira ſuperſtitionum portenta commentus dæmon, etiam confeſſionis noſtræ ſimius factus eſt. Quódque, ſeu riſum, ſeu miſericordiam moveat, aiunt, quod ſi quiſpiam barbarorum ſuo ſacrificulo non bona fide peccata omnia ex integro fateatur, dæmonem adeſſe, & voce aperta clamare, *ſiſilo*, id eſt, *mentiris*.

Ad hæc facit ut ranunculus, ſeu quiddam buſoni ſimile, falſi pœnitentis pectus ingrediatur, & eam, quæ collum inter & pectus interjacet, partem, importuno reptatu eouſque ſollicitet, dum omnia particulatim efferat, quæ ſimulatè tacebat.

Id ſi probante cœlo fieret apud nos, non tot eſſent mutilæ, adeóque ſacrilegæ confeſſiones.

QUÆSTIO TERTIA
THEOLOGICA.
Ad illa verba: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* verſ. 15.

POSSINTNE ARTE DÆMONIS FIERI ALIQUA vera miracula? Et an Hæretici aliqua fecerint?

Miracula elevant hæretici.

IS olim fuit Judæorum genius, & is modò eſt hæreticorum: cœleſtem illam, ac divinam miraculorum lucem cùm æquis oculis aſpicere non poſſent, hoc quaſi velo tegere, atque obſcurare laborarunt, dictitantes ea dæmonis eſſe molimina & malas artes, quibus & oculis, & animis mortalium illuderet: Ut inſignem illam calumniam ſtylo notemus ac deteramus, aliquas in hoc argumento poſitiones ſtatuemus.

Prima, ſi mali dæmonis arte, atque vi fieri unquam debeant miracula, ea hæreticorum gratiâ patrari oportere: quorum enim potius?

Quid hi ex SS calculo.

Hæretici jam inde ab ipsâ naſcente Eccleſia ab Apoſtolis dicti τοῦ διαβόλου ὄργανα, *Diaboli organa.*

Cōſtit. Apoſt. l. 6. c. 20.

A D. Ignatio Martyre, *Diaboli propago.*

Ep. ad Trall.

A D. Baſilio, *Satanæ progenies.*

Epiſt. 241.

A D. Gregorio Nazianzeno, *Dæmonis prodromi.*

Orat. 21.

A Syneſio doctiſſimo Hierarcha, *Satanæ Apoſtoli.*

Epiſt 5.

A Conſtantino Magno, *Ipſiſſima imago, & ſimulacrum Diaboli*, in quorum proinde favorem miracula facere debuit, ſi modò potuit dæmon.

Epiphan l. 2. hæreſ. 69.

Eorum doctrina ab ipſo Paulo gentium Doctore dicta *Doctrina dæmoniorum.*

1. ad Timoth. c. 4.

A Sanctu Leone Papa, *Probra diabolici commenti*; & in alio loco, *Diabolicarum inſpirationum virulenta mendacia*; in quorum videlicet ſectâ, ut ait ille ipſe magnus Pontifex: *Lex eſt mendacium, Diabolus religio, Sacrificium turpitudo.*

Serm. 4. de Nativ. Serm. 8. Serm. 5. de Jejunio.

Quod de Manichæorum ſecta cenſuit, & ſcripſit, hoc de alia quavis hæreſi, & dictum, & ſcriptum puta; ut enim ſcitè notavit Petrus Alexandrinus Antiſtes, qui Athanaſio ſucceſſit, *Proprium hæreſeos illius Patrem eſſe Diabolum*: quod ſi hæreſeos & Pater & author & promotor eſt diabolus, certè eam omni conatu atque vi tueri debet ac propagare, adeóque etiam miraculis; ſi modò ea in ipſius eſſent manu, atque poteſtate.

Theodor. l. 4. c. 20.

Miracula dæmonis falſa.

Et certè id omni modo, ac ratione molitus eſt improbus dæmon, ut ſi minùs in reipſa vera, in ſpeciem tamen apparentia faceret.

Sic olim apud Paganos multa oſtentavit, quæ apud imperitam, & rudem plebeculam miraculi alicujus fidem invenirent.

Lib. 8.

Ejuſmodi ſunt ea quæ memorat Valerius Maximus de Statuis, de Brutis loquentibus, de Virgine Veſtali aquam cribro hauriente. Et M. Tullius de augure, qui novacula cotem ſcidit: quæ omnia dæmonis ope fieri poſſe probat D. Auguſtinus, negat tamen eſſe miracula, & rectè, cùm ipſius naturæ vires non excedant.

Lib. 1. de Divinat.

Lib. 10. de Civit. c. 16.

Quod affectavit malus dæmon, hoc & falſi Prophetæ, atque Hæretici, tum ut vanam gloriam captarent, tum ut ſuis dogmatibus fidem aſtruerent.

Lib de 100. Hæreſ. circa finem.

De Mahumete teſtatur D. Damaſcenus eum neſcio quod in Luna miraculum à ſe patratum jactaſſe, non tamen explicare quod eſſet illud; ex poſitores autem affingere illud commentum: Lunam aliquando in duas ſectam fuiſſe partes, & à Mahumete reparatam, ac cœlo redonatam; etſi hujus prodigii nemo unus omnium teſtis fuerit, niſi tanti operis author ipſe Mahumetes, qui in Alcorano fatetur, Chriſto miracula, ſibi gladium eſſe conceſſum: & hoc verius eſt; gladio quippe fit via Mahumetiſmo, cui furor & arma pro miraculis.

De aliis falſis Prophetis, ac Hæreticis, qui etiam miraculis ſibi nomen facere voluerunt, res eſt in aperto.

Falſa & hæreticorum.

Prophetæ Baal inſolenti auſu, inſaniſque clamoribus ignem è cœlo deducere tentarunt, ſed fruſtrà: Elias Dei Vates eum evocavit, & quidem nullo negotio ad ſolam veri Numinis appellationem.

Simon Magus, teſte Egeſippo, & mortuum excitare, & per aëra ſublimis volare ſtuduit; at nec illum vitæ reddidit, nec ſe à graviore lapſu immunem præſtitit.

L. 3. de Excid. Hieroſ. c. 2.

Cyrolas Patriarcha Arianus, miſellum hominem, qui ſe malo dolo cæcum finxerat, ab eóque præſidium implorabat, ex benè oculato cæcum fecit: & hoc Arianæ ſectæ prodigium, hoc miraculum fuit, cui non abſimile iſtud Calvini, qui cùm pauperculo cuidam ſuaſiſſet, ut ſe mortuum fingeret, curarétque deferri quâ fortè via erat tranſiturus, ſurgerétque deinde ad ſuas voces, atque imperia: non aſſurrexit tamen, nec palpebras aperuit, nec nutum ullum edidit; ſed rigidus jacuit, atque exanimis totus non ſine ingenti ſtupore, lacrymis, ejulatúque infœliciſſimæ conjugis: quæ ubi maritum antea vivum, vegetum, ac valentem, jam frigidum, & examine cadaver aſpexit, in Calvinum acriùs invecta, vix ungues à vulnere continuit, linguam certè expedivit, & impoſtorem, latronem, ſicarium, homicidam clamitavit, utpote qui miraculo vitam eripuerat, dum eam reddere ſe fingere laboraret. *Negent hoc quantum velint Calvini mancipia, exploratum & cognitum ſatis fuit, veritaſq; rei probata, immò per ipſammet uxorem confirmata.* Hæc author quem citavi in vita Calvini. Neque porrò melior Lutheri ſors fuit; ad oſtentationem doctrinæ ſuæ, & vani nominis auram bis ille miraculum edere voluit.

Greg. Turon. l. 2. Hiſt. Franc. c. 3.

Hieron. Bolſecus in vita Calvin. n. 1. c. 13.

Primum illud fuit; cùm de quadam muliercula diſcipula ſua diabolum ejicere ſtuduit; at non ejecit, ſed probrum retulit, & parum abfuit, quin ab ipſo dæmone diſcerperetur.

Videri poteſt Staphylus hujuſce rei teſtis oculatus. Alterum miraculum quo clareſcere voluit Lutherus, fuit iſtud: Cum Neſenum in Albi miſerè ſubmerſum vanis murmurationibus in vitam revocare tentavit, non revocavit tamen; *ſcimus* enim ut olim piè cenſuit, & dixit Evangelicus ille cæcus, *Quia peccatores Deus non audit; ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit*: & quia nec is fuit Lutherus, nec ii etiam hæretici, quicumque demùm illi ſint, ideò eos nec cœlum audit, nec exaudit Deus.

In abſoluta reſponſione. Cochlæus in actis Luther. Anno 1523.

Joan. c. 9. v. 31.

Ex his igitur ſtatuamus in ſecunda propoſitione, quod ex vero ſtatui poteſt, ac debet, neque dæmones, etſi toto effundantur ac conſpirent Acheronte, neque Paganos, Hæreticos, & à vera fide, Deóque abhorrentes, miraculum ullum patrare unquam potuiſſe.

Ratio

I. Ratio. Ratio peti debet ex ipſius nominis notione, ac etymologia. Miraculum enim dicitur, & eſt, quod & omnia naturæ molimina, & omnium creaturarum, adeóque etiam dæmonum vires excedit, ideóque mirabile dicitur.

II. Accedit deinde & illud, quod miracula luculenta quædam teſtimonia Dei ſint, & veluti mutæ voces, indices veritatis, quæ ab illis vel eruitur, ac demonſtratur, vel etiam roboratur.

Miracula vera Deo. Ex his porrò duo confici neceſſum eſt; primum illud: ad hæreſim aliquam, falſámque doctrinam confirmandam miracula fieri nullâ ratione poſſe: Deus enim alicujus mendacii teſtis eſſe non poteſt.

Alterum: cùm Deus ter Opt. ter Max. ad probanda Fidei Catholicæ dogmata miracula faciat; neceſſum omninò eſſe, ût & vera, & ſancta ſint illa, adeóque digna omni fide: quidni enim digna ſint, quæ tot cœli prodigiis, velut vinculis quibuſdam illigantur, atque tenentur?

Lib. contra Ep. fundam. c. 4. Certè D. Auguſtinus portentum illud ingenii, ac doctrinæ, cui ſimilem non pepererunt omnia retrò acta ſæcula, nec fortè poſtera parient, ingenuè *Lib. de utilit. credendi c. 17.* profitetur iſtud; teneri ſe in Eccleſia vinculis miraculorum.

Lib. 1. de Trin. c. 2. Auguſtino conſentit Richardus de S. Victore, qui hæc & liberè, & piè jactat:

Domine ſi error eſt quod credimus, à te decepti ſumus: iſta enim in nobis iis ſignis & prodigiis confirmata ſunt, quæ nonniſi à te fieri potuerunt.

Hæc ſunt in Eccleſia. Sed audio, mihi obſtrepit miniſtellus aliquis, ea rudi, & ignaræ plebeculæ admiranda videri, & pro miraculis haberi, atque venditari; cæterùm nihil eſſe niſi dæmonum præſtigias, quibus proinde fidem adhibere nemo prudens debeat.

Huic ego reſpondeo, hanc eſſe veterem calumniam, quam olim Scribæ, & Phariſæi ipſi Servatori ter Opt. ter Max. impudenter obtruſerunt, impiè *Matth. c. 12.* objicientes iſtud: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

Deinde ea quoque Paganorum cantilena fuit, qui ut irrita facerent miracula Martyrum, eos & Magos & Necromanticos appellabant. Ita de miraculis Catholicorum teſte D. Ambroſio locuti *Serm. de SS. Gervaſ. & Protaſ.* Ariani, & Vigilantiani.

Fateantur ergò Hæretici noſtri temporis, ſe & cum Scribis ac Phariſæis, & cum Paganis, & cum Arianis, ac Vigilantianis & ſentire & loqui, & hoc quidem ſine ullo rationis fundamento; quis enim credat æternam illam mentem, quæ humanis rebus ſemper invigilat, quæ veritatis in primis eſt amans, quæ fucos horret ac mendacia, pari tamen potuiſſe tot ſæculis, & quidem in ſacroſanctis ſuis myſteriis, hominum animos, oculóſque improbè faſcinari ementitâ prodigiorum ſpecie? Nemo certè, nemo unus omnium id credat, niſi qui hæretico, hoc eſt pervicaci & malè ſano ſit cerebello.

De hoc argumento plura qui volet, conſulat Bel- Ut illius Nota. larminum tom. 2. de Notis Eccleſiæ c. 14. Notâ undecimâ, in qua probat à Chriſto nato per ſæcula omninò decem ſupra quinque, continuâ, & nunquam interruptâ miraculorum ſerie Romanam Eccleſiam inclaruiſſe, quod ſanè evincit in ea quoque toto illo ſæculorum lapſu Apoſtolicam & veram fidem permanſiſſe, cùm miracula manſerint, quæ ſunt illius luculenta teſtimonia.

Ut eleganter, & nervosè probavit Tertullianus ad Scapulam Provinciæ Africanæ Præſidem. Vis, inquit, ſignum, quo Chriſtiana cœlo judice probetur Religio? illud habe; quod *dæmones non tantùm reſpuimus, verùm & revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus.* Quod argumentum eſt altioris ac divinæ poteſtatis, quæ Chriſtianis aſſiſtit, & dæmones ipſos ſub jugum mittit: in quos tamen, ceu quædam Divinitatis ſimulacra oculos & animos conjecit ſtulta Antiquitas, quam etiam ex eo arguebat D. Cyprianus ad Demetrianum ſcribens. Oſtendebat enim & vana idolorum ſimulacra, & veram Chriſti fidem; cujus aſſeclæ vel ſola voce dæmones expellerent. *Ita*, inquit, *Chriſtianis ſubjecta eſt Divinitas veſtra.*

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illa verba: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* verſ. 15.

QUAM CÆCA SIT, ET MALEDICA INVIDIA? Et quæ homini Chriſtiano adverſus eam remedia?

VBi primùm loqui auditus eſt mutus, mirari turbæ, invidere Phariſæi, & hanc in authorem miraculi calumniam jacere: *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

Beelzebub quid? *Beelzebub* hebraicè *Baalzebub*, vox eſt compoſita ex *Baal*, id eſt dominus & poſſeſſor, & *Zebub*, id eſt muſca. Itáque *Beelzebub* idem eſt quod Dominus & poſſeſſor muſcæ. Sic dictus Deus ſive idolum Accaronitarum: vel quia ad pellendas muſcas invocabatur, vel quia in ejus fano propter effuſum victimarum ſanguinem maxima erat muſcarum vis, atque importunitas.

Ut ut ſit, nomen illud dæmoni convenit quàm optimè. Eſt ille *Beelzebub*, eſt dominus, eſt poſſeſſor muſcarum; muſcis enim dominatur, muſcas poſſidet malus dæmon, non autem Aquilas: mella ille proponit, & voluptates abjectas, turpes, & illicò turmatim advolant muſcæ, hoc eſt, puſilli, humiles, & fœdi homunciones, qui à voluptate, ceu melle ebrii indormiſcunt, & capiuntur: at non ſic aquilæ, non ſic excelſæ mentes, & viri à virtute inclyti; nec mella libant illi, nec ullis hujus vitæ blandimentis ad ima trahi poſſunt.

Sed hæc de nominis etymologia, redeo ad Phariſæos à quibus diſceſſi, ut eorum ſeu malitiam, ſeu livorem explicem, unáque quantum malum ſit invidia.

Mirabitur ſanè quiſpiam & meritò, perditiſſimos Pharaonis magos ad ſigna & prodigia Moſis exclamaſſe: *Digitus Dei hic eſt.* Phariſæos autem ad Chriſti miracula Sole ipſo clariora, & illis longè altiora, Quæ Phariſæorũ malevolentia. objeciſſe tamen petulans illud ſcomma: *In Beelzebub ejicit dæmonia.* Unde hic malè ſanus error? unde tam cæcæ voces? Ex malevolentia, & affectu depravato, à quo & mens, & intelligentiæ oculus erat depravatus.

Benè cenſuit, benè dixit Ambroſius: *Errat oculus,* *Lib. de bono mortis c. 9.* *ubi*

ubi errat affectus: Si plus æquo aliquid amaris, aut oderis, de eo quoque malè judicabis: ideoque, ut pulchrè notavit Divus Gregorius Nazianzenus: *Ob inimicitiam facilè decipimur, nec de iiſdem rebus eadem amantes, & non amantes judicamus;* proinde opportunum & ſanum fuit Senecæ conſilium: *Omnia cum amico delibera, ſed de ipſo prius. Poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam judicandum. Proinde iſti præpoſtere officia permiſcent, qui cùm amaverint judicant, & non amant cùm judicaverint;* qui ſcilicet ut alio loco ille ipſe Philoſophus: *Iudicium interpellat affectus,* ſive ille amoris immodici fuerit, ſive inſolentis odii: quale fuit Phariſæorum in Chriſtum Salvatorem optimum; in quos cadebat illud Davidis:

Orat. de Pace. — *Epiſt. 3.* — *Lib. 2. de benef. c. 14.*

Turbatus eſt à furore oculus meus, vel ut Hebræi legunt, *Caligavit præ irâ oculus meus;* oculus utique mentis, qui ab ira impotenti, ab odio inſanabili ita caligarat, ut nec lucem illam veritatis, ac miraculorum intueri poſſet, nec ferre illuceſcentem ſibi, ſuiſque terris juſtitiæ Solem: adeò etiam tum temporis verum illud Plutarchi apud Stobæum: *Solem ſæpè nubes obumbrant ratione affectus.* Solem utique mentis, atque intelligentiæ obumbrat, imò etiam eripit oppoſita perverſi affectus nubes, à qua primum in Phariſæis malum; cui acceſſit & alterum, inſignis quædam invidia, ex eo nata, quod Chriſtus multis prodigiis illuſtris ſibi in populo nomen, famámque feciſſet: hinc illæ voces: *Quid facimus? Iſte homo, multa ſigna facit:* & quia ea facit, hinc maledicta, hinc calumniæ, hinc odium, hinc inſidiæ, quarum cauſas rectè perpendit, atque explicat D. Baſilius:

Serm. 68. — *Quæ cauſa eorum invidiæ?* — *Ioan. c. 11.*

In c. 1. Ioan. *Quamobrem,* inquit, *Chriſtus tantis eſt petitus inſidiis? Ob magna ejus prodigia. Quænam hæc erant? Salus ſupplicum, ac miſerorum. Paſcebantur eſurientes, & qui paſcebat oppugnabatur; reviviſcebant mortui, & auctor vitæ invidiam ſuſtinebat. Dæmones fugabantur, & quia eis imperabat, inſidiis petebatur. Leproſi curabantur, claudi ambulabant, ſurdi audiebant, & is, qui hæc beneficia conferebat, fugabatur.*

Quis invidiæ genius? Stupendo ſanè invidiæ prodigio; propter hæc enim potiùs à Phariſæis ultrò advocari, & in gratia, & honore eſſe debuerat. Sed eſt illud & quidem ingens invidiæ malum, ut in altero bonum non ferat; quod diſertè notavit D. Ambroſius. *Inter improbum,* inquit, *& invidum hoc intereſt, Improbus ſuo delectatur bono, invidus torquetur alieno. Ille diligit mala, hic bona odit; ut propè tolerabilior ſit, qui ſibi vult benè, quàm qui malè omnibus,* qualis eſſe ſolet omnis invidus, cui, ut inquit Salvianus, *Proſperitas aliena ſupplicium eſt, quia bonum alterius ſuum malum credit, cui parum eſt ſi ipſe ſit fœlix, niſi alter fuerit infœlix.*

Lib. 2. Offic. c. 30. — *Lib. 5. de Provid.*

Lib. de zelo & livore. Et hæc erat, ut D. Cypriani verbis utar, *Calamitas ſine remedio odiſſe fœlicem,* odiſſe juſtum & ſanctum, odiſſe mundi Servatorem, & bonis ejus operibus ac miraculis invidiſſe.

Ne porrò quemquam tangat ſimilis livor, attendat quantum homini malum ſit invidia; eam paucis deſcribit D. Baſilius.

Hom. 11. *Invidiam,* inquit, *fugiamus,* utpote *pugnæ in Deum miniſtram, homicidii matrem, naturæ confuſionem, amicitiæ ac familiaritatis expertem, calamitatem abſurdiſſimam.*

Meritò ſanè *calamitatem abſurdiſſimam,* ut quæ ſine remedio ſit, ſine commodo, ſine ullo invidentis bono, imò ſummo malo.

Pauſanias in Eliacis. Theogeni, Heroi fortiſſimo, & qui à victoriis omnino quadringentis palmam tulerat ac coronam, erecta fuerat olim ſtatua, futura perenne monumentum invictæ fortitudinis. Ab ejus morte, invidus unus aliquis eam ſtatuam quot noctibus flagris cædere, & eo ſupplicii genere magnis Theogeni manibus quodammodo inſultare ſolitus, ſeſeque eo ludo oblectare; adeò etiam poſt fata vivit, ac ſpirat invidia, & quà poteſt ſævit: at etiam in invidum illum ſævit Deus qui nullum ſcelus inultum patitur. Cùm enim intempeſta nocte de more in ſtatuam rueret, & ingenti niſu ac validis lacertis in ictum & flagra totus incumberet, ſtatua derepentè concidit, & ſuo caſu ac ruinâ miſellum oppreſſit: & quamvis non oppreſſiſſet, attamen ſatis opprimebat, quæ animum extimulabat invidia; erat illa noctu, diuque pro tortore, pro ſupplicio, pro morte: ut enim aureè Divus Chryſologus: *Invidia ſuorum carnifex ſemper exiſtit, extendit cenſus, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit: quid plura? hanc qui acceperit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia, quia in ſe domeſticum ſemper diligit habere tortorem:* & hanc non putabis eſſe calamitatem, eamque ut acutè D. Cyprianus, *ſine remedio?* Quod enim remedium eſſe poſſit, quæ vitæ ſpes ac ſalutis, ubi non tam deforis timetur carnifex, quàm domeſticus diligitur, quæ portentoſa eſt amentia.

Serm. 172.

Quæ adverſus eam remedia? Venio ad poſtremum, quod mihi propoſui, quæ Chriſtiano homini debeant eſſe præſidia, ſi fortè pro re benè geſta calumniam patiatur.

Primum eſt exemplum Chriſti. Primum petendum erit ab exemplo Chriſti Servatoris: is ad immanem illam Phariſæorum calumniam (de qua ſuprà) non excandeſcit, non incuſat amentiæ, non irata de cœlo fulmina devocat, quibus obruat, perdátque ſceleſta capita; ſed potiùs ex ea occaſionem ſumit ſanioris doctrinæ eis explicandæ: in quo ſpecimen dedit eximium ſingularis patientiæ, ac manſuetudinis, à qua judice D. Chryſoſtomo, & interprete Toleto, liquidò probavit ſe ea prodigia non facere dæmonis arte atque vi, quia, ut inquit: *Non eſt dæmonis tantâ clementiâ, manſuetudine, humanitatéque uti;* ſed unius Salvatoris, ac Dei. Et verò Dei unius proprium eſt ac ſingulare, miſereri, parcere, perditis mortalibus bona etiam pro malis reddere: iraſci verò, minari, & in ultrices pœnas aſſurgere, hominum eſt; quod pulchrè oſtendit Baſilius Seleucienſis, ubi Deum cum Elia peccatoribus ſemper infenſo colloquentem ſic inducit:

Hom. 24. in Matth.

Orat. 11. *Miror equidem, Elia, zelum tuum, ac virtutem probo. Proclive eſt in peccatum hominum genus, & ſi vindictam cum criminibus confligere patiar, deficiet durius tractari neſcium. Tibi peccantes cernere grave ſpectaculum: mihi verò, qui ſum dominus, lex de humanitate ſcripta eſt, clamans: nolo mortem peccatoris; ſed ut convertatur, & vivat. Tu ergò ſubi diverſorium à peccato liberum; carne veſtitus cum Angelis converſare. Ego verò ad homines per incarnationem veniam.*

Hæc Dei Filius ore, calamóque Baſilii: cujus verba accuratiùs expende:

Mihi, qui ſum Dominus, lex de humanitate ſcripta, & ut ſcripta, ita ſervata quàm optimè: Argumento ſit illud, quod jactæ calumniæ, & impudenti mendacio, unum tantum adjecerit, quod ad mores efformandos plurimum faceret.

Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.

Secundùm ejuſdem patientia. Inſignem illam Chriſti patientiam & ſpectare & imitari debet quiſquis & nomine & re etiam ipſa eſt Chriſtianus, eáque teſtari ſe & pro Chriſto, & in Chriſto laborare: quod ſi labores inter, Fidei cœlique cauſa fortiter exantlatos, malè nihilominus audiat, & multorum linguis atque dicteriis vapulet, ſit Dei ſui memor, & patiens erit; quia ut magnificè Tertullianus: *Vbi Deus, ibidem & alumna ejus patientia.*

Lib. de Pat. c. 15.

Pſal. 37. v. 21. Sit deinde & memor Servatoris, credatque ut illi, ita & ſibi ſcriptum illud: *Retribuunt mala pro bono: detrahebant mihi quoniam ſequebar bonitatem.*

Venerabilis & pius Abbas Ludovicus Bloſius dicere ſolitus, neminem unum queri debere, imò nec poſſe de illatis ſibi injuriis ac calumniis, qui jactas olim in Chriſtum vel oculo, vel cogitatione tantum decurriſſet;

decurriſſet: adeò ſcilicet ad earum tolerantiam efficax eſt vel unum illius exemplum. Quod ipſum regio joco Chriſtianis olim objecit Princeps Sarazinus. Capti cum Ludovico Galliæ Rege renebantur è prima nobilitate viri principes, quos dum fortè in vinculis inviſit, ex iis quæſivit crederéntne Mariæ filium, in quem tot linguarum jacula, tot dicteria, tot probra, & calumniæ, tot etiam ſævière ſupplicia, & inſanda mors crucis; an, inquam, ut Dei filium haberent, & crederent? Illis pro gallica fide, & conſtantia aſſerentibus omninò & habere, & credere; ſubjunxit illicò Princeps: Non igitur vobis durum & acerbum videri debet & captivorum probra, & vincula, & carceres pati, cùm iis graviora (& quidem veſtrâ causâ) paſſus ſit ille, quem pro Deo colitis: hæc Sarazinus, & jure ſanè meritiſſimo; ut enim & piè, & acutè Sidonius Apollinaris:

In vita S. Ludovici per Ioinvilla c. 42.

Pauca toleramus ſi recordamur quid biberit ad patibulum, qui invitat ad regnum. Enimverò eò loci, ac temporis, non tantùm aceti felliſque pocula bibit, ſed & maledicas voces, & inſana probra, & immanes calumnias auribus & animo hauſit, ut proinde viro Chriſtiano gravius accidere non debeat, & velut intolerabile aurium ſupplicium, ſi fortè etiam immerenti appellat ejuſmodi maledicentia; nec enim eſt *Servus major domino ſuo, ſufficit ſi ſit ſicut magiſter ejus.*

Hinc ergo ſumet Chriſtianus animus patientiæ & exempla, & præſidia, memor objectum olim Deo ſuo, ac Salvatori, quod in Beelzebub ejiceret dæmonia; in quo ſanè ejus bono nomini enormis quædam infamiæ nota inuri videbatur.

Alterum à quo etiam iis in malis ſolatium petet, erit attendere, quis ille ſit, qui ſe etiam agentem rectè, maledictis appetat.

Tertium, quod invidia, & maledicentia ſit à malis.

Chriſti nomen famámque maledico dente lacerarunt Phariſæi, homines ad ſtuporem & miraculum improbi; te vellicant mordentque Phariſæorum æmuli, quid porrò miraris? quid excandeſcis? imò quid etiam teruntii æſtimas? Si ſapis, nec improborum laudes, nec vituperia aliquo in loco repones; imò abjicies, damnabiſque probè.

Antiſthenes laudatus olim ab improbis, miſerum ſe proclamavit, liberéque dixit, vereri ſe ne in aliquod crimen incurriſſet: *Quid*, inquit, *mali feci?* Adeò ei ſuſpecta, atque inviſa laus non à malis tantùm, ſed & à promiſcua turba, à qua laudari viro prudenti nec eſt volupe, nec vituperari grave: quod ipſum more ſuo eleganter tractat Seneca:

Laert. l. 6.

Malè, inquit, *de te loquuntur homines; ſed mali. Moveret, ſi de me M. Cato, ſi Lælius ſapiens, ſi alter Cato, ſi duo Scipiones iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt ullam authoritatem habere ſententia, ubi, qui damnandus eſt, damnat.* Et rurſum:

De remediis Fortuitorum.

Malè de te loquuntur; moveret, ſi judicio hoc facerent; nunc morbo faciunt. Malè de te loquuntur, benè neſciunt loqui. Faciunt non quod mereor: ſed quod ſolent. Quibuſdam enim canibus ſic innatum eſt, ut, non pro feritate; ſed pro conſuetudine latrent.

Maledicum cum cane componit Philoſophus, quod ut hic, ita & ille vano & irrito latratu auras feriat, neque reipſa aut mordeat, aut noceat: hunc ergo contemne, & cùm maledictis afficieris, tua virtute te involve, & ſecurus eſto.

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Omne Regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur.* v. 16.

QUOMODO IN UNITATE, AC CONCORDIA, Regni vis, ac firmamentum?

Unio Regnorum firmamentum

DE hoc argumento multa dici poſſent ex naturâ, ratione, hiſtoriis, quæ quia ferè nota, atque obvia, ea conſultò prætereo, & è plurimis paucula tantùm delibo, ne omnino videar omiſiſſe, Lectoremque omni dicendi materia deſtituiſſe.

Eſt ea naturæ vox & rationis, eſt illud indubitatum Chriſti oraculum: *Omne Regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur.*

I. Etiam dæmonis.

Quod adeò verum eſt, ut ipſum quoque atræ ſtygis dæmoniſque regnum ſit deſolandum magis, ſi etiam in ſe ipſo penitus diviſum fuerit; fatendum etiam quod re etiam ipſa eſt: etſi in inferno ſit immenſum chaos, ſit immanis confuſio, ac diſcordia, eſſe tamen in uno aliquo ordinem, ac concordiam: ea in hoc ſita, quod dæmones natura inferiores ſuperioribus quodammodo ſubjaceant, & pareant, adeóque hi dominantur, & imperant; illi ſubjiciuntur, & obediunt. Etſi enim ab iis ſuſtulerit vindex Deus, quidquid erat gratiæ, quidquid præſidii, ornamentique altioris; naturam tamen ejuſque dona, vimque omnem, ac dignitatem ab ea hauſtam reliquit; & quod inde conſequens, horum dominium, illorum verò ſubjectionem: eſt ea quippe naturæ lex, ut dignior indigniori præſit, atque dominetur; itaque ſi à Beelzebub principe dæmoniorum ejici debuit ex humano corpore dæmonium alterum, hoc non coactè, non vi fieri debuit; ſed nutu ac voluntate imperantis, & ſubmiſſione obtemperantis: alioqui ſi inferior ſuperiori repugnaſſet, ejuſque mandata detrectaſſet, profectò diviſum fuiſſet illud regnum, adeóque minimè diuturnum, quale tamen etiam affectant dæmones *Rectores tenebrarum harum*, hoc eſt hominum impiorum, quos ut in perniciem, ruinamque certiùs trahant, magno conſenſu regnum ſuum promovere, & concordiâ firmare ac ſtabilire nituntur, ut uno quaſi agmine, inſtar exercitus adverſus homines concurrant ac dimicent. Et hanc concordiam facit inſitum atque inveteratum in genus humanum odium, & quædam inſana nocendi libido, ac poteſtas, quâ ſi privarentur, illico ab hac concordiâ obedientiâque diſcederent, ut cenſet Abulenſis: nec enim eam ſervatam volunt, niſi ad faciliùs edendas hominum ſtrages, in quas ut facto velut agmine euncóque ruant, ſingulis vitiis ſuos deſignant Principes, quibus alii minoris notæ dæmones ſubeſſe cogantur, eorúmque pravæ voluntati velificari.

Ad Epheſ. 6.

Ita Luxuriæ princeps eſt unus, cui ſubjiciuntur alii propè innumerabiles, qui ei in hoc officio pareant, & homines ad id ſceleris depravatis ſuis ſuggeſtionibus ſollicitent, atque inducant: & idem de vitiis aliis eſto judicium. Ita cenſuit, ita docuit Origenes. Sed ad propoſitum redeo, & quàm verum ſit illud Chriſti pronuntiatum paucis oſtendo.

Hom. 15. in Ioſue.

Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, quia ut rectè Titus Livius: *Imperii vires in conſenſu obedientium ſunt.* Et Seneca: *Fac nos ſingulos*, inquiebat,

Lib. 4. Benef. c. 18.

Digitized by Google

quid ſumus? præda animalium, & victima, ac viliſſimus, & facillimus ſanguis.

II Mundi hujus.

Benè viliſſimus, & facillimus ſanguis, quem ſcilicet eliciet qui volet, quia ſinguli ferro & vulneri patent; non autem omnes: diviſi facilè feriuntur, & pereunt; conjuncti vix tangi poſſunt, nedum lædi, ac perire. Diviſi, hoſtibus prædæ ac ludibrio; conjuncti verò, horrori, atque excidio.

Quod ipſum liquidò oſtendit Moſes enarrans filiis Iſraël & ſuas, & Majorum ſuorum victorias ac triumphos: Spectaſtis, inquit, non ſine ingenti animi ſenſu, & inuſitato cœli prodigio: *Quomodo perſequatur unus mille; & duo fugent decem millia.* [Deut. 32. v. 30.]

III Iſraëlitici.

Sed quî, inquies, unus mille? Quî duo decem millia perſequuntur, ac fugant? Certè ſi unus tantùm mille in fugam agit, duo in eandem non impellent, niſi duo millia, ſi modò ſervanda proportio unius, ad unum, & duorum ad duo: quæ quia Deo ſpectatore, ac judice non eſt ſervata, neceſſum eſt in binario aliquid ſubeſſe myſterii: Eſt autem illud ejuſmodi, quod in binario inciperet caritas, adeóque & virtus ad expugnandos hoſtes, quæ vel ſola caritatis nota in decuplum augetur, & creſcit. Ut inde noveris caritate, quæ unionis eſt parens; tantum accedere roboris, quantum ab odio, quod diviſionis eſt fomes, neceſſe fuit diſceſſiſſe.

Hujus porrò concordiæ exempla tibi dabit omnis ætas, atque documenta; quæ, quia cuique obvia, conſultò prætereo.

QUÆSTIO SEXTA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum.* verſ. 21.

QVIS ILLE FORTIS, & quæ illius arma?

Quis ille fortis armatus?

FORTIS ille, quem impugnat, & in digito DEI, hoc eſt DEI potentiâ, ſuáque divinitate expugnat Chriſtus, eſt dæmon, adverſus quem illi, & nobis eſt lucta; ut enim Apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitia in cœleſtibus.* [Ad Epheſ. c. 6. v. 12.]

Dæmon.

Et hæc eſt Apoſtoli paraphraſis, in qua pulchrè depingit hoſtis illius ſeu aſtutiam, ſeu etiam vim atque potentiam, ut ſtemus ſinguli in pedes, & arma cœleſtia vigiles: ſi enim natura hoſtis quæritur, ſpiritus eſt; ſi forma & ſpecies, inviſibilis, ſi indoles, nequiſſima; ſi poteſtas, eſt mundi Dominus; ſi ars atque aſtutia, princeps tenebrarum; ſi locus, ſuperior, qui ex aëre cœloque in nos ruat: cùm hoc nobis eſt ἄσπονδος πόλεμος, irreconciliabile bellum, in quo non pro corpore, ſed pro animâ certamen eſt; non pro tempore; ſed pro æternitate jacitur alea, cujus jactus eò periculoſior, quò inimici vis & fraus major eſt.

Vim ex eo collige, quod ipſe dicatur & verò etiam ſit *Principium viarum Domini*, hoc eſt primum, & præſtantiſſimum DEI opus, & quod inſtar immanis belluæ *Stringat caudam ſuam quaſi cedrum, & oſſa ejus fiſtulæ æris, & cartilago ejus quaſi laminæ ferreæ.* Si quæris quæ cauda? Quæ oſſa? Quæ dæmonis cartilago? Audies caudam eſſe inſolentem ſuperbiam, à quâ inſtar cedri erectus traxit *Tertiam partem ſtellarum cæli*, hoc eſt Angelorum, & modò trahit innumeram hominum multitudinem. [Iob. c. 40. v. 24. verſ. 12.] [Apoc. c. 9. v. 19.]

Oſſa verò & *cartilago* eſt libido nocendi, & pertinacia inflexibilis intus & foris, in cogitatione & opere, inquit Philippus: vel ſi mavis cum D. Gregorio, *Oſſa* Diaboli ſunt prava conſilia, quia ſicut corpus oſſibus quaſi ſolidiſſimâ ſui parte ſuſtinetur, ita conſiliis illius reliquum corpus actionis innititur. *Cartilago* verò utpote mollior, & partes in omnes verſatilis, eſt dæmonis aſtutia, & genius fraudulentus, quem bellè expreſſit Iob, ubi eum cum *Behemot*, ſeu Elephanto compoſuit. [Cap 4. v 10.]

Elephantus, ut notat Ælianus, duplici eſt corde, & altero quidem irâ incenditur, altero mitigatur: ſic & dæmon quoſdam petit irâ impotente, & aperto marte, ut olim Antonium, ſimileſque heroas; quoſdam per cuniculos, per malas artes, per voluptatum illecebras, quibus dum perditè blanditur, eos miſere perdit, & æternùm quidem. Ecce fortem armatum, quo cum primò congreſſus eſt Salvator, quocum & nos congredi oportet. Ut porrò feliciter, videamus quæ illius arma; ea enim jam ante prævidiſſe magnum eſt ad victoriam momentum. [Cap. 10.]

Arma quibus nos dæmon impetit ac ſternit, ſunt membra noſtra. Appello Pauli fidem, & verba: *Non regnet*, inquit, *peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato*, in quæ verba eleganter D. Chryſoſtomus. [Quæ ejus arma? membra noſtra. Ad Rom. c. 6. v. 12.]

Non dixit: ne vivat caro, neque operetur; ſed peccatum, *Ne regnet; oſtendens non vi, ac neceſſitate, ſed voluntate nos noſtrâ à malitiâ poſſideri. Non dixit: ne tyrannidem agat, quod ipſum neceſſitatis eſt; ſed ne regnet: & quomodo regnat peccatum inquies? Non à propriâ virtute, ſed à tuâ ſocordia, atque ignavia*, à qua regnat dæmon, & arma in te ſumit: non ſumeret autem, niſi tu ipſe dares; ideoque deſine de eo queri, deſine ejus inſidias, & vim incuſare, & potius te ipſe damna, qui arma das hoſti tuo, quibus juguleris, quod extremæ eſt dementiæ.

Nolite, inquiebat olim Cyrillus Alexandrinus, *conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere quia volumus, & non poſſumus: Volumus continenter vivere, ſed carnis fragilitate decipimur. Tu das ſtimulos carni tuæ, tu illam adverſus ſpiritum tuum armas & potentem facis, cùm eam carnibus ſatias, vino nimis jucundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.* Hæc magnus Præſul, cujus verba velim expendat Lector. [L. 2. in Leviticum.]

Tu das ſtimulos carni tuæ, tu illam armas, & membra, quæ Chriſti membra, armaque virtutis ac juſtitiæ eſſe poterant, facis membra meretricis, & dæmonis adverſum te arma; quod ipſum vel ſola ratione duce agnoviſſe viſus eſt Seneca, dum peccandi illecebras cenſet eſſe removendas, ne contra nos ipſi pugnemus.

Conſcii,

Epiſt. 116. Conſcii, inquit, *imbecillitatis noſtræ quieſcamus, nec vino infirmum animum committamus, nec formæ, nec adulationi, nec ullis rebus blandè trahentibus. Quantùm poſſumus nos à lubrico recedamus; in ſicco quoque parum fortiter ſtamus.* Hæc ubi dixit, reſpondet tacitæ objectioni. Occurres, inquit, hoc loco mihi, illa publicâ contra Stoicos voce:

Nimis magna promittitis; nimis dura præcipitis: nos homunciones ſumus. Omnia negare nobis non poſſumus. Dolebimus, ſed parum. Concupiſcemus, ſed temperatè. Iraſcemur, ſed plorabimus. Scis quare non poſſumus iſta? Quia nos poſſe non credimus. Imò me hercules aliud eſt in re. Vitia noſtra, quia amamus, defendimus, & malumus excuſare ea, quàm excutere. Satis natura dedit homini roboris ſi illo utamur, ſi vires noſtras colligamus, ac totas pro nobis, non contra nos, concitemus. Ut faciunt hoc ævo pleríque mortalium, qui omnes propè corporis partes, ac ſenſus in ſuam perniciem excitant; cor ille; hic oculum, iſte linguam, aures alius contra ſe velut in campum emittit, & dæmoni quodammodo præbet, ut iis armatus in ſe deſcendat.

I. Cor. Eſt cor amoris officina, & multarum affectionum patens, à quibus homini in hac vitæ militia, arma expediri oportuit adverſus omnes tartarei hoſtis incurſus; ſed proh dolor! cor illud dum ſeſe inclinat in terram, & terrenis affectibus fœdè polluitur, dæmoni eſt pro armamentario, è quo educantur ignea tela, ſeu ea libidinis eſſe voles, ſeu inſanæ ambitionis, ſeu cupidinis auri, argentive, & ſimilium cupediarum, quarum amans eſt cor ſtulti, de quo Eccleſiaſticus:

C. 10. v. 2. *Cor ſapientis in dexterâ ejus, & cor ſtulti in ſiniſtrâ illius;* hoc eſt interprete D. Hieronymo, *qui ſapiens eſt, ſemper de futuro ſæculo cogitat, quod ducit ad dextram; qui verò inſipiens eſt, de præſenti, quod eſt poſitum in ſiniſtrâ: & quia tale eſt cor ſtulti;* hinc dæmoni eſt pro armis|, quibus hominem totum expugnet: Uti etiam &

II. Lingua. lingua; ea ſecundùm naturam, rectæque rationis dictamen debuit eſſe, ut cum D. Ambroſio loquar,

L. 6. Hexam. c. 9. *Quoddam ſermonis adytum, fons diſputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis;* debuit inquam os eſſe adytum, & velut auguſtum quoddam delubrum, è quo divina promerentur oracula, & altè reſonarent Dei laudes; per os enim, ut rectè Philo:

De Opf. Mundi. *Mortalia intrant, immortalia exeunt.* Debuit eſſe, ut ſapienter Iſidorus Peluſiota: *Organum divinum, quod*

Lib. 1. Ep. 108. *à præclaro artifice, hoc eſt à Spiritu Sancto, ad cæleſtem harmoniam accommodaretur, ac pulſaretur.*

Debuit eſſe, ut ait D. Gregorius Nazianzenus,

Orat. 11. *Fiſtula aquæ vivæ & fontis æterni.*

Debuit eſſe *Veluti calamus Spiritus Sancti velociter ſcribentis.*

Iſai. 49. Denique debuit *Os poni quaſi gladius acutus, & ſagitta electa*, cujus vulnus eſſet Dei unius amor, & ſalus medicina.

At ſecus omninò evenit. *Lingua modicum mem-*

Serm. de cuſtodia linguæ. *brum, ſed magnum malum*, inquit D. Bernardus: imò ſecundùm D. Jacobum, *Univerſitas iniquitatis*, in qua & à qua de ſingulis vitiis ſua lectio habeatur, ut in Academiis ſua de ſingulis artibus ac ſcientiis prælegi ſolet; ut mirum proinde non ſit ab ea vim & arma ſumi, quibus impetatur ac debelletur miſellus homo.

Ne porro debelletur, componenda ſic eſt lingua: ut non tota & integra lingua ſit; ſed dimidium linguæ, dimidium cor. Sic eam rectè compoſitam voluerunt Arabes tum quia oportet non minus meditati quàm loqui: tum quia verba comitari debet ſenſus & ratio: tum denique quia non plus cum aliis, quam ſecum eſt loquendum. Hoc ſi feceris non erit tibi ullum à lingua bellum, malum omnino nullum.

Ne porrò ſit etiam ab oculis, eos natura loco III.
commodo & eminentiori corporis parte velut arce Oculi.
& ſpecula erexit, ut eſſent fideles internuntii, ac quaſi ſpeculatores, qui hoſtem adventantem etiam de longè proſpicerent, monerentque ut tum eſſet animus quod in ſua ſtatione miles: at contrarium evenit: illi ipſi oculi, non naturæ, ſed culpæ vitio facti ſunt tanquam prædones, primique hoſtem admiſerunt, quem excludere; imò & propulſare debuiſſent.

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces;
Irritamenta ſunt, ducesq; ſcelerum.

Maximè verò libidinis, ut indubitatum ſit illud Virgilii:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

Vidiſſe multis erraſſe fuit, imò & periiſſe: adeò valentia ſunt oculorum tela, quibus ad hominum perniciem utitur malus dæmon, ut olim etiam ad Davidis herois fortiſſimi lapſum; de quo D. Auguſtinus: *De longè vidit David illam, in quâ captus eſt;* In Pſ. 50.
mulier longè, libido propè. Alibi erat quod videret, in illo unde caderet.

Quod ſi ab oculis, quibus pro armis uſus dæmon, cecidit David, quid te futurum credis, cui nec Davidi par animus, nec virtus fuit? Quid deinde ab auribus, quæ, ut ait Plutarchus, debuerant eſſe ve- IV.
lut anſæ ad virtutem, & tamen factæ ſunt præcipi- Aures.
tes ad malum viæ, ſimiles portis urbium, quæ nefaſtæ & abominandæ vulgò habebantur, quod per eas educerentur qui à carnifice necandi erant, aut ad piacula inducendi; quid inquam ab illis auribus expectandum, niſi acerba vulnera, clades, ac ruina infœlicis animulæ? Quid enim aliud? Cùm eæ nefaſtæ ſint & abominandæ, per quas intrat calumnia, ut artifex alienæ vitæ, honoris, inquam, ac famæ, quæ vita ipſa potior eſt; per quas eunt, redeúntque plauſtra obſcœna inverecundæ mentis, & linguæ impudoratæ ſcurrilia verba; quæ maligna perditáque ſordium colluvione, & loquentium, & audientium animos inficiunt.

Et hæc ſunt, ut cætera taceam, præcipua corporis noſtri membra, quæ vitio noſtro exhibemus, velut *arma iniquitatis peccato*, adeóque & ipſi dæmoni, Ad Rom. c. 6.
qui non tam à ſe, quàm à nobis audit *Fortu armatus*, quia nos ei, licèt hoſti infenſiſſimo & capitali, arma ſubminiſtramus, & ferrum quo jugulum noſtrum petat, quod an non ſit genus ſummæ dementiæ, judicet amicus Lector, & dum licet alieno malo ſapiat; & curet ut ſicuti aliquando *exhibuit membra* ſua *ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem*, ita po- Ad Rom. c. 6. v. 19.
ſtea, *exhibeat membra ſua ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.*

QUÆSTIO SEPTIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* V. 23.

QVAM SIT PERICVLOSVS STATVS fluctuantis animæ, nec Deo planè adhærentis?

Fluctus animæ qui?

EST quoddam genus hominum, quod cunctatur, hæret, ac fluctuat quaſi medium virtutem inter & vitium, cœlum & terram, DEUM & creaturam: nec huic adhæret, nec illi; ſed amorem veluti ſuſpenſum tenet, ne ſeſe aut huic, aut illi inclinat.

Cauſa hujus fluctuationis.

Oritur autem ea fluctuatio, tum è rebus ipſis, quæ ſimul connecti nequeunt; virtus enim vitio jungi non poteſt; adeóque qui virtutem ſequi volet, ut à vitiis abeat neceſſe eſt; tum etiam ex illicio quod in utraque re perſpicit animus, puta in virtute ac vitio: habet enim virtus omnis potentes ac ſuaves illecebras, & innatam quamdam pulchritudinem, quâ velut hamo mens benè ſana capiatur: habet tamen & vitium ſua lenocinia, quibus incauti mortales decipiantur: & quia neque ab his, neque ab illis diſcedere omninò volunt, hinc fit ut dubii ac nutantes hæſitent, nec ſeſe in alterutram partem inflectant; quia dum voluptate in utraque conceptâ trahuntur, neutraque privari ſe facilè patiuntur, fit etiam ut neutrâ reficiantur, imò neutram deguſtent.

Similitudo Prima.

Hujus farinæ homines componit D. Auguſtinus cum iis qui in confinio poſiti, nec huic Domino parent, nec illi; ita enim inquit: *Velut in medio quodam confinio poſiti, & ab alienis* (ſcilicet hujus ſæculi Dominis) *quaſi fugaces cadimur, & à noſtro Domino tanquam inſtabiles & dubii non defendimur.* Ita nimirum fieri ſolet: qui hujus mundi Dominos, qui carnis voluptatem, ceu ſuavem tyrannum, nec omninò ſequitur, nec omninò deſerit, ut Deo ſuo, ceu vero Domino, ſe jungat; nec ab hoc, nec ab illo ſolatii quicquam accipit:

Secunda.

ideóque appoſite D. Bernardus ejuſmodi homines nutabundos ac fluctuantes comparabat cum eo, qui inter duas menſas poſitus, neque ex hac, neque ex illa quicquam delibaret.

D. Bern. de duabus menſis.

Nonne, inquit, *velut inter duas menſas poſiti epulantes, & epulantes hinc inde ſpectamus jejuni? Sic ſumus, ſic ſumus omninò, An fortè non agnoſcimus menſas? Non conſideramus epulas? Delicias non videmus? Hinc mihi ſunt, quos video deliciosè viventes in omnibus bonis ſenſibilibus hujus mundi: inde contemplor alios, quibus diſpoſuit Chriſtus regnum, ut edant & bibant ſuper menſam ejus in regno Patris ſui. Vtrobique video ſimiles mei homines, fratres meos: & heu me! ad nullum licet extendere manum.*

Hæc D. Bernardus, de ſe quidem ex humili ſenſu; de aliis autem plurimis ex veritate: ſunt illi quaſi duas inter menſas, inter delicias animæ ſpirituales, & carnales hujus ævi labilis; & neque his, neque illis ſatiari poſſunt, ſed levi tantùm odore aſpergi, ut faceret is qui poſitus eſſet inter duas menſas, & neutri accumberet: Et hic eſt ſtatus, hæc conditio tepidorum, qui inter Religionis & ſæculi menſas jejuni hærent & miſerabiles; qualis olim fuit illa Monialis, ad quam ſcripſit D. Bernardus eam acriter arguens ſui teporis.

Epiſt. 114.

Vivens, inquit, *mortua eras, vivens mundo, mortua Deo, ſive ut verius loquar, nec mundo vivens, nec Deo. Volens quippe ſub habitu & nomine religionis inſtar unius de ſæculo converſari, ſola Deum à te voluntate repuleras. Non autem volens, quod ſtulte volebas: non tu quidem mundum, ſed te mundus repulerat. Deum ergò repellens, & à ſæculo repulſa, inter duas, ut dicitur, ſellas corrueras. Nec Deo itaq; vivebas, quia nolebas; nec ſæculo, quia non poteras. Alteri quidem volens, alteri invita; ſed tamen utrique mortua.*

Exemplum primum, fluctuantis animæ.

Hactenus S. Doctor, qui pulchrè deſcribit infœlicem ſortem eorum, qui corpore & ſpecie tenus abierunt à ſæculo; animo tamen & re etiam ipſa in ſæculo ſunt: hoc uno miſerrimi, quòd cœli deliciis paſci non poſſint, quia nolunt; nec tamen etiam mundi ſiliquis, quia extra illum quodammodo ſunt; in quos cadit illud Chriſti: *Qui non eſt mecum contra me eſt.* Chriſtus enim & mundus jurati ſunt hoſtes; ſi non es cum Chriſto, contra Chriſtum es, quia cum mundo; neque ut velis medius eſſe potes; ſub altero militet eſt neceſſe: quod in ſimili oſtendit olim Deus iis, qui inter Dei timorem ac cultum, & impiam Baalis venerationem quaſi nutabundi hærebant.

Exemplum ſecundum.

3. Reg. c. 18. v. 21.

Vſquequo, inquiebat, *claudicatis in duas partes; ſi enim Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal ſequimini illum.* Hebræi legunt: *Vſquequo tranſitis ſuper duas cogitationes nec Deo nec Idolis fidi*, inquit Procopius, Uſquequo hæretis in ſalebra ambigui, & dubitantes cui parti vos accommodetis; nam dum hæc tam diverſa conjungere laboratis, & veri & falſi numinis eſſe participes, ab utroque vos alienos eſſe confitemini: & hæc olim Deus Iſraëli, quæ etiamnum populo Chriſtiano; in quem cadunt illæ querelæ Iſaiæ: *Filii tui projecti ſunt in capite omnium viarum ſicut oryx illaqueatus.*

Cap. 51. v. 20.

Meritò ſub Orygis typo, ſpeciéque pinguntur tepidi Chriſtiani, aut Religioſi, qui una parte, quia acuto ſunt intellectu, & divina luce perfuſo, ad virtutis ardua vocantur; ab altera, quia pleni noxiis affectibus, revocantur. Sed manent quaſi projecti in capite omnium viarum, hoc eſt, interprete Divo Hieronymo, nolunt *habere divitias ſpirituales in omni verbo, & ſcientiâ, & operibus bonis*; ſed ſemper manent pauperes, abjectique *in principiis viarum, & in exitu, tangentes omnia, & omnia relinquentes*: à quibus nihil eſt quod expectes boni, quia ſimiles ſunt ei, quem Tullius ad Atticum arguit: *A quo nihil ſperes boni, quia non vult; nihil timeas mali, quia non audet.* Atque utinam non etiam auderent illi contra quos hîc agimus; utinam inquam, ſi nihil boni volunt, nihil etiam auderent mali: ſed audent proh dolor! & dum conſtanti firmáque voluntate non volunt bonum, non vacant ſtudio perfectionis; multum audent mali, & fiunt iis ſimiles, quos ſuggillat Divus Bernardus dum ait:

Epiſt. c. l. 10.

Vitia fluctuantis animæ.

Horum brevis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida converſatio, quorum obedientia ſine devotione, ſermo ſine circumſpectione, oratio ſine cordis intentione, lectio ſine ædificatione: quos denique, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix diſciplina coercet.

Serm. de Aſcenſ.

QUÆSTIO OCTAVA MORALIS.

Ad illa verba: *Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* verſ. 26.

QUAM NOXIA HOMINI RECIDIVA in peccatum?

Extrinſeca cauſa recidivæ, dæmon.

UT miſerabilem peccatoris ſortem ſub oculos ponat Salvator, ſubjicit quæ dæmonis artes, & qu s genius ſit? Ubi, inquit, exierit ab homine immundus ſpiritus, ambulat per deſerta, lòca arida, & inaquoſa, hoc eſt, per deſerta loca, vaſtas inviáſque ſolitudines, in quas olim moris erat relegare dæmones, ne hominibus nocerent; vel ſi mavis dic ambulare per loca arida & inaquoſa, hoc eſt per Gentiles necdum aquis baptiſmi tinctos, adeóque aridos, & inaquoſos; vel denique per arentes Chriſtianorum animos, à gratiâ, virtutúmque fluentis vacuos: per eos, inquam, ambulat, *quærens requiem* in terris, quam non invenit in Inferis: quæ ſit illa peris? Eſt inſana nocendi libido, quam ſi expleat, tum demùm conquieſcere ſibi aliquo modo videtur: hinc ea vota, hæ voces: *Revertar in domum meam*, hoc eſt in animam è qua pulſus fui: eam appellat ſuam domum, & ſuum diverſorium malus omninò hoſpes, infœlici profectò caſu: quid enim eo infœlicius eſſe poſſit, quàm ut anima, quæ DEI ipſius ſedes erat atque habitaculum, fiat receptaculum cacodæmonis; fit tamen per letale flagitium: ad quod qua via ducatur, attende, & alieno ſi ſapis malo, cave.

Euthym.

Intrinſeca, Anima.

In Matth.

Per tria vitia.

Invenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam, in qua interprete D. Thoma tria agnoſces vitia, à quibus trahitur in præceps.

I. Gloſſa. Primum eſt *Otioſitas*: hinc vacans dicitur, utique à bonis operibus, à quibus malè feriatur anima.

II. Alterum quòd ſcopis mundata ſit, hoc eſt curſim & leviter: quia *quod ſcopis mundatur*, inquit Divus Thomas, non *mundatur*: Unde ſuadet igne mundari, & quidem ex præſcripto divinæ legis, ex qua vaſa igne mundari oportebat, adeóque ſordes omnes exuere, & ita mundatur anima ab æſtu contritionis, ab igne caritatis.

III. Poſtremum eſt ornatus, ſed ſuperficialis, ut advertit D. Thomas, qui hominum oculis illudat, & mentiatur improbè: & quia his vitiis ſibi quaſi paratam inſtructámque reperit animam, ut noviſſima illius ſint pejora prioribus, *Aſſumit* cacodæmon *ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*, quos ſcilicet opponat ſeptem gratiis, ſeu donis Spiritus Sancti: *Spiritum ſtultitiæ*, inquit Euſebius Emiſſenus, *contra ſpiritum ſapientiæ; & contra ſpiritum intellectus, ac ſcientiæ, ſpiritum vertiginis & inſaniæ; contra ſpiritum conſilii, ſpiritum temeritatis; contra ſpiritum fortitudinis, ſpiritum inconſtantiæ & timoris; contra ſpiritum pietatis, ſpiritum impietatis; contra ſpiritum timoris Domini, ſpiritum contemptus & odii.*

Ab his datur ingreſſus 7. dæmonibus.

Hactenus Euſebius, qui ſortis hujus, & miſerandæ mutationis miſertus exclamat:

Infœlix illa anima, in quâ ſpiritus iſti regnant, ſpiritus abjecti, & tartarei, qui eam ubi non obſederunt tantùm, ſed poſſederunt uſque ad extrema vitæ, contra eam inſurgent in die judicii, & à DEO judice ſententiam damnationis extorquebunt: ita enim ex iis unum aliquem loquentem inducit Divus Auguſtinus:

Æquiſſime Iudex judica iſtum meum eſſe ob culpam, qui tuus eſſe noluit per gratiam; tuus eſt per naturam, meus eſt per miſeriam; tuus eſt ob paſſionem, meus per ſuaſionem. Lib. de Salvat. document.

Primùm tres memorat titulos, ex quibus DEI ſui fuit, & eſſe debuit homo; per naturam, cùm natus; per gratiam, cùm regeneratus; per paſſionem amariſſimam, cùm redemptus: deinde his titulis tres alios opponit, ex quibus DEI eſſe deſiit homo, & dæmonis eſſe cœpit; videlicet per culpam, à quâ lapſus à gratia; per miſeriam, ad quam ſuâ voluntate, non neceſſitate prolapſus; per ſuaſionem, quæ & culpæ & miſeriæ viam aperuit.

Ab his quoque accuſatio in die Judicii.

Et hi ſunt tituli, è quibus in ultima illa ſcena, dæmonis eſſe proclamabitur omnis homo, qui cùm aliquando ex DEI miſeratione dæmonem unum à ſe expuliſſet, poſtmodum ſua prava voluntate ſeptem alios admiſit, & ab uno peccato liber in alia majora reincidit; cui & objiciuntur illa, quæ longè antè præſagâ mente prævidit D. Auguſtinus, & Chriſto judici ab ipſomet dæmone obtrudenda dixit in ipſo ſupremi judicii die.

Tibi, ô juſte Judex, Chriſtianus ſiſtitur, vide an re etiam ipſa Chriſtianus: *Quid* enim, ſi Chriſtianus erat, *apud eum impudicitia faciebat, cui renuntiaverat? Quid intemperantia? Quid avaritia? Quid ira? Quid ſuperbia? Quid cætera mea? Quid cætera mea*, inquit dæmon; cur non potiùs tua, ô Judex, in eo maximè qui tot nominibus tuus erat? Sed tuus eſſe noluit, qui & me, & mea amavit, & te odit ac tua. Ideóque omni jure æternùm ſit meus.

Concione ad Catechum. tom. 6.

Hæc eſt dæmonis ratiocinatio, nec omninò mala; proinde ea vinci, convincique qui nolet, rurſum audiat ita monentem D. Auguſtinum:

Niſi prius reſipiſcẽtia.

Sufficit præteritum tempus luteis operibus peccatorum, tanquam Ægyptiorum dominationi dediſſe: quod reliquum eſt detur excudendo caritatis auro, gemmiſque virtutum, quibus nobis æterna in cœlis manſio paretur: utque paretur, *Deteſtamini, averſamini canes ad vomitum ſuum. deteſtamini, & averſamini mundatam & vacantem domum, quò nequiores alii ſpiritus adduntur, ut ſint noviſſima hominis pejora, quàm erant prima. Vos veſtrum mundatorem tenete habitatorem:* quem enim potiùs?

Hom. 20.

Ad hanc exhortatio Auguſtini.

Mundatorem habes, ô anima, qui te lavit, mundavitque non aqua, non vino, non oleo, ſed ſanguinis ſui balneo. Vide, amabo, qualem mundatorem, & eumdem tene habitatorem; quàm enim atròx, & immanis ejus injuria, illum expuliſſe, & eum admiſiſſe à quo non munderis, ſed magis ac magis polluaris, atque ſordeſcas.

Egeſſiſti, inquiebat eodem animó zelóque D. Hieronymus ſcribens ad Furiam de viduitate ſervanda: *Egeſſiſti aceſcentes & morbidos cibos, relevaſti æſtuantem ſtomachum; quid vis rurſum ingerere quod tibi noxium fuit? Canis revertens ad vomitum, & ſus lota ad volutabrum luti. Bruta quoque animantia, & vaga aves in eaſdem pedicas, retiaq; non incidunt.*

Hieronymi. Epiſt. 10.

Et homo rationis compos altioriſque intelligentiæ, iterum iterúmque in eadem peccati vincula, eaſdem dæmonis, ceu aucupis pedicas, ac retia incidet

incidet, & quidem ſua magis voluntate, quàm alie-na fraude doloque?

Egeſſit homo per ſalutarem pœnitentiam aceſcentes & morbidos hujus ſæculi cibos, relevavit æſtuantem ſtomachum à ſiliquis porcorum, hoc eſt à fœdis voluptatibus, à libidine, quâ cum filio prodigo rabidam famem explere voluit, nec explevit tamen: quid rurſum eamdem vult ingerere? Et velut canis ad vomitum reverti? Velut ſus relabi in volutabrum luti? Certè non volet niſi malè ſanus & amens audire & eſſe velit; non volet niſi acceptæ jam gratiæ ſalutiſque prodigus; ut enim D. Auguſtinus: *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat, & nihil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata.*

C Inanis dict. 3 de Pœnit. c. 12.

Et punitionis exemplum.

Teſtis mihi erit Canonicus ille, de quo S. Bonaventura in vita S. Franciſci: exegerat ille vitam in luxu, libidine, aliiſque ſcelerum monſtris infamem, quam ut mutaret in melius, et DEI nutu, ac miſeratione immiſſus eſt gravis morbus, velut opportunus monitor, cui acceſſit & S. Franciſcus, qui ægro jacentique pia monita præceptáque ſalutis ingeſſit, ac dein etiam ſigno crucis ſanitati priſtinæ reddidit, ſeriò inculcans illud, ne cœlum jam pacatum ſua Venere, ac flagitiis laceſſeret.

Audiit ille benè ſuadentem, & aliquamdiu paruit; at deinde & ſui & monitoris oblitus, ad prima ſcelera, vomitúmque rediit. Non tulit Deus inſolentem animum, nec antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo; ſed gravi ruina oppreſſit: cùm enim fortè fortuna in ædibus cujuſdam Canonici cœnaſſet, derepentè tota domus ſtructura moléque corruente, ſolus ipſe è convivis eâ ruinâ tactus, oppreſſus, extinctus, atque ſepultus; alios ne attigit quidem univerſæ domus ſtrages, quia non attigerat culpa, nec recidiva peccatorum, quam unam petebat vindex Deus. Sed hoc antiquioris eſt memoriæ, alia accipe recentioris.

Circa feſta Paſchalia Thomam Cantipratanum cum ſuo Paſtore convenit homo unus aliquis, ut à peccatis ſolveretur, maximè verò à molline, qua ſeſe fœdè polluere ſolitus: Thomas pro officii ſui ratione primò difficultatem movere, dein etiam negare abſolutionem, vel ex eo tantùm quòd in eadem peccata ſæpiùs recidiſſet: denique victus & Paſtoris & pœnitentis opportunis importuniſque precibus eam concedere. Qua accepta lætus ad ſuos rediit ille: ſed mox (quæ ejus miſeria fuit, ac deteſtabilis inconſtantia) in eadem crimina relabi, ipſóque quod mireris, ac lugeas, ſecundo Paſchatis feſto, iterum ſeſe eadem libidine fœdare cœpit, illicóque pœnam ſenſit tot peccatis parem, & iterum, iterúmque ac ſæpiùs ingeminans illa verba: *Vindicta Dei ſuper me, vindicta Dei ſuper me*, infœlicem animam expuit, & dæmoni dedit futuram in æternis flammis victimam nil miſerantis orci.

Thom. Cantip. lib. 2. Apum. c. 30. § 9.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

VERTEBATUR à Chriſti baptiſmate quartum omninò Paſcha, cùm abiit trans mare Tiberiadis, ſic dictum à civitate nobili Tiberiade, à qua non adeò diſſitus erat deſerti locus, & quaſi ſolitudo, in qua ſolemni ſtupendóque prodigio è quinque panibus hordeaceis quinque virorum millia pavit, præter imbellem fœminarum ſexum, impuberemque puerorum, ac puellarum turbam.

Nicephor. l. 8. c. 30. Ut hujus miraculi fama noménque iret in poſteros omnes, S. Helena Imperatrix, Chriſti Domini ſui amantior, venit Tiberiadem, & in ipſo miraculi loco δωδεκάθρονον, id eſt duodecim thronorum templum inſigni regioque ſumptu extruxit, vel ut illuſtris prodigii monumentum eſſet, vel ſuæ argumentum pietatis, à qua ad hiſtoriam redeo.

Cùm ſubiiſſet in montem IESUS, & levaſſet oculos, deſpexit in amœna valle longè maximam hominum multitudinem, cujus pro ſolita caritate miſertus, ad Philippum inquit, *Vnde ememus panes, ut manducent hi?* Hoc autem *Dicebat tentans eum*; ut aliquod ab eo fidei extorqueret argumentum. Cur autem à Philippo potiùs quàm ab aliis; adhuc eſt ſub judice: fortè quia Philippus & diſcendi ſtudioſior erat, & multa à magiſtro quærere ſolitus.

Ad eam Domini quæſtionem ſubjunxit illicò Philippus, non quòd potuit, imò & debuit (Domine non eges emptis panibus, qui Orbem univerſum verbo paſcis, & è nihilo ſi vis, panem educis:) ſed adjecit frigidum illud, & jejunum. *Ducentorum denariorum panes non ſufficerent.* Tum addidit alius, Andreas Simonis Petri frater: *Eſt puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces. Sed hæc quid ſunt inter tantos?* Parum omninò homini, multum certè imò plus

ſatis

ſatis Deo, qui ut è ſemine centeno & milleno fœnore grana educit; ita & è panibus, cùm volet poteſt: & verò etiam voluit, ac fecit: juſſit enim turbam in fœno diſcumbere, & cùm ipſe Æterno Patri gratias egiſſet, dedit diſcipulis panes, & diſcipuli turbis. Et quod mortali novum atque inuſitatum, Deo antiquum ac frequens, ipſa panis & piſcium annona vel in ipſis Chriſti manibus ac diſcipulorum, vel etiam in cophinis, dum ultro citroque defertur, ita aucta ac multiplicata, ut cùm ſatiata jam eſſet epulis turba, fragmentorum cophini omninò duodecim ſuperfuerint: Et hæc eſt brevis rei tum geſtæ ſeries, in qua ſubjicio pauca.

EX D. THOMA.

[*Serm. 2.*] TRIA hìc obſervat S. Doctor.

I. Eſt *quia mare tranſiit*, & circa mare tria fecit; nam 1. *Ipſum placavit.* 2. *Per ipſum ſiccis pedibus ambulavit.* 3. *Ipſum tranſmeavit.* Et hæc tria fecit [*Pſal. 103.*] in mundo, qui eſt *mare magnum, & ſpatioſum.* 1. enim *ipſum placavit, Deo Patri reconciliando.* 2. *Calcavit, nihil mundanum diligendo.* 3. *Tranſmeavit, de mundo ad cœlum aſcendendo.*

II. Eſt *quod in montem aſcendit*: multa in montibus fecit Deus. 1. *In monte diabolum ſuperavit.* 2. *In monte prædicavit.* 3. *In monte ſe transfiguravit.* 4. *In monte frequenter oravit.* 5. *In monte diſcipulis apparuit.* 6. *In monte turbas pavit.* 7. *De monte cælos aſcendit.*

III. Quia *turbas pavit* & quidem *panibus duodecim*: & ita ſpiritali modo paſcit illos, qui eum ſequuntur in via hujus vitæ mortalis; paſcit inquam panibus duodecim, è quibus: 1. *Panis eſt Caritas.* 2. *Gaudium.* 3. *Pax.* 4. *Patientia.* 5. *Longanimitas.* 6. *Bonitas.* 7. *Benignitas.* 8. *Manſuetudo.* 9. *Fides.* 10. *Modeſtia.* 11. *Continentia.* 12. *Caſtitas.* Et hi panes ſpiritales alendis animis oportuni, quorum figura fuerunt in antiqua Lege panes propoſitionis, quos [*Exod. 26.*] ſuper menſam ſervari ſemper voluit amabilis Dei Providentia, ut nos doceret meliores ſervare in Lege nova, qui ſcilicet ſufficereot non corporibus, ſed animis ſuſtinendis ac reficiendis.

EX D. BONAVENTURA.

[*Domin. 4. Quadrag.*] TRANSIT ad myſticum ſenſum, ad illa quippe verba: *Eſt puer unus hic quinque panes hordeaceos habens.* [*Joan. c. 6.*] *Puer*, inquit, *eſt Chriſtus, à quo quinque panes habemus.*

[*Serm. 2.*] Primus eſt *natura*: hic labore quæritur. nam & in poſteros quoque deſcendit illa Dei vindicis in [*Gen. 3.*] Adamum maledictio: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Verùm, quæ cœli clementia eſt, etiam ab illo pane aliqua petitur benedictio: nam *de iſto pane colliguntur fragmenta eleëmoſynarum*, quæ 1. *Franguntur* [*Iſai. c. 58.*] *eſurienti in mundo.* 2. *In purgatorio*; mittuntur enim [*Neem. c. 8.*] illius *partes eis, qui non præparaverunt ſibi.* 3. *In cælo*, quia & *ſancti eſuriunt eleëmoſynam.*

Secundus panis eſt *doctrinæ*: eo primùm paſcuntur Eccleſiæ Doctores; cibat enim illos Dominus [*Eccl. c. 15.*] *pane vitæ, & intellectus*, ut deinde & ipſi eodem alios paſcant. Eo etiam paſcitur mens bona, quæ *panem* [*Proverb. c. 31.*] *otioſa non comedit*; quia nimirum quod *intellexit*, *fecit.*

Tertius panis eſt *Pænitentia*: hoc paſcit Deus ritè pœnitentes, hoc olim Davidem pavit, qui hæc de [*Pſal. 41.*] ſeipſo: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.* Hoc paſcet in Ævum omne pœnitentes, qui & ipſi [*Pſal. 79.*] jactabunt illud Davidis: *Cibavit nos pane lacrymarum. De iſto pane ſiunt fragmenta contritionn, confeſſionis, ſatisfactionis.*

Quartus panis eſt *Euchariſtia*, de quo illud Apoſtoli oraculum verendum quàm maximè: *Quicumque* [*1. Cor. 11.*] *manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.* De hoc veluti fragmenta colligunt 1. Sancti *honorem in cælo.* 2. Vivi *ſalutem in mundo.* 3. Mortui *ſolutionem in purgatorio.*

Quintus panis eſt *gratia*: de illo ſic Pſalmiſta: [*Pſal. 103.*] *Panis cor hominis confirmet.* *Iſtum panem timoris ſollicitudo facit hordeaceum*: Anima quippe gratia, ceu pane refecta, timet ne ea aliquando privetur. Hinc opportunè ad illam ita D. Bernardus: *Time cùm acceſſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò redierit. Iſtius panis fragmenta ſunt varia gratiarum dona.* Et hæc Sanctus Doctor de quinque panibus, qui ut rectè notavit Evangeliſta, erant hordeacei, non caſu; ſed amabili Dei providentia, ut quod in iis latebat myſterium aliquando erueretur. *Panes* quippe *hordeacei, ſignificant auſteras refectiones*, quas habet anima fidelis. [*Serm. 3.*]

Primò à pane *doctrinæ*, quæ etſi reficiat, amara ſubinde palato eſt. Avocat enim à ſuavibus vitiorum illecebris, & traducit ad auſteriora virtutum. Hujus ſymbolum eſt ille panis, quem Habacuc intrivit in alveolo, & portavit Danieli in lacu leonum: [*Dan. c. 1.*] Daniel anima fidelis; mundus lacus; leones dæmones, intritio panis, ſcripturarum impreſſio in cordis alveolo.

II. A pane *pænitentiæ*, quæ etiam amara eſt, optabilis tamen pœnitenti; optabilis Auguſtino, qui ſic olim ad Dominum: *Da mihi Domine in hoc exilio panem doloris & lacrymarum, quem eſurio ſuper omnia.* Hic eſt panis, qui per corvum miniſtratur Eliæ in [*3. Reg 17.*] torrente *Carith.* Corvus eſt peccatum, quod *apertâ oris feneſtrâ mittitur de arca conſcientia*, & *miniſtrat panem pænitentiæ in torrente Carith, id eſt, contritionis & ploratus.*

III. A pane *Euchariſtiæ*, cujus ſymbolum fuit ſubcinericius panis, qui caſtra Madianitarum ſubvertere videbatur: Madianitæ, id eſt contradicentes, [*Judic. c. 7.*] ſunt ſenſus noſtri, qui Deo homini ſub ſpeciebus latenti contradicunt; quia ſcilicet non capiunt: at fides ceu bonæ mentis oculus, & capit, & eo pane ſe reficit.

IV. A pane *gratiæ*, qui coctus ſub cinere amaræ paſſionis Chriſti; cujus ſymbolum fuit ſubcinericius panis, quem ſibi de farinula fecit illa mulier, [*3. Reg. 17.*] quæ colligebat duo ligna: molier eſt anima, duo ligna Crux, panis Chriſtus, vel Chriſti gratia.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbat ſigna quæ faciebat.* Ioan. c. 6. verſ. 2.

QVAM VITIOSVM SIT CHRISTVM non propter Chriſtum ſequi?

Intentio oculus.

SERVATOR Optimus intentionem bonam compónere ſolebat cum oculo puro, ac ſimplici, à quo mira quædam lucis amœnitas in reliquum corpus diſfundebatur; malam verò cum oculo nequam, & duplici, à quo corpus omne tenebris, atráque nocte, ceu veſte, tegebatur

Matth. c. 6. v. 22.

Si oculus, inquit, *tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; ſin autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.*

Serm. 30.

Simplex eſt oculus *Qui unus eſt, unus* autem, *qui ad plura non eſt, qui directus in unum, non fiſſus, non diffuſus, non ſparſus in multa*, inquit Gilbertus. Is fuit olim oculus Sponſæ, de quo Sponſus illius amantior: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum.*

Cant. c. 4. v. 9.

Unum ſpectat.

Benè ait, *In uno oculorum tuorum*, quia ſponſæ unus eſt oculus, in unum intentus, eúmque ſponſum, ut notat D. Anſelmus. Et is debet eſſe bonæ mentis oculus, ſpectet ille Deum unum, neque ſe per creaturas vagâ licentiâ ſpargi patiatur, neque mundi curis, ſæculíve voluptatibus diſtrahi: Sed in in unius animæ ſalutem, ceu in ſcopum collimet, agátque negotium æternitatis, quod verè homini unicum eſt.

Id olim egiſſe ſe grandi & ambitioſâ eloquentiâ teſtatur Tertullianus; utinam etiam verâ.

Lib. de Pallio.

Ego, inquit, *nihil campo, nihil curia debeo, nulli officio advigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſervo, cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, cauſas non elatro, non judico., non milito, non regno, feceſſi de populo; imò unicum negotium mihi eſt, nec aliud nunc curo, ne curem.*

Vnicum, ait, *negotium mihi eſt*, ſalutis nimirum, atque æternitatis, Deíque purè quærendi: atque utinam idem eſſet mortalibus omnibus, quàm ab illo ſimplex & purus foret oculus, quàm venuſtá vitæ facies, genæque peramœnæ; quales ſcilicet in Sponſa prædicavit, amavítque Sponſus, interprete D. Bernardo, qui locum illum Canticorum, *Pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis*, explicat de pura & ſimplici intentione; à qua ſicut unus oculus, ita duæ genæ, eæque pulcherrimæ.

Intentio genæ ſponſæ.

Cant. 1.

Serm. 40.

Duo, inquit, in intentione (quæ facies eſt animæ) *neceſſaria requiruntur; res, & cauſa, id eſt, quid intendas, & propter quid*; quod ut exemplo fiat illuſtrius: *Intendat*, inquit, *quis animum requirendæ veritati, atque id ſolo veritatis amore. nonne is tibi videtur & rem, & cauſam habere honeſtam? Meritóq; ſibi vendicare quod dicitur: Pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis, quippe cui in neutra genarum nævus reprehenſionis appareat. Quod ſi minimè quidem veritatis deſiderio, ſed aut inanis gloria, aut alterius qualiſcumque commodi temporalis obtentu in veritatem intenderit, jam etſi unam genarum videatur habere formoſam; at deformem habet alteram.*

Bonam faciunt duo, Res, & cauſa.

Talem habuêre Judæi, & omnis illa turba, quæ per avia & invia deſerti loca Chriſtum ſequebatur; quia videbat ſigna quæ faciebat: nimirum uno illius amore non trahebatur, ſed rapiebatur ſtupore, ſenſúque miraculorum, quæ in ſe quoque voluiſſet derivari: è turba enim, quæ Chriſto per deſerta comes erat, pars corpore languida, & aliquo vitio notata, à quo ſe illius beneficio liberari amabat; pars animo malè affecta, impulſáque neſcio qua curioſitate, ut prodigia, quæ animo & auribus uſurparat ſubjiceret oculis; è multis omninò pauciſſimi, qui JESUM propter JESUM ſequerentur.

Et hoc fuit vitium illius ætatis, nec illius tantùm, ſed & conſequentium longè ſæculorum; quod oſtendit, ac deplorat D. Auguſtinus in ea verba D. Joannis: *Non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus. Quàm multi*, inquit, *non quærunt* JESUM, *niſi ut faciat illis benè; impletur quotidie talibus Eccleſia. Vix quæritur IESVS propter IESVM.* Et hinc perìculoſi virtutum ſcopuli, hinc immania bonorum operum ſalutiſque naufragia, ex perverſa illa, & præpoſtera intentione. *Iactat enim atrociter mare navigantes, ſi aliò ventus, aliò unda præcipitat*, inquit Pomponius: Hoc eſt, ſi aliò opus, aliò intentio ſpectent. Si opus quidem in ſeipſo bonum, ſed prava fuerit intentio; tum enim neceſſum erit, hæc duo inter ſe pugnare, atque luctari: ſicut in diverſa agi, rapíque oportet navigantem, quem in Orientem impellit ventus, & in Occidentem unda propulſat.

Cap. 6. Tract. 25.

L. 3. de Situ Orbis. c. 1.

Verùm concedamus illud, ex minùs recta intentione non ſemper imminere animæ, ſalutiſque periculum: at ſaltem manet iſtud, eos omnes, qui ea ducuntur, numquam virtutis, numquam perfectionis metam aſſequi poſſe: quod ipſum (ut eò redeam, unde diſceſſi) eleganti ſimilitudine oſtendit Sapiens, dum ait ore verbiſque cœleſtis Sponſi: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.* Oculus ille unus, interprete Rabbi David, eſt recta intentio; crinis unus, è quo funis paratur, & junguntur cornua arcus, hoc eſt mentis, eſt vel minima cogitatio, quæ ab amore, ceu ſagitta, ab amante ceu ſagittario dirigitur in cor ſponſi tanquam in ſcopum, eúmque altè pervadit, ac vulnerat. Et hoc quidem arte, peritiáque ſponſæ, quæ inſtar ſagittarii unum oculum, eúmque ſiniſtrum terris claudit; alterum verò, eúmque dextrum cœlis aperit, ut in ſponſum, Deúmque ſuum certiùs intendat, & ſua tela, hoc eſt amores omnes ſuos, infigat, hoc uno beata ſi numquam refixerit, ſi non in alio, quàm in Dei ſui ſinu quieverit: Si enim inſtar adulteræ alicujus vagos habeat amores, & venales toros, modóque Deum admittat in animæ cubile, modò eo excluſo creaturam advocet, non erit unquam tanto ſponſo digna: qui enim erit? ſi de virtute dixit Seneca: *Non recipit virtus ſordidum amatorem; ſoluto ad illam ſinu veniendum eſt*: Quomodo recipiet Deus immortalis ſordidos illos amatores, qui licèt extrinſecus eum amare ac quærere videantur; intrinſecus tamen ſeipſos amant, ac ſua quærunt potiùs quàm Dei; creaturis placere ſtudent, atque etiam ſimul Deo, quod inſignis eſt amentiæ: quia ut ait Iſaias: *Coanguſtatum eſt ſtratum* cordis noſtri, *ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non poteſt*: idcóque jure meritiſſimo queſtus olim Deus Iſaiæ voce:

Intentio veluti ſagitta.

Sagittarius ſponſa.

L. 4. de Beneſ. c. 24.

Cap. 28.

Quia

Cap. 37. v. 8.

Quia juxta me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum, dilataſti cubile tuum, & pepigiſti tum eu fœdus; diſcooperit enim verò Deum, qui etſi bonum operetur, ac rectum; non tamen benè ac rectè: dilatat cubile cordis ſui, qui DEUM amare ſtudet, ac mundum; qui virtutis opera ſectari videtur non ſoluto mentis ſinu, ſed pravis intentionibus implexo atque involuto: quiſquis eſt ille, numquam Superis, Deóque erie in amoribus: *Deus enim adverbia amat, non nomina*: Nec tam attendit rectúmne feceris, quàm an rectè.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm ſublevaſſet oculos, & vidiſſet, quia multitudo magna venit ad eum.* verſ. 5.

QVOMODO BENEFICENTIA IN OMNES ÆQVA, DEO *ſit propria ac ſingulari?*

EST illud vel mundi, vel etiam mali dæmonis vitium, ſi quæ illi ſub manibus, ſub oculis ſint dona, ea omnia quà poteſt in unum caput congerit, ut ſic reliquos omnes peſſundet, ac perdat. Quod malum gravi oratione deplorat Salvianus, dum ait: *Vt pauci illuſtrentur, mundus evertitur; unius honor Orbis excidium eſt.*

Lib. 4. de Provid.

At non ſic DEUS ter Opt. ter Max. patitur ille beneficentiæ ſuæ fontes in omnes æquo quaſi fluxu derivari; quia ut *Puſillum, & magnum ipſe fecit*, ſic & *æqualiter eſt illi cura de omnibus*, ut bellè notavit Sapiens, & ex illo Tertullianus, cujus hæ voces.

Cap. 6. v. 8.

Omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus & Dominus eſt: quam æquitatem dum amat ac ſuſcipit D. Auguſtinus, exclamat: *O tu bone omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrûm, veluti ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos curares, atque diligeres.*

Lib. adverſus Iudæos c. 7.

L. 3. Confeſſ. c. 11.

Deus in omnes æqualis.

Ab illa munificentiâ, quæ omnibus æquè patens eſt, & æquè vicina, dicitur DEUS eſſe in medio, & quaſi in centro; homines autem omnes velut in circumferentiâ. Sic enim explicat D. Auguſtinus illa Pſalmiſtæ verba: *Deus in medio ejus. Quid eſt. Deus in medio ejus? Hoc ſignificat quod æquus eſt omnibus Deus, & perſonas non accipiat: quo modo enim illud quod in medio eſt, paria habet ſpatia ad omnes fines; ita Deus dicitur æqualiter omnibus conſulens*, quia æqualiter diſtans, æqualiter & vicinus omnibus, ut ſolet eſſe centrum ab omnibus partibus, & punctis circumferentiæ alicujus circuli.

In Pſal. 45.

Etiam æqualis Chriſtus.

Quæ Dei benificentia; eadem & Chriſti Servatoris; cujus ut canit Eccleſia, *Suſcepimus miſericordiam in medio templi*: quæ verba ſic explicat D. Bernardus: *In medio templi miſericordia eſt, non in angulo, aut diverſorio, quia non eſt acceptio perſonarum apud Dominum. In communi poſita eſt. Offertur omnibus; & nemo illius expers, niſi qui renuit.*

Pſ. 47. v. 8.

Serm. 1 de Purificat.

Nimirum tam ipſe DEUS, quàm Chriſtus hujus Univerſi Princeps eſt ac rector, adeóque & illius quodammodo animus; Si enim receptum illud, quod Imperatori ſcripſit olim Seneca: *Animus Reipublicæ tu es, illa corpus tuum*: Si inquam receptum, & verum illud; neceſſum eſt ut ſicuti animus omnibus corporis partibus vitam præbet ac motum: ſicuti ſtomachus (cum quo & princeps componitur) alimenta ſuccumque miniſtrat, & æqua portione pro cujuſque indigentia diſtribuit; ſic & Deus, ſic & Chriſtus generis noſtri reparator omnibus æquo jure providet: quod ipſum liquidò oſtendit hæc ipſa quæ manibus teritur Evangelica hiſtoria: *Cùm ſublevaſſet oculos IESVS, & vidiſſet, quia multitudo magna veniſſes ad eum*, ſui quodammodo oblita; dicit ad Philippum: *Vnde ememus panes ut manducent hi?* Non iis tantùm proſpectum eſſe vult, qui ſub oculis & ſub manibus quodammodo ſunt; ſed & remotiſſimis quibuſque ad quos non oculos modò corporis elevat; ſed & animi quoque affectum effert, atque tranſmittit.

Ad Neronem l. 1. de Clementia c. 3.

Hanc porrò æquitatem, & proclivem in omnes beneficentiam etiam alio loco, ſymbolóve aperuit Chriſtus: viſus enim D. Joanni in medio candelabrorum aureorum, id eſt Eccleſiarum, quæ ſunt veluti candelabra aurea in domo DEI: in horum medio conſiſtit, & hæret, ut omnibus communis ſit, & ad nullum propiùs accedat, à nullo longiùs recedat.

Apoc. c. 1. v. 5.

Mundus contrà inæqualis.

Non ſic filii Adam, non ſic filii hujus ævi: ſi quis ab illis favor, ſi quæ gratia, ſi quod pingue beneficium, officiúmve ſit derivandum, ſiſtitur illud, & hæret in propinquis, in junctis ſanguine & cognatione; non effluit ad alienos, ad remotiores à natura & ſanguine, licèt quandoque & ſæpiùs ii gratiâ, favore, beneficioque digniores ſint. In quo profectò contra Chriſti exemplum, contra æquitatis ac juſtitiæ leges, contra SS. Patrum placita, contra conſcientiam graviter peccatur.

Contra juſtitiam quidem, quia hæc ei DEI digito ſcripta lex. *Nulla erit diſtantia perſonarum; ita parvum audietis ut magnum, neque accipietis perſonam, quia DEI judicium eſt.*

Deuter. c. 1. v. 17.

Beneficia propinquis dat.

Contra SS. Patrum placita, ac pronuntiata etiam plurimum delinquitur, quia ut D. Hieronymus: *Principatus in populos non ſanguini deferendus eſt: ſed vitæ.*

In cap. 1. Ep. ad Titum.

Sacrum imperium non fortunæ præda, ſed virtutis præmium eſt, ut eleganter D. Gregorius Nazianzenus. *Non generis nobilitas, ſed morum eligatur gratia & virtutum prærogativa*, ut rectè D. Ambroſius, cujus & hoc judicium dignum cedro & Poſteris: *Præferenda eſt religio neceſſitudini, pietas propinquitati: ea enim eſt vera pietas, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus.*

Orat. 9.

L. 9. Ep. 23.

In c. 32. Exodi.

Non virtuti.

Et hæc ſunt SS. Patrum judicia, graveſque cenſuræ, quas incurrunt ii, qui ſecus faciunt, qui plus æquo propinquis favent, ex eoque conſcientiam onerant, ſibi ſcelus acceſſunt, & cladem æternam; quod & ſummum eſt malum, & amentiæ genus intolerabile; teſte etiam ac judice S. Valeriano, cujus hoc effatum:

Stultitiæ genus eſt, aliis feciſſe lucrum, & ſibi paraſſe ſupplicium.

Hom. 10.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt.* V. 7.

QVOMODO HOMINI NIHIL SVFFICIAT, niſi aut DEUS *ſit, aut ſaltem à* DEO?

Homini nihil ſatis eſſe

SCITE pronunciavit olim Seneca: *Fortuna multis nimium dedit, nemini ſatis*, cujus ratio petenda partim ex ipſa hominis natura, partim ex caducis hujus vitæ bonis.

I. Ex ejus natura.

Natura quidem, quæ cùm non ſit abjecta ad putidas terræ, carniſque voluptates, ſed ad puriores altioreſque cœli delicias erecta, Deoque nata, alio quàm ſummo bono refici non poteſt, nedum expleri; ideóque benè cenſuit, benè dixit D. Chryſologus, qui animum ad terram, & terrena poſtratum, à natura & ſeipſo degenerem appellavit.

Serm. 16.

Degener nimis animus, & mens tota ſervilis eſt, quæ coquorum aſſlatus, ſqualores culinæ, heſterno horrore fœtentia perquirit obſonia, cui jugiter regiis deſervit atque adjacet apparatus.

Degener, inquit, & nimiùm quantùm degener animus. Primùm ab ipſa hominis natura, deinde etiam à dignitate: ab illa quidem, quia cœleſtibus cùm natus ſit, terrena quærit, & importunus ambit; ab hac verò, quia intus dives cùm eſſe poſſit, & à cœleſtibus gazis opulentus, à creaturis turpiter mendicat; ſimilis illi cæco Evangelico, *Qui ſedebat ſecus viam mendicans*: contra adjectam illam, turpemque mendicitatem, eo quo ſolet concitatæ orationis impete declamat D. Bernardus: *Vſquequo*, inquit, *miſer diverticula captas, & conſolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas? Tanto rubore mendicas?*

Luc. c. 18. v. 35.

Serm. 6. de Aſcenſ.

II. Ex bonis creatis.

Illi mendico objicit hîc Divus Bernardus laborem improbum, quo ſe diu noctuque fatigat, ut aliquid ab humanis ſolatioli quæritet, ac impetret: nec impetrabit tamen; quia ex vero nulla in iis ſolida voluptas, nulla defœcata, nulla limpida: *Vita, & voluptas, quæ à fortuna*, fortunæque bonis *pendet, rapido flumini ſimilis eſt, turbulenta, cænoſa*, inquiebat olim Epictetus. Ideóque etiam monente, urgentéque Senecâ Philoſopho, *Dimitte iſtas voluptates turbidas magno luendas: Quia*, inquit, *non venturæ tantùm, ſed præteritæ nocent*: Et ſi ſubinde ad modicum tempus prodeſſe videantur, & hominem reficere; verè tamen non reficiunt, ſed ſimiles ſunt ſiliquis porcorum; quibus, ut advertit D. Ambroſius, *Corpus non reficitur, ſed impletur, quæ magis oneri ſunt, quàm uſui*; Nec tam famem explent quàm proritant inſanâ quadam appetentiâ, quæ licèt ſeſe ſpargat in omnia bona hujus ævi mortalis, numquam tamen ex iis colliget verum bonum, ſed tantùm apparens: quod quia non ſanat, non explet appetitum, hinc illa vota: *Quis oſtendet nobis bona?* Imperitæ multitudinis ſunt eæ voces, veræ tamen; jactat enim illud: *Quis oſtendet bona?* Non autem *Quis dabit*: verè enim puſillo homini, & caro, & mundus bona oſtendit, non dat; nec verò etiam dare poteſt. Ad Senecæ fidem, atque authoritatem appello: ita ſecum ipſe ſentire, ſecum loqui ſolitus, cùm ea bona oſtenderentur.

Apud Stobæum.

Quæ cœnoſa.

Epiſt. 27.

In cap. 15. Luc.

Oneroſa.

Pſ. 40. v 6.

Apparentia tantùm.

Hoc, inquit, *mihi ipſi dico, quoties aliquid perſtrinxerit oculos, quoties occurrerit domus ſplendida, cohors culta ſervorum, lectica formoſis impoſita calonibus. Quid miraris? Quid ſtupes? Pompa eſt. Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur; & dum placent, tranſeunt.*

Epiſt. 110.

Tranſitoria

Oſtenduntur, inquit, *iſtæ res*, ideóque oculos tantùm paſcunt, & ad animum non appellunt: & ſi appellerent, non tamen ſatiarent, quia *non poſſidentur*: non manent nobiſcum ad annos, & ſæcula; ſed *dum placent tranſeunt*, vacuumque hominem deſerunt.

Diſce iſtud ex illa ipſa quæ præ manibus eſt hiſtoria: quæſierat à Philippo Chriſtus: *Vnde ememus panes ut manducent hi?* cui ille: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, ut modicum quis accipiat*: quæ verba ſi cum Velaſquez detorquere velis ad hujus ſæculi opes & bona, vere pro oraculo ſunt: Vix enim etiam ampliſſima fortuna, ac divitiæ quantumvis magnæ ſufficiunt, ut modicum quis accipiat, explendo ſcilicet appetitui: quia ex nummis ſatietas non oritur, ſed fames. quippe *avarus non implebitur pecuniâ*, ſed potius inſtar alicujus Cain, *Quò plura acceperit, eò magis inopem ſe credit*. Sic parum fida eſt mundi manus, ſua dum fundit dona: at non ſic omnipotens Dei dextera, ex illa etſi modicum elabatur, explet tamen appetitum, & omnino ſatiat. *Sic melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas.*

In Ep. 2 ad Philipp. c. 2. v. 7.

Advent. 10.

Nec ſatiantur.

Eccleſ. c. 5. v. 9.

Ambr. l. de Abel & Cain c. 5.

Pſ. 36. v. 16.

Ne longiùs abeam, mihi teſtis erit ea ipſa multitudo, quæ paucis panibus à Chriſto & reficitur & ſatiatur. Quòd ſi reficit, expletque penitus id omne quod è Dei manibus exciderit, quantò magis ipſe Deus; cujus probè conſcius Philippus aiebat ad Chriſtum: *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*: ſufficit enimverò, quia in aperta claráque luce viſionis oſtendiſſe, eſt dediſſe: in quo liquidò agnoſcis primò quantum ſit diſcrimen mundum inter & Deum: ille bona oſtendit, nec tamen dat; hic autem & oſtendit, & ſimul dat. Deinde ubi ſeipſe, ſuaque bona oſtenderit nobis Deus, tum verò dicere poſſumus: *Sufficit nobis*: non ſic cùm ſua bona oſtenderit mũdus, tum enim nunquã licebit dicere: *Sufficit nobis*.

Contrà Deus, & Dei bona ſatiant.

Ioan. c. 14. v. 8.

Ratio ſi quæritur, ea petenda eſt ex ipſo hominis genio, ac natura. Cum enim is ad Dei ſui ac conditoris imaginem effictus ſit, illius eſt capax, adeóque etiam infiniti boni; in quod vota ſua quia extendere poteſt, bonis creatis occupari poteſt, ſatiari omnino non poteſt.

Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te, inquiebat Auguſtinus, ſua ipſe doctus experientia; à qua ſic vanulum aliquem ac carnalem hominem compellat, atque erudit:

Lib. 1. Confeſſ. c. 1.

Pecori bonum eſt implere ventrem, dormire, guſtare, vivere, ſanum eſſe, generare. Tale tu bonum quæris? Cohæres Chriſti quid gaudes, quòd ſocius es pecorum? Erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium, ipſe erit bonum, à quo tu in tuo genere factus es bonus, & omnia in genere ſuo facta ſunt bona, & qui ſatiat in bonis deſiderium tuum.

In Pſal 102.

Rectè *qui ſatiat*, cætera quippe orexim excitare poſſunt, tamen explere atque extinguere non poſſunt: quod pulchrè D. Bernardus oſtendit in quinque hominum generibus, quos phreneticos appellat, & quorum ſpeciem ſibi, nobiſque objicit eleganti emblemate:

Cætera non ſatiant.

1. in 5. Phreneticis.

Vidi, inquit, *ego aliquando quinque viros; quidni phreneticos arbitrer?*

I. Declam. in ſuper illud: Ecce nos reliquimus omnia.

Primus buccis tumentibus marinam maſticabat arenam: & hic ſymbolum hominis, qui fortunæ bonis totus inhiat. Ea tamen minimè ſufficiunt.

Secundus

II. *Secundus ſulphureo aſtans lacui exhalantem teterrimum fœdiſſimumq; geſtiebat haurire vaporem.* Et hic eum notat, qui carni incubat, ac veneri, turpiſſimæque voluptati: quæ tamen nec ipſa ſufficit.

III. *Tertius fornaci incubans vehementer accenſa, micantes ſcintillas biantibus excipere faucibus letabatur.* Et ille deſignat hominem, qui nihil ſpirat niſi ardentes iras, vindictam, cædes, rogos, & hoſtium ſuorum incendia, & quod ab iis ſibi ſperat bonum: quod tamen etiam non ſufficit.

IV. *Quartus ſupra pinnaculum templi reſidens, levioris auræ ſpiritum aperto attrahebat ore, & ſi quò minus influere videretur, flabello ſibi ventum ipſe ciebat, ac ſi totum ſperaret aërem deglutire.* Et iſte monſtrat leviuſculum aliquem, qui auram captat vani nominis, & inanis gloriolæ ventum, & quod inde ſibi parat bonum; quod tamen nequaquam ſufficit.

V. *Quintus ſeorſum poſitus ridebat cæteros, ipſe quoque ridendus vel maximè; proprias enim carnes incredibili quodam ſtudio ſugere laborabat.* Et is oſtendit unum aliquem, qui ſui amantior, & ſe ſolum amat & ſua, & in illis bonum reponit; quod nunquam ſufficit.

Et hæ ſunt quinque hominum claſſes, quas mentis oculo dum contemplabatur D. Bernardus, ex iis quærit, quæ cauſa inſolentis illius appetentiæ: & audit eſſe famem; & certè eam prodebat macilenta, atque exeſa omnibus facies, cujus dum miſerétque, tædétque. *Quid hæ vobis, inquio, proſunt?* Non ſunt naturales cibi; magis famem hæc provocant, quàm extinguunt. Panis namque animæ juſtitia eſt, & ſoli beati, qui eſuriunt illum: quoniam ipſi ſaturabuntur. Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt; capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit.

Hæc illis, hæc nobis omnibus S. Præſul; ut evincat illud, ſuadeátque in nullo bono creato, conquieſcere hominem unquam poſſe. *In omni homine.*

Eſt ille ſimilis acui nauticæ; hæc ubi magnetem attigit, tremula, vaga, mobilis & nunquam conſiſtens vertit ſe plagas in omnes, uſque dum ad polum aſpexerit, atque invenerit; tum enim quaſi clavo confixa hæret: crederes à polo illi eſſe benè, crederes eſſe in centro, & quidem optatæ quietis.

Eſt homini indita quædam à natura propenſio ad Deum, ceu polum, ceu centrum ſuum, ceu ſummum bonum. Hoc ſi reſpexerit, ſi invenerit, illicò quieſcit immotus: ſin autem aliò aſpexerit, aliò verterit cogitationes, amoréſque ſuos, vagus erit atque inquietus. *Qui ſimilis acui nauticæ.*

Teſtis erit ille miles apud Plutarchum, qui cùm per omnes militiæ gradus ad Imperatoris ſolium aſcendiſſet, nec in eo etiam conquieſceret, illud veritati teſtimonium dedit: *Omnes omnium dignitatum gradus percurri, & in nullo quietem inveni;* nec etiam alius quiſpiam inveniet.

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad illa verba: *Facite homines diſcumbere.* verſ. 10.

CUR SERVATOR OPTIMUS TURBAM ILLAM diſcumbere voluit, non ſtare?

VIDEBITUR fortaſſe hæc quæſtio alicui minùs opportuna, quòd ejus ratio in aperto eſſe videatur, & cuilibet ſatis obvia: quis enim neſciat cibum ſumere parantibus accumbendum eſſe, idque ex uſu omnium propè gentium? Non abnuo eam rationem ſtatim manibus teneri, & in cujuſque oculos incurrere: ſed & aliæ ſunt in occulto, quas eruere & in lucem efferre mihi eſt animus.

Prima ratio. Prima quidem ut innueretur alias eſſe mundi, alias ipſius DEI delicias: illæ, quia fluxæ ſunt & inanes, veluti ſtando aut tranſeundo rapiuntur: Hæ verò, quia fixæ, quia ſtabiles & æternæ, nonniſi à diſcumbentibus, hoc eſt à ſedatis & tranquillis animis colliguntur.

Illæ oculos paſcunt, & ſtatim diſparent; hæ animum, & cor ipſum vitæ ſedem reficiunt, & permanent. *Lætitia,* quæ in mundo eſt & rebus externis, *non eſt cordis,* inquit aureè Chryſoſtomus; *ſed ſolius oculorum:* at quæ DEI eſt, cordis eſt lætitia, non oculorum; & ea fuit olim Davidis, qui hæc Domino cum multâ gratiarum actione, æſtúque amoris: *Dediſti lætitiam in corde meo.* *In Pſal. 4. v. 7.* *Pſ. 4. v. 7.*

Mundi gaudia, & voluptas omnis cum ſtrepitu defluit, & per fugientia hujus ævi ſpatia labitur inſtar alicujus nimbi, quem ingens ventorum turbo agit, ac diſſipat: at puriores cœli deliciæ *Deſcendunt ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram:* Molli ſcilicet, & quieto lapſu fluunt, ſicut *Aqua Siloë, quæ vadunt cum ſilentio,* & in pacatos animos velut in nativum opportunumque alveum defluunt. Et hæc prima ratio ad mores facit: aliam etiam accipe, quæ eſt D. Hieronymi; tractans illa verba D. Lucæ: *Facite illos diſcumbere per convivia quinquagenos,* ita habet: *Iuxta litteram manifeſtus eſt ſenſus: Spiritualis interpretationis Sacramenta pandamus. Diſcumbere jubentur ſuper fœnum, & ſecundùm alium Evangeliſtam ſuper terram, per quinquagenos, ac centenos, ut poſtquam calcaverint carnem ſuam, & omnes flores illius, & ſæculi voluptates, quaſi arens fœnum ſibi ſubjecerint; tunc per quinquagenarii numeri pœnitentiam, ad perfectum centeſimi culmen aſcendant.* *Pſal. 71.* *Iſai. c. 8. v. 6.* *Cap. 9.* *Secunda ratio.* *In c. 14. Matth.*

Ex illius hiſtoriæ ſerie duo deducit S. Doctor, & ad formandos mores transfert.

Primum eſt, hominem, qui è dextra DEI cibum amat, & ad epulum cœleſte aſpirat, debere pedibus, hoc eſt affectibus, proterere carnem ſuam, & omnes illius floſculos (ſeu eos voles eſſe ipſius corpuſculi, ut ſunt ciborum illecebræ, gulæque blandimenta; ſeu fortunæ riſus, ac voluptatum lenocinia) quæ omnia altiore animo ſibi ſubjicere debet ac quaſi pedibus ſupponere: tum deinde ſalutari pœnitentiæ incumbere, à qua obtinebit illud, quod cuique debet eſſe in ſummis votis, culmen ſcilicet gloriæ ac beatitatis.

Tertia ratio. Tum denique ut imprimis diſcipulos ingentémque turbam doceret in amabili Dei providentia conquieſcendum: ut enim cætera deſint, non deerit in ſe confidenti propitium Numen.

Cùm juberetur in fœno ſedere turba quaſi ad ſtratam ſibi menſam, & paratas epulas, poterant enimverò objicere diſcipuli. Ecce jam reſedit innumera multitudo, eáque mirum in modum famelica: at ubi panes? Ubi eſca? Nihil horum obtrudunt: ſed illicò parent jubenti Chriſto, paret & turba;

turba; cætera Deo committit. Nec defuit ille: nec deerit unquam: paſcet ſperantes in ſe etiam miraculo ſi voles.

Ita hîc pavit quamplurima hominum millia: ita lapſis deinde ſæculis alios recreavit multiplicatâ etiam per miraculum annonâ. S. Clara de monte Falco vidit olim Monaſterium ſuum in eas redactum anguſtias, ut alendis quinquaginta Monialibus unicus eſſet panis: eum in partes omninò quinquaginta dividi voluit, & illæ divina vi in earum manibus ſic accrevêre, ut etiam probè ſatiatis plurimum ſupereſſet.

In ejus vita

Divinæ providētiæ exempla.

Sic olim piſciculus in manibus S. Corentini auctus & Regi, & aulicis, & toti famulitio abundè ſuffecit. Latebat in abdita eremo vir ſanctus media inter nemora, ad quem dum venatur, venit Grãlondus II. Britanniæ Regulus, qui ſedandæ fami cibum ab Eremita petiit: obtulit ille modicum atri panis. & piſciculum (quem fortè in vivario habebat unicum) in partes duas ſecuit, & fruſtulum unum Regi appoſuit; quod reliquum erat, aquis reddidit. Mirum dictu, viſúque! eo ſatiatus Rex, ſatiari famulorum greges. Ubi actæ Numini gratiæ, petiit Rex unde hauſtus ille piſcis? Itum ad aquæ vaſculum potiùs quàm vivarium, & piſcis (qui tamen antea ſectus) integer apparuit. Id prodigium primò Regem admirabundum habuit; deinde in Viri ſancti amorem rapuit: hunc ut indulgeret caſtrum dedit ædificando Monaſterio, cui deinde S. Corentinus & famam, & nomen dedit, imò & in oppidum formavit, quod etiam hodie ab illo audit Petrocorienſe.

Annales Britan.

Adeò providum Numen in eos qui ſpe ac fiducia in illo veluti confident, acquieſcunt. Ut olim Sanctus Remigius, qui Clodovæo Gallorum Regi in Alaricum bellicam expeditionem meditanti, vini lagenam obtulit, quæ ita divinitùs aucta, ut potui regio abundè ſuffecerit eo omni tempore, quod bellum occupavit. Nimirùm ad S. Præſulis orationem & vinum accreſcere, & magis ac magis Dei in ſuos providentia clareſcere. Hac innixus ubique locorum, ubique temporum in alta animi quiete ſede, & paratæ ſemper poteris accumbere menſæ, ut olim ad Chriſti nutum magna illa hominum multitudo.

Flodoard. in ejus vita.

Uti deinde poſt longa ſæcula Religioſis è ſacra D. Franciſci familia; cujus hîc meminiſſe juvabit ad exemplum, & ſingularem divinæ providentiæ commendationem.

Vertebatur annus à condita Minorum Religione duodecimus, cùm ad illius bonum cogi placuit Capitulum Generale, cui etiam intererat D. Dominicus, & D. Franciſcus, præclara omnis ſanctimoniæ lumina. Sed ô malum! numeroſæ multitudini deerat omnis annona etiam neceſſaria vitæ ad modicum ſuſtinendæ, cùm ſic ad Franciſcum Dominicus: *Eamus alacres, Deúmque precemur, ut qui in deſerto præter mulieres, parvulóſq́; ad quinque hominum millia pavit; & hîc fratres noſtros paſcat.*

Wadingus Tom. 1. An. Min. 12.

His dictis ſecedunt à turba magni Oratores, Dominicus & Franciſcus, & in alto exceſſu mentis. Deum orant, exorántque; tum ad ſuos redeunt ſub horam prandii, & ſic ad illos Dominicus.

Eamus, Viri fratres, eamus in cœnaculum: at quorſum, inquiunt illi? nec panis, nec vinum, nec ullum cibi genus eſt domi. Quibus Dominicus: *In Domino confidite.*

Parent illi, ingrediuntur triclinium, menſiſque de more benedicunt, & aſſident: ſed ab omni edulio vacuis, non tamen à ſpe, & religioſa in Deum fiducia; quæ tum temporis non deſint. Ecce enim derepente in conſpectum veniunt adoleſcentes numero viginti, elegantes, formoſi, expediti, ſuccinctíque ad exhibendum fratribus miniſterium. Et verò te etiam ipſa exhibuerunt religioſis quingentis, eóque ampliùs, omnéque cibi genus intulerunt, vinúmque infuderunt, non creticum, ſed cœleſte, ac propè divinum: nunquam lautiùs epulati fratres, nunquam hilariùs, nunquam meliùs depulſa fames, ſitiſque, convivatum eſt etiam ad ſatietatem, etiam ad delitias; ſed innoxias & illas, à quibus ſcilicet ita corpus refici, ut animus magis.

Finito epulo, levanſque menſis, cœleſtes illi miniſtri, primùm religioſos omnes humaniſſimè ſalutant, tum è triclinio ſeſe modeſtè ſubducunt, peracta ſcilicet erat ea ſcena, cujus ergo venerant.

Quis tum animus omnibus? quæ mens? quæ cogitatio? quis æſtus pii in Superos, Deúmque amoris? quis ardor Franciſco, quis Dominico ignis. Hunc certè prodiderunt tum actæ Deo Largitori gratiæ, tum hujus ad fratres oratio; qua & fidem excitavit, & ſpem extimulavit, & ſingularem in divina providentia fiduciam accendit; atque utinam & hanc, & illas in nobis etiam accenderet; ut in ea tota conquieſceremus, uti conquievit famelica illa multitudo, quæ juſſa eſt ab Apoſtolis diſcumbere ſuper fœnum.

QUÆSTIO QUINTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Dedit Diſcipulis panes; Diſcipuli autem turbis.* Matth. 14. verſ. 19.

QUOMODO ECCLESIASTICI BONA E DEI manu accipiant, ut ea pauperibus largiantur?

Panes, ceu ſemen, in manibus Chriſti.

NON aberrabit ille qui dixerit Chriſti manus fuiſſe veluti molle, ſubactum, fertiléque ſolum, quibus omne quod committeretur, inſtar ſeminis produceret fructum centeſimum, imò & milleſimum. Exemplo erunt pauculi panes, quos in Chriſti manibus eo fœnore multiplicavit amabilis illius providentia, ut alendis, imò & ſaturandis plùs quinque millibus hominum ſufficerent; quod nobis exemplo erit ac documento, ut nos noſtráque omnia tradamus in Chriſti manibus; hoc eſt, ei ſi quid in nobis eſt ingenii, ſcientiæ, virium, ac fortunarum, committamus, ut ex iis copioſam ſementem aliquando reportemus in æternitatem: contra quam omninò faciunt viri hujus ſæculi, *Viri divitiarum*, qui à ſomno hujus vitæ mortalis excitati, *nihil invenerunt in manibus ſuis, quia nihil poſuerunt in manu Chriſti.*

Aug. in Pſal. 75.

Serm. 9.

Poſuiſſent autem, ſi in manus pauperum repoſuiſſent; ut enim aureè Chryſologus: *Vult* Deus *in paupere ſibi dari, & qui vult ſibi dari vult quod datum eſt ſe debere, & qui vult ſe debere quod datum eſt, vult largientibus nil perire.* Deus *parva poſcit, maxima redditurus.*

Divitiæ in manu opulenti.

Ita

Ita hoc loco voluit Chriſtus ſibi offerri pauculos panes & pauculos piſces, quos deinde cum ingenti fœnore reddidit, & primùm quidem diſcipulis ſuis, tum per hos etiam turbis, ut vel ex eo diſcat poſteritas omnis DEUM Opt. Max. eo fine bona dediſſe ſeu Apoſtolis, ſeu Epiſcopis, eorùmque ſucceſſoribus, ut ipſi deinde effuſâ liberalitate in pauperes erogarent. Ut enim disertè D. Auguſtinus: *Fecit* DEUS *pauperem, ut probet hominem, & fecit* DEUS *divitem, ut probet illum de paupere.* Ex quo fine conficit & illud S. Doctor: *Gaudeat igitur indigens de dato tuo, ut & tu gaudeas de dato Dei: eget ille, eges & tu: eget ille ad te, & tu ad Deum. Tu contemnis egentem tui,* DEUS *non contemnet egentem ſui.*

Pſal. 12.

Maximè verò Eccleſiaſtica.

Hæc S. Auguſtinus ſuavi, ut ſolet, fortíque eloquentiâ, quæ etſi divites omnes percellere debeat; at multò quàm maximè Eccleſiaſticos, quibus Deus, velut diſcipulis ſuis panem dedit, hoc eſt ampliſſimas facultates, ut & ipſi deinde darent turbis, hoc eſt, famelicis atque pauperculis; ita, ut eò quoque ducam illa verba ejuſdem magni Præſulis: *Dives propter pauperem factus eſt, & pauper propter divitem. Pauperis eſt orare, & divitis erogare; Dei eſt pro parvu magna penſare.*

Serm. 25. de Divite & Lazaro.

Dives, inquit, *propter pauperem factus eſt.* Quod ſi dives qui vel à genere, clariſque natalibus, vel à fortunæ conniventia ac favore; vel etiam ab induſtria, aut labore ſuo evaſit, Auguſtino judice: *Propter pauperem factus eſt:* quantò magis Eccleſiæ ſacris initiati, aut multis opimiſque beneficiis graves ad pauperis uſus, inopiamque ſublevandam divites effecti eſſe dicentur? Dicentur certè vel ipſo Eccleſiæ, Sanctorúmque Patrum ſenſu ac judicio, è quibus Apoſtoli, cùm ad eos pecuniæ acervi & immenſæ opes deferrentur, non ſeſe Dominos putabant luculentæ gazæ, & affluentium theſaurorum, ſed timidos & ſollicitos in familia Dei diſpenſatores.

In uſus pauperum.

Et hæc perſuaſio primis natæ religionis temporibus hauſta manavit ad poſteros omnes, à quibus Eccleſiaſtici, ſacrorúmque Præſides, teſte Chryſoſtomo, non tam Domini audierunt, quàm œconomi: Et apud D. Juſtinum Martyrem, veteris ævi ſcriptorem, Antiſtes unuſquiſque Eccleſiæ appellatus, *Indigentium omnium καὶ ξένων Curator*, quaſi tantùm eſſet alienæ rei, non ſuæ adminiſtrator. Hinc illæ SS. minæ, illa verborum & orationis fulmina in Clericos, qui præpoſterè utebantur Eccleſiæ ſeu ſtipendiis, ſeu etiam largitionibus.

In Pſal. 111.

Timeant Clerici, inquit Bernardus, *timeant miniſtri Eccleſiæ, qui in terris Sanctorum, quas poſſident, tam iniqua gerunt, ut ſtipendiis, quæ ſufficere debeant, minimè contenti, ſuperflua, quibus egeni ſuſtentandi forent, impiè ſacrilegéq; ſibi retineant, & in uſus ſuæ ſuperbiæ, atque luxuriæ victum pauperum conſumere non vereantur, duplici profectò iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & ſacris in ſuis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur.* Hactenus aculeato ſtylo Bernardus, qui his affinia repetit, & inculcat alio loco ita Clericū inſtruens.

Epiſt. 2.

Quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt. Rapina eſt, Sacrilegium eſt. Cum illo ſentiunt & loquuntur Antiſtites & doctrinâ, & ſanctitate illuſtres.

L. 1. Ep. 44.

Fulbertus Carnotenſis eos qui fructum altarium & donata Eccleſiæ bona temerè & luxurioſè dilapidarent, non dubitabat nominare *Fures ſacrorum, & occiſores pauperum.*

Epiſt. 20.

Eoſdem Iſidorus Peluſiota aiebat ἱεροσυλίας, ſacrilegii reos, divinæ iracundiæ telo & fulmine horribili puniendos. His illi verbis, hocque infami ſtigmate Clericos notari voluerunt, qui bonis Eccleſiæ perperàm uterentur. Spectabant nimirum magni illi Patres quæ & cujus generis eſſet ſacra illa opulentia, & quos in uſus à DEO rerum omnium largitore deſtinata.

Et bona ejus bona Domini.

Noverant jam inde à primis religionis noſtræ incunabulis, ea bona appellari ſolita κυριακὰ, id eſt, bona Domini, & Dei opes, quarum ipſe rationem eſſet ſeveriſſimè exacturus.

Lib. 4. de Conſid.
In Apolog. c. 39

Noverant ea vulgò dicta eſſe τὰ τοῦ Θεοῦ, *Res Dei:* & à D. Bernardo, *Patrimonium Crucifixi:* à Tertulliano, *Depoſita pietatis.*

In Epiſt. ad Chriſtian.

Noverant ab Urbano hujus nominis primo, qui ſecundo ſæculo floruit, iiſdem appellata *Vota fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum,* quæ proinde in profanos uſus, luxúmque vertere, injuſtum, impium, ſacrilegum videri poterat.

Quid enim? An non injuſtum illud *Bona pauperum* feciſſe bona amicorum ac conſanguineorum, quibus etſi copioſa res ſit domi, etſi luculentum patrimonium; augetur tamen, & creſcit in immenſum bonis egenorum, & patrimonio Crucifixi, quæ ſumma eſt injuſtitiæ ſpecies. An non etiam impium illud, ac ſacrilegum, *Depoſita pietatis, res Dei, bona Domini* feciſſe bona meretriculæ alicujus, aut impuri ganeonis?

An non ſacrilegum illud, bona quæ altari dumtaxat ſervire debuerant, ſervire gulæ, ventri, & inſanis cupiditatibus, in quibus immemor ſui Clericus, datas ab Eccleſia, ceu optima Matre, facultates nimiùm quantùm fœdè prodigit, atque proſtituit.

Ne porrò impoſterum faciat, velim eum ſibi reddi, & in otio, ſeceſſúque ſpirituali expendere Sanctorum Patrum tum dicta, tum etiam exempla, atque ex iis quid facto opus ſtatuere.

Talia cenſuit B. Gallus.

B. Gallus rem pauperum adeò ſedulò curabat, ut è ſuis cenſibus non ſuperflua tantùm, ſed & ſibi neceſſaria effunderet: imò & calices & ſacra vaſa ſtipem faceret, cùm ea exegiſſet neceſſitas: cúmque unus aliquis eum hujuſce piæ prodigalitatis arguiſſet, lepidè reſpondit: Meus Præceptor Columbanus æneo calice ſacrificavit, Chriſtus in cruce ferreum ſuo ſacrificio adhibuit, (ſiquidem clavis ſuum ſanguinem propinavit) quidni igitur & ego vel æneo, vel ferreo ſacrificem, ſi aurea vaſa, calicéſque extrema pauperum neceſſitas poſtularit?

Bellarminus.

Cardinalis Bellarminus notus à calamo, notior à virtute, cùm eſſet Capuæ Archiepiſcopus, omnes familias alieno ære merſas, aut re domeſticâ deſtitutas in album juſſit excipi, ſibique exhiberi, ut harum ipſe ſubſidium eſſet unicum; cúmque deſiiſſet ibidem eſſe Archipræſul, cenſúſque annuus ad ſex aureorum millia redactus eſſet, aureos bis mille in pauperum penu diſtribuit, præter ea quæ clanculùm & ſua manu largiebatur, œconomo ſuo illud ſæpiùs inculcans: *Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta ne pereant.*

Vita Bellar. l. 7. c. 1. & alibi.

Atque hoc genus quoddam interpretabatur aliena veriùs reſtituentis, quàm ſua met erogantis. Et hæc Bellarminus in pauperes effundebat de iis quæ ſuperflua videbantur; accipe etiam de iis quæ neceſſaria; adeò enim præſto erat egenis, ut planè deeſſet ſibi. Hinc factum ut veſtes ſuas detritas reſarciri ſemper curaret. Fuit ut ei crura humoris vitiati defluxu intumeſcerent; mitigando malo ſuaſerunt medici tibialia ſibi compararet laxiora. At ille ſubjecit pecuniam illam qualemcumque congruere meliùs pauperibus, tibiis ſuis abundè fore ſi quoquo modo tegerentur. Quare par veterum tibialium laxari, eiſque è panno ſimili partem aſſui juſſit. Oppoſuerunt familiares hoc veteramenti genere operam ludi, nec tibialia, quæ ab annis jam octodecim habuiſſet, reconcinnari poſſe. Dum lis hæc tenet, adoleſcens adeſt cum Epiſtola ſupplice, ac eleëmoſynam pro matre petit, quam in itinere omni ope deſtitutam jacere dixit. Cardinalis, cui religio fuerat pro tibialibus, ſex denarios in ſui commodum exponere, duos aureos adoleſcenti largitus voti compotem dimiſit. Sentiebat nimirum magnus

Præſul ſe eos accepiſſe è Chriſti manibus, ut deinde turbis, hoc eſt, egenibus diſtribueret, ſibi parciſſimus, in alios quoque maximè liberalis; cujus parcimoniæ, unáque piæ liberalitatis aliud etiam exemplum accipe.

Pius V.

Hyeme quantumvis ſævâ in conclavi ſuo ignem foculumque ſtrui vetuit, exemplo Pii V. Pont. Max. ut lignorum pretium ad pauperes tranſiret: quod ſi quandoque deeſſet & illud; dabat ipſe quod erat ad manum. Unus aliquis civium egenorum duodecim aureos à Bellarmino petivit, & quia præſens pecunia non ſuppetebat, confeſtim annulum ex digito detractum ei dedit, adjectâ ſyngraphâ, ut eum ſuo nomine oppigneraret. Alteri cuipiam argenteum ſuum atramentariolum, cùm loculi non reſponderent, itidem oppignerandum tradidit.

Capuæ verò injunxit œconomo, ut rhedam ipſam cum equis divenderet, ne deeſſet unde egenis ſubveniretur. Ecce ut *Domini bona*, *res* DEI, *& patrimonium Crucifixi* adminiſtravit fidelis diſpenſator, quem utinam poſteri omnes imitatentur.

QUÆSTIO SEXTA
THEOLOGICA.
Ad illa verba: *Accepit* IESVS *panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Ioan. c. 6. v. 11.

POSSITNE EX HOC LOCO ARGVI HÆRETICORVM incredulitas circa SS. Euchariſtiæ Sacramentum?

Conſenſio hujus miraculi cum Euchariſtico.

RESPONDEO omninò poſſe, & quidem primùm ex cauſa hujus prodigii; deinde ex illius ratione ac modo, qui ferè conſentit cum miraculo Euchariſtico.

Factum illud non caſu; ſed ſuavi DEI providentiâ, ut ea panum multiplicatio præcederet concionem de pane Euchariſtico, & hæc die proximè ſequenti illam exciperet, ut videre eſt ex D. Joanne, & ut doctè advertit D. Chryſoſtomus.

Hom. 45. in Ioan.

I. In refectione tantæ multitudinis.

Volebat nimirum Servator Optimus, ubi paucis panibus quinque hominum millia pavit, prælude illi cœnæ, in qua non una dumtaxat die quinque millia reficeret, ſed in annos & ſæcula, tot hominum millia, quot eſſent Chriſtianorum, qui ea ſacra uſurparent: Et hinc mihi ducitur primum argumentum contra inſignem Hæreticorum incredulitatem, qui etſi miraculum illud admittant, hoc tamen ore impudenti negant, nec aliam negationis ſuæ cauſam prætexere poſſunt, præter eam, quam deinde Calvinus attulit; quia primum illud miraculum Judæi uſurpârunt oculis, tótque illius fuêre teſtes, quot convivæ: at miraculum Euchariſticum oculos fugit, & guſtum, reliquóſque ſenſus, adeóque etiam Hæreticorum fidem: de cujus normâ ac ratione Calvinum audi.

Ut eludat argumentum, quod peti poteſt à converſione virgæ Moyſis in ſerpentem, & traduci ad tranſſubſtantiationem panis in Chriſti corpus, ita loquitur: *Quid ſimile, aut vicinum reperiunt inter illuſtre miraculum, & fictitiam illorum illuſionem, cujus nullus in terra oculus teſtis eſt.*

Inſtit. l. 4. c. 17.

Tranſſubſtantiationem *illuſionem* appellat, quia ſub aſpectum non cadit: quaſi pro vero habendum ſit illud unum quod hauritur oculis, ac non potiùs quod certâ fide tenetur. Certè Chriſtus magiſter optimus ad fidem, & arcana Religionis noſtræ oculos adhiberi noluit, ſed fidem; & beatos pronuntiavit, *Qui non viderunt, & crediderunt.*

Ioan. 5. 20.

Sed proh dolor! aliter & ſentit, & loquitur Calvinus, aliter etiam Hæretici noſtri temporis, quibus pro articulo fidei eſt illud, non quod effert Scriptura; ſed quod ſuo ipſi cerebello fingunt, atque excudunt, in quos proinde verti poteſt & illud D. Auguſtini contra Manichæos: *Qui in Evangelio quod non vultis creditis, quod vultis hoc non creditis; non Evangelio, ſed vobis ipſis creditis.*

II. In multiplicatione panum.

Ita ſibi ipſis credebant olim Manichæi, & modò etiam noſtri ævi hæretici; à quibus diſcedo, ut ad propoſitam mihi quæſtionem redeam; ejus ſecunda pars hæc fuit, miraculum ante patratum in multiplicatione panum & in ſubſtantia, & in circumſtantiis conſentire cum miraculo tranſſubſtantiationis panis in Chriſti corpus: Ecquid enim? Potuit Servator Optimus ex uno pane mille vel unico inſtanti producere, & hoc ſine prævia ſerie alterationum, ſine mutatione materiæ, quæ ſenſu tangi poſſit, ac notari; & non poterit panem in Corpus ſuum, & vinum in Sanguinem mutare? Poterit enimverò; nec enim unum majoris eſt moliminis, quàm alterum; naturæ vires utrumque excedit, non DEI. Et hoc de ſubſtantia illius prodigii; de circumſtantiis etiam pauca.

III. In circumſtantiis.

Prima eſt temporis: quippe utrumque miraculum exhibitum Orbi ſub Paſcha; erat enim, inquit Joannes: *Proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum* (in quo videlicet proximo, & poſtremum Judaico Paſchate) *antiqua obſervantia novo tolleretur Sacramento, hoſtia in hoſtiam tranſiret, ſanguinem ſanguis excluderet, & legalis feſtivitas dum mutatur, impleretur.* Impleta porrò iiſdem propè cæremoniis.

D. Leo Serm. 7. de Paſſ.

IV. In cæremoniis.

Primùm enim utrobique panem in manus accepit, deinde gratias egit, tum etiam cœlos ſuſpiciens benedixit, tum denique fregit, & dedit diſcipulis, ac diſcumbentibus, ut vel inde noſſet omnis ætas, quæ hujus, atque illius miraculi ſimilitudo, quæ conſenſio, quidve tam in hoc, quàm in illo operari poſſet divina illa manus, quámque potens, atque efficax illius benedictio, à qua iſtic multiplicatus panis fœnore, ut ita dicam, milleſimo; hic autem converſus in aliam ſubſtantiam, in Chriſti corpus, novo ſanè & inaudito ſæculis omnibus prodigio, & hoc quidem pauculis verbis: in cœnâ quippe panem manibus accipiens dixit: *Hoc eſt corpus meum*; dixit inquam, & factum eſt; ut enim olim lucem creans dixit: *Fiat lux, & facta eſt lux*; ſic de pane dicens: *Hoc eſt corpus meum*, dixit, & factum eſt; ſunt enim verba practica, id eſt, quod ſonant, hoc efficiunt.

Gen. c. 1.

Et ita verba illa ſacroſancta intellexit omnis Antiquitas; neque eorum ſenſum in quæſtionem vocavit; ut enim doctè notat Bellarminus, primis ſexcentis annis nemo fuit hæreticorum, qui negaret in Euchariſtia eſſe verum Chriſti Corpus, nemo qui hunc errorem ſpargeret, quem modò adeò liberè, atque impudenter ſpargunt Hæretici.

Tom. 3. de Euchar. c. 1.

Ex quibus arguuntur hæretici.

Nimirum primi qui de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia dubium moverunt, fuerunt Iconomachi poſt annum Domini D. C. C. Hi in ſuo quodam

quodam Conciliabulo Conſtantinopolitano, quod ipſi ſeptimam Synodum falsò vocitabant, dicebant unicam eſſe imaginem Chriſti ab ipſomet inſtitutam, nimirum panem & vinum in Euchariſtia, quæ repræſentant Chriſti corpus & ſanguinem.

Ex eo tempore Græci ſcriptores, quibus animus calamuſque facilis ad refutanda Hæreticorum dogmata, contra hunc errorem acriter ſcripſerunt; priùs verò nemo unus omnium, qui de Hæreſibus ſcripſit, hanc cum aliarum catalogo poſuit; quod tamen indubiè feciſſet, ſi ea tum temporis enata fuiſſet. Patet illud ex Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, Auguſtino, Theodoreto, Damaſceno, & aliis veteribus, quorum nullus hunc errorem primis ſex ſæculis confutavit. Ex quibus apparet novitas atque inſolentia iſtius Hæreſeos, quæ in primis illis ſæculis (in quibus ætas innoxia magis, & fides intemerata) locum invenire nunquam potuit.

I. Novitatis.

Fateatur igitur velit nolit Calvinus, fateantur & Heretici omnes longè conſequentes, eas Hæreticæ pravitatis fæces hauſiſſe ſe ab Iconomachis, & virulento ore in vulgus ignarum jactaſſe cum immani quadam animarum jacturâ.

Fateatur deinde & alterum illud, ex quo à veritate, quæ unica eſt, diſceſſerunt, abiiſſe ſe in errores propè innumeros, pugnanteſque inter ſe ſententias. nec adeò mirum videri debet: nunquam enim ſibi conſtans eſt Hæreſis: effundit illa tot mendacia, quot recenſet capita, quot ora ſuis impoſturis recludit.

Argumento ſit unum illud, quòd in expoſitione horum verborum (etſi eorum ſenſus clariſſimus ſit, & cuique obvius) *Hoc eſt corpus meum*, propè innumerabiles ſint ſententiæ.

II. Inconſtantiæ.

Lutherus in libro, quòd verba cœnæ adhuc firmiter ſtent, ſcribit decem ſuo tempore fuiſſe Sacramentariorum ſectas atque opiniones, quæ dum aberrant à vero, in alias atque alias ſententias veluti vitioſas quaſdam propagines erupere; adeò ut fuerit nonnemo, qui numerarit ducentas Hæreticorum expoſitiones, vel depravationes horum verborum, *Hoc eſt corpus meum*; ſic nimirum levis, varius, & inconſtans eſt Hæreticorum genius; ſic ad inania commenta atque mendacia facilis ac pronus; ſic in verbis malè ludere doctus, atque incautis illudere.

Sic illuſerunt improbè noſtri temporis hæretici, qui interpretationes falſas, eáſque præcipuas novem confinxere; è quibus tres fundantur in pronomine *Hoc*; duæ in verbo *eſt*: tres in nomine *corpus*; una in pronomine *meum*: ita nihil vacuum eſt eorum cavillationibus, & inſanis profectò commentationibus.

Caroiſtadio pronomen *Hoc*, idem eſt atque adverbium *Hic*: Ut ſenſus ſit, *Hic eſt corpus meum*.

III. Erroris.

Buceto *Hoc*, id eſt, *Hæc actio*, repræſentativa ſcilicet corporis mei.

Joanni Langio per *Hoc* intelligitur panis, quaſi dixerit Chriſtus, *Corpus meum eſt hoc*, nempe panis.

Zuinglio *eſt*, idem eſt ac *ſignificat*.

Petro Boguino *eſt*, idem eſt ac *dicitur*, ut ſenſus ſit, hoc ſignificat, aut dicitur Corpus meum.

OEcolampadio *corpus* metonymicè dicitur; ut idem ſit, *Hoc eſt corpus meum*, atque hæc eſt figura corporis mei.

Calvino *corpus* idem eſt ac figura, vel Sacramentum corporis.

Calviniſtis aliis *corpus* accipitur pro corpore myſtico, id eſt Eccleſia.

Denique Sacramentarii in pronomine *meum*, intelligi volunt *Corpus a me factum, & creatum*.

Ecce ut errore devio in diverſa rapiuntur improbi, nec pedem figunt qui ſemel à verâ fide receſſerunt.

Catholicorum unica eſt & plana ſententia, quæ verba excipit ut ſonant, & ſecundùm germanam ſignificationem: ſicque dixiſſe Chriſtum, *Hoc eſt corpus meum*, idem eſt atque dixiſſe: Sub his ſpeciebus verè & propriè eſt corpus meum verum ac naturale. Et hæc paucis attigiſſe ſuffecerit.

QUÆSTIO SEPTIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Colligite quæ ſupereverunt fragmenta. Et collegerunt duodecim cophinos.* Ioan. c. 6. v. 12. 13.

QVOMODO DANTI ELEEMOSYNAM PLVRA ſuperſint, quàm dederit?

Pauperibus da quod optimum exemplo Chriſti.

HIc oculum figat amicus Lector, atque attendat quod in Chriſto prodigium caritatis: potiorem ſubſtantiam (panes videlicet, ac piſces) indigentibus erogat; ſibi verò, ac diſcipulis ſuis fragmenta dumtaxat reſervat. Secus faciunt mortales ferè omnes, etiam quàm optimi; ſibi ſuiſque ſervatam volunt potiſſimam bonorum ſuorum ſubſtantiam: probéque factum autumant, ſi de iis quæ ſuperſunt, eleemoſynam fecerint. Non ſic Chriſtus, non ſic Apoſtoli magnæ illæ mentes, & naſcentis Eccleſiæ, ceu cœli novi Intelligentiæ, non ſic Apoſtolorum æmuli, & Chriſtianæ perfectionis amantes; illi quod in menſa eſt optimum egenis ſepoſitum amant, ac volunt.

Nobilis familiæ. *Parte 2. de Eleëm. c. 4. §. 3.*

Refert Drexelius familiam fuiſſe nobilem, quæ omni prandio & cœna imponeret menſæ lancem vacuam, & in hanc ex omnibus pœnè ferculis aliquid reponeret, quod ipſe Pater-familias modò ad hunc, modò ad illum pauperem, aut ægrum emitteret.

Alia familia lac omne, quod die Sabbati à pecore toto excipitur, in pauperum uſus effudit.

Cœnobii.

In Cœnobio quodam priſcæ conſuetudinis eſt, in triclinio diebus triginta continuis vacuum defuncti locum eatenus honorare, ut quidquid cibi, potúſve appoſitum fuiſſet vivo, id omne apponatur mortuo. Et quia mortui non comedunt, illa omnia menſæ illata in pauperum caſas abeunt. Inventiones non ſolùm pulchræ, ſed & fructuoſæ.

Non micas quæ petebant.

Sed proh dolor! tantum id hominum genus, longè frequentiſſimum alterum, non abſimile iſti epuloni, ad cujus fores etſi ſtratus jaceret Lazarus, enixè poſtulans ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, nemo tamen illi dabat, ſicque Lazaro apud epulonem pejus erat quàm cani: ſed abeamus ab iſtis, & videamus quomodo animæ in pauperes liberali ſemper aliquid ſuperſit, & eò quidem ampliùs quò effuderit liberaliùs: *Mitte panem*, inquiebat Eccleſiaſtes, *ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa invenies eum.* Cap. 11. v. 1.

Mitte panem non eum tantùm, qui tibi ſuperfluus, ſed

Sic plura recipies in hac vita.

ſed qui neceſſarius, qui tibi paratus, candidus; delicatus, exemplo Jobi, viri omninò magni, qui non comedebat buccellam ſuam ſolus, quin comederet ex ea pupillus. Mitte, inquam, hunc panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, hoc eſt, mendiculos, qui ſunt tanquam aquæ ſubterlabentes pontem, id eſt, divitem, qui velut in ponte ſtat, & loco eminentiore, & ſi miſeris, *Poſt multa tempora invenies illum*, ad te quippe redibit, non fruſtulatim, ſed totis caniſtris, ac horreis. Cujus exemplum tibi dabunt è multis religioſi viri, ad quos olim Eutychius Conſtantinopoli Epiſcopus.

Cùm Perſarum Rex Coſrhoës Sebaſtem, ac Melitenem occupaſſet, jámque Chriſtianos variè affligeret, eorum plurimi Amaſeam confugerunt. Hinc ingens annonæ caritas, & fames; jam enim granaria, horrea, farinaria undique viduata, adeò ut ne ad hebdomadam annona ſufficeret. Concurſum ad Eutychium, qui ut magni erat animi, Deóque præfidentis, ita ad Monachos apud quos tum agebat exul.

Bono animo, inquit, eſtote, dúmque vel ſemimodiolus farinæ ſupererit, ex eo egentes paſcite, alterum tantum recepturi. His auditis Monachi in ſpem novam erecti eleëmoſynas quotidianas perpetuarunt, & neminem egenæ plebis dimiſerunt ſine ſportula, nec tamen ideò unquam, quod daretur, defuit; adeò verum illud, eleëmoſyna non depauperat, ſed ditat; quod indicatum voluit Chriſtus, cùm ita monuit: *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt*, hoc eſt, qui perfodi, qui exhauriri non poſſunt. Quæ verba dum expendit S. Chryſologus:

Luc. 12.

Homo, inquit, *tali monitu Chriſtus te ditare voluit, non nudare, manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari ſacculos imperavit: juſſit te transferre, non perdere.*

Hom. 22.

Expende mi Lector illa Oratoris aurei verba: *Ditare, manere, perpetuari.* Verè enim in egenos liberali, atque effuſo manent, ac perpetuantur illa ipſa, quæ effunduntur.

Ita manſere B. Walleno Abbati Meiltoſenſi, cui cùm triticum ad duas hebdomadas alendis paucis monachis vix ſufficeret: ſua ipſe benedictione ita multiplicavit, ut & monachis, & inſuper quatuor millibus pauperum ad tres omninò menſes ſatis eſſet.

Henriquez l. 2. Diſt. 26 c. 58.

Ita deinde eidem Abbati ſanctiſſimo manſit pars panis; cùm enim in extrema egeſtate fratres ſuos enixè rogaſſet, ut mediam partem panis (qui unicus ſingulis ſupererat) ſcinderent ipſi in mendicos erogandam: ad primam cœnulam invenerunt illi & panem ſingulis integrum, ac recentem: & pars illa dimidia alendis ad meſſem uſque pauperibus abundè ſuffecit.

Ita denique manſit S. Bernardo Clavonio, cui cùm vineæ omnes partim grandine, partim fulmine periſſent; nihilominus ſpe in Deum, ac fiducia plenus, primùm vaſa omnia educi, purgari, atque ad vindemiam aptari juſſit: deinde à cellario colligi racemos, ſi qui fortè à tempeſtate eſſent reliqui; addens illud Chriſtiano dignum:

Henriquez l. 2 Diſt. 9. c. 7.

Vade, accipe racemos, quos inveneris. Nam major eſt Dei miſericordia, quàm furor tempeſtatis, & plus poteſt Deus reparare, quàm ipſa corrumpere. Fides ſervorum Dei debet eſſe fidelis, & conſtans.

Ivit enimverò cellarius, ivêre comites religioſi omnes; & tres dumtaxat racemos, eóſque marcidos invenerunt, quos & S. Præſuli obtulerunt. Hos ut ille accepit, primùm Deo ter Opt. ter Max. gratias egit: deinde ſuis ipſe manibus preſſit, & vaſis ſingulis guttas ſingulas infudit; tum etiam vaſa probè cooperuit; adjecitque illud dignum cedro.

Qui è quinque panibus, & duobus piſcibus quinque hominum millia pavit; poteſt è paucis racemis, muſtique guttis & omnia replere dolia, & populi ſitibundi ex eo ſitim extinguere.

Dixit, & abiit, & diebus omninò viginti egentis populi extremam propè neceſſitatem in ſummo orationis æſtu expoſuit, tum Dapiferum emiſit qui vaſa luſtraret. Luſtravit enimverò, & plena omnia reperit eſſe vino, eoque generoſiſſimo.

Quod ubi audit pius Præſul, ſublatis in cœlum manibus, oculiſque primùm Deo largitori gratias egit: deinde vinum omne pauperibus erogari voluit. Et en tibi prodigium alterum; cùm in dies ſingulos liberaliter promeretur vinum, non tamen ideò imminui, ſed augeri potiùs videbatur. Adeò verum illud D. Chryſologi: Eum, qui ſua pauperibus largitur Chriſtum remuneratorem *ditare* velle, *non nudare, manere* illi ſua, *non perire; perpetuari, non vacuari ſacculos, transferri illa in uſus meliores, non perdi.*

Quod ſi in hoc ævo ea eleëmoſynæ merces, & tantum fœnus, quantum amabo te, erit in futuro? Ut illud exponat, ſic adhortatur Auguſtinus:

Plurima in Æterna.

Si vis eſſe mercator optimus, & fænerator egregius, da quod non potes retinere, ut accipias quod non poteris amittere; præbe tectum, & recipe Paradiſum; da modicum, ut accipias centuplum, etiam ſi voles in hac vita.

In Pſ. 36.

Quod ſi fortè (quæ DEI eſt providentia, ea bona æternitati reſervantis) ab eleëmoſyna tua nihil recipis, nec fœnerari videris Domino, ne ideò animum depone, ſed potiùs in cœlos erige, & iſtic crede repoſita quæ effuderis: ibi, ibi colliges liberalitatis tuæ fragmenta nunquam peritura, ibi implebis duodecim cophinos, quibus teipſe explebis in æternitatem: quam dùm explicata mente, effuſiſque votis expectas, Chryſologum audi, & ex eo etiam animo currenti ſtimulos adde.

Da, inquit, *homo pauperi terram, ut accipias cœlum. Da nummum, ut accipias regnum. Da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.* Verè Chryſologus: *Quidquid pauperi dederis, tu habebis*, & quidem multo cum fœnore, maximóque incremento.

Hom. 8.

Rationem ſi quæras, hanc extulit D. Auguſtinus: *Opera miſericordiæ ſemina noſtra ſunt. Qui parcè ſeminat, parcè & metet: ergo qui multum ſeminat, multum metet, & qui nihil ſeminat, nihil metet.*

Aug. in Pſ. 125.

Seminavit hîc Chriſtus quinque panes, & ſupra quinque millia hominum iis ſaturavit. Pro, quanta meſſis è tantillo ſemine!

Seminarunt & alii Viri miſericordiæ, & è parvo ſemine ingentem meſſem retulerunt.

Imo & in hac.

Arnulphus Sueſſionenſis Præſul quinque panibus, & totidem vini menſuris ſupra ſeptingentos homines abundè pavit.

Sur. 5. Aug.

Richardus Ciſtertienſis Antiſtes pane unico tria millia hominum ſaturavit.

Sur. 9. Apr.

S. Franciſca Romana & frumento pauperes pavit. & vino etiam recreavit, & neque hoc, neque illud defuit unquam. Juvat illius beneficentiæ meminiſſe.

Cùm ſua in pauperes profudiſſet omnia, mendicabat ipſa ne deeſſet, quod mendicis daret; quanquam ne deeſſet, providit non ſemel divina miſeratio. Franciſcæ ſocer generoſi vini dolium ſeriò ſervari juſſerat: at illa pauperum, & ægrotorum miſerta dolium exhauſit largiendo. Hinc graves tum ſoceri, tum mariti iræ, quas primùm blandis verbis ſopire contendit, deinde etiam & fuſis ad Deum precibus: in cellam enim deſcendit, & in genua procumbens opem imploravit è cœlo, impetravitque: mox enim ut epiſtomium verſare cœpit, fluxit vinum, perinde ac ſi nulla inde guttula fuiſſet detracta: adeò verum illud: *Da pauperi, ut des tibi; quia quidquid pauperi dederis, tu habebis*, imò & ampliùs; quod etiam in annona frumentaria experta eſt eadem S. Franciſca; cujus vir, ferè quidquid erat in

Exemplo S. Franciſcæ

domo

domo frumenti, vendiderat: aiebat enim, ita factum oportuit, alioquin prodiga mea uxor, hoc omne ambabus manibus in mendicabula effudiſſet; ſicque in granario nihil niſi tetrimentum tritici relictum erat. At Franciſca inſtituti ſui tenax, & ſedula granarium aſcendit, frumenti ſordes converrit, ventilavit. Vix farris ſemodius fuit, quod & ſtatim in egenos abiit. Cùm verò granarium depuò inſpectum eſſet, pœnè quadraginta modii ſunt inventi. Sic fœneratur Domino, imò & ſibi, qui miſeretur pauperi.

Iulian. l. eſt. nus in ejus vitâ.

Ita miſertus olim Pammachius Patritius Romanus de quo hæc magnificè D. Hieronymus. *Eleemoſynis dives, munerarius pauperum, egentium candidatus*, ut qui eorum vota, preceſque liberali mente, manu præoccuparet, ambiretque id officii, à quo ſibi & divitias paravit in terris, & palmam immortalem in cœlis, quos ſcilicet tranſcendit, ut ait idem S. Doctor: *Horrendis pauperum ſordibus dealbatus.*

E. chu.

Ut & tu ſic aſcendas, mi Lector, & inter beatorum agmina ſtola alba induaris, age, manum expedi, & facultates, quas tibi ſeu fortuna, ſeu potius effuſa Dei providentia, dederit, in egenos effunde.

DOMINICA QVINTA QUADRAGESIMÆ.

CUM inſtaret Servatori quàm optimo brevis ævi meta, priuſquam ad eam per extrema ſupplicia raperetur, teſtatam eſſe voluit omnibus ſuam innocentiam; hinc illæ voces teſtes liberæ mentis, & omni culpâ vacuæ: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Tum etiam objecit illud: *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Sed nimirum ideò non creditis; *Quia ex Deo non eſtis.*

Iudæos pupugit iſta expoſtulatio: hinc regérunt inſulſum, impium, infandum illud: *Samaritanus es, & dæmonium habes.* Primum ſilentio premit CHRISTUS, ſecundum modeſtè diluit; nec ut ſolent infirmi mortales, calumniam calumniâ recutit, ac retundit. Addit deinde & illud, quod ſermonem ſuum commendaret quàm maximè: *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.* Iudæis porrò, qui ad eam veritatis lucem erant quod talpa ad Solem, viſum illud inſolens atque intolerandum: Ecquid enim, inquiunt? *Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt*: & tu ſermonibus tuis vim eam tribuis, quæ mortem declinet: quem teipſe, tuoſque ſermones facis? *Numquid major es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt.* Hæc paucis excepit CHRISTUS, docuitque ea dicta eſſe non ſtudio vanitatis, ſed veritatis; adjecit denique & illud, quod & veriſſimum: *Abraham pater veſter exultavit* (ſpiritu ſcilicet Prophetico, Deóque plenus:) *Exultavit*, inquam, *ut videret diem meum: Vidit* (utique mente & illuſtratâ cœlitus intelligentiâ) *& gaviſus eſt.*

Hîc mirari, ſtupere, altúmque inclamare Iudæi: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Quæ, inquiunt, ſunt iſta deliria, & aniles fabulæ? Hæc nimirum Iudæi, qui corpori toti erant immerſi, nihilque credebant, niſi quod uſurparent oculis: quorum errori ut medelam faceret CHRISTUS, ait: *Amen, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego ſum*; utique ſecundùm Divinitatem in reipſa; & ſecundùm prædeſtinationem in mente divina. Non tulêre id Iudæi, ſed præcipites ad ſaxa ruêre. *IESVS autem abſcondit ſe, & exivit de Templo*, quia necdum venerat hora ejus.

EX D. THOMA.

Serm. 2. SANCTUS Doctor quatuor expendit in illo CHRISTI oraculo: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* *Ioan. 8.*

I. Eſt *Sanctorum gloria*, quæ hinc petitur: *Qui eſt ex Deo.* Sunt autem Sanct. tribus modis ex Deo. 1. *Per creationem, ſicut Effectus ex cauſa.* 2. *Per juſtificationem, ſicut ſplendor ex luce.* 3. *Per aſſimilationem, ſicut exemplum ex exemplari.*

II. Eſt eorundem *Sanctorum ſapientia*, quæ hauritur ex Dei verbo quod audiunt, quod & eſt triplex. *Ioan. 1.* 1. Eſt *æternale. In principio erat verbum*: hoc audiunt *per fidem.* 2. Eſt *mentale*; & illud audiunt per *inſpirationem.* 3. Eſt *vocale*; & iſtud audiunt per *prædicationem.*

III. Eſt *reproborum ſtultitia*, quæ hinc probatur, quod non audiant verbum Dei: & hinc vel quàm maximè ſtulti *propter duo.* 1. *Quia ex auditu verbi Dei vitatur omne malum.* 2. *Quia acquiritur omne bonum. Qui me audierit abſque terrore quieſcet*, inquit Sapiens. *Prov. c. 1.*

IV. *Magna etiam reproborum miſeria*, quæ ex eo ducitur, quòd non ſint ex Deo: non eſſe autem ex Deo ſumma miſeria. 1. *Quia qui ſunt extra Deum habent omnia mala*, unde ſeio inquiebat Auguſtinus, quia malè eſt mihi præter te, non ſolùm extra, ſed etiam in meipſo. 2. *Quia qui ex Deo eſt habet omnia optima*; *intrat* enim *in gaudium Domini ſui, & ſecurus eſt, & habet ſe optimè in optimo*, ait ille ipſe Auguſtinus.

EX D. BONAVENTURA.

IN hac Evangelicæ hiſtoriæ ſerie expendit duo Seraphicus Doctor.

Primum inſignem Chriſti patientiam, conjunctam tamen cum altiore, divináque vi dicendi, qua incredulas mentes arguit.

Secundum immanem Judæorum ferociam, qui illicò à verbis acrioribus, & enormi calumnia plenis, ad ſaxa, & lapides convolarint, ut involarent in JESUM: de hoc, & illo pauca, & quidem

Ioan. 8. Primum elucet in his Chriſti verbis: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Solent homines vel ipſi rei, vel etiam dicenti fidem dare, ſi firmetur *Domin. in Paſſ. Ser. 2.* *juramento, ſigillo, promiſſo, teſtimonio.* Imò ſi vel uno horum: at Chriſti dicta his omninò firmantur, igitur & illis dari debuit à Judæis fides; & ſi data non eſt, pro enormi crimine, & infidelitate haberi debuit.

Pſal. 109. Primò enim ea firmata ſunt *Iuramento Patris æterni. Iuravit* quippe *Dominus, & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum.* Ecce ut audit Sacerdos ad reconciliationem generis humani.

Secundò etiam *ſigillo* firmata, *ſigillo*, inquam, *Maternæ virginitatis*, ſigillo miraculorum, quæ nemo *Ioan. 6.* facere potuit niſi *Filius hominis*, quem *Pater ſignavit Deus.*

Tertiò etiam firmata *promiſſo, quo piis, & gratis coronam, impiis atque ingratis promiſit gehennam*; & inde *utraſque manus expandit in cruce, quaſi dextrâ gloriam, ſiniſtrâ verò pœnam promittens. Expandi manus meas, tota* *Cap. 65.* *die ad populum incredulum*, inquiebat ore Iſaiæ, hinc è latronibus, *ad dextram pendens ſalvatur; ad ſiniſtram pendens damnatur.*

Quartò etiam firmata *teſtimonio*, primæ ſcilicet Veritatis, unigeniti Filii Dei, qui ut ait D. Joannes: *Cap. 1.* *Venit in teſtimonium*; deinde Angelorum, Prophetarum, Apoſtolorum; denique etiam operum: quæ quia verbis efficaciora ſunt, ea in teſtimonium vocavit ipſe Chriſtus, dum ſic ad incredulos Judæos: *Ioan. 10.* *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Quæ dum attendit Seraphicus Doctor, ſic ad Deum & Salvatorem ſuum: *O Domine* JESU *ecce teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis: ſed heu peccator miſer adhuc vix ei credis!* Quomodo enim ei credis? qui nec illius terreris minis, nec attraheris promiſſionibus, nec præceptis obtemperas, nec conſiliis acquieſcis, uti nec acquieverunt Judæi, qui etiam *lapides tulerunt*, quibus illum obruerent: quod dum in illis carpis & damnas, amice Lector, vide ne & tu aliquando in eum ipſum lapides mittas. Sunt enim, ſunt & hoc ævo quamplurimi, qui adhuc *in* JESUM *lapides jaciunt*, ii ſcilicet, *qui in membra ejus ſcandala mittunt.* *Serm. 4.* Solent homines quatuor jacere.

Primò *ſagittas*: *Sagitta eſt verbum Dei, quòd de arcu Scripturæ jacitur prædicando contra hoſtes Domini, contra peccatores; ſed heu! clypeum obdurationis multi à diabolo receperunt, ita quod ſagitta verbi vulnerare per contritionem non poteſt.*

Secundò *Semina*; ea ſunt *noſtra merita*; *tot enim ſemina jacis ô homo, quot bona opera facis. Et nunc quidem pereunt opera noſtra, ut videtur; ſed æternitatis ſemina jaciuntur*, ut ſcitè D. Bernardus.

Tertiò *Onera*: Hoc mundo, ceu turbato mari jactaris ô homo! *ſubmergi non vis? Iacias navis onera, ſcilicet temporalia.* Jacies autem primò *injuſta bona reſtituendo.* Ita jecit olim Zachæus, qui ſic ad JESUM: *Luc. c. 19.* *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Deinde jacies, *eleemoſynas erogando*, ita quoque jecit ille ipſe Zachæus, qui ſic ex veritate: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Denique jacies *omnia relinquendo*: ita jecêre quondam Apoſtoli, qui ſic ad Dominum: *Ecce nos reliquimus omnia.* *Matth. 19.*

Quartò *Lapides*, id eſt, *ſcandala*: dum enim *verba, facta* ſunt ejuſmodi, ut alii ad peccatum aliquod *provocentur, quaſi ictibus lapidum læduntur: & quia, fideles membra Chriſti, lapides in Chriſtum jaciuntur dum membra ejus ſcandalis percutiuntur.* Hæc ubi dixit S. Doctor, tum notat *quod perverſi quatuor modis tentarint occidere* CHRISTUM.

I. *Gladio*: ita Herodes olim, ita modò mali judices, & Epiſcopi, qui membra Chriſti malè perimunt gladio mundano, vel Eccleſiaſtico. *Matth. 2.*

II. *Præcipitatione*: ita illi, qui *duxerunt ad ſupercilium montis, ut præcipitarent eum*; ita & *hypocritæ, qui bonum ſimulando quaſi in montem ducunt ut præcipitent.* *Luc. 4.*

III. *Lapidatione*: ita *blaſphemi*; *quot enim blaſphemiæ, tot lapides.*

IV. *Crucifixione*: *ſic impœnitentes, qui fructum crucis in ſe evacuant rurſum crucifigentes.* *Heb. c. 6.*

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* verſ. 46.

AN IVDÆI QVONDAM? AN ETIAM MODO IMPII CHRISTUM *arguant de peccato; ſive quà hominem, ſive etiam quà Deum; & quomodo hos & illos redarguat?*

Judæi Chriſtum arguūt de peccato.

SERVATOR optimus ſpectari potuit quà homo, & quà etiam DEUS: in eo quippe fuit & divina, & humana natura. Et tam hæc, quàm illa in maledicas voces incurrit.

Matth. c. 11

Ut enim homo, audiit *vorax & potator vini:* audiit *ſeductor, & amicus publicanorum.*

Ut autem DEUS & ingenuum miraculorum operator, audiit blaſphemus, Sabbati violator, dæmoniacus.

Cap. 27.

Si enim Sabbato curaſſet, objectum illud: *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit.*

Si Filium Dei, ſi Deum ſe ingenuè profeſſus, obtruſum illud infame, atque impium: *blaſphemat.*

Si è corporibus, velut ex uſurpatis malè hoſpitiis, dæmones ejiceret, inclamatum illud: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

Hæretici Deum ipſum.

Ita nihil invidiæ intactum, nihil ejus morſibus liberum: ne Deus quidem. Quod Judæis vitium, quæ libido calumniandi, eadem conſequentibus longè ſæculis, hæreticis fuit. DEUM illi immani auſu mēdaciis, calumniis, blaſphemiiſque impetiere.

Vinc. Lirin. contra hæreſ. c. 34.

Simon Magus, qui primus in reluctantes auras hæreſim extulit, DEUM fecit authorem peccati, & hujus ſui erroris præſidium petiit ex illo Prophetæ Amos: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Quod de malo culpæ perperàm intellexit; cùm cadat in unicum pœnæ malum, cujus author eſſe poteſt vindex DEUS.

Cap. 3.

Hæreſ. 27.

Carpocrates, Epiphanio teſte, eò lapſus impudentiæ, ut diceret DEUM homini præcepiſſe, ut ſeſe omni vitiorum genere contaminaret, priùs quàm exiret è vita. Quod impium dogma etiam hoc Scripturæ loco perperàm firmare voluit: *Non exies inde, donec reddideris noviſſimum quadrantem.*

Matth. c. 5. v. 26.

Ecce quò labitur effrons hominis impudentia, cui affinis ea Lutheri calumnia, qua DEUM impiè finxit peccatum in homine operari: *Operatur,* inquit, *nequitiam in homine nequam.* Itaque, Luthero Doctore ac judice, ſi mentem impuris amoribus, ſi corpus fœda libidine polluit homo, polluit & DEUS ejuſdem ſceleris conſors, atque artifex.

Art. 16.

Si vino ſeſe ingurgitat ac mergit unus aliquis; hoc & facit DEUS.

Si ferrum alius innocentis corpuſculi viſceribus immergit, ſi denique quodvis aliud molitur flagitium, hoc ipſum molitur & DEUS. Ecce os impudens Lutheri, cui ſubſcribit & Calvinus, qui diſertis verbis aſtruit & Deum peccatum velle, & niſi vellet futurum nunquam. Ecce ut ſuperos blaſphemis vocibus fatigant hæretici, ecce ut immani niſu, auſúque ipſum Numen quaſi de cœlis, thronóque ſanctitatis omnis ac beatitatis devocant; dum vocant in conſortium ſceleris. Quod paucis hîc annotare volui, ut bonis mentibus animos facerem, ſi quando malè audiant illæ, ſi quando calumniis onerentur. Ut olim in primæva Eccleſia Chriſtiani, quibus id omne imputabatur mali, quod aut fortuna, aut natura videretur intuliſſe. Ita, ut diſertè Tertullianus in ſuo Apologetico:

L. 1. Inſtit. c. 17.

Idololatræ Chriſtianos

Si Tiberis in mœnia aſcendit: ſi Nilus non aſcendit in arva. Si cœlum ſtetit, ſi terra movit. Si fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianus ad Leonem, & Chriſtiana ad Leonem trahebatur, quaſi & hæc, & ille omnium iſtorum reus foret: quod impudentiſſimæ calumniæ genus fuit. Verùm quid facias? Ea bonorum ſors erit, quæ Chriſti fuit. Malè audiit hic, nec benè audient illi: vapulavit hic maledicorum vocibus atque dicteriis; & illi quoque vapulent eſt neceſſe, ut & ſuus quoque illis patientiæ ſit locus. Verùm advertamus oportet qui calumnias illas detriverit Salvator. Quod ſcutum impiorum telis objecerit. Illud certè quod erat ſummæ innocentiæ, quam paucis ita liberè profitetur: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Agite, ſpectate, & oculis & mente ſeduli legite quidquid in me aut membrorum eſt, aut etiam animi.

Quomodo ſe tuetur Chriſtus.

Si mihi imo in pectore cor fuit: fuit amoris ſedes, ac caritatis. Vix enim illud occupârat anima, cùm etiam tui occupavit amor, ô homo!

Si mihi gemini oculorum orbes, ii certè ideò patentes atque aperti, ut tuis invigilarent commodis, ut miſerias tuas uberibus lacrymis deflerent, & ſacro velut imbre eluerent.

Si mihi lingua, ſi vox fuit, ea tonuit è pulpito, & per vicos & plateas, per avia & invia, ut te ceu oviculam errantem in viam ſalutis revocaret.

Si mihi manus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, eò profectò plenæ, ut in te meliores, hoc eſt, cœleſtes gazas effunderent.

Si mihi genua, & ſæpè ac ſæpiùs in oratione curvata, ut à te tuóque capite (ô miſelle peccator) irati cœli fulmina averterent.

Si mihi pedes, iique faciles atque expediti; ideò ſanè, ut me per oppida, per vicos, per portus & angiportus circumferrent, quò ſcilicet aut tua neceſſitas evocaſſet, aut tuus amor.

Si mihi anima, quæ mortale corpus regeret; ideò certè, ut uni tibi ſpiraret, ac viveret.

Si denique vel in terris, vel etiam in cœlis poteſtas, ea tibi uni explicata, ut faceret quàm optimè, ut morbos pelleret, ut ægros ſanaret, ut mortuos vitæ redderet. Et poſt hæc omnia: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

His armis ſe tuetur, hoc clypeo ſe regit, ac protegit Chriſtus; teſtimonio ſcilicet innocentiæ ſuæ, & ab omni culpâ liberæ mentis, adeóque etiam extra jactum aleæ, fortunæ tela, & invidorum malevolentiam conſtitutæ.

Quod DEO homini dedit conſcientia, hoc & cuique mortalium dabit, ſi modò eam ſibi teſtem ac judicem benè actæ vitæ habuerint: dabit, inquam, inter adverſa invictum robur, infractóſque animos, etiam inter ipſas, ſi voles, occidentis mundi ruinas.

Quomodo etiam Chriſtianus.

Hic murus aheneus eſto,

Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ

1 Epiſt.

Cenſuit Horatius, conſcientiam bonam pro muro eſſe, & quidem aheneo, hoc eſt duro, inexpugnabili, perenni: ut enim nihil ære firmius ac perennius; ita in hac mortali vitâ nihil ſecurius benè ſibi conſcia mente. Eam Seneca poſuit pro fundamento, imò & pro culmine ſecuritatis & gaudii etiam inter tumultuantes adverſæ fortunæ procellas.

Conſcientiæ teſtimonio.

Illum ſuo more, hoc eſt eleganter differentem audiamus; ita ad Lucilium ſcribit:

Epiſt. 13. *Quid ſcribam niſi ut te exhorter ad bonam mentem? Hujus fundamentum quid ſit, quæris? Ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc eſſe dixi: etiam culmen eſt. Ad ſummum pervenit, qui ſcit, quo gaudet.* Et paulò poſt. *Diſce*, inquit, *gaudere. Cæteræ hilaritates leves ſunt: mihi crede. res ſevera eſt verum gaudium. Quid ſit iſtud interrogas? dicam. Ex bona conſcientia, & honeſtis conſiliis, ex rectis actionibus.*

Hæc ille didicit vel ſolo naturæ lumine, atque ductu. Veræ lætitiæ, & quæ inde conſequens eſt ſecuritatis & fundamentum, & culmen eſſe bonam conſcientiam, à qua multis ſæculis ante probè doctus David canebat:

Pſal. 67. *v.* 14. *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora ejus in pallore auri:* Hoc eſt, ſi quietam ac pacatam conſcientiam habeans, inter media pericula, cùm extremæ ſortes de vita ac ſalute veſtra jacientur, erunt vobis, quaſi *Pennæ columbæ deargentatæ in pallore auri.* Hoc eſt nullus pallor, nulla oris vultûſque mutatio; nullum timoris indicium apparebit; ſed potiùs argenteus quidam candor, aureúſque fulgor internæ ſecuritatis, quæ ex oculis, ore, vultúque toto emicabit, qualis olim fuit D. Stephani Proto-martyris, cujus facies inter criminatores, inter crepitantia ſaxa diræque mortis imaginem, viſa ab omnibus tanquam facies Angeli: nimirum ex illius facie eminebat fulgor aliquis æmulus Angelicæ puritatis; & is erat à bona conſcientia, à qua & in periculis, & in ipſius mortis letique faucibus ſumma ſecuritas, & inconcuſſa tranquillitas, qualis etiam olim viſa in Malcho, ejúſque conjuge, ſcriptore & teſte D. Hieronymo:

Hoc uſus S. Stephanus.

Act. c. 6.

S. Malchus. Erant honeſtiſſimi conjuges in faucibus cujuſdam ſpeluncæ, in cujus interiori receſſu rugiebant leones exertis unguibus ad rapinam; in exteriori autem veſtibulo altùm vociferabantur, fremebántque homines ſtricto ferro, cædem mortémque minitantes: Quos putas his conjugibus animos fuiſſe tantis in anguſtiis? Hieronymum audi de iis non ſine ſtupore differentem:

In vita S. Malchi. *Inter tot pericula*, inquit, *pudicitiæ tantùm conſcientiâ, pro muro ſepti, eventum rei præſtolabantur;* fuit autem is fœliciſſimus, leonibus in hoſtes ſævientibus, nec conjuges attingentibus: quî enim eos attingerent, quos conſcientia, tanquam murus ſepiebat, & ab omni incurſu protegebat.

Vis aliud exemplum etiam in molli, fœmineóque ſexu? Illud efferam ſtylo altiori ejuſdem Sancti Patris.

Refert ille Epiſtola ad Innocentium de muliere Vercellenſi, quam maritus innoxiam accuſarat adulterii. Ut ſcelus etiam invita, ac reluctans admitteret, urgebatur acerrimis quæſtionibus, & ferro, & flamma petebatur, non alio munita præſidio quàm bonæ conſcientiæ. Mulier Vercellenſis.

A dolore corporis, inquit D. Hieronymus, *ſpiritu ſeparato, dum conſcientiæ bono fruitur, vetuit circa ſe ſævire tormenta.* Educta quippe ad ſupplicii locum à tortore ſæpiùs percutitur, nunquam jugulatur, mucrone ſemper circa innoxiam cervicem languente. *Itaque furens, & anhelans lictor* (ut Hieronymi verbis proſequar) *paludamento in cervicem retorto, dum totas expedit vires, fibulam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excuſſit, ignarúſq; rei enſem librabat in vulnus. En tibi ait mulier, ex humero aurum ruit; collige multo quæſitum labore, ne pereat.* Hæc ubi magnifica dicendi copia extulit S. Doctor, tum æſtu quodam concitatæ mentis exclamat:

Proh! rogo, quæ eſt iſta ſecuritas? Impendentem non timet mortem, lætatur percuſſa, carnifex pallet, oculi gladium non videntes, fibulam vident. Et ne parum eſſet quod non formidabat interitum, præſtat beneficium ſævienti. Denique illibatæ vitæ conſcientia, ceu clypeo munita, ſtat contra omnes ictus impervia, atque impenetrabilis, ſtabitque etiam cum illa quiſquis inſurgenti hoſti, & ſeu lingua, ſeu ferro minitanti dicere cum Chriſto poterit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Ita ſtetit olim S. Ambroſius, cujus eæ voces dignæ cedro: *Didicimus Chriſti ſervuli non timere*, quia ſcilicet didicimus non peccare. S. Ambroſius. *Lib.* 5. *Ep.* 32.

Ita etiam & ſtetit D. Auguſtinus, dignus tanto magiſtro diſcipulus, cujus hæc ad Secundinum Manichæum verba: *Senti de Auguſtino quidquid libet: Sola me conſcientia in oculis* DEI *non accuſet.* S. Auguſtinus. *Libro uno cap.* 2.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis?* v. 46.

QVOMODO VERITAS PLERISQVE ODIOSA SIT, maximè autem viris Principibus.

Veritatis ſedes cœlum. MYTHOLOGI doctis ſuis fabulis prodiderunt Aſtræam pulſam è terris cœlum petiiſſe non ſine magno incommodo totius Univerſi. Hoc ipſum de veritate dici poteſt, & certè etiam dixit D. Paulinus, cujus hæc ſententia digna Poſteris: *Omnia ſub ſole vanitas, proinde ſuper ſolem veritas.* Illic Plato conſtituit πεδίον ἀληθείας, *Campum veritatis*: Ut contra in terris ſedem, campúmque mendacii, ac puræ vanitatis; quod dum antè ſenſit, luxitque Propheta regius, exclamavit: *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum*, & ita quidem diminutæ, ut vix illius reliquiæ appareant; qui enim apparerent? Cùm filiis hominum, id eſt, carneis, ac luteis hominibus odio ſint, non ſuo vitio, ſed horum culpâ, ac malevolentiâ. Ut videre eſt in antiqua illa paræmia.

Epiſt. 4.

Mundus mendacii.

Pſ. 11. *v.* 2.

Quatuor ſunt bonæ matres, quæ quatuor filias peſſimas pariunt: Proſperitas ſuperbiam; ſecuritas periculum; familiaritas contemptum; veritas odium parit.

Quæ paræmia ſi in pleriſque mortalium vera, maximè autem in viris Principibus, à quorum foribus ferè exul eſt *Veritas*, ut proinde meritò Sophiſta Lucianus non ſophiſticè; ſed verè virtutem, ac potiſſimùm veritatem ad palatii fores excubantem, continuóque, ſed fruſtrà pulſantem fecerit, dum interea Rex Juppiter in terras delapſus de aqua cucurbitis dividenda, de lite inter papiliones, & veſpas pro numero alarum componendâ, ſeriò multúmque, ac diu cogitat. Veritas hinc odioſa. Etiam Principibus.

Quod ille de ſuo Jove, & inani Numinis ſimulacro dixit; hoc ego de pleriſque Magnatibus, ac Regibus liberè pronuntiabo. Litigant illi, & ſeſe diu, multúmque torquent, ac terunt in vanitatibus, in

rebus

rebus nihili; in crepundiis puerilibus; quas admittunt in conclave, intimáque animi penetralia, dum interea ab illis exulat, & virtus, & virtutis ſoror, comésque individua veritas; quam ex eo fugiunt, quia eorum inſanis erroribus, ac vanitatibus adverſatur.

Sic eam fugêre quondam Scribæ, Phariſæi, ac Pontifices prima Judaicæ gentis capita, quibus omnis Chriſti doctrina fuit inimica, vel ex eo tantùm, quòd in vero eſſet poſita. Lucem nimirum, ſolemque veritatis horrebant illi talpæ, ac veſpertiliones, tenebris Judaicis innutriti, & à depravata ſua mente damnandi, ad tenebras, noctemque ſempiternam. Sic etiam à veritate alienus fuit Pharao, ad quem cùm mitteretur Moyſes à Domino, ſic ſeipſum excuſatum voluit. *Quomodo audiet me Pharao, præſertim cum incircumciſus ſim labiis?* Quæ verba ita vel reddit, vel explicat D. Auguſtinus: *Ecce ego gracili voce ſum.* tum inquit: *Mirum eſt tam gracili voce Moyſem fuiſſe, ut ne ab uno quidem homine poſſet audiri. An fortè regius faſtus non permittebat eos de proximo loqui ſecum?* Verè non permittebat ſecum loqui, imò nec propiùs ad ſe accedere, & ſi ſubinde prodigiis victus daret aures, dabat è longinquo, unde non gracili, non ſubmiſſa voce erat opus; ſed craſſa, atque elata, qualis in Moyſe non erat. Ex hoc odio veritatis evenire ſolet, ut Principes ac Reges publicis de rebus regníque malis non audiant niſi quàm tardiſſimè.

Exod. c. 6. v. 11.

Quæſt. 16. in Exod.

Eſther c. 7. Sic Aman in Judæos, imò & Aſſyrios mira moliebatur, ipſúmque Regis caput petebat, & tamen horum inſcius erat Aſſuerus.

Dan. c. 5. Sic Babyloni Medorum exercitus imminebat, & tamen Balthaſar multo vino madidus, & menſis accubans ignorabat.

Ionæ c. 3. Sic Niniven excidii fama longè latéque concuſſerat, & ad ſolemne jejunium, ſaccúmque ac cinerem exciverat; & tamen ad Regem vix ſubobſcurus quidem rumor penetrârat.

Epiſt. 48. Adeò in Reges cadit etiam illud D. Hieronymi ad Sabinianum: *Solemus mala domus noſtræ ſcire noviſſimi, ac liberorum ac conjugum vitia vicinis canentibus ignorare.*

Quæ cauſa? Cauſam ſi quæras, ea è duobus capitibus peti poteſt; unum eſt quod viri principes, licèt cætera corporis membra roſis foveant, ſolas aures ſepiant ſpinis, perperàm intelligentes illud Eccleſiaſtici:

Cap. 28. v. 28. *Sepi aures tuas ſpinis:* ſepi enimverò non ut arceas, ut excludas vera, ſed tantùm adulatoria & falſa: Sed proh dolor! ſecus omninò accidit: ſi vera quis opportunè ingerat, iis, tanquam ſpinis, cruentantur aures; ſin falſa, deliniuntur: quod malum, ut ſolet, grandi ſtylo notat, pungitque D. Chryſoſtomus: I.

Serm. de lapſu hominis. *Proh neſas,* inquit, *præceptum Domini contemnitur, & perſuaſio ſerpentis auditur: deſpicitur* DEUS *providens, & ſerpens auditur decipiens: aſpernuntur ſalutaria monita, & recipiuntur venenata colloquia:* Modò ea molliùs ad aures, animòsque appellant; quod ſanè extremæ dementiæ eſt argumentum, ut in Herode pulchrè oſtendit D. Fulgentius.

Joannem utpote Prophetam, & divini Verbi præconem tamdiu benevolè audiit Herodes, quamdiu non audiit illud: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* At ubi ea monita ceu tonitrua, ceu fulmina aures pulſare cœperunt, graviterque ferire; tum amor in odium verſus, & ſtupor in furorem, à quo veritatis præconem jugulavit, qui veritatem ipſam jugulare non potuit; quod ſcelus dum apud ſe tacitus expendit D. Fulgentius exclamat:

Marc. c. 6. v. 18.

Serm. de Decoll. Bapt. *O humana dementia! ut luxurietur Herodes, necatur Ioannes.* Hæc ubi dixit, tum in tyrannum elatâ oratione ſic incurrit:

Numquid Propheta ſuo te terruit merito, & non divino judicio? Res eſt extremæ dementiæ odiſſe loquentem, nec metuere judicantem.

Altera hujuſce mali origo eſt ea, quòd pauci omninò ſint, qui Reges ac Principes in faciem arguere audeant: quamplurimi verò, qui fœdum in modum blandiuntur, & palpant contra rationis ac prudentiæ leges, atque ordinem: ut quæſtione ſequenti paucis docebimus. II.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis.* V. 46.

QVANTA CONCIONATORIBVS DEBEAT eſſe libertas ad enuntiandam veritatem?

Concionatoris officia duo.

Cap. 3. v. 9.

EZECHIEL Propheta, cùm ad divinos oracula ac vaticinia Iſraëliticis evulganda mitteretur, hæc audit à Domino: *Vt adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.*

I. Pro ſe tacere.

Sed cur, inquies, ut adamantem, ut ſilicem? Quæ adamanti cum ſilice ſocietas in divini Verbi præcone eſſe poſſit? Omninò quàm optima. Eſt adamas ſymbolum fortitudinis, inſignisque patientiæ; quantumvis enim tundatur, ac contundatur, ſilet, nec in partes diſſilit, nec abit in ignes.

II. Pro DEO loqui.

Contrà verò ſilex ſi percutitur, ardet, & quaſi flammantes ſcintillas expirat, atque excandeſcit totus; adeóque iræ juſtæque ultionis ſymbolum eſt: quòd Concionatori convenit quàm optimè, ut etiam & primum, quod in adamante expreſſimus.

Si privatis de rebus atque injuriis agitur, eas admittat ipſe, ferátque in ſilentio illuſtri quâdam patientiâ ac fortitudine: at ſi de religione, de divino cultu, de DEI gloriâ quæſtio incidat; ſi oppugnentur illa, tum verò ut ſilex percuſſus, diſſiliat totus, & nihil niſi ignes & flammas in noxia capita evibret, atque evomat.

Exemplo Ezechielis. Ita Ezechielem adamantis ac ſilicis ſymbolo edoctum voluit Deus, ut & proprias injurias pati diſceret, & divinas ulciſci; Et idipſum quà verbo, quà exemplo oſtendere debet, quiſquis cœleſti nutu in cathedram veritatis eſt evocatus. Si calumniis ille, ſi ſuppliciis impetatur, & hæc, & illas æquo infractóque animo ferat, ad ferrum & ignes promptus invictúſque, exemplo vel ipſius Chriſti, qui tanquam ovis ad victimam ductus eſt, & coram tondente ſe obmutuit; quia nimirum *ſaginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat*, ut disertè notat Tertullianus.

Lib. de Patient.

At ſi Religionis, ſi DEI cauſa agatur, tum verò & animum & vocem explicet, fulminaque jaciat concitatæ orationis, & in ſceleſta capita altùm detonet; etiam doctus exemplo Servatoris optimi, qui pro ſeipſo loqui auditus nunquam, pro Æterni Patris gloria tacere nunquam eſt viſus.

Chriſti.

[...]as ſeu loquendi, ſeu tacendi vices in Concionatoribus amavit DEUS, docuitque alio ſymbolo [...]eleganti: ſcuti ſcilicet, ac bovis imagine.

3 Reg. c. 7. Erant in templo Salomonis ſcuta aurea, & boves ænei: emblema nobile virorum Apoſtolicorum, qui ex eo metallorum illorum diſcrimine docentur, quid in moribus ſuis, quid in omni vita exprimere debeant. Aurum, ut notat Galfridus, *Percuſſum* *In Alleg. Tilm.* ſilet; æs autem quàm maximè ſonorum.

Sic myſtæ Chriſtiani, & divini verbi præcones in privatis injuriis, non ſecus ac ſcuta aurea ſilere debent; at verò in DEI cauſa, ingentes voces & veluti mugitus edere, ut ſolent ænei boves.

Orat. de laudib. Baſilii. Ita docuit, ita fecit D. Baſilius, quem D. Gregorius Nazianzenus ita cum Præfecto loquentem inducit. *Cæteris in rebus, ô Præfecte, manſueti & placidiſſimus, atque omnium abjectiſſimi. Verum ubi DEUS* D. Baſilii. *nobis periclitatur ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes ipſum ſolum intuemur. Ignis autem, & gladius, & beſtiæ, & ungulæ carnem lacerantes voluptati potiùs nobis ſunt, quàm terrori.*

Sic apud Gregorium Baſilius; qui non inani tantùm vocis ſono in tyrannos detonare auſus: ſed & illos, eorúmque machinas omnes, & crudelis laniænæ inſtrumenta pro nihilo ducere: Tanta in magno D. Ambroſius. illo Præſule pro DEI gloria libertas fuit, cui ſimilis in Ambroſio.

Facta erat Theſſalonicæ cædes, in qua ſeptem omnino hominum millia perierant juſſu Theodoſii Imperatoris, ad quem acerrimas litteras dedit Ambroſius graviter illi ſuccenſus, quòd pro Judæis vindicandis ſævierit in Chriſtianos.

Epiſt. 29. *Hæc dabit*, inquit, *triumphum Judæis de Eccleſia Dei, hoc trophæum de Chriſti populo? Hæc gaudia perfidis? Hanc celebritatem Synagogæ? Hos luctus Eccleſiæ?*

Hæc inſigni, & heroica planè dicendi libertate Theodoſio objicit Ambroſius epiſtola amariſſimis objurgationibus reſperſa. Neque porrò minor in dicendo, quàm in ſcribendo libertas fuit; Imperatori enim templum ingredi volenti ſic occurrit; ſic à templi limine prohibuit.

Theodor. l. 5. Hiſt. c. 17. *Quibus oculis intueberis templum illius, qui eſt omnium Dominus? Quibus pedibus ſanctum illud ſolum calcabis? Quomodo quæſo manus injuſtâ cæde ac ſanguine reſperſas extendere audebis, & eiſdem ſacroſanctum Chriſti Domini corpus accipere? Aut quomodo venerandum ejus ſanguinem ori admovebis qui furore iræ jubente tantùm ſanguinem tam injuſtè fudiſti?*

Hæc ex Ambroſio audiit Theodoſius, qui ſtatim ad exemplum Davidis provocavit, eoque op- *D. Paulin. in ejus vita.* portunè uſus magnus Præſul, libera voce adjecit illud: *Qui ſecutus es errantem, ſequere pœnitentem.*

His verbis acceſſerunt & facta; nam Imperatorem & ab aditu templi, & à fidelium communione ſecluſit; etiam uſus verbis gravioribus. *Recede* Cæſar, *& ne conare novo ſcelere ſcelus ante editum augere.* Quis non amet ac ſtupeat eam libertatem, dignam Eccleſiaſte, dignam infula, verbo uno, dignam Ambroſio, quam utinam imitarentur ii omnes, qui vel ad infulas, vel ad cathedras gradum ſibi fecerunt.

A quibus arguitur concionator mutus. Sed proh dolor! pleróſque videas hoc quo vivimus ævo longè diſſimiles Ambroſio? Regum, Cæſarumque vitia, vel importuno ſilentio tegunt, quod eſt timiditatis; vel etiam excuſant, quod eſt impudentiæ; vel denique palpant, quod eſt perfidiæ, ſimiles coquis qui in parandis cibis non tam ſanitatis, quàm gulæ rationem habere ſolent.

Philo Judæus fallaces illos adulatores componere ſolebat cum coquis; fidos autem monitores cum medicis; tum inter eos diſcrimen addebat: *Quid inter medicos & coquos interſit, quis non videt? Illi quidquid ad ſanitatem conducit, etiamſi ægroto ingratum videatur, ſolum magno apparant ſtudio. Hi contrà ſuavia curant, utilia negligunt.* *Lib. de Ioſepho.*

Sic quandoque Concionatores improbi: dum auram popularem captant, dum aucupantur gratiam Magnatum, coquorum inſtar, verbum Dei, quod animæ cibus eſt, magis ad delectationem & ſuaves aurium illecebras dirigunt, quàm ad animorum curationem, & expurgationem vitiorum, quæ tamen Uti à Deo hominum morbi ſunt, & quidem lethales, quos ut Iſaias. medici curare debuerant. In illos cadet aliquando illud Iſaiæ: *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis* *Cap. 6. v. 5.* *ego ſum. Plangit ſe Propheta quia non fuit dignus laudare* *In eum locum.* *Dominum Sabaoth cum Seraphim. Non fuit autem auſus laudare Dominum, quia labia habebat immunda. Et propterea labia habebat immunda, quia non audacter Oziam impium Regem corripuit*, ut doctè notat D. Hieronymus.

Quod Iſaiæ in illo mentis exceſſu durum accidit, hoc longè duriſſimum accidet Concionatoribus in æternitate; in qua & ſerò, & ſine fructu jactabunt illud: *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis fui*; pollutus, inquam, vel quia veritatem penitus ſilentio texi atque oppreſſi, vel quia non totam evolvi; ſed ex parte reticui metu præpoſtero, reſpectu vano, & ſpe nimiùm quantùm mendaci; contra quam A Tertulliano Eccleſiaſtes. elato ut ſolet, grandique ſtylo detonat Tertullianus, atque ejuſmodi Eccleſiaſten acerbiùs increpat:

Quid, inquit, *dimidias mendacio Chriſtum? Totus veritas fuit.* Et quia totus quantus fuit, veritas fuit; eos *Lib. de Car. Chriſti c. 5.* qui vel ſe, vel veritatem dimidiant, odit ac deteſtatur.

Sed erit fortaſſe unus aliquis, qui hinc ſibi excuſationem texet, quòd veritas explicatâ fronte ſi prodeat, non ſolùm odium, ſed & periculum creet.

Illud etiam ultrò concedo, fateorque cum Pro- Qui nec periculi metu. pheta Regio veritatem arcui ſimilem eſſe: ſi ſagitta ex arcu longiùs emittatur in ſcopum, jaculator eſt in tuto; quia ſagitta albo infigitur, in eoque hæret tenaciùs: at ſi jaciatur in ſcopum vicinū, quandóq; & ſæpiùs in ſagittarium reſilit, eumque repercutit non ſine periculo, & vulnere: ita Hebræi explicant illud Davidis: *Ut fugiant à facie arcus*; legunt *à facie veritatis*, à qua ne fugeret, & tela, & vulnera, & pulchram mortē invenire geſtiebat ille Monachus, qui Martyrii amore ſuccenſus ad Soldanum abiit, ab eóque rogatus, quorſùm veniſſet; reſpondit, ut mortem inveniam tibi veritatem prædicando. Cui Nec mortis averti debet. Soldanus: Redi, inquit, ad tuos Principes, & illis veritatem prædica, & mortem, quam apud me quæris, apud illos invenies. Et *nimis verè*, inquit Delrio; quandóque enim etiam apud Chriſtianos ita odioſa fuit veritas, ut eam apertè oſtendiſſe, ſanguine & vitâ ſteterit.

Hinc probè monendus Eccleſiaſtes, qui ad prædicandum Evangelium emittitur, ut omnem & exilii & mortis metum abjiciat, exemplo Moyſis, qui ad Pharaonem iturus à Deo jubetur calceamentum *Exod. c. 3.* ſolvere, hoc eſt interprete D. Ambroſio, mortis *L. 7. in Luc.* timorem exuere (cujus calceamentum eſt typus) & verò quidni exueret? Si enim Philo, Judæus cùm eſſet, pronuntiare nihilominus illud eſt auſus: *Emori præſtat, quàm loqui ad gratiam diſſimulatâ veritate,* *Suprà.* *& utilitate neglectâ:* Si inquam id Philo dixit, quid dicet, imò quid faciet Eccleſiaſtes Chriſtianus? Exemplum Moyſis. Id enimverò faciet, veritatem quam in tenebris excepit, in luce, ac ſole explicabit, & quod in aure audivit, prædicabit in tectis. Et hoc Dei nutu, Chriſtique Servatoris vel imperio, vel etiam *Matth. c. 10.* exemplo.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Quare non creditis mihi?* verſ. 46.
CUR IPSIMET VERITATI HOMINES NON CREDANT?

HÆc olim fuit Chriſti Servatoris juſta expoſtulatio: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Eam olim in Judæos jecit, modò etiam in Chriſtianos, quibus ſcilicet quandoque tarda fides, excæcatus oculus, ſurdæ aures, & Evangelio rebellis animus.

Sed cur inquies rebellis, aut ſaltem ad credendum durus, cùm aures feriat vox primæ ſempiternæque Veritatis?

(I. Ratio.) Hæc prima occurrit ratio, quia altùm loquitur & clamat voluptas, & diverſa atque pugnantia placita proponit, & his habetur potiùs fides.

(L. 1. de Abel, & Caim c. 4.) *Spargit odores ſuos voluptas, quia Chriſti odorem non habet, theſauros demonſtrat, regna promittit, amores ſpondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, ſine pædagogo diſciplinas, ſine monitore ſermones, vitam ſine ſollicitudine, mollem ſomnum, inexplebiles cupiditates.* Ita D. Ambroſius.

Et quia his omninò contraria prædicat Chriſtus, hinc non auditur, etſi unus ipſe veritatem dicat: Mundus autem, & voluptas mera, & puta mendacia.

(Matth. c. 5.) Paupertatem Chriſtus ſpiritu veritatis commendat, imò & inter beatitudines reponit: *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu.* At contrà mundus, mundanique ſpiritu vanitatis beatum dicunt populum, cui hæc ſunt, cui ſcilicet amplæ poſſeſſiones, divites gazæ, & opes, quæ arcas & flagellent, & obruant.

Chriſtus veri amans exclamat: *Beati qui lugent.* contrà mundus, qui falſa ſtultè deperit, docet, & miſeros eſſe qui lugent, & fœlices qui toti à riſu, & voluptate diſſolvuntur.

Chriſtus beatos prædicat, *qui perſecutionem patiuntur;* At hos contrà calamitoſiſſimos eſſe mundus pronuntiat.

(Ad cap. 13. Iſai.) Chriſtus ait onus ſuum eſſe leve, & jugum ſuave; grave autem & amarum jugum hujus ſæculi: quod ex vero eſt *onus Babylonis*, cujus, ut notat Ailredo, *Amor cupiditas eſt*, quæ reverà *Onus eſt grave, multos premens, & ad inferiora incurvans*, & miſeros mortales *Tripliciter onerans*, ſcilicet, *labore, timore, dolore. Cum labore ſiquidem pervenit homo ad id quod cupit, cum timore poſſidet, cum dolore amittit.* Et tamen ut ita ſe res habeat; mundus peſſimus omnino magiſter, & mendaciſſimus impoſtor, jugum Chriſti durum facit, ac intolerabile; ſuum autem jactat & leve, & optabile.

Sic nimirum inter ſe pugnat Chriſtus, & mundus, ſic vanitas à veritate diſſentit; & quia auditur magis illa; quàm hæc meritò Salvator optimus olim queſtus. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

(II. Ratio.) Sed & altera eſt ratio cur veritati minùs obediant cæci mortales: quia ſcilicet mundus bona præſentia, quaſi ſub oculos ponit; Chriſtus autem ferè tantùm futura menti objicit, & quia præſentia magis feriunt, quàm futura; hinc amantur illa & quæruntur ſtudioſiùs; hæc verò habentur in poſtremis curis; quod ipſum diſertè ſic notavit Ambroſius:

(In Pſal. 1.) *Allicit homines magis dulce peccati, quod ad præſens influit, & impinguat videntis affectum, quàm triſte virtutis, quæ fidei ſpem veluti quodam cortice amari laboris involvit,* & hinc infirmitatis humanæ infœlicitas, quam deplorat ille ipſe S. Doctor:

(Lib. 7. in Luc.) *Rarò*, inquit, *quamvis excelſa virtus futuris commutat præſentia; difficile quippe videtur hominibus ut ſpem periculo emant, damnóque præſentium futuræ lucrum mercentur ætatis. Frigent enim ſolatia ſub metu mortis, magnusq; amor vitæ, ægrè blanditias ſpei cum appetitæ ſalutis errore compenſat.*

Et hanc quoque incredulitatis rationem attulit D. Auguſtinus:

(Serm. 23. de verb. Apoſt.) *Mundi*, inquit, *promiſſa ſemper fallunt; Dei promiſſa nunquam fallunt; ſed quia mundus quod pollicetur, hic videtur daturus, id eſt, in hac terra morientium, in qua nunc ſumus. Deus autem quod pollicetur, in terra viventium daturus eſt; multi fatigantur expectare veracem, & non erubeſcunt amare mendacem.*

Hæc verè, elatè, magnificè dixit Auguſtinus, non ſine urgenti animi ſenſu, quo hominum cæcitatem deploraret.

(III. Ratio.) Occurrit & alia hujus mali cauſa, eaque ducitur ex pravis mortalium affectionibus.

(L. 2. de Benef. c. 4.; L. de bono mortis c. 9.) Eſt fides, bonæ mentis oculus, qui vel extinguitur omnino, vel certè caligat affuſâ nebulâ depravatæ alicujus paſſionis. *Sæpe enim*, teſte ipſo Seneca, *noxia concupiſcimus, nec diſpicere, quàm pernitioſa ſint, licet; quia judicium interpellat affectus*, & in errorem inducit; quia ut doctè D. Ambroſius: *Ibi errat oculus, ubi errat affectus.* Hanc errandi viam in ſeipſo agnovit David, damnavitque, licèt ſeriùs:

(Pſal. 6. verſ. 8.) *Turbatus eſt*, inquit, *à furore oculus meus:* vel ut legit ex Hebræo Pagninus: *Caligavit præ ira oculus meus.* Nimirum ab ira inſolenti hebetata oculorum acies, & intelligentia, quæ mentis lumen eſt: Hebetata, inquam, & ita quidem, ut res prout in ſe ſunt videre non poſſit. Hanc luem peſtemve oculorum unâ alterâve ſimilitudine pulchrè explicat D. Gregorius Nazianzenus:

(Orat. 14. quæ eſt 3. de Pace.) *Quemadmodum*, inquit, *eadem terra ſanis quidem, ac minime læſis fixa, & ſtabilis eſt: iis autem qui circum aguntur, ac vertigine laborant, movetur; nimirum aſpicientium vitio ad rem aſpectam tranſeunte. Aut ſi mavis, quemadmodum columnarum intervallum, his, qui propiùs, majus; iis autem, qui longiùs remoti ſunt, minus videtur: aere nimirum ob interſtitium velut ſubrepto, ac viſu ea quæ craſſiora ſunt connectente. Ad eundem nos quoque modum ob inimicitiam facilè decipimur: nec de iiſdem rebus eadem amantes, & non amantes judicamus.*

Illud ſcilicet amoris vitium eſt ac depravatæ voluntatis, quod ad intellectum ipſum, & judicium transfunditur.

Quod amori inſoleſcenti, hoc & aliis paſſionibus commune: pervertunt illæ omnem intelligentiæ ſedem, & in judicia penitùs iniqua detorquent.

Da mihi hominem unum aliquem, qui ſe inſano avaritiæ appetitu abripi ſit paſſus; eique ſi voles ex ipſius Fidei Chriſtianæ principiis repoſitas in cœlis opes oſtenta: eas non videbit, non agnoſcet, pro minimis reputabit: & hoc quia diſſitæ ſunt, quia multum aëris, hoc eſt mundani affectus interjectum; & contrà, perituras hujus ævi divitias, licèt inanes ac nullas, pro maximis habebit; quia propè ſunt, & propter affectum quaſi in ipſis oculis, in ipſa mente.

Cedo

Cedo mihi & alterum, cui impurus amor in delicits, Venus aliqua in oculis; jacta illi pulchram eſſe caſtam generationem cum claritate; jacta ex Scripturæ fide, & teſtimoniis immortalem ejus memoriam: eam ipſe intueri non poterit, imò pro informi monſtro habebit: nec tibi, nec Chriſto etſi adhuc ſpiraret in terra, docerétque è pulpito, crederet. Adeò vias omnes præcluſit malè ſanus affectus, & menos oculum eruit. Idémque de aliis paſſionibus eſto judicium.

Sap. c. 4.

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* V. 47.

QVID SIT AVDIRE DEI VERBVM?

De ut. c. 29. v. 4.

TRIA ſunt, quæ ſacri Vates pro magno & ſingulari Dei dono & optarunt, & commendarunt; videlicet: *Cor intelligens, oculos videntes, & aures quæ audire poſſint.* Meritò aures, quæ audire poſſint: ſunt enim quæ ſuo vitio aut nolint, aut non poſſint audire ea, quæ ad ſalutem ducunt: mundi voces, inſulſoſque clamores, & putidæ carnis blandimenta, ac voluptatum, ceu Sirenum cantus apertè & palam admittunt; Deum verò tonantem nec attendunt quidem: Sunt nimirum aures illæ capitis, non cordis.

Aures capitis.

Aures cordis.

Docet Galenus miro naturæ parentis artificio, humano cordi hinc inde aures eſſe, eo ſcilicet conſilio, ut ſalutaria monita, & cœleſtia verba auribus capitis excepta, corde etiam excipiantur, & per illius aures in intimum ejuſdem penetrale ſuccedant. Et hæ enimverò ſunt aures perfectæ, de quibus ſibi quondam gratulatus eſt Meſſias apud Vatem regium.

Pſ. 39 v. 7.

Aures, inquiebat, *perfeciſti mihi*, vel ut Hebræi legunt, *perforaſti mihi*. Deus, ô Æterne Pater, excavaſti meas aures ad capiendam vocem tuam, ad legem, ſacráque cœli oracula audienda, non extrinſecus tantùm, ut faciunt ſuo vitio plerique mortalium; ſed intrinſecus quoque in intimo mentis aditu, ad quæ cana divini verbi veritas delabitur; Divini, inquam, verbi, quod Tertullianus ornamentum aurium appellavit; ita enim altiore ſtylo: *Vera ornamenta aurium Dei voces.*

Hæ perfectæ.

Dei verba ornamenta.

In Scorpiac. c. 3.

Fœminæ nobiles plus æquo ſtudioſæ, & amantes mundi muliebris, ſolent inaures amare, & modò circulos aureos, modò globulos auribus appendere: quæ inſignis eſt, & plerumque damnanda vanitas. Non ſic bonæ mentes, non ſic: longiùs abeunt illæ, abhorréntque ab illo ſpiritu vanitatis, Deíque verbum, ſpirantémque in eo veritatem pro inauribus, pro circulis aureis, pro globulis, pro margaritis habent; & auribus animóque fœliciùs appendunt, eóque divinitùs ornantur; ut olim Jeruſalem cùm Dei eſſet, & amans acceptæ legis. De eâ quippe ſic olim cœleſte Numen apud Ezechielem:

C. 16. v. 12.

Dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.

Inaures.

Inaurem on, ut nihil loqueretur, nihil è labiis effunderet, niſi quod à Domino ſibi infuſum acceperat.

Circulos auribus, vel ut Hebræi legunt, *globulos in aures*, hoc eſt, uniones læviore, & pellucida rotunditate mirificos & pretioſos; ſcilicet cœleſtis verbi *Margaritas* (eo quippe nomine Chriſtus illud nuncupari ornarique voluit) illud, inquam, Jeruſalem, hoc eſt anima pacis amans, appendit auribus non capitis modò, ſed & cordis, ut ſic Dei ſui legem ponat in medio cordis ſui; eóque argumento ſatis probet ſe ex Deo eſſe, ut quæ Dei verbum audiat: de quo auditu mihi in præſens eſt quæſtio; in qua evolvam illud, quid ſit illud audire.

Matth. c. 7. v. 5.

Ne puta audire verbum Dei idem eſſe, ac inanem illius ſonum, quo vapulant auræ, excipere; ſed audire eſt credere.

Sic olim Deo ſibi loquenti dixit puer Samuel; *Audit ſervus tuus*, hoc eſt credit. 1. Reg. c. 3. v. 9.

Sic pius ille Centurio, ut audivit Chriſtum cum valido clamore expiraſſe, adjecit illud inclytæ fidei teſtimonium: *Vere hic homo Filius Dei erat.* Ita, ut devotè Bernardus: *Ex voce agnovit Filium Dei, non ex facie. Erat enim fortaſſe ex ovibus ejus, quæ vocem ejus audiunt. Auditus invenit quod non viſus, oculum ſpecies fefellit, auri veritas ſe infudit, Oculus pronuntiabat infirmum, oculus fœdum, oculus miſerum, oculus morte turpiſſimâ condemnatum; auri Dei filius, auri formoſus innotuit:* adeò verum illud: *Fides ex auditu.*

Audire eſt credere.

Marc. c. 15. v. 39.

Serm. 28. in Cant.

Ad Rom. c. 10. v. 17.

Sic deinde Magdalena Domini ſui amantior, cùm illum hortulani ſpecie vidit, non agnovit; ubi verò audiit illud, *Maria*, & agnovit, & addidit illud amantiùs: *Rabboni.* cui Chriſtus: *Noli*, inquit, *me tangere*, hoc eſt interprete Bernardo:

Ioan. c. 20. v. 16.

Diſſueſce ſeducibili ſenſui, innitere verbo, fidei aſſueſce: fides neſcia falli, fides inviſibilia comprehendens, ſenſus penuriam non ſentit.

Suprà.

Sic denique ad ſponſam ſponſus animarum optimus: *Audi filia*, hoc eſt crede; & meritò: quia ut notat Chryſoſtomus:

Pſal. 44. v. 11.

Dos ſponſæ in auditu erat. Quid eſt in auditu. In fide, non in fruitione. Et hæc de prima ſignificatione verbi audiendi.

Homil. in Eutrop.

Altera eſt, ut *audit* idem ſit quod *obedit*. Sic ille ipſe Samuel, de quo ſuprà, dicebat: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus*, hoc eſt obedit: nec enim Deo credere, ſed & obedire erat paratiſſimus.

Audire eſt obedire.

Sic & ad ſponſam animarum ſponſus: *Audi*; inquiebat, *Filia*, hoc eſt obedi (interprete Chryſoſtomo) qui disertè notat ubi ſponſus à ſponsâ obedientiam poſtulavit; ſtatim ingentis præmii loco internam animæ pulchritudinem adpromiſiſſe: *Et concupiſcet*, inquit, *Rex decorem tuum.* Quis ille decor, ſi quæris, ex eodem intelliges, quod *Pulchritudo animæ pendet ab obedientia erga Deum; anima enim quamlibet deformis, ſi quidem obtemperaverit Deo, deponit peccatum, & ſpecioſa redditur.* Nec ſpecioſa tantùm, ſed & beata; quod D. Bernardus eâ quâ ſolet eſſe ſolertiâ deducit ex illis ſponſi ad ſponſam verbis: *Audi filia, & vide.*

Pſal. 44. v. 12.

Videre, inquit, *deſideras, ſed audi priùs. Gradus eſt auditus ad viſum. Proinde audi, & inclina aurem, ut per auditus obedientiam ad gloriam pervenias viſionis.* Ex quibus omnibus id conficio, pleroſque mortalium & animæ pulchritudine, quæ in grana repoſita eſt, & gloria, ac beatitate privari; quia Dei verbo non obediunt, non credunt Evangelio, Chriſtóque imperanti: cùm enim à Deo ſuo alieni abeant in vias peccatorum, vias latas, audiántque à Chriſto ſæpiùs illud, quod ſemel tantùm Paulus: *Quid me perſequeris?* Non adjiciunt tamen iſtud, quod olim Saulus: *Domine quid me vis facere?* Aures primùm dedit

Serm. 41. in Cant.

dedit divinæ voci; deinde etiam & manus: Et hinc ex Saulo Paulus, ex perſecutore factus eſt Apoſtolus. Quod illi ab obedientia datum eſt, hoc & tibi dabitur, ſi Dei verbo & aures, & animos, & manus commodaris.

Audire eſt exequi.

Dixi primùm, *aures*: quia hoc quo vivimus ævo multi ſunt qui ne eas quidem accommodant. Similes auditoribus Demoſthenis, qui diſſerentem de umbra aſini avidè audiebant; diſputantem autem de ſalute Græciæ, ne ferebant quidem. Ita ad fabulas aniles attenti pleriqne; ad ea quæ ſalutis ſunt, quæ æternitatis, ſurdi.

Laërt. in Vit. Phil. In quo etiam ſimiles ſunt diſcipulis Anaximenis Philoſophi, qui à magiſtro de rebus graviſſimis perorante aures avertebant, ut oculos converterent ad Diogenem, qui fortè petaſonem oſtendebat.

Sic è Chriſtianis nonnulli: à ſacris ædibus, à Dei verbo, quod in iis inſonat, abeunt longiùs, & aures, & gulam fœdè replent fumo malè olentis culinæ. Homines ſcilicet animales, qui ea quæ Dei ſunt non percipiunt. Ne de eorum numero ſis, primùm *aures* præbe cœleſti verbo. Deinde etiam *animos*: *Verba Dei*, inquit Tertullianus, *audienda ſunt, non tantùm auribus, ſed mentibus.* Imò tenenda & *manibus*. *Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm*, inquiebat S. Jacobus. *In ſcorp.*

Sed proh dolor! auditores ſat multi; factores pauciſſimi, & hi quidem Adamo parenti ſuo ſimiles.

Audivit ille vocem Domini Dei deambulantis ad auram poſt meridiem, vel ut Septuaginta legunt, *ad veſperam. Quid eſt*, inquit Ambroſius, *ad veſperam? niſi quia culpam ſuam ſerò agnoſcit, & ſerò venit quadam erroris præteriti verecundia, quæ errorem prævenire debuerat. Nam dum culpa fervet in corpore, Deum ſenſus errantis non audit.*

Quod Adamo, hoc, inquam, pleriſque contingit: Deum ſeu benè monentem, ſeu etiam graviter per Concionatores minantem non audiunt, niſi *ad veſperam*, cùm jam per culpam lethalem ſol gratiæ illis occidit. Sanius profectò erat audiſſe cùm primùm ſurgeret, & animam diviniore quadam luce perfunderet: ſed profectò ideò non audierunt, quia ex Deo non erant: Et hinc mihi injicitur altera quæſtio. *Gen. c. 3. v. 8.*

QUÆSTIO SEXTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* V. 47.

SITNE SIGNUM ALIQUOD DIVINÆ PRÆDESTINATIONIS, audire DEI *verbum?*

Lib. de Pudicit. c. 9. SCITE pronuntiavit olim Tertullianus: *Malumus in Scripturis minùs ſapere, quàm contrà.* Hoc faciunt Hæretici, qui in Scripturis dum plùs ſapiunt quàm oportet ſapere, deſipiunt, & iis tanquam armis ad ſuam ipſorum perniciem abutuntur: quod præclara ſimilitudine explicat D. Ambroſius: componit enim S. Scripturam cum machæra, quam ſi puer tractet, quia debilis eſt ac infirmus, ſibi facilè vulnus infliget.

Scripturâ abutuntur hæretici.

Lib. 3. in Luc. *Religioſe*, inquit, *fidei ductu in myſteriorum ſacra deſcendimus, ne quis iſta cùm legerit quaſi puer machæram tractare per infantiam fortiora arma neſciret magiſque vulnus ex imprudentia, quàm ſalutem ex lectione ſentiret; infirmos enim tela ſua vulnerant: nec poteſt benè uti armis, qui ea ferre non noverit.*

Ut puer armis.

Ut æger antidoto. Hæc D. Ambroſius; cui conſentit D. Auguſtinus, aliâ ipſe ſimilitudine uſus; comparat enim ſacras litteras cum medicamento & antidoto, quo benè utuntur ſapientes ad ſanitatem, cùm contrà inſani abutantur ad mortem.

Lib. 9. Confeſſ. c. 4. *Quàm vehementi*, inquit, *& acri dolore indignabar Manichæis, & miſerabar eos rurſus, quod illa Sacramenta, illa medicamenta neſcirent, & inſani eſſent adverſus antidotum, quo ſani eſſe potuiſſent.*

Antidotum vocat divinas litteras, quibus perperàm uſi Manichæi, qui etiam ex hoc ipſo loco (de quo mihi in præſentia eſt quæſtio) ſibi ac ſuis venenum fecerunt unde medicamentum, & antidotum facere debuiſſent: Ex eo enim quòd is, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, malè inferebant, aliquos homines ex natura ſua bonos eſſe, eò quòd à Deo bono creati particulam ejus naturæ ac bonitatis accepiſſent. Et contrà ex hoc, quod is qui Dei verba non audit, ex Deo non eſt, perperàm confici putabant, ex hominibus quoſdam naturâ ſuâ malos eſſe, eò quòd à malo principio conditi forent: quæ hæreſis eſt, & inſanus error; quem ut extirpemus, demus genuinum ſenſum horum verborum.

Etiam hoc loco abutuntur.

Qui ex DEO eſt, hoc eſt, qui Dei ſpiritu & inſtinctu agitur, is *Verba DEI audit*: propterea vos ô Judæi, *Non auditis, quia ex DEO non eſtis*; Hoc eſt, quia non ducimini ſpiritu Dei, ſed pravis ſuggeſtionibus mali Dæmonis in tranſverſum agimini. Et hic videtur eſſe genuinus horum verborum ſenſus; à quo paululum diſcedit D. Auguſtinus, cenſetque eam ſententiam, de electis ac reprobis intelligi oportere. Quaſi dicat Servator optimus, Qui à Deo prædeſtinatus eſt & electus, hic verba Dei audit; propterea vos, ô Judæi, non auditis, quia non eſtis à Deo prædeſtinati, ſed reprobati. I. *Illius interpretatio.* *Tract. 42.*

Eòdem inclinavit S. Gregorius, cujus hæ de pulpito voces: *Interroget ſe unuſquiſque, ſi verba Dei in aure cordis percipit; & intelliget unde ſit. Cœleſtem patriam deſiderare veritas jubet, carnis deſideria conteri mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penſet ergò apud ſe unuſquiſque veſtrûm, ſi hæc vox Dei in cordis ejus aure convaluit, & quia jam ex Deo ſit, agnoſcet.* Et paulò poſt: *Sunt nonnulli, qui libenter verba Dei ſuſcipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur; ſed poſt lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profectò verba Dei non audiunt, quia hæc exercere opere contemnunt.* II. *Hom. 18.*

Hactenus Sanctus Doctor, qui ex iis omninò conficit iſtud: ſignum eſſe prædeſtinationis, ſi quis æqua aure, mentéque, Dei verbum audiat, eique morem gerat; reprobationis autem evidens argumentum, ſi repellat illud, nec in animum admittat. Hoc uno quippe arguitur non eſſe de cœli peculio, de ovibus Chriſti, qui ſincerè jactavit illud: *Oves meæ vocem meam audiunt.* atque etiam iſtud: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Quæ dum expendit Divus Bernardus, & ſibi, & ſuis Monachis congaudet; ait enim: III. *Ioan. c. 10.*

Magna mihi conſolatio eſt, Fratres mei, in verbo illo Domini; Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. *Serm. 1. in Septuag.*

Unde porrò ea conſolatio, docet ea ipſa concione, quam ad fratres ſuos habuit. *Inter ea*, inquit, *quæ fiduciam præſtant, & materiam ſpei, unum illud maximum eſt, Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.*

Cur autem unum illud ſit maximum, ex eo probat: quod *Salutis indicium ſit, & argumentum prædeſtinationis*, primùm ad gratiam, deinde etiam ac gloriam: ad illam quidem, quia audire Dei verbum, humilis eſt animi, in quem proinde facilis eſt gratiæ, divinorúmque donorum influxus: qualis in Davide fuit, qui Dei nutu, vicéque hæc monita Poſteris inſcripſit:

Pſal 77. *Inclinate aurem veſtram in verba oris mei:* in quæ verba D. Auguſtinus:

Ille, inquit, *pie appendit legem Dei, cujus aurem inclinat humilitas; non cujus erigit cervicem ſuperbia: quod infunditur, concavo humilitatis excipitur, eminentiâ tumoris expellitur.*

Sic autem, animúmque inclinavit D. Antonius; qui cùm in Evangelio legi audiſſet illud Chriſti: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, illicò Dei voci obediens abiit, & omnia quæ poſſidebat vendidit, & in egenos effudit; ſicque viam ſibi fecit ad eum gratiæ gloriæque gradum, quo in ſæcula, totamque æternitatem in cœlis eminebit.

Sic etiam (ne vetera conſecter) & aurem & mentem inclinavit Adm. R. P. Claudius è Ducibus Aquavivæ, quintus Societatis Jesu Generalis: templum enim ſubingreſſus dum prælegeretur illud Evangelii: *Oves meæ vocem meam audiunt*: Statim ſecum ipſe meditari, ſecum loqui cœpit, eſſétne de Chriſti ovibus? Audiretne vocem ejus? Ea meditatio ad vitam ſanctiorem, ad religioſum inſtitutum, ad inſignem gratiam fuit ſatis: Mox quippe & mundum valere juſſit & aulam, & Religioni nomen dedit, quam ipſe deinde & doctrinâ, & prudentiâ, & ſanctitatis opinione multis annis rexit: adeò verum illud D. Bernardi: *Audire Dei verbum & ſalutis indicium, & argumentum prædeſtinationis.* Ut è contrà reprobationis nota eſt non audire, non ſequi. Hinc illæ Dei minæ, & fulmina Sapientis ore jactata: *Quia vocavi & renuiſtis, ego quoque in interitu veſtro* Prov. 1, 2.
ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis, id, quod timebatis, advenerit, cùm ſcilicet à ſalute, à gloriâ, à Deo æternùm abjecti eritis.

QUÆSTIO SEPTIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* verſ. 48.

VNDE CHRISTVM IVDÆI DIXERE SAMARITANVM?

I. Opinio. Interpretes abeunt in diverſas ſententias. Rupertus cenſet dictum eſſe à Judæis Samaritanum, eò quòd cum Samaritanis familiariter ageret, ſicque quaſi à Judæis transfuga videri poſſet.

II. Maldonatus ait ideò appellatum Samaritanum, quòd Galilæus eſſet, adeóque vicinus Samaritanis, & eodem cum illis loco ac vilitate cenſeri poſſet.

III. Alii habitum Samaritanum ex quâdam cum illis in moribus vitáque conſenſione: Samaritani quippe partim adhærebant Judæis, partim Gentilibus: colebant enim cum Deo Judæorum deos Aſſyriorum.

Sic illis viſus eſt Chriſtus (perperam tamen) quaſi Samaritanus, ex eò quòd legem novam cum antiquâ jungere & quaſi maritare videretur: ut Samaritani Judaiſmum Gentiliſmo miſcere ſoliti.

IV. Nonnulli contendunt exiſtimatum Samaritanum, hoc eſt Schiſmaticum, & Apoſtatam; Samaritani enim à Judæis fecére ſchiſma, & templum ſibi erexerunt in monte Garizim, quaſi æmulum templo Judæorum, quod erat Ieroſolymis.

V. Ex invidia. Et hæ ſunt rationes quas Interpretes & piè & doctè deducunt: malim tamen alteram, quæ facit ad mores, Chriſtum à Judæis vocatum fuiſſe Samaritanum ex immani quadam invidia, quæ iis oculos mentis vel eruerat, vel dènſiore quadam nebula texerat; qua fiebat, ut alius appareret diceretúrque Chriſtus, quàm in ſe ipſe erat. Habet nimirum illud invidia, res ſibi objectas alio atque alio colore tingit, eo ſcilicet quo ipſa imbuitur, hoc eſt atro, vel cruento: nihil quippe reſpirat illa, nihil meditatur, nihil proſpicit præter calumnias, & cædes: ſicuti enim oculus aut improbo humore vitiatus, aut interjecto aliquo corpore diaphano, & colorato, objecta reddit alia, atque alia, quàm ſint in ſeipſis; ſic & invidia, ubi mentem, ceu intelligentiæ oculum occupavit, eum ita aut viciat, aut fallit, ut res ſibi propoſitas à ſeipſis diverſas reddat: quod more ſuo disertè exprimit S. Chryſologus: *O qualiter*, Quæ cæca.
inquit, *oculos claudit livor! quod tunc judicium rationis malitia præjudicata confundit, quod vult, non quod audit, ſemperq; decrevit errare.* Ubi adverte illud quod invidia *ſemper decrevit errare*, quod non eſt infœlicitatis, aut ignorantiæ; ſed perditæ malitiæ, quæ ab inſano livore oculos invido clauſit.

Ita olim Sauli clauſit, de quo Scriptura, *Non rectis oculis Saul aſpiciebat Davidem.*

Davidem ſua virtus éxtulerat ad populi plauſum, ad aulæ ſtuporem, ac propè miraculum; & hinc immanis fluxit Saülis invidia; à qua *Davidem non rectis oculis aſpiciebat*. quem tamen ſi populi gratiam, ſi pectoris robur, ſi dignum imperio animum attendiſſet, æquiſſimis ac rectiſſimis oculis intueri ac ſuſpicere debuiſſet: Sed nimirum oculos improbo clauſerat invidia. Ut & modò Judæis, qui ſi fuiſſent æqui cenſores ac judices, cœleſtem ac divinam in Chriſto vim, & lucem miraculorum & amare, & mirari, & prædicare debuiſſent; non verò mendaciis tegere, & inſolenti quadam invidia velut obſcurare. Verùm quid facias? Is ſemper invidiæ fuit Quæ ſimilis
eritque genius, ibi cæcutit ubi videre, ibique calet noctuæ.
ac ſuccenditur, ubi frigere atque extingui debuiſſet. Et inde à D. Bonaventura componitur cum noctua, & igne Græco.

Similis eſt, inquit, *invidus noctua, & igni Græco: noctua enim de nocte videt, & de die excæcatur: & ignis* Tom. 6. in Dieta Salutis tit 1. c. 4.
Græcus in aquâ fortiùs inardeſcit, ac ſuccenditur. Sic invidia in aquis gratiarum fortiùs exardeſcit, unde deberet Et igni
extingui, & ad modum noctuæ à luce excæcatur, unde deberet illuminari. græco.

Ita, ne à propoſito diſcedam, Judæi inſtar noctuæ in die gratiæ, novæque legis jam exſurgentis, ipſóque

ipſoque ſole juſtitiæ clariùs illuceſcente videre non potuerunt, & inſtar ignis Græci in aquis, imò & in mari gratiarum, ac beneficiorum, quæ à Chriſto perenni fluxu fundebantur, magis ac magis accenſi invidiâ fuére, unde ea penitus extingui debuiſſet.

1. Reg. c. 3. De Heli Sacerdote dixit olim Scriptura, *Nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur*; quæ ſit illa lucerna Dei, ſi quæris, audies ex D. Gregorio eſſe Chriſtum, quem Pater Æternus ſtatuit in Judæa, ceu Orbis medio, veluti lucernam Univerſi, quæ tenebras omnes, altamque ſeu peccati, ſeu etiam ignorantiæ noctem eliminaret: eam Judæi videre non potuerunt, vel potiùs præ invidia noluerunt videre antequam extingueretur, ultimúmque ſpiritum exhalaret è cruce; tum enim eorum plerique percutientes pectora ſua reverſi ingeminabant illud pœnitentis & fidelis animæ: *Verè Filius Dei erat iſte*; quem tamen (ô ſcelus, ô nefas!) nos & Samaritanum diximus, & quaſi à dæmone malè obſeſſum, & reprobum, ac populi ſeductorem: nimirum has voces, atque calumnias expreſſit invidia, quas deinde, licèt ſeriùs fides diluit. *O invidia* (exclamat S. Chryſologus) *malum vetuſtum, prima lues, antiquum virus, ſæculorum venenum, cauſa funeris.* Quæ ſummum malum. Sermo 4.

Utque eam eſſe probet, varia ex antiquitate exempla producit: *Hæc*, inquit, *in principio ipſum Angelum ejecit & dejecit de cælo. Hæc de Paradiſo hominem principem noſtræ generationis excluſit. Hæc Abrahæ progeniem, populum ſanctitatis, ad authoris ſui cædem, ad mortem ſui Salvatoris armavit. Hæc fecit ut mundi tota duobus eſſet anguſta fratribus latitudo; namque ipſa Caïn juniori erexit in mortem, ut eſſe ſolum zeli livor faceret, quem primum fecerat Lex naturæ.*

Ubi hæc exempla protulit non ſine ſenſu doloris, & rubore ſtuporéque totius antiquitatis, tum viam aperit, qua ſeſe effundit invidia: & tantum mali creat. *Invidia*, inquit, *inteſtinus hoſtis, non carnis* Ibidem. *quatit muros, non elidit ſepta membrorum, ſed in ipſam cordis arietat arcem, & antequam viſcera ſentiant, ipſam dominam corporis animam prædo capit, & adducit inclusam.*

Ecce immanem invidiæ tyrannidem, à qua captiva gemit anima, trahitque miſerabilem ſervitutem. Ut ab ea liber evadas, *Pervigili fide, luce ſpiritus, totuq; armorum cœleſtium viribus* invidiam comprime, *quia ſicut nos Deo jungit caritas, à Deo invidia ſic ſejungit.*

QUÆSTIO OCTAVA.

MORALIS.

Ad illa verba: *Ego dæmonium non habeo.* verſ. 49.

CUR NON ETIAM RESPONDIT, Samaritanus non ſum?

DEO homini duplex illata calumnia: Una quod Samaritanus eſſet; altera quod dæmonium haberet: hanc modeſtè deterſit; illam alto ſilentio involvit. Quæ cauſa?

Hom. 18. I. Ratio. *Duo*, inquit D. Gregorius, *ei illata fuerunt; unum negavit, alterum tacendo conceſſit*: & meritò, quia ut ait D. Auguſtinus: *Samaritanus interpretatur cuſtos. Noverat ſe ille noſtrum eſſe cuſtodem*, & quidem omnino duplici nomine, tum quia Creator, tum quia Redemptor: *Eſt ille cuſtos noſter, qui Creator noſter; ſi enim pertinuit ad eum ut redimeremur, etiam pertinuit ad eum ut ſervaremur.* Et hinc ſe Samaritanum eſſe fatetur; negat tamen omnino dæmonium ſe habere: ſed tam hujus, quàm illius rationem inquirimus. Ea eſſe poteſt, quod magnæ mentis ſit privatas injurias æquâ mente, decentique ſilentio ferre. At non ſic

II. Propria injuria toleranda. Deo Superiſque illatas. Ita Chriſtus dum audit Samaritanus, privata eſt contumelia; dum additur dæmonium habere, DEO ter Opt. ter Max. inſignis irrogatur injuria; illam prætérit, hanc arripit, & nervoſè ſtringit, ac refutat, ut quà verbo, quà exemplo nos idem facere doceat.

In Epiſt. ad Phil. c. 1. v. 19. Diſcipulos ſuos, ac miniſtros compoſuit Chriſtus cum ſale multis de cauſis, quas inter etiam illa interprete Velaſquez. Si in aquam mittatur ſal, ſi condiendis cibis applicetur, nihil eo mitius, aut mollius, cùm ibi liquefiat totus ac diſſolvatur, non ſine aliqua, ut videtur, privatâ injuriâ: at ſi in ignem

Aliena vindicanda. conjicias, nihil eo fortius atque iratius; ingenti enim cum ſtrepitu reſilit, ac minas intentare videtur, quia is uſus contra ejus naturam eſt, cui proinde fit injuria. Sic omnino viri Apoſtolici privatas æquanimiter tolerant injurias, licèt ab iis quodammodo liqueſieri, diſſolvi, períréque videantur: at Authori naturæ ſi fiat injuria, tum verò accenduntur toti, reſiliunt in faciem, reſiſtunt, & quà voce, quà manu tonant, ac feriunt.

Quod ipſum alia in ſimilitudine (quâ ante etiam uſus ſum) declarat Scriptura in Ezechiele: (qui Prophetæ, virique Apoſtolici exemplar eſſe debuit) audit ille à Deo: *Ut adamantem* (vel ut alii legunt) Cap. 3. v. 9. *Ut magnetem, & ut ſilicem dedi faciem tuam*: rectè ut magnetem, ut ſilicem; quid enim magnete indulgentius, quid blandius, ut qui ferrum ipſum ad ſe Ita Sancti. allicit, atque amplectitur? Quid contrà ſilice iratius, ut qui percuſſus ardet, excandeſcit, & in ſcintillas elabitur? Tam magnes, quàm ſilex viri juſti ſymbolum eſt; docétque homines etiam ferreos tolerare, imò blandè ad ſe trahere, atque amplecti; etſi duriores ſint illi, & quà voce acriore, quà manu ferociore noceant. Contrà verò ſi in iis, quæ ad Dei cultum honorémque ſpectant, laceſſantur, in medium proſilire, juſtè iraſci, & ultrices è cœlo flammas minari, atque intentare; & jure ſanè meritiſſimo: ſi enim Deus ipſe magis ſervorum ſuorum injurias ulciſcitur, quàm ſuas; quantò magis homuncio authoris ſui, ſui atque conditoris.

Accuſatus olim apud Moyſem unus aliquis, & Ita Deus ipſe. in Deum blaſphemus, & in Moyſem injurius, illicò crimen ad divinum tribunal delatum, additáque ex oraculo hæc ſententia:

Educ eum, qui maledixit extra caſtra, & lapidet eum omnis multitudo Iſraël. Levit. c. 24. v. 14.

Hic incidit quæſtio, cur ſolùm maledicus in Moyſem puniri à Deo jubetur, non autem in ſuperos, authorémque ſuum blaſphemus? Reſpondet Iſidorus Clarius: *Quia Deus, cui ſui curæ ſunt, magis voluit ulciſci injuriam Moyſis, quàm propriam contumeliam; ideò dixit, educ maledicum, & non dixit, educ blaſphemum.*

Quod ſi pro homunculo armatur, tonat, ac fulminat Deus (pro ſe autem uſque eò ſilet, ut teſte Lib. de Patient. Tertulliano, *Plures idcircò Dominum non credant, quia*

ſæculo iratum tamdiu neſciunt) quid in Dei ſui cauſa facere debeat homo, judicet æquus rerum æſtimator, & ſeſe ex Conditoris ſui nutu exemplóque componat, auditáque ac miretur illud Clementis Alexandrini: *Rem*, inquit, *dicturus ſum mirabilem: ſed inde omnino ne hæſiter. Expedit in Deum magis peccare, quàm in ducem noſtrum*: quia nimirum in ſui ultionem tardior eſt Deus; in aliorum, quos ipſe quaſi populi duces ſubſtituit, velocior.

Ita Jobus. Hunc Dei morem geniumque imitati quamplurimi: hos inter patiens Jobus, qui & in fortunis, & in liberis, & in ſeipſo à dæmone malè affectus vocem tamen tenuit; at non tenuit ubi ab uxore tentatus cum Dei ſui injuria: tum enim exclamavit: *Cap 2. v. 10.* *Quaſi una de ſtultis mulieribus loquuta es.*

Vir Sanctus, inquit Lyranus, *quamvis afflictiones proprias patienter ſuſtinuerit, tamen injuriam Dei abſque reprehenſione ſuſtinere non potuit*: quia injuriæ propriæ ſunt tolerandæ, divinæ vindicandæ.

Pſal. 108. v. 4. Id ipſum fecit & David, qui hæc de ſeipſo canit: *Detrahebant mihi, ego autem orabam*, in Hebræo; ego autem *oratio*, ſupple eram: quaſi tanto affectu Ita David. ſeſe in preces effunderet, ut non tam orans, quàm ipſa oratio videri poſſet. Et hoc quidem ubi privatim maledicâ voce petebantur, & afficiebatur injuriis: at non ſic ipſe, cùm cœli Deique cauſa ageretur, tum enim in iras, in ultionem, in fulmina totus diſcedebat, ut in ejus geſtis facilè obſervari poteſt: ſed antiqua, inquies, ſunt iſta, demus unum memoriæ recentioris.

Orſſ. Tom. 4. Ludovicus XII. Rex Chriſtianiſſimus illuſtre ſapientiæ ſpecimen dedit in tolerandis privatis injuriis. Cùm eſſet Aureliæ Dux ſub Carolo VIII. Ita Ludovicus XII. gravia perpeſſus etiam vincula, & carceres è quibus tandem ad regium ſolium evaſit: in eo dum ſublimis ſedet, juráque dat ac leges, ei neſcio quis paraſitus in aurem inſuſurravit illud, jam tempus agi rem, jam in manibus eſſe hoſtes, quos opprimere perderéque poſſet vel uno nutu regiæ majeſtatis: non fecit tamen: ſed importuno monitori objecit illud dignum purpurâ, ſceptróque. Nequaquam ſpectare ad Franciæ Regem, Ducis Aurelianenſis injurias ulciſci, quòd ut reipſa præſtare ſe teſtaretur, petiit offerri ſibi deſcripta ſuorum olim hoſtium nomina; quæ deinde ipſe propria manu Cruce ſignavit. Ubi id ex aula in vulgus effluxit, paſſim & hi & illi citatis equis regno excedere, rati ſe ad malam crucem ea nota peti: quod ubi ſubintellexit Rex pius, & ſiſtere juſſit omnes, & bono eſſe animo: vel propter hoc unum ſymbolum Crucis, quæ ſingulorum nominibus adjecta erat, non ut eſſet ſignum ultionis; ſed potiùs arrha remiſſionis, notáque illius indulgentiæ, quam in cruce hoſtibus ſuis exhibuerat Servator optimus. Et hic fuit animus Chriſtianiſſimi Regis, quem utinam & ſuſpiciant; & imitentur ætates omnes longè conſequentes.

QUÆSTIO NONA

MORALIS.

Ad illa verba: *Et vos inhonoraſtis me.* verſ. 49.

QVOMODO PECCATOR DEVM INHONORET?

Peccator. DUo mihi hîc tractanda propoſui: Primum quod peccator quiſquis is eſt, divinæ gloriæ ac majeſtati detrahat. Alterum, quo modo, quáve ratione id faciat: illud in aperto eſt; hoc in occulto, & intellectu difficilius.

I. Dei nomen pollui. Scriptura ſacra, & Sancti Patres Dei nomen à ſcelere pollui, ac quodammodo devenuſtari teſtantur: hinc adeò frequentes apud Prophetas Superûm de peccatoribus querelæ; non ſolùm quod terras, & Divorum templa coinquinent, ſed quod ſtupendum & abominabile, etiam ipſum Numen.

De Iſraële queſtus olim Deus ore calamoque *Cap 3. v. 2.* Jeremiæ: *Polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis.*

Ezech. c. 23. v. 38. De Samariâ, & Ieruſalem non ſine ſtupore æſtuque aliquo doloris: *Sed & hoc*, inquit Deus, *fecerunt mihi. Polluerunt ſanctuarium meum in die illâ, & Sabbata mea profanaverunt.* Ita quidquid eſt, & profanum & ſacrum inficit polluitque mens ſceleſta atque impia nec illa tantùm, ſed & ipſum horum omnium authorem, atque conditorem, qui per Ezechielem has Orbi noſtro immittit querelas. *Cap. 36. v. 20.* *Ingreſſi ſunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen ſanctum meum, cùm diceretur eis, Populus Domini iſte eſt.*

Ad Scripturæ fidem atque authoritatem accedunt quoque luculenta SS. Patrum teſtimonia, quæ idipſum, quod in quæſtione eſt, probant.

Hom. 14. *Mala beſtia eſt peccatum*, inquit, Chryſoſtomus, *non quidem in conſerva corpora malum proferens, ſed in ipſam Domini gloriam effundens malitiam*, quaſi non ſit ſatis hanc in terras, & maria, & in cœlum ipſum effudiſſe, niſi & in ipſam quoque Domini Dei gloriam inſano niſu effundat; quod & disertè notavit D. Auguſtinus, ex ipſiſmet Chriſti verbis: cùm enim Iudæ è cœnaculo abeunti dixiſſet ille, *Quod facis fac citiùs*: ſtatim addidit, *Nunc clarificatus eſt filius hominis.* Quare illud, Nunc, inquit Auguſtinus, Nonne clarius reſplenduit Chriſti Divinitas in miraculis? (II. Ejus gloriam offuſcat.) Scilicet erat inter Apoſtolos traditor, & nunc non eſt: obſtabat autem ne Deus gloriæ ſuæ ac Divinitatis radios effunderet: hinc Evangeliſta notat, *Quia erat nox*, quia ibi erat peccator, quo recedente eclipſis ejus gloriæ ceſſavit. Hactenus D. Auguſtinus, quo interprete ac judice, Chriſti gloria, imò lux ipſa, jubarque Divinitatis à peccatore eclipſim patitur, ac defectionem; objectu ſcilicet vel unius ſceleris, ceu nebulæ denſioris. Quod profectò in magnum aliquod illius opprobrium verti eſt neceſſe: & quidem ex duplici capite: Primùm quia ab eo qui eſt in Chriſti ſchola, ac domo: alterum, quia etiam ab eo qui à Chriſto Chriſtianus eſſe ac dici vult: Hoc acutiore ſtylo notat Salvianus; illud Tertullianus cenſura gravi. (III. Ei opprobrio eſt.)

Ad Marcionem l. 1. c. 24. *Quid injuſtius*, inquit, *& improbius, quàm ut ſervus adverſus caput Domini ſui ſubornetur: & quidem, quod iniquius eſt, in ipſa adhuc domo Domini, de ipſius adhuc horreis vivens, ſub ipſius adhuc plagis tremens.* Hæc Tertullianus, cui pondus addet Salvianus, qui aliunde inſignem ipſi Chriſto injuriam inferri probat; ex ipſo ſcilicet nomine Chriſtianitatis, de quo ſic *Lib. 4. de Provid.* loquitur: *Magnâ videlicet nobis prærogativa de nomine Chriſtianitatis blandiri poſſumus, quia ita agimus & vivimus, ut hoc ipſum quod Chriſtianus populus eſſe dicimur, opprobrium Chriſti eſſe videamur.*

His magnus Præſul ſui temporis Chriſtianos urget ac pungit, quod ſic agant, ſic vivant, ut eorum

actiones ac vita, noménque ipſum Chriſtianitatis in Chriſti Servatoris ignominiam trahi quodammodo videatur: Atque utinam illæ tanti Præſulis querelæ eam ſolummodo ætatem periſſent, ac non etiam jure potiore alias omnes longè conſequentes.

Sed quo modo?

Sed his datum eſt ſatis; veniamus ad alterum, dicamúsque qui fiat ut à mortalium flagitiis ipſa Dei gloria, luménque auguſtum Divinitatis defectionem aliquam quodammodo pati videatur; ſi enim (vel ipſo teſte Seneca) nec *injuriam Deo ſacrilegus poſſit facete, quem ſcilicet extra ictum Divinitas poſuit*; quomodo opprobrium, calumniámve in eum jaciet? Hic eſt nodus quæſtionis, quem SS. Patrum manu ſtylóque ſolvemus; atque inprimis D. Auguſtini, qui & dubium movet, & removet.

Lib. 7 de Benef.

Lib. 1. de decem chord. c. 10.

Quia ejus Imagini, id eſt, homini.

Dices, inquit, *ô peccator. Vnde injuriam facio Deo, quia corrumpo meipſum? Vnde facit tibi injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula, imago tua eſt, in domo tua inaniter poſita ad vanum honorem tuum, nec ſentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nonne in te eſſe contumeliam factam attendis? Cum verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te, non attendis cujus imaginem violaſti.*

Hæc D. Auguſtinus, qui inſignem aliquam ipſi Deo injuriam fieri credit, vel ex eo, quod homo, qui eſt ejus imago vivens ac ſpirans, à peccato polluatur: & meritò; ſi enim nos puſilli mortales, licèt lutea vaſa, pulvis, & umbra adeò inſurgimus, & æſtuamus irâ, ſi quis fortè imaginem noſtram, & exanime ſimulacrum vel ære fuſum, vel penicillo expreſſum, auſu temerario violârit; qua mente, quo vultu, quibus oculis ſuam in nobis imaginem fœdè pollui aſpiciet Deus immortalis?

Lib. 6. Hexaem. c. 8.

Pictus es, ô homo, inquiebat olim D. Ambroſius, *& pictus à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem, atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco, ſed veritate fulgentem; non cera expreſſam, ſed gratia: Noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis aſſumere; grave eſt enim crimen, ut putes quod te meliùs homo, quàm Deus pingat. Grave eſt ut dicat de te Deus: Non agnoſco colores meos, non agnoſco imaginem meam, non agnoſco vultum, quem ipſe formavi.*

Quod ſi Deo ter Opt. ter Max. grave eſt ut in homine non agnoſcat colores ſuos, imaginem & vultum quem ipſe formavit; quàm erit intolerabile ſi in eo aut putidæ Veneris, aut Bacchi, aut beſtiæ, aut etiam mali dæmonis ſuperinfuſam imaginem agnoverit.

Si totius Antiquitatis calculo is cruenta morte damnandus fuit, qui vel tantùm domi, primiſque adytis tyranni alicujus imaginem extuliſſet; quantò magis æternæ damnationi obnoxius erit homo, qui abjecta Dei ſui imagine, mali dæmonis, ſtygiique tyranni erexerit?

Cap. 49.

Lubet audire quid de eo ſentiat D. Ambroſius; ita habet libro de Officiis: *Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius eſt damnationi? Tu deponis imaginem æterni Imperatoris, & erigis in te imaginem mortis. Ejice magis de civitate animæ tuæ imaginem Diaboli, & attolle imaginem Chriſti.*

Ex hac porrò Chriſti imagine, quam in ſeipſo jubetur attollere peccator, deſcendo ad aliud injuriæ caput, quod mihi oſtendit D. Gregorius Nyſſenus; eſt autem illud ejuſmodi: quod peccator, Verbum divinum, quod eſt imago Patris Æterni, à ſuo ſcelere inficiat atque contaminet, dum facit ut ex ſua ipſius imagine, turpi illâ atque informi, æſtimetur ipſa imago Patris Æterni, ad inſtar cujus factus eſt homo; quod facili, atque obvia ſimilitudine exponit S. Pater.

Quia ejus Imagini i. Chriſto.

In Epiſt. de Profeſ. Chriſtiana ad Harm.

Ponatur, inquit, *aliquis qui artem pingendi profiteatur, atque huic imperati à Magiſtratu, ut iis qui procul habitant, Regis imaginem ſculpat: Si igitur turpem aliquam & deformem ſpeciem in tabula ſculptam, imaginem Regis, indecoram eam formam nominaverit: an non veriſimile eſſet, indignaturam eſſe poteſtatem, quod pulchritudo principalis, propter malam illam picturam vituperetur inter ignotos? Qualis enim in imagine ſpecies oſtenditur, talem etiam formam principalem exiſtimari neceſſe eſt. Quo itaqualem vitam (quam juxta imitationem Dei traduci creditum eſt inter nos) viderit is qui nondum myſterii rationem acceperit, tale noſtrum quoque Numen eſſe exiſtimabit.*

Lib. 4. de Provid.

Quia ipſi Divinitati.

Quod æqua lance dum expendit Salvianus: *Gravis*, inquit, *ac ſingularis piaculi malum eſt, nomen Divinitatis in blaſphemiam gentibus dare.* Quod ſi grave ſit iſtud, quale exiſtimabis illud etiam quodammodo ſuſtuliſſe, quod tamen quantum in ſe eſt molitur peccator, qui contra omnia Dei ſui attributa arietare videtur.

Ejus ſapientiæ.

Ezech. c. 8. v. 12.

Primùm enim divinam ejus ſapientiam impugnat, & oculum illum æternæ mentis ſemper vigilem, & apertum, aut ſopitum, aut clauſum omninò credit: ait enim *In abſcondito cubiculi ſui. Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.*

Fuit olim illa quorundam Ethnicorum inſania, qui cùm à virtute, à bona mente ac ratione longiùs exceſſiſſent, etiam à Dei oculis excedere ſe poſſe exiſtimabant; cui errori ut fucum facerent, pro diis Solem aut Lunam ſibi adlegerunt, eo conſilio, ea ducti perſuaſione, quod modò hujus, modò illius oculos effugerent. De iis ita loquitur Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi quarta: *Cùm aberraverunt quidam ab uno Deo, alii quidem Solem ponebant, ut Occidente Sole noctis tempore ſine Deo eſſent: alii Lunam, ut in die Deum non haberent.*

Ejus oculo.

Pſal. 72.

Pſal. 9.

Quod illis olim, hoc modo pleriſque mortalibus, qui ita vivunt, quaſi crederent Deum ſuis ſceleribus occidiſſe, nec interdiu, nec noctu prælucere; dicunt enim ſi minùs voce, at re tamen ipſa: *Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo? Non videbit Dominus, non intelliget Deus Iacob.* Hæc illi petulanti lingua, mentéque, à qua labuntur in omne genus vitiorum impudenti niſu; quod deplorat D. Cyprianus:

Lib. 2. Ep. 2.

Aſpicias, inquit, *ab impudicis geri, quod nec aſpicere poſſit frons pudica; videas, quod crimen ſit, & videre; videas quod vitiorum furore dementes geſſiſſe ſe negant, & gerere feſtinant. Fiunt quæ nec illis placere poſſunt qui faciunt: iidem in publico accuſatores, in occulto rei: in ſemetipſos cenſores pariter & nocentes damnant foris quod intus operantur.* Damnant, inquam, teſte, ac judice conſcientia, cujus oculum, cenſurámque effugere non poſſunt, etſi velint quàm maximè.

Ejus immenſitati.

Sed & ulteriùs pergit effrons peccatoris impudentia; ubi enim ſic Dei ſapientiam irriſit, tum deinde etiam ejus immenſitatem contrahit: eum quippe relegat ex hoc mundo ſublunari, & cœli cancellis claudit.

Iob. c. 22. v. 14.

Nubes, inquit, *latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat*: quaſi iis arctari, claudíque poſſit mens divina, & immenſum ens; in cujus etiam potentiam incurrit peccator, eámque auſu temerario exſibilat: imò verò, quod ampliùs eſt ipſa etiam Dei actione, concurſúque ad ipſius injuriam & contumeliam abutitur.

Ejus potentiæ.

Eſt ille prima cauſa, & primus motor, ſine quo nec agere, nec moveri poteſt homo. Pro ſua in eum conniventia, & infinitæ bonitatis propenſione, offert illi, ultróque exhibet auxilium paratum, illúdque velut in ejus manu & poteſtate conſtituit; eo utatur ut libet. Illud tamen unicè habens in votis, ut eo auxilio, concurſúque ſibi viam facilem ſternat ad virtutem, ad gratiam, ad gloriam, ac beatitatem. Sed ô hominum ſcelus, ô injuriam deteſtandam, ô portentum audaciæ! non tantùm irrita facit illa Dei ſui vota; ſed divino illo auxilio velut gladio armatus, in Authoris ſui opprobrium inſurgit, & ipſam, ut ita loquar, Dei manum renitentem

Ejus auxilio.

Digitized by Google

quodammodo, atque reluctantem, ad opus, cui implexa eſt malitia, & quod velut umbra ſequitur, ducit, rapit, & qua licet ac poteſt trahit in conſortium ſui ſceleris; faceretque (ſi modò admitteret infinita bonitas) authorem peccati: quo uno quid ipſi ſupremo ſanctiſſimóque Numini ignominioſius accidere, aut etiam excogitari poſſit non video.

Ejus bonis. Dic enim, dic age peccator, ut teipſum ex humanis, quid humanum, inhumanúmve ſit edoceam: ſi mortalium omnium maximè inopi, abjectiſſimóque mendiculo pecuniolam erogares, qua ille victum ſibi quæreret, & nutantem à fame longáque inedia vitam ſuſtentaret; ille è contra & tuæ beneficentiæ, & ſui oblitus; ex ea ipſa pecunia venenum emeret, quo tibi perniciem moliretur. Quo ferres animo, quibus oculis aſpiceres, quibus exciperes verbis, quo iratum impete in abjectum, excors, & immane mancipium devolvereris? Sat ſcio, non tibi ſatis eſſet animi & verborum, irarúmque ſatis, quo in ingratum illud caput detonares.

Si puſillus homuncio cùm ſis, oblatam ex commiſeratione pecuniolam in malos uſus abſumi, & in tuam perniciem converti non pateris; quî te patietur Deus immortalis? Te, inquam, cui ut mendico, & mortalium pauperrimo cùm ſtipem, opémque concedat, eâ tamen ad ipſius, quantum potes, ignominiam, imò & ruinam abuteris; ruinam dico, quia peccator, quantum in ſe eſt, à ſuo ſcelere Deum ſuum, Naturæ conditorem ac totius Univerſi, in ruinam, imò & in nihilum trahere contendit, & verò re etiam ipſa traheret, ſi poſſet.

Hujuſce propoſitionis authorem habeo D. Auguſtinum, qui hæc de ſceleratis liberè pronuntiat: *Nonne digni ſunt hæc pati, ut Deus in Civitate imaginem ipſorum ad nihilum redigat, qui & ipſi in civitate ſua terrenâ imaginem Dei ad nihilum redegerunt*, & in ſuâ imagine, quantum potuerunt, Deum ipſum. Atque hæc velim apud ſeipſos & meditari & loqui peccatores, ut ex iis agnoſcant quò devolvantur amentiæ. *In Pſal. 72.*

QUÆSTIO DECIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Non quæro gloriam meam.* verſ. 50.

QUOMODO NON SIT QUÆRENDA AB HOMINE inanis gloria; ſed omnia ad DEI *laudes referenda?*

Unde vana gloria? SUNT qui in ipſo ſcelere, rebusque malè geſtis gloriam quærant, quod ſummæ genus eſt impudentiæ.

Valentiniani hæretici quorum impudens & putida temeritas, ſe nomine glorioſo dicebant Gnoſticos, & Sapientes: cùm *A vitio petitus.* enim falſæ gloriolæ flabellis inuſitata quâdam ratione ventilarentur, ſe primos Dei alumnos venditabant, nobilitate ſumma, & divina proſapia à qua ſe nominabant βασιλείους παῖδας: *Regales filios*: ex qua perſuaſione, licèt inſanâ, jactitabant minorem inter ſuos, Joanne Baptiſta majorem eſſe.

Subinde à virtute. Sunt alii, qui à virtute, rebusque præclarè geſtis gloriam aucupantur: & hi primis meliores, non tamen omnino boni, quia & virtuti, & ipſi Deo injurioſi: virtuti quidem, quam velut umbra gloria ſequitur: Deo autem, qui tam hujus, quàm illius eſt author; cui proinde uni debetur fructus omnis, qui ex iis dimanat.

SS. Patres virtutem componere ſoliti cum Sole, & Luna, geminis Univerſi hujus oculis, quorum lumen ac fulgorem, ut maximè velis, occultare non poſſis. *Serm. 9.* *Qui poteſt celare radios Solis, juſtitiæ poterit occultare fulgorem: Iuſtitia lux rerum conſiliis non velatur obſcuris: juſtitia cum ſibi facto claret, omnes illuſtrat exemplo*, inquit Chryſologus, cui addam & Philonis teſtimonium, ut tum à ſacris, tum à profanis authoritas accedat. *Virtuti injuria.*

Lib. de Abel & Cain. *Vera bona*; inquit, *ex ſeipſis naturaliter vocem emittunt etiamſi ſileant*; quod pronuntiatum illuſtrat ſimilitudine petita à Sole, & Luna.

Nec Sol, inquit, *nec Luna opus habent interprete, qui nos doceat ab altero interdiu, ab altera noctu mundum univerſum illuſtrari; ſed ipſo ſplendore fidem vel abſque teſte faciunt oculis certioribus, quam ſunt aures rerum indicibus.*

Quod Soli & Lunæ, hoc & virtuti. Lucem illa, ſplendorémque laudis ac gloriæ emittit ex ſeipſa, nec alieno eget præconio; ut proinde ſtultitiæ genus quoddam ſit, gloriam, quæ ex ipſa virtute naſcitur, deforis & ab hominum opinione emendicare, non ſine aliqua illius injuria: de qua velim etiam Senecam audias, re quidem ipſa authorem profanum, monitis tamen propè Chriſtianum: qui & ſe, & alios vult ſic probè doctos.

Doceat me, inquit, *quàm ſacra res ſit Iuſtitia, nihil ex ſe petens niſi uſum ſui; non eſt quod ſpectes, quod ſit juſtæ rei præmium majus, quàm juſtum eſſe.* Hæc ubi ſcripſit, tum pronuntiat illud velut oraculum quoddam veritatis: *Qui virtutem ſuam publicari vult, non virtuti laborat, ſed gloriæ*, & hinc in illam injurius eſſe convincitur. Audi ut etiam in Deum. *Epiſt. 113.* *Injuria Deo.*

Dixit olim Salvator Optimus: *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis.* & alibi: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* *Matth. c. 6.* *Matth. c. 5.*

Videtur hîc aliqua pugna verborum & ſententiarum: *Quomodo enim juſtitiam vult celare, cujus opera vult ſic lucere?* Ubi hanc quæſtionem injecit Chryſologus: tum ita reſpondet, quaſi divinæ mentis interpres: *Serm. 9.*

Fratres hîc præceptio cæleſtis vult jactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, ſummovere inanem gloriam; ſic juſtitiam vult celare: Et ſanè jure quàm meritiſſimo: *Iuſtitia* enim *per ſe ſibi abundat ad gloriam: ſpectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit: à Deo genita cælum expectat, in oculis divinis agit ſupernis virtutibus mixta ſemper à Deo ſolo ut glorificetur, expectat.* Hæc S. Pater ſtylo, ut aliàs ſolet, & acuto, & pio: in quo velim notes ea verba, quòd *Iuſtitia à Deo genita cœlum expectet, & in oculis agat divinis*; non autem præpoſterè ludat in humanis, ut facit ea quæ nomine tenus eſt juſtitia, re autem ipſa hypocriſis; quæ, ut inquit S. Præſul:

Mentitur oculis, fallit aſpectum, videntibus illudit: decipit audientes, ſeducit turbas: trahit populos, famam vendit. Emit clamorem: fit ſæculo, Deo non fit: mercedem rapit præſentem, præmium non quærit in futuro: cæcat oculos cæca ipſa: non videns vult videri.

Ejuſmodi fuit Scribarum, & Phariſæorum juſtitia: quæ non dabat ſe in aſpectum niſi cum clamore, ſtrepitu;

ſtrepitu; hinc manavit illud monitum Salvatoris: *Cùm facis eleëmoſynam noli tubâ canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt.*

Bene, inquit, *tuba, quia talis eleëmoſyna hoſtilis eſt, non civilis; non miſericordiæ dedita, ſed clamori; ſeditionis vernula, non alumna pietatis; oſtentationis nundinatio, non commercium caritatis: eleemoſynam quiſquis oſtentat, inſultat*, utique Deo ter Opt. ter Max. omnis boni authori: & hinc meritò talis eleëmoſyna dicitur, & verò etiam eſt *hoſtilis*, & *vernula ſeditionis*: à qua cœlo eripitur quod eſt cœli; Deo ſubtrahitur quod omninò concedi debuit: hinc ut aureè idem S. Chryſologus:

Deus arguit largientem ad ſuam famam, non ad pauperis famem; quia *de cordibus, non de manibus facta metitur.*

De cordibus, inquam, ac intentione, quæ ſi opus bonum aliò deflectat, quàm in Deum ſuum, meritò in eum injurius eſſe probatur: quia ſibi arrogat, quod non eſt ſuum.

In Solil. 9. *Aperuiſti mihi oculos*, inquiebat Auguſtinus, *& vidi, quod gloriari non valeat ante te omnis caro, quia ſi quid boni eſt, parvi, vel màgni, donum tuum eſt, & noſtram nonniſi malum eſt*, & alio loco: *Quiſquis*, inquit, *ô Deus tibi enumerat merita ſua, quid tibi enumerat niſi munera tua?* Lib. 9. Confeſſ. c. 13.

His ita ex veritate conſtitutis videamus quàm Deo inſignem inferat injuriam qui è bono opere ſibi gloriam quærit, & captat.

Injuria homini. In cunctis operibus, quæ à gratia & virtute fluunt, duo ſpectanda: *Vtilitas, & Dignitas*: homini Deus utilitatem cedere vult, dignitatem ſibi ſervavit; inſtar pictoris alicujus, qui imaginem à ſe factam facilis alteri cedit; unum illud ſuum eſſe ducit, quod ſubſcribat: *Protogenes inveniebat. Timanthes faciebat. Apelles pingebat.* Ita Deus cùm in nobis expreſſit aliquam virtutis imaginem, ejus meritum ac utilitatem ultrò nobis concedit; ſolo honore, & gloria ipſe contentus: hoc ſcilicet eſt veluti tributum aliquod, quod ab omnibus operibus ſuis exigit; ait enim, *Gloriam meam alteri non dabo.* Hoc vectigal fideliſſimè reddit intentio recta; hoc idem nequiſſimè rapit inanis gloria, à qua ut quàm alieniſſimæ eſſent bonæ mentes, attendebant quid à ſe, quid à Deo ſuo haberent; videlicet à ſe purum putum nihil, & nihilo minus peccatum; à Deo autem quidquid vel rei eſſet, vel virtutis: quod pulchrè exponit D. Gregorius, ubi Dei ſapientiam, primámque Veritatem cum homine ſic loquentem inducit.

Cui perit utilitas operis.

Vanæ gloriæ remedium.

Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Ac ſi juſtificato peccatori apertè veritas dicat. Virtutes à me acceptas tibi non tribuas: noli contra me de meo munere extolli: recole ubi te inveni, quando meo timore prima in te fundamenta virtutum poſui: recole ubi te inveni, quando meo te timore ſolidavi. Ut ergò in te non deſtruam, quod conſtruxi, ipſe non ceſſes conſiderare quod inveni: quem enim niſi aut in flagitiis, aut in exceſſibus inveni? Iob c. 38. v. 4. Moral l. 28. c. 6.

Quis ex ſe homo.

Quaſi homini in aurem diceret prima, & ſumma Veritas: ne tibi virtutem, qua præditus es, aſcribas, ne meo munere, meis armis contra me pugnes: ſed potiùs id ſpectes attentiùs, quis ex te fueris olim, quis modò per me ſis.

Refert Magiſter Avila; Virum à prudentia, divitiis, & proſapia illuſtrem in paucis, pauperculam duxiſſe è ruſtica caſa & tuguriolo petitam: non cæco amoris impete, æſtúque paſſionis, ut plerumque fit; ſed deſtinato conſilio: ut uxorem haberet, cui non ſolùm ſuus in vultu decor & gratia, ſed & ſua in animo virtus, ac præſertim inſignis quædam eſſet demiſſio: quam ut ſervaret ſeros in annos, curavit veſtem illius quâ primùm uſa ſuo in rure; veſtem, inquam, ruſticam, vilem, pannoſam, detritam eo loco appendi; unde ferè continuò incurreret in oculos, moneretque primæ ſortis ac conditionis; ne ſcilicet in ſerica toga, in purpura ac murice, in gemmis & auro ſuperbiret illa, & ſui, ac priſtinæ paupertatis immemor; ſed potiùs in altiſſima fortuna humiles ſervaret animos, & marito obſequentes. Epiſt. 52. 2. Part.

Quis ex Deo.

Sic faciat anima ſponſa Chriſti, & gratia, ceu veſte, virtutibus, ceu gemmis ornata: ne earum luce, ac fulgore evaneſcat, ne ſibi inde quicquam gloriæ tribuat, ſecum ipſa cogitet unde ſit educta; ſcilicet è nihilo, è barathro vitiorum: à quo ſi evaſit; Dei ſui, ac ſponſi beneficio evaſit, venitque in conſortium illius gloriæ, ac fœlicitatis, quæ à cœleſti ſponſo expectari potuit; cujus opes, aurum, gemmas ubere cornu in ſe congeſtas dum videt & amat: adjiciat & illud: *Dextera Domini fecit virtutem.*

DOMINICA PALMARUM.

EXHIBET hîc Evangeliſta triumphum CHRISTI Servatoris, qui ex Betphaghe, hoc eſt vico Sacerdotali (è quo nimirum educebantur Agni Paſchales, & victimæ DEO immolandæ) tranſiit per Oliveti montem, & hinc in vallem Ioſaphat, indéque per portam Auream in Templum: tranſiit, inquam, triumphantis in morem.

Primùm enim miſit duos è Diſcipulis ſuis, Petrum ſcilicet & Ioannem, qui è vicino caſtello Aſinam & pullum ſolverent, & ad ſe adducerent; tum iis inſedit; mediúſque inter acclamantium voces ac plauſus proceſſit: audiitque à turba lætum illud acroama: *Hoſanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in altiſſimis.*

Meritò ſanè egreſſus CHRISTUS ex *Betphaghe*, ut vel ex eo ſe proderet tanquam Agnum, futurámque pro genere humano victimam.

Meritò

Meritò tranſit per vallem Ioſaphat, ut jam inde Orbi perituro ſcenam aperiret futuro quondam judicio, docerétque ſe & Dominum & Iudicem Univerſi.

Meritò ingreſſus per portam Auream, ex eáque deinde in Templum, ut oſtenderet ſe mera puráque in nos caritate viam aperire, ducetéque in Templum æternitatis.

Meritò etiam inſedit CHRISTUS, primùm Aſinæ, deinde pullo: ut myſterio ſerviret, ex eóque noſſet mundus, quòd & Iudæis (quorum ſymbolum Aſina) & Gentilibus (quos deſignat pullus) ſuave & amabile jugum eſſet impoſiturus.

Meritò denique in ſolemni ingreſſu excepit illud geſtientis & applaudentis turbæ: *Hoſanna filio David.* hoc eſt interprete D. Ambroſio: *Redemptio filio David.* Divo Auguſtino: *Euge, eia fili David.* Euthymio: *Fortitudo filio David.* D. Hieronymo: *Salva quæſo fili David*: eſt enim *Hoſanna* compoſitum ex *Hoſcha*, id eſt *Salva*; & *Na*, id eſt *quæſo*.

Has voces ſeu gaudentis, ſeu gratulantis populi, admiſit CHRISTUS, tum ut regiæ ſuæ potentiæ ac majeſtatis ſpecimen daret; tum ut ad ſe revocaret Scribas ac Phariſæos, ſuperba capita, docerétque etiam à vulgo ſapere; tum denique, ut ipſam mundi gloriam irridendam proponeret vel ipſi mundo, ut qui una die, quos deperit, extollit, ut altera deprimat: quod in ſe videndum æquiſſima mente ſpectabat CHRISTUS, exſpectabátque ut illi ipſi qui extuliſſent lætum illud ac ſolemne *Hoſanna filio David*, acclamarent deinde poſt dies dumtaxat quatuor, triſte illud ac funeſtum: *Crucifige, crucifige eum.* Ita nimirum inconſtans, & fallax popularis aura, mundíque favor. Hæc ferè ſumma rei geſtæ, à qua delabor ad pauculas quæſtiones, quæ potiſſimùm ad mores facere videantur: priùs tamen pauca

EX D. THOMA.

Matth. c. 21. AD illa verba: *Filius hominis tradetur, ut crucifigatur*, ait in Paſſione Domini tria ſpectari poſſe:

I. Eſt *Paſſionis qualitas*, quæ ex tribus capitibus valdè amara fuit: I. Propter *patientis bonitatem*, quæ 1. Nulli faceret malè, 2. Quæ omnibus faceret benè, 3. Quæ injurias paticotiſſimè ferret. II. Propter *Paſſionis vilitatem*, quæ etiam patet ex tribus: 1. Quia voce omnium condemnatus, 2. Quia variis opprobriis affectus, 3. Quia morte turpiſſima condemnatus. III. Propter *inferentium credulitatem*, quam explicarunt: 1. Ante mortem, flagellando, 2. In morte, felle & aceto potando, 3. Poſt mortem, lanceâ latus ejus aperiendo.

II. Eſt *virtus Paſſionis*, quæ etiam viſa in tribus: 1. *In cœlo*, cùm ei lumen abſtulit. 2. *In terra*, cùm ea tremuit. 3. *In inferno*, cùm mortuos reddidit. Virtutem ergo Paſſionis cœlum clamat, terra prædicat, infernus nuntiat.

III. Eſt *Paſſionis utilitas*, quæ complexa eſt. 1. *Cœleſtes*, quorum ruinæ per Paſſionem reparatæ. 2. *Terreſtres*, qui de mànu diaboli liberati: *Pacificavit* enim *per ſanguinem Crucis, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis.* *Coloſſ. c. 1. v. 20.* 3. *Infernales. Expoliavit* enim *principatus & poteſtates*, Sanctos Patres è Lymbo extrahendo.

EX D. BONAVENTURA.

Matth. c. 21. DISCEDIT à ſenſu litterali, & tranſit ad myſticum, quem aperit ex illis verbis: *Sedens ſuper aſinam.* *Dom. Palm. Serm. 8.* Ait enim *Dominum ſuper tria myſtica animalia libenter ſedere.*

I. Super *aſinum*, id eſt pœnitentem. *Aſinus Chriſti eſt, qui onus pœnitentiæ portat*, & is quidem bonus; nam *malus aſinus eſt, qui & ſaccum pœnitentiæ, & Dominum inſidentem projicit.* Ne porrò & hunc, & illum projiciat, terreri debet à bono Angelo (ut olim *Num. 22.* aſina Balaam) evaginato gladio, id eſt, extremi Judicii aſpectu, metúque. Deinde *tertiò percuti, Primò in rebus ſuis; ſecundò in amicis; tertiò in corpore.* Tum enim minimè duci ſe ſinet quò vult malus ſeſſor Balaam, ceu *populum devorans*, id eſt, *diabolus*, qui *circuit quærens quem devoret.*

II. *Super camelum*, id eſt, *quemlibet proficientem*: quem enim poriùs deſignet ille? *Camelus animal eſt patiens laborum, animal mercatorum eſt, & merces portare ſolet: ſic & proficiens multum laborat, & merces meritorum uſque in cœleſtem Ieruſalem portat.*

III. *Super equum*; huic inſidentem Chriſtum vidit olim Joannes in mentis exceſſu: *Ecce*, inquiebat, *equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis, & verax.* *Apoc. c. 19.* *Perfectus quilibet, equus albus; & qui ſedet ſuper eum, Chriſtus.* Et hæc de jumento, cui inſedit Chriſtus, & cui honorem exhibuerunt alii atque alii, atque etiamnum exhibent.

I. *Aſinum adducentes*, id eſt peccatorem, qui inſtar aſini ſtolidus eſt. *Aſinum ad* JESUM *adducit, quicumque peccatorem ad Deum convertit.* *Serm. 2.* *O ſi unum aſinum hodie ad Chriſtum adducere poſſem*, inquiebat D. Bonaventura.

II. *Veſtimenta proſternentes*, hoc eſt, *corpora*, quæ veluti quædam *animarum veſtimenta ſunt*: hæc proſternuntur in hac via mortali, cùm Chriſti cauſa exponuntur & ferro, & igni, & tormentis, & morti,

uti

uti jam inde à naſcente Eccleſia pro nobis expoſuit Chriſtus; veſtimentum, inquam, ſacri ſui Corporis.

III. *Ramos mittentes*, id eſt bona ſpargentes opera. *quo*, enim *bona opera propter Chriſtum facis*, *coi eum ramu honoras.* Similis columbæ, quæ ad Noëmum & arcam redit portans ramum virentis olivæ: viret ramus cùm opus bonum fit in charitate; areſcit autem cum in lethali peccato.

IV. *Ojanna clamantes*, id eſt Deum ore glorificantes: beatus ille qui *gratiam in corde*, *ramum in manu*, *meritum in opere habuerit*; Deum etiam ille *ore* quàm optimè *benedicet*.

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba : *Invenietis Aſinam alligatam, & pullum cum eâ.* Matth. 21. verſ. 2.

QVID MYSTICE DESIGNANT ea vincula?

Aſina eſt peccatrix anima. HANC quæſtionem ſolvet D. Hieronymus: *Alligata*, inquit, *erat aſina multis vinculis peccatorum*: quæ ſit illa, quæris? Non ea eſt, quæ Chriſtum eò loci ac temporis tulit: ſed potiùs anima, quæ à ſuâ inſolenti libidine, ſceleréque & Chriſtum quaſi ſeſſorem, & ejus jugum excuſſit. Alligatur illa vinculis peccatorum, quæ ſibi malè texuit.

Ne mirere quòd peccata vincula appellem: ita
Pſal. 118. certè ea appellanda cenſuit D. Auguſtinus: *Optimè*, inquit, *dicitur funis & reſtis peccatorum; ut enim torqueatur reſtis additur, & non adduntur recta fila, ſed torta. pravitas ſibi connexa ducitur in longum, & non cogitat præcidere quod malè texuit: ſed addere, producere in longum, protendere ut habeat in fine, unde illi ligentur manus & pedes, & projiciatur in tenebras exteriores.*

Ecce quò miſeriarum trahant, rapiántque peccatorum funes & vincula, quæ & ſenſit, & deploravit etiam Auguſtinus:

Suſpirabam, inquit, *ligatus non ferro alieno; ſed meâ ferrea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, ac conſtrinxerat me.*

Eam quoque in aliis & vidit, & luxit magnus Præſul Ambroſius:

Peccata ſunt vincula. *Ligat*, inquit, *nos vinculis carnis illecebra. Vinculum noſtrum avaritia eſt. Vinculum noſtrum ebrietas eſt. Vinculum noſtrum concupiſcentia eſt. Vinculum noſtrum ſu-*
In Pſal. 118. *perbia eſt. Sunt & Diaboli vincula: Scriptum eſt enim, hanc filiam Abrahæ ligavit Satanas decem & octo annis.*
Luc. 13. Ut illam ligavit olim, *ita & nos ligat Diabolus criminum nexu, ligat nos vinculo fornicationis, vinculo adulterii, vinculo perfidiæ quâ Chriſtus negatur, vinculo invidiæ quâ frater appetitur, vinculo crudelitatis quâ ſocius occiditur. Hæc ſunt vincula, quibus ligatus unuſquiſque inclinatur, ut animam ſuam levare non poſſit, nec obtutus mentis ad cœlum erigere.* Ecce miſeranda ad terras inclinatio, & à Superis averſio, eáque à peccati vin-
Opinione mollia. culis; quæ an aurea ſiot, an ferrea, parum intereſt, ſi modò iis impliceris, & ligeris.

Lib. 1. de Virgin. *Nil refert*, inquit Ambroſius, *auro corpus oneretur, an ferro: ſi cervix premitur, ſi gravatur inceſſus, nil pretium juvat.*

Riſit olim, & exploſit Antiquitas factum unius Heliogabali, qui ut in omni vitâ, ita & in morte fabula fuit.

Audierat ille à Sacerdotibus Syris ſibi violentâ morte pereundum: igitur ut molliùs periret, ſibi texuit funes ſerico & cocco intortos, quos collo ſtatim injiceret, nobilíque velut laqueo, ſi neceſſe eſſet, vitam finiret. Paravit & gladios aureos, quibus ipſe ſibi vim inferret, ſi aliqua ab hoſte pararetur. Paravit & in annuli palâ, in ſmaragdis & hyacinthis venena præſentiſſima, quæ ſtatim exſorberet, ſi quid extrinſecus periculi impenderet.

Quod ſi neque laqueo, neque ferro, neque toxico ſibi vitam eripere poſſet, eam impetente importunis inſidiis hoſte, extruxerat ſibi altiſſimam turrim, ſubſtratis aureis gemmatiſque tabulis, ut ex iis ſe daret in præceps, & ſubito lapſu cervices effringeret.

Credebat nimirum ab iis ſibi fore pretioſam mortem, plurimúmque ad molliendum fati dolorem conducere, ſi ita occidiſſet ut nemo alius ſic diceretur occidiſſe.

Dicamus, quod res eſt, hoc quo ſpiramus ævo plurimos ſpirare Heliogabalos, qui ſibi coccinea, ſerica vincula nectant, qui enſes excudant aureos; qui auro venenum ebibant, & quibus parùm ſit perire modò pretioſè perire videantur: quod eſt dementiæ genus intolerabile; nil enim (ut iterum Ambroſii verbis utar) *Nil refert auro corpus oneretur, an ferro: ſi cervix premitur, ſi gravatur inceſſus, nil pretium juvat.*

Dic enim amabo te, mi Lector, quid reo alicui inde ſolatioli, ſi laqueo coccineo gulam ei præfocas? Si gladio aureo viſcera rimaris, & fodicas? Si ab hoc & illo miſeram & reluctantem animam eripis? Certè hoc mortis genus ei mitius non videbitur, quia totum in ipſa morte malum eſt.

Ita neque tibi ſuavior animæ mors accidet, ſive eam petas à voluptatum mollitie, ſericiſque mundi vinculis, ſive admiſſâ dæmonum vi, aut inſolenti paſſionis impetu acceſſas; quia totum in ipſa morte malum eſt. Quanquam neque adeò faciles ac teneri voluptatum nexus ac vincula, ut multi ſibi fingunt; talia eſſe videntur inexpertis, non ſunt tamen: appello D. Auguſtini fidem: ita de iis ſenſit ille ſuâ malè doctus experientiâ. *Vincula hujus mun-* Re autem
di aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam, cer- aſpera.
tum dolorem, timidamq; quietem, rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem. His tu inſeras manus & pedes, imò & animum? Certè niſi cæcus ſis, & amens, non inſeras.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Solvite illum, & adducite ad me: quia Dominus his opus habet.* verſ. 2. 3.

QUANTA ET QUAM EXIMIA POTESTAS SIT, animas à peccatorum vinculis ſolvendi, & ad CHRISTUM *adducendi?*

EAM poteſtatem duplici metaphorâ Chriſtus explicatam voluit: Una petitur à clavibus; altera à facultate ligandi, atque ſolvendi: tam hæc quàm illa exprimitur à Chriſto his ad Petrum verbis: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.*

Matth. c. 16. v. 19.

Hæc olim magnificè & divinè ad Petrum Chriſtus, qui ut ait Auguſtinus: *Dignus erat qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad regnum.*

Serm. 28. de Sanctis.

Pronuntiavit olim è Rabbinis unus aliquis Deum Opt. Max. uni ſibi quatuor Naturæ claves reſervaſſe, negaſſe cæteris.

Deo ſervatæ claves 4.

Prima eſt clavis pluviæ & ventorum; eos æthere patenti modò laxat, modò retinet pro nutu ſuæ voluntatis: habet enim ventos in theſauris ſuis.

Altera eſt clavis vitæ & mortis: Vita, & mors in manibus ejus: nemo unus in vitam ingredi, nemo ex ea velut è ſtatione diſcedere, niſi ſummus Imperator Deus evocarit.

Tertia eſt clavis ſepulchri: Aperiam, inquit omnipotens, tumulos veſtros.

Quarta denique eſt clavis humanæ mentis, quam aperit, & ſubit divinus oculus, cui nuda & aperta ſunt omnia; etiam cor hominis, licèt *Pravum & inſcrutabile*: Hoc eſt (ut Hebræa habent) *Acob mircol, anus: Tortuoſum, fallax, obſtinatum, deſperatum,* ut de eo penetrando deſperet omnis homo, imò & Angelus.

Ierem. c. 17. v. 9.

Has claves ex communi Naturæ lege ſibi Deus relictas voluit, at ex gratiæ indulgentia, etiam quibuſdam conceſſas: imò etiam longè meliores ac potentiores, cœli ſcilicet & inferorum claves, quas & ſibi, & Sacerdotibus, ac Pontificibus communes eſſe voluit.

Sacerdotibus communicatæ.

Habent illi pluviarum & ventorum claves, & in arentes hominum animas cœli rorem, gratiæ fluenta, & benigniores Spiritus Sancti afflatus devocant.

Habent claves vitæ ac mortis, dum à peccato mortuas animas, gratiæ, id eſt vitæ reddunt.

Habent claves ſepulchri, dum ſuis ſceleribus pravíſque conſuetudinibus velut inſepultos ac merſos homines, rurſum in auras evocant, ut cœlo reſpirent, ac vivant.

Habent claves humanæ mentis, dum in auriculari confeſſione intima ejus penetralia, abditóſque receſſus penetrant, atque pervadunt.

Habent, quod amplius eſt, Cœlorum claves, etiam ipſo primæ Veritatis oraculo pronuntiante auguſtum illud: *Tibi*, ô Petre, *dabo claves Regni Cœlorum.*

Etiam cœlorum.

O Beatus Cœli janitor, exclamat D. Hilarius, *cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur; cujus terreſtre judicium præjudicata authoritas ſit in cœlo.*

Narrant Rabbini eo ipſo die, quo Salomon ædem à ſe extructam Deo ter Opt. ter Max. dicare voluit ac ſubito, derepentè ſtupendo ſanè prodigio ita clauſas illius fores, ut arte nulla, vi nulla reſerari potuerint.

Portentum illud primùm Regem attonitum habuit, dein anxium ac propè inopem conſilii; quod ſecum ipſe tacitus dum exquirit, ſuccurrit Davidis parentis optimi memoria, & mortalibus grata, & immortalibus: per eam ergo Superos orat, & verò etiam exorat his verbis: *Memento Domine David*; ad ea verba derepentè laxari fores, expandi valvæ, & patere intima ſacratæ ſedis penetralia: quibus Davidis nomen pro clavi eſſe potuit, & verò etiam fuit; inſigni certè miraculo, quod tamen exiguum videri debet, ſi cum eo componatur, quod in dies ſingulos à Sacerdotibus fieri & certa fide credimus & gaudemus: quid enim? Davidis nomen unius templi fores aperit; at Sacerdos duabus tantùm voculis cœli poſtes, beatáque Divorum atria, in quæ peccatori quantumvis à Superis, Deóque alieno reſeratur aditus; duabus inquam voculis: *Te abſolvo*; idque non terrena, ſed cœleſti; non humana, ſed divina poteſtate; de qua Chryſoſtomus: *Quamvis*, inquit, *Petrus homo ſit mortalis, cœleſti tamen pollet poteſtate*; à qua tam ipſe, quàm ejus ſucceſſores magnifica, auguſta, divina hauſere nomina.

Per poteſtatem abſolvendi.

Quæ inde dignitas!

D. Ambroſius eos appellare ſolebat *Domini Vicarios.*

In cap. 11. ad Cor.

S. Ignatius *Divinorum bonorum œconomos, ſocioſque Dei.*

Epiſt. ad Polycarp.

Alii *Coronatos Soteres, & tutelares Divos.*

Clemens Romanus *Terreſtres Deos*: cui conſenſit magnus ab Areopago Dionyſius, qui eam Sacerdotii Chriſtiani vim eſſe dixit; ut ab ea *Pontifex Deus fieret, divinus homo, & Numine ſacroſancto plenus*: quæ appellatio etiam ad profanos & Gentiles emanavit.

Conſt. Apoſt. l. 2. c. 26.

De Eccleſ. Hier. c. 2.

Hunni certè quantumvis barbari, Theotimum Schyniæ Epiſcopum *Deum Romanorum* vocitabant.

Niceph. l. 12. c. 45.

Si porrò quæras unde ea nominum majeſtas propè divina, audies emanaſſe ab illa poteſtate ſolvendi, atque ligandi, à qua etiam Sacerdotium *Deificam profeſſionem* appellavit Ambroſius: quidni enim Deifica & dicatur, & ſit, quæ homines Deos quodammodo facit in terris, & ejuſdem ſi non naturæ; at certè cum Deo conſortes poteſtatis, à qua D. Dionyſius Hierarchiam Eccleſiaſticam vocabat θεουργικὴν: *Deos efficientem.* Et hæc dicta velim ex ea voce, *Solvite*, quam Sancti Patres, & Scripturæ Interpretes allegoricè ſumunt, & ad eam ſolvendi, atque ligandi poteſtatem transferunt.

Venio ad alterum, quod ad Apoſtolos, viróſque Apoſtolicos Chriſtus: *Adducite ad me*, utique animas à peccatis, ceu vinculis, ſolutas: quo officii genere nihil ei gratius, nihil antiquius eſſe poteſt.

Quod officium?

Nullum, inquit D. Gregorius, *Omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum. Nullum officium Deo charius, & nihil Deo ſic placet, ſicut zelus, lucrum animarum*, pronuntiabat olim ore aureo Chryſoſtomus; quod ut liquidò oſtenderet, longam bonorum ſeriem cum hoc uno caritatis officio comparavit.

Hom. 12. in Ezech.

Hom. 76.

Da

Digitized by Google

Hom 39. in Gen. Da mihi, inquiebat, unum aliquem, qui virtutis ſtudiò, ſeſe quotidianis jejuniis atque inediâ maceret, qui cubet in dura humo, nudo ſub Jove, qui corpuſculum flagris atterat & laceret, qui ſeſe omni afflictionum genere fatiget, obruat, & propè conficiat; non erit par illius lucrum, atque eſt ejus, qui vel unam animam lucratus ad Deum adduxerit.

Da ſi voles alium, qui in ſe parcus, in pauperes effuſus, & ferè prodigus omnia bona ſua, facultates omnes in eos effuderit; nec erit ille ſecundus ei, qui viſcera caritatis effuderit ad quærendam Servatori ſuo vel unicam animulam. Tantum ſcilicet apud illum hujus eſt pretium, tanta æſtimatio.

Sed age, cedo, ſi ita vis, & alterum, qui inſtar alicujus Thaumaturgi montes transferat, qui Solem cum Joſuë ſiſtat, qui cum Gregorio paludes ſiccet, & ſi voles etiam mana, qui cum Elia modò ignes è cœlo devocet, & irata fulmina, modò pluvias & faventes Euros, qui cum Martino mortuos ex inferis evocet, & vitæ reddat: Erítne ille æquandus ei, qui vel unicam tantùm animam à ſuo ſcelere perditam, CHRISTO Servatori ſuo reddiderit?
Cur Deus illud exigat? Minimè gentium, quia apud Superos Deumque ipſum pluris eſt lucrum animarum, quàm donum miraculorum.

Rationem ſi quæras, ea eſt in promptu: quia Dominus *His opus habet*, utque abundet cæteris omnibus, eget animabus. Ut enim verè, & magnificè D. Hieronymus: *Salus creaturæ lucrum eſt Creatoris*, qui ſcilicet, ut Chryſoſtomi verbis utar, *Vitam noſtram divitias ſuas, & mortem damnum æſtimat.* Hinc illæ querelæ apud Jeremiam vatem: *In c. 15 Ierem v. 10. In Ep. ad Rom. c. 14. v. 7.*

Væ mihi mater mea, non fœneravi, nec fœneravit mihi quiſpiam. Sub Domini perſona loquitur Propheta, *C. 15 v. 10.* & gemit apud Synagogam ceu matrem, ceu ſi mavis novercam, quod nec fœneraverit ipſe, nec illi fœneraverit quiſquam alius: quod illud fœnus ſi peris? Eſt fœnus animarum, ad quod anhelat in paucis earum ſtudioſus: ita habes Deum negotiatorem, cujus lucrum atque emolumentum, imò & uſura, quam amat, eſt ſalus animarum; damnum autem atque detrimentum, eſt earumdem jactura atque perditio.

Hinc confice quod quiſquis animas ad Deum adducit, eique veluti donat; dat ei quoque ad fœnus, adeòque facit ipſum Deum debitorem. Appello enim ipſum Jeremiam, quem paulò ante citavi: ubi enim vulgata lectio habet: *Nec fœneravit mihi quiſpiam*, vertit Theodoretus: *Non debui, nec debuit mihi quiſpiam*; hoc eſt interprete D. Hieronymo: *Nemo dedit mihi quæ ego accipere cupiebam*, nec me fecit in aliquo debitorem; quia non dedit animas, quas accipere cupiebam, & à quibus me feciſſet etiam in æternum debitorem. Hæc lege, hæc apud te meditare, mi Lector, & ingentes ſpiritus hauries, & zelum animarum.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Ecce Rex tuus venit tibi.* verſ. 5.

QVOMODO REX NON SVIS, SED SVBDITORVM commodis ad Regnum venire debeat?

In Conſol. ad Polybium. ELEGANTER & aptè dixit olim Seneca: *Magna ſervitus eſt magna fortuna:* quod maximè verum in ea, quæ cum opulentis gazis, ac ditionibus
Rex dat ſe ſubditis. etiam aliquando in alios imperium adjunxit: Hæc enim ſervitus eſt, & quidem longè maxima: facit enim ut homo alieni juris ſit, non ſui; aliis vacare debeat, non ſibi: verbo uno, ut aliorum ſit ubique totus; ſuus autem nullibi: quia & ſua & ſe ſubditorum commodis atque utilitati commodet, eſt neceſſe. Hinc veriſſimè pronuntiavit
Pro Deiotaro. Orator Romanus: *Servitus in dominatione, dominatio in ſervitute eſt.* Hæc porrò quanta ſit bellè deſcribit Seneca; quo authore libentèr utor, quia eas habet ſententias, quæ audientium animis aculeos infigant ac relinquant: Sic ille loquitur de Principe, epiſtola ad Polybium:

Omnium ſomnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.

Dat etiam ſua. Ex quo conficit, quòd is qui regnare volet & principatum tenere, diſcedere debet quàm longiſſimè à ſuis commodis, otio, deliciis, & ea omnia in alios veluti transferre: quod inſigni apologo nobis indicant ſacræ paginæ: Faciunt illæ ut arbores inter ſe conveniant, habeantque veluti comitia pro deligendo ſibi novo Rege, & è toto arborum genere Regnum primò deferunt Olivæ, deinde Ficui, tum etiam Viti, denique Rhamno.

Iud. cap. 9. verſ. 8, *Ierunt*, inquit Joathan ad viros Sichem, *ligna, ut*
ungerent ſuper ſe Regem: dixeruntq́; Olivæ impera nobis.
9. *Quæ reſpondit: Numquid poſſum deſerere pinguedinem*
meam quâ & Dii utuntur & homines, & venire ut inter
ligna promovear? Quaſi diceret, Non poſſum deſerere, adeòque nec ſuper vos regnare. Ubi ſic repulſam paſſa ſunt ligna: *Dixerunt ad arborem Ficum:* *verſ. 10.*
Veni & ſuper nos Regnum accipe. Quæ reſpondit eis:
Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſq́; 11.
ſuaviſſimos, & ire ut inter cætera ligna promovear? Quaſi innueret & ipſa, Promoveri nec volo, nec poſſum, quia nec dulcedinem meam, nec fructus meos ſuaviſſimos ſurripere, & quodammodo ſuffurari poſſum, ut aliis donem.

Ubi hæc à Ficu audierunt ligna, *Tum locuta ſunt*
ad Vitem: Veni, & impera nobis. Quæ reſpondit eis: Num- *verſ. 12.*
quid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & 13.
homines, & inter cætera ligna promoveri? Quaſi apertè efferret illud, Vinum meum effundere in alios non poſſum, & eo ipſa deficere, atque areſcere, adeòque nec regnare ſuper vos, ô ligna, ô cognatæ mihi arbores: quid igitur illæ?

Dixerunt omnia ligna ad Rhamnum: Veni, & impera
ſuper nos. Quæ reſpondit eis: Si verè me Regem vobis con- *verſ. 14.*
ſtituitis, venite, & ſub umbrâ meâ requieſcite. Hæc 15.
Rhamnus ad omnia ſylvarum ligna, accepit illa commune in arbores imperium, quod detrectavit Oliva, Ficus, Vitis.

Apologum audiſti; vide quæ ſub illo tegatur amica veritas. Oliva, Ficus, Vitis ſymbola ſunt boni *Si bonus ſit.* Principis: noluerunt illæ etiam ultro oblatum in ligna principatum accipere; quia ſatis norunt, hoc ipſo dimittendam in alios & pinguedinem & fructus ſuaviſſimos, & meraciſſimum vini liquorem, uvæque ſanguinem.

Secus ſi malus. Contrà verò rhamnus, quæ hieroglyphicum eſt perverſi Regis, imperium ſtatim arripit; nec tamen ideò dimittit à ſe fructus ſuos, ſed potiùs alienos ad ſe trahit, & tenaciùs retinet.

In c. 2. Agga. *Rhamnus*, inquit D. Hieronymus, *ſpinoſus frutex, & arbuſcula ſentibus uncinisq; contexta, quæ teneat quidquid attigerit.* Sic omninò faciunt mali Principes ac Reges; nec aurum quo abundant, nec delicias quibus diffluunt, nec otium quo torpent, nec ſua commoda quibus ſtudent impenſiùs, dimittere volunt, ut ſubditorum ſaluti atque utilitati vacent; ſed potiùs inſtar infœlicis rhamni, à miſerabili popello ſtipem turpiter emendicant: imò quandoque per fas & nefas, per iniqua vectigalia rapiunt, quo ille meliùs ſuſtentari potuiſſet: Non ſic æqui Reges ac Principes, quibus ſi res abundat domi, ſi gazæ auro tument, ſi vis, ſi poteſtas eſt in manibus, ea ſubditis ſervit. Exemplo Chriſti Servatoris, qui cùm dives eſſet, pro nobis factus eſt egenus, ut nos ipſius egeſtate divites eſſemus: *O opulente Salvator, & revera* Rex, exclamat Ambroſius, *tu pauper fuiſti, ut nos tua paupertate diteſceremus*; abiiſti quodammodo è ſinu Patris, ut labereris in ſinum pauperculæ Virginis, & ex eo in præſepe: abiiſti è cœli regia ſedéque beatitatis, ut venires in terras exules, egeſtate, dolore, miſeriis pleniſſimas: reliquiſti propriam pinguedinem, dulcedinem, fructusque gloriæ ſuaviſſimos, ut ſic areſceres, ut aceto & felle in cruce potareris; & hoc quidem non tibi, ſed nobis.

Ita ſe, & ſua dedit Chriſtus.

In 2. ad Cor. c. 8. v. 9.

Apud Ziphilinum. Otho Imperator cùm expiraret, has unà cum vita jactavit voces: *Faciam ut omnes intelligant, quem Imperatorem elegeritis, qui non vos pro ſe; ſed ſe pro vobis dedit.*

Hæc inquam jactavit ille; veréne, hîc non diſputo: quia in lite eſt illud, hoc extra controverſiam. Quod Servator ab Æterno Patre Orbi datus Imperator, non homines pro ſe, ſed ſe pro hominibus dederit. Quod ipſum apertè oſtendunt illa verba, à quibus in hoc argumenti genus deſcendi: *Ecce Rex tuus venit tibi.* Rex, inquam, qui non ſibi, ſuisque commodis venit Jeroſolymam; ſed tibi, tuæque ſaluti quiſquis es in terris homo.

Habent in eo quod ament, ſuſpiciant, atque imitentur viri Principes ac Reges, ne in eos cadat illud, quod olim in Reges apud Oſeam: *Ipſi regnaverunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognovi.* *Cap. 8, v. 4.*

Rationem ſi velis, ea eſt, quod non regnarint ex Deo. hoc eſt, ut vertunt Septuaginta, quia *Sibimet ipſis regnaverunt*; adeóque *non ex me*, id eſt, non ex mea forma, mea gubernandi ratione; quippe qui non mihi, ſed meis regno; nec à meis ſubditis, humeris portari volo, ſed potiùs eos ipſe veho & porto: quod ipſum oſtendit Deus Iſraël, Iſayæ voce, qua ponit diſcrimen inter idola & Deum verum, inter *Bel*, & *Nebo*, Æternúmque Numen: idola quippe ab hominibus portari ſolent ac debent ingenti labore atque defatigatione: cùm contra Deus ipſe homines portet. Non ſic mundi Principes.

Onera veſtra, inquit, hoc eſt idola, quibus ſuccollatis, *gravi pondere uſque ad laſſitudinem, contabuerunt*, *Cap. 46.* *& contrita ſunt ſimul. Non potuerunt ſalvare portantem. Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini à meo utero; uſque ad ſenectam ego ipſe, & & uſque ad canos ego portabo. Ego feci, ego feram, ego portabo, & ego ſalvabo.*

Portabis enimverò Salvator Optime vel eò tantùm, quòd Rex noſter ſis, quòd Princeps, cujus *Principatus factus eſt ſuper humerum ejus*: portabis, inquam, ingenti niſu, labore, ſudore, ſanguine, ut exemplo tuo benè docti Principes ac Reges, ſuos etiam ſubditos portare diſcant, ſibíque, cùm ad regnum venerint, ſciant dictum illud: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*, utique eâ mente, eo conſilio, ut illos portaremus. *Iſai. c. 9. v. 12.* *Pſ. 65. v. 12.*

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illà verba: *Venit tibi Rex manſuetus.* verſ. 5.

QVOMODO PRÆSVLES AD SVBDITOS venire debeant in ſpiritu caritatis, & lenitatis?

Mali Principes aſperi. QUISQUIS aut pedum geſtat aut ſceptrum; manſuetus ad ſuos veniat oportet: ſi modò & hoc, & illo dignus eſſe velit, & generi ſuo in amoribus; non autem in odiis.

Habuit Roma Caligulam Imperatorem, cujus eæ voces inſulſæ, & barbaræ: *Oderint, dum metuant.* A ſuis ille, mancipiorum in morem, metum exigebat, imò & ſanguinem: optaſſet enim cives ſuos in unum aliquod caput coaluiſſe, ut uno omnes ictu demetere potuiſſet. Immite votum ab animo immiti.

Habuit Sicilia Guillielmum cognomento Malum, à malis quibus ſubjectum ſibi popellum oppreſſit.

Habuit Meſellania Loherium Principem, qui audiit ignis, & flamma vorax humani generis. Nomine ſcilicet malè ominato, quod à barbara mente, ab immiti indole ſortitus eſt.

Boni mites. Meliori ſorte, vocéque audiêre alii ab inſita manſuetudine. Titus deliciæ generis humani. Ludovicus Galliæ Rex cognomento Manſuetus.

Nimirum manſuetudo virtus eſt regia, quam etiam à teneris unguiculis haurire debent proles regiæ.

Apud Perſas, qui ſceptro parabatur Princeps, lacte veſcebatur & ficubus, ut vel inde lacteam indolem, moréſque exſugeret quàm ſuaviſſimos. *Plut. in Artaxerxe.*

Imò Salvator noſter butyrum & mel comèdiſſe legitur, ex eóque à Propheta commendatur: quia totus debuit eſſe melleus; nec ſuos aculeo pungere, ſed melle delinire; amore ad ſe allicere, non metu trahere ſervilem in modum. Ita mitis Chriſtus.

Quòd ſi ſubinde aculeo opus, & vulnere: caritatis aculeus fuit, & vulnus amoris. Quod ipſum exprimunt ſacræ paginæ, quæ Verbum caro factum componere ſolent cum ſagitta & ſpecie electri.

Poſuit me (inquit Propheta Chriſti nomine) *ſicut ſagittam electam; in pharetra ſua abſcondit me.* vel ut habent Biblia Cumplutenſia, *in pharetra tua*; quaſi homini diceret Dei Filius: Æternus Pater poſuit me ſicut ſagittam electam, & in pharetra tua, corporis ſcilicet ac humanitatis tuæ, *abſcondit me*, ut ex ea emitterem ſagittas electas in hominum corda, tamquam in ſcopum mihi præfixum. Sagittæ porrò illæ ſunt amoris ac caritatis, quas ut evibraret ardentiùs, humanitatem Deus induit. *Iſa. 49. v. 2.* Qui ſagitta electa.

Iſta eſt ſagitta, inquit Chryſoſtomus; *quâ vulneratus Petrus dicebat Chriſto*: Domine tu noſti, quoniam diligo te.

Iſta

Iſta eſt ſagitta, quâ vulneratus Paulus dicebat: Quis me ſeparabit à caritate Chriſti?

Rom. 8. *Iſta eſt ſagitta, qua vulnerata omnis Eccleſia dicebat*: Vulnerata caritate ego ſum.

Iſta porro ſagitta evolat ex humanitate tamquam è pharetra: quid enim ex eâ exiret niſi humanum; hoc eſt mite, blandum, amabile: quod diſertè ſtylo aureo notat Chryſologus:

Serm. 158. *Sæpè quærimus*, inquit, *quare mundum ſic Chriſtus intrat, ut ventris experiatur anguſtias? Partus patiatur injuriam? Suſtineat vincula pannorum? Cunabula toleret? Imbecillæ lacrymis uberum nutrimenta diſquirat? Ætatum gradus, neceſſitateſq; præſentiat?* Ubi has quæſtiones injecit, tum iis ita facit ſatis:

Et qualiter venire debuit, qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem? Denique concludit:

Sic ergo naſci voluit, qui amari voluit, non timeri.

In antiquâ lege plus timeri voluit, quàm amari, ideóque venit in ſpiritu vehementi, in igne & turbine, qui Dei tonantis veluti veſtis erat, qua ſeſe daret in hominum oculos, atque conſpectum.

At non ſic in nova lege: in hac apparuit tectus humanitate noſtra, ut in ea nihil eſſet quod timeri poſſet, multum quod amari; nihil quod avertere, *Qui Electrum.* plurimum quod allicere; ideóque illa cum electro comparari ſolet: teſtem habeo ac fidejuſſorem Ezechielem Prophetam, qui Meſſiæ humanitatem inter magnam nubem & ignem conſpexit quaſi ſpecie electri.

Cap. 14. *Et vidi*, inquit, *& ecce ventus turbinis, & ignis involvens, & de medio ejus, quaſi ſpecies electri.*

In Proœm. Comment. in Matth. Ea porrò ſpecies electri, interprete D. Hieronymo, eſt Deus homo, hoc eſt, Deus humanitate indutus, qui venit nobis tanquam Rex manſuetus, ut inſtar electri, ceu ſuccini, homines veluti paleas ad ſe alliciat, trahat, detineat, atque complectatur. *Sap. 1, 2.* Nimirum, ut rectè Salomon, *Benignus eſt ſpiritus Sapientiæ*, Græcè φιλάνθρωπος: amans hominum, adeóque in eo benignus, ac miſericors. Quod Judæis commendatum voluit ſacer Hiſtoriographus, dum ait: *Venit tibi Rex manſuetus.*

Erant Judæi duræ & indomitæ cervicis, adverſa & rebellia cœlo capita, & tamen ad eos venit Rex manſuetus. Excoluerat illos per annos omninò triginta tres, eóque ampliùs, & quà vivæ vocis oraculis, quà ſanctioris vitæ exemplis edocuerat: & tamen ei pervicaciùs reſiſtebant, nec ideò abit illis iratus, & durus; ſed potiùs ad illos venit *Rex manſuetus.*

In eorum oculis ingentia patrarat miracula, naturámque totam propè commoverat, & maria, & ventos, & morbos, & mortem, & inferos ipſos edomuerat, ut ſuæ doctrinæ fidem aſtrueret; & tamen eam negabant perfidi & contumaces Iudæi: nec ideò diſcedit ab illis offenſus, ſed venit potiùs *Rex manſuetus*; *Qui Prælatis exemplum manſuetudinis.* ut animarum Paſtoribus, ac Prælatis inſigne daret patientiæ & manſuetudinis vel exemplum, vel etiam documentum; quod ut imprimam magis, nonnulla ſubjiciam, quæ ad eam ſtimulo eſſe poſſint; inter quæ, primum erit illud ſolemne Arabicis pronunnatum: *Cornu prudentis eſt manſuetudo, cornu ſtulti ferocia*: quia ſcilicet prudens tuetur ſe manſuetudine, ut animalia cornu: at verò ſtultus ferocia, atque immanitate, quæ quia aliena eſt à Regibus, à Principibus, à Reipublicæ moderatoribus, Seneca eos comparare ſolebat cum medicis, ſubditos cum ægris, in quibus proinde curandis eadem debeat eſſe ratio.

Lib. 1. de Clementia c. 16. *Morbis medemur*, inquit, *nec iraſcimur, atque & hic morbus animi mollem medicinam deſiderat, ipſumq; medentem minimè infeſtum agro. Mali medici eſt deſperare ne curet: idem in his, quorum animus affectus eſt, facere debebit, cui credita ſalus omnium eſt; non citò ſpem projicere, nec mortifera ſigna pronuntiare. Luctetur cum vitiis, reſiſtat: aliis morbum ſuum exprobret, quoſdam molli curatione decipiat, citiùs, meliúſque ſanaturus remediis fallentibus.*

Iis olim uſus Propheta Nathan: cùm à duplici ſcelere; ſcilicet adulterii, ac homicidii, ceu gemino morbo, æger eſſet Davidis animus, propoſuit illi imaginem hominis alienam ovem devorantis, quem dum averſatur ac damnat, ſeipſum etiam & averſari & damnare eſt doctus. *2. Reg. c. 12. v. 2.*

Alia eſt ſimilitudo, qua in rem noſtram utitur D. Dionyſius Areopagita epiſtola octavâ ad Demophilum de manſuetudine: In ea ſubditos peccatores comparat cum cæcis: Hi quia carent lucis hujus uſura, vitiatis aut penitùs extinctis oculorum orbibus; nec quò, nec quà flectant, ſciunt: neque tamen ideò illos aut verbis malè excipimus, aut fuſtibus tundimus, aut alia quapiam graviore injuria afficimus; ſed potiùs ex inſigni quadam commiſeratione prenſamus manu, & tutiore via ac ſemita circumducimus.

Officium quod damus vitio corporis, demus vitio nævóque animorum: *Si ambulant ut cæci quia Domino peccaverunt*, non ideò in iraſcundum, in minarum tonitrua, in fulmina pœnarum: ſed potiùs eos veluti cæcos, atque errabundos, nos Dei beneficio adhue benè oculeati, in viam veritatis ac juſtitiæ ducere debemus, exemplo Chriſti Servatoris, qui de Iudæis, ceu ovibus ſuis palabundis, & adhuc fidei lumine deſtitutis, ait: *Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos.* *Sophon. c. 1. v. 17.* *Zachar. c. 10. v. 8.*

Et hic eſt ſpiritus gratiæ, & genius novæ legis, à quo diſcedunt quàm longiſſimè qui ſecus faciunt, qui in ſubditos peccatores duri ſunt, atque immites, qui fulmina de cœlo devocant & flammarum globos, ac non potiùs ſuavè labentem gratiæ rorem, & mollem in vellus cœli pluviam: exemplo res erit illuſtrior.

S. Carpus pro eo, quo ſibi videbatur eſſe divinæ gloriæ zelo, cùm intellexiſſet hominem unum aliquem recèns ad fidem converſum ab eâ abductum infauſtâ infidelis alicujus perſuaſione, adeò exarſit, adeó indoluit, ut etiam in morbum inciderit: Inclinata jam erat in veſperam dies, à qua cùm ſe quieti dediſſet, nocte media, ut aliàs ſolebat, aſſurrexit, ut orationi vacaret: vacavit autem adhuc dum plenus irâ & æſtu, à quo dum magis, ac magis incaleſcit, Deum orare, atque obteſtari cœpit, ne tantum ſcelus pateretur impunitum; lenta nimis, & ſomnolenta videri Superûm judicia, plumbeóſque ac tardos divinæ Juſtitiæ pedes; eundum, eundum eſſe in pœnas, & devocanda cœlo fulmina, quibus ſceleſta capita perderentur. Hæc ille, præpropero nimium zelo, & irarum impete abreptus dum jactat; ecce ſubitò hinc viſa tremere domus ac fatiſcere, ac deinde ab imo ad ſummum diſcedere; denique aperiri terra, & ingenti facto hiatu frequentes flammarum globos ac vortices evomere: inde verò velut è cœli regia ſpectari Chriſtus, qui ſeptus nobili cœleſtium ſpirituum corona deſpiciebat infamem illum, terribilémque terræ hiatum. Quem dum attentiùs inſpicit ipſe Carpus; ecce duo miſelli homunciones, in quos jam animo, & irâ exarſerat, viſi ſtare in extrema voraginis ora, & propè illi imminere, caſúmque minari miſerabilem, in quem, erumpentes inter media incendia ſerpentes, eorúmque pedibus implexi, propè rapiebant; accedebant deinde emergentia ex ipſis inferis monſtra, atráque ac horribili ſpecie Æthyopes, quorum pars miſeros illos impellere, pars trudere, pars etiam reluctantes propè raptare. Horum vim impetúmque dum ſpectat Carpus, videtque lenta molimina, velut impatiens moræ, & in eorum ruinam nimis facilis ac pronus optaſſet & ipſe manum admovere, pondúſque addere, quò citiùs volverentur in præceps: interea de cœlo labi Chriſtus, & periclitantibus *D. Dionyſ. ſuprà.*

Digitized by Google

tibus benignè manum præbere, voragini per culóque ſubducere: imò & cœleſtibus geniis jungere viſus, auditúſque Carpo dicere: *Extentâ jam manu percute me, quia iterum paratus ſum pro peccatoribus pati.* Hæc ubi vidit audiitque Carpus, tum ſibi redditus eſt, probeque doctus quis novæ legis genius, quis Chriſti ſpiritus eſſet, utique lenitans ac miſericordiæ; quam dum animo ſpectat Conſtantinus Imperator ſententiam protulit dignam Auguſto.

Hiſt. Eccl. p. 1. l. 2. c. 4. Agebatur in Concilio Nicæno, deberéntne in Eccleſiæ gremium recipi qui ab eâ defeciſſent, ſi modò facti benè pœniteret. Itum ad ſuffragia, auditique ſuper eâ re Patres, quos inter ferè unus Acacius Epiſcopus ſeſe cæteris duriorem & minus exorabilem præbebat: cui libera & auguſta voce Conſtantinus: O Acaci, inquit, ſcalam tibi erige, & ex eâ ſolus ſi potes cœlum conſcende. Quaſi diceret non eſt is genius Chriſtianæ pietatis, ut peccatoribus via in cœlum præcludatur, claudanturque viſcera miſericordiæ, & pateant iis tantùm, qui non deliquerunt. Sit aperta, ſit libera, ſit expedita omnibus ad Superos via, eámque oſtendant, & verò etiam laxent ii maximè, quos Deus animarum ſalutı curandæ præfixerit: laxabunt autem, ſi cum Apoſtolo induant viſcera miſericordiæ, manſuetudinis, caritatis.

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Eum deſuper ſedere fecerunt.* verſ. 7.

QVOMODO AD HONORES NON NOSTRA voluntate currere debeamus: ſed potius alienâ rapi?

Hominum faſtus. INTER abjectos mortales & Verbum caro factum, magnum omninò diſcrimen eſt. Illi (ſi fortè re benè geſta decernatur triumphus, ſi ſolemnis in urbem ingreſſus) currum adornant, & ingenti ſtipant famulitio. Ut tam ab hoc, quàm ab illo aliquid emendicent honoris, & famæ.

Ita Camillus Romæ exceptus triumphantis in morem & quadrigis vectus.

Pompeius Elephantos rhedæ ſuæ admovit, ut ab immani illa belluarum mole ſibi gloriæ pondus adderet.

Marcus Antonius Leonibus ad jugum junctis vehi voluit: feroci animalium delectatus ingenio.

Aurelianus Imperator Cervis uſus, & animantibus mitioris genii.

Nero, monſtrum hominis, ſi quando altæ ſubiret mœnia Romæ, quadrigis trahebatur, & rhedas plus mille ſequaces longiſſima ſerie ducebat.

Seſoſtres Ægypti Rex, faſtu planè inſolenti ac damnando, quatuor omninò Reges ad rhedam, qua portabatur, alligarat, ferarum in modum; ut nonniſi à coronatis verticibus veheretur.

Et hæc fuit mortalium inſania, hic tumor inviſus ſupens; quem ut reprimeret JESUS, Deus homo, Hieroſolymam ingreditur triumphanti ſimilis: at portatur humili aſello; *ut nos vivendo philoſophiam doceret*, inquit D. Chryſoſtomus. *Hom 69. in Matth.* Imò ne illo quidem portabatur, niſi ſuorum votis, precibúſque quodammodo victus: *Chriſti humilitas.* innuit enim Evangeliſta Salvatorem noſtrum non tam ſuâ voluntate aſinæ pullóque inſediſſe, quàm inductum & propè coactum alienâ; ut faceret in hac ultima vitæ ſuæ ſcena quod in omni illius actu; daret nimirum illuſtre exemplum humilitatis, à qua benè inſtructus homo Chriſtianus eo niſu impetéque honores fugiat, atque averſetur, quo paſſim ſequuntur alii, & ſtultè depereunt.

Sed amabo te, Servator Optime, annis omninò triginta in obſcuris latuiſti: excede modò, & luci te, gloriæque redde, paratíſque jam triumphis: te videat, amet, ſuſpiciat omnis Iſraël: ſentiátque di- *Matth. c. 17. v. 5.*
ctum antè ab Æterno Patre: *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite*, ipſum excipite triumphantis in morem.

Serm. 2 de Epiph. *Quouſque ſiles Domine* JESU, inquit Bernardus, *diſſimulas? diu tacuiſti, & valdè diu; diu latuiſti, & valdè diu. Quamdiu virtus, & Dei ſapientia quaſi infirmus aliquis, & inſipiens lates in populo? Quamdiu nobilis Rex cœli, fabri filium te pateris appellari, & putari?* Quamdiu gloriam fugis ac triumphos, ad quos terra teſte, cœloque judice deſtinaris? Audio, ſibi mihique tuo nomine vicéque reſpondet Bernardus: *Chriſtus cùm tanto tempore ſilebat, cùm ſeipſum abſcondebat, numquid* *Ibidem.* *inanem gloriam metuebat? Quid? Timeret ab inani gloria, qui eſt gloria Patris? Utique timebat, ſed non ſibi: nobis timebat ab illa, quibus noverat eſſe timendum; nobis cavebat, nos inſtruebat:* Ut latebras amaremus ipſi, fugeremúſque lucem humanæ laudis ac gloriæ, nec in *Exemplo eſt.* eam veniremus niſi inviti. Ita venére quotquot Chriſtianus Orbis Salvatoris ſui æmulos habuit atque imitatores.

Ita venit B. Petrus Damianus, de quo hæc memorant Hiſtorici. *Hoc fecit B. Petrus Damianus.* Latuerat ille in obſcura ſolitudine, eremíque tenebris; cùm ecce à Gregorio hujus nominis decimo evocatur in lucem Romanæ curiæ, & purpuratis Patribus aſcribitur, non tam ſuâ voluntate, quàm parendi neceſſitate; quâ tandem victus Gregorium licèt officio vitáque ſanctiſſimum, ex eo tempore perſecutorem ſuum appellavit: ita purpurâ galeróque donare Damianum, perſequi fuit.

Pius V. Ita quoque ad gloriæ, honorúmque culmen longè maximum venit Pius hujus nominis quintus, qui è Dominicana familia, celláque humili, primùm evocatus ad purpuram, deinde etiam ad tiaram Pontificiam: ſub qua dum gemit, dicere ſolitus: Ego cùm religioſus fui, de mea ſalute ſperavi quàm optimè; factus deinde Cardinalis cœpi timere; creatus denique Pontifex de ea propè deſperare.

Adrianus VI. Similia priùs & ſenſit, & locutus eſt ex eadem Petri ſede Adrianus hujus nominis ſextus, qui cathedram ſummi Pontificis *ſpinoſam* appellare ſolebat. Nimirum illi gloria non pro roſis ac violis erat, ſed pro ſpinis ac ſentibus, quos inter hærebat, gemebátque velut divinus ille Abrahami aries: non erant illi mollia & ſpecioſa, ut multis videntur, ſacræ dignitatis inſignia; ſed dura & horrida, ideóque ex quo ea induerat, aiebat ſe *à Domino velut in incude & malleo ſemper dilatatum.*

Et hic fuit ſenſus eorum omnium, qui de humana pompa, ac triumphis ex vero bonóque & ſentire, & loqui voluerunt, docueruntque quà verbo, quà etiam exemplo eos omni ratione declinare.

Ii fuerunt Præſules propè omnes in primitivâ Ec- *Aliique inviti ad honores.*
cleſiâ: appello D. Auguſtini teſtimonium: *Multi*, *Epiſt. 204.*
inquit, *ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt*,

nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni. Nimirum eò loci ac temporis vigebat ea lex ab Apoſtolo ſcripta: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*: qui vocatur, inquit, non qui ambit, non qui rogat: nam *Qui rogat pro ſe, jam judicatus eſt*, inquit Bernardus: Quare inquies judicatus? Quia ſua voluntate, ſtultâque ambitione ad *honores Eccleſiaſticos pervolat*; ſibique, ut ait idem S. Doctor, *applaudit ſanctitatem, veſtis duntaxat mutatione, non mentis*, Quales, proh dolor! multi ſunt hoc quo vivimus ævo: inſinuant illi ſeſe in Principum aulas, & gratiam eorum aucupari conantur, ut ſi pinguis vacet Epiſcopatus, in eum involent: non involarent porrò ſi omnes Reges ac Principes eo forent animo, quo fuit olim Philippus ſecundus Hiſpaniarum Rex, inclytæ profectò memoriæ.

Ad Hebr. c. 5. v. 4

Hom. 4. in Miſſ.

Deſignarat ille cujuſdam loci Epiſcopum, jamque Secretario dederat in mandatis, ut litteras expediret, mitteretque citato nuntio ad eum, quem ad id muneris nominarat, ut ex iis noſſet ſibi à Rege id impoſitum oneris ac dignitatis: cui cùm adjeciſſet Secretarius: haud opus eſſe tabellario, qui regia mandata deferret; quod qui Epiſcopus renuntiabatur à curia non abeſſet. Hæc ubi Rex audiit: chartam, cui inſcripta erat electio, ſuâ manu diſcidit: adjiciens illud dignum Catholico Rege: *Numquam mea mentis fuerit, eum in Præſulem deſignare, qui curiæ adſit.*

Velaſq. in Epiſt. ad Philip. c. 2. v. 6. Annot. 1.

Si qui erant ad id muneris aliquando tandem aſſumendi, eos volebat Rex pius tam procul eſſe ab aula, quàm ab ambitione; neque ab hac remotum eſſe poſſe credebat, qui etiam ab illa longiùs non abiiſſet: & jure ſanè meritiſſimo: quid enim Clerico cum aulâ & aulicorum manu? Eſt illa ſchola vanitatis, ſcena gloriolæ, & theatrum ſtultæ ambitionis, à qua quàm longiſſimè diſcedere debet, qui ad ſacras Infulas velit accedere: non diſcedet autem, niſi etiam à curia diſcedat; quia ut optimè S. Auguſtinus: *Clericum curiam frequentantem, qui non ſit de curiâ, ad idem novero pertinere ambientium genus.*

QUÆSTIO SEXTA MORALIS.

Ad illa verba: *Hoſanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini.* verſ. 9.

QUAM INFIDELIS, FLUXA, & momentanea ſæculi gloria?

Mundi gloria inconſtans.

Serm. 2. in die Palmarum.

DIvus Bernardus in concione, quam habuit in die Palmarum, hanc injicit quæſtionem, Cur Servator Optimus *Proceſſionem habere voluerit, qui mox futuram noverat Paſſionem?* Huic interrogationi ut ſaciat ſatis, varias affert rationes, quas inter hæc prima: *Ut amarior eſſet Paſſio, quam proceſſio præceſſiſſet: ab eodem enim populo, in eodem loco, & ipſo tempore pauciſſimis diebus interpoſitis, primò cum tanto triumpho ſuſceptus, poſtea crucifixus eſt.*

Hæc ubi paucis annotavit S. Doctor, tum altiore cothurno inſurgens exclamat:

O quàm diſſimile eſt Tolle, tolle, crucifige eum; & Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis. Quàm diſſimile Rex Iſraël, & Non habemus Regem niſi Cæſarem. Quàm diſſimiles rami virentes, & crux: flores, & ſpinæ.

Verè nimium quantum diſſimiles: ſed quid facias? Is mundi genius eſt; ea ratio gloriæ hujus ævi mortalis: quam etiam paucis explicat D. Bernardus: *Ut videat*, inquit, *ſæcularis anima, videat & intelligat quoniam extrema gaudii luctus occupat: hic nimirum eſt tranſitoriæ finis lætitia, hic fructus gloriæ temporalis?* quem quia vident omnes, & intelligunt omnino pauci, provido ſanè conſilio ſtatuit bona Mater Eccleſia, ut in die Palmarum proceſſio adderetur Paſſioni, ut *diſceremus in nullâ lætitiâ hujus ſæculi habere fiduciam*: & verò qui habere poſſemus, cùm infidelis ſit, fluxa, & nullo unquam die, loco, pedéque conſiſtens? Quod quia ad vitam rectè inſtituendam magni eſt momenti, fuſiùs hac quæſtione id explicandum mihi propoſui. Ut humanæ gloriolæ ſeu brevitatem, ſeu etiam vanitatem oſtendant ſacræ paginæ, varias in medium adducunt ſimilitudines.

Serm. 1.

Cap. 20. v. 5.

Unâ eam componit cum puncto: *Gaudium hypocritæ adinſtar puncti*, inquiebat olim ſapiens Jobus multâ doctus experientiâ. Verè inſtar puncti, ſeu illud eſſe voles inſtans, & punctum temporis, ſeu etiam indiviſibile mathematicum; tam hoc quàm illo modo omne gaudium, omnis gloria, plauſuſque hujus ſæculi punctum eſt; & quidem primò mathematicum: *In puncto*, inquit D. Gregorius, *ſtylus mox ut ponitur, levatur. Sic hypocrita præſentis vitæ gaudia cùm tangit, amittit.* Rectè *cùm tangit*, & quidem in puncto; neque enim voluptatem illam, ſenſúmque, qui petitur à gaudio gloriâque hujus mundi, ducere poteſt in longam circumferentiam: ſed tantùm in puncto tangere, & mox amittere. Globus ſi planum tangat, tangit in puncto, ut docent Mathematici: ſic & hujus ævi laus ac fœlicitas (quia ut Orbis ipſe) globoſa eſt: vitæ planum non tangit, niſi in puncto; non mathematico tantùm, ſed, quod ampliùs eſt, etiam temporis.

Puncto ſimilis.

In Iob c. 20. v. 5.

Bonorum hujus ſæculi ea eſt brevitas, ut numquam præſentia conſpiciantur: ſed tota eorum eſſentia ſit inter fuit & erit, quod diſertè advertit D. Auguſtinus, in ea Pſalmiſtæ verba: *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum.*

Pſ. 9. v. 11.

Ne ſperent, inquit, *in rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, non habentes niſi erit & fuit; quoniam quod in illis futurum eſt, cùm venerit, fit ſtatim præteritum; & expectatur cum cupidine, amittitur autem cum dolore.*

Momentanea.

Huic fœlicitati ſuſpenſæ inter fuit & erit aptari poteſt, quod neſcio quis hujus mundi triſor cecinit:

Hic fuit, hic fecit, pugnavit, vicit, amavit,
Compoſuit libros, gentes, populóſque ſubegit.
Dic age quid mihi cum fuit, aut erit? eſt valet unum
Plus quàm mille fuit.

Neque verò tantùm momentanea eſt ea fœlicitas, quæ ad privatum quemque ſpectat; ſed etiam ea, quæ Rempublicam atque imperia: Senecam audi:

Epiſt. 91.

Longam moram, inquit, *dedit malis properantibus, qui diem dixit, horam, momentúmque temporis evertendis imperiis ſufficere:* ideóque nemo humanæ fœlicitati pompæ-

pompæque confidat, nemo etiam illius, ut videtur, tranquillitati:

Epiſt. 4. *Quia momento mare vertitur, eademq; die ubi luſerint navigia, ſorbentur*: quod infido mari, hoc mundo: puncto temporis abſorbet ille, quos uno

Etiam Regnorum. puncto extulit. Fidem appello verbáque Prophetæ Regis:

Pſal. 36. v. 35. *Vidi*, inquiebat, *impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani. Et tranſivi, & ecce non erat; & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.*

Tranſivi, & ecce non erat: ac ſi diceret, inquit Agellius; *non ſteti, & nihil moræ interceſſit, niſi dum illam arborem tranſirem, tantum temporis ſpatii interceſſit, quoad ego tranſirem, & ecce non erat: ita ut pœnè in ipſo momento tranſitus mei tanta firmitas & pulchritudo periret.*

Etiam Regum. Eſt Cedrus Principis alicujus Regiſque ſymbolum; ſed impii: qui licèt inſtar illius firmas jeciſſe radices videatur, & ſuperbo vertice ramos in altum extuliſſe; momento tamen evertitur ac concidit, adeò ut ne illius quidem ſuperſit veſtigium.

Vapori fumóque ſimilis. Venio ad aliam ſimilitudinem, quâ etiam utuntur ſacræ paginæ: ex ſæculi pompas comparant cum vapore levi, & inani fumo: ita Sapiens etiam ſuâ doctus experientiâ exclamavit:

Eccl. c. 6. v. 1. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Græcè habetur ἀτμὸς ἀτμῶν, *vapor vaporum, & omnia vapor; quod nos poſſumus vaporem fumi, & auram tenuem, quæ citò reſolvitur, appellare*, inquit D. Hieronymus.

Meritò ſanè omnia, quæ ſub cœlo magna, læta, ſplendida videntur, vapor ſunt, & aura tenuis, vel ut habet Hebræa vox *Hebel*, id eſt *Halitus oris*, pro quo Septuaginta verterunt *Vanitas*: quia verè *Halitus oris* inanis eſt ac vanus, & eum tenere velle ſumma vanitas: mox enim ut emiſſus fuerit, evolat atque diſſipatur. *Sic nulla res longa mortalium eſt, omnisq; fœlicitas ſæculi dum tenetur, amittitur.*

Rectè dum tenetur; vix cum vel levi flatu tenentis manum attingit, & ſtatim effluit. Quod ipſum natura duce ac ratione magiſtra didicit Seneca, cujus hoc effatum: *Fragilis, & caduca fœlicitas eſt,*

Lib. 2. de Controv. c. 1. *& omnis fortunæ blandientis cum periculo nitor*: rationem ejus ſi voles, hanc ſubjicit: *Quia & ſine causâ ſæpè fluit, & ſine ratione deſtituit.* Hæc ubi dixit, ad ſuam ipſius experientiam appellat.

Vidi ego, inquit, *magni exercitus ducem ſine comite fugientem, vidi ambitioſa turbâ clientum limina deſerta ſub Domino rectore venalia.*

Ita nimirum & venalis favor hominum, imo & venales animæ Dominos mutare paratæ; quod & in Servatore ſpectatum olim, qui ab eâdem turbâ primùm audit lætum illud ac ſolemne, *Hoſanna*; ac deinde triſte, ac funeſtum iſtud, *Tolle, tolle, crucifige.*

Similis roſæ. Alia ſimilitudo quæ fluxam mortalium gloriam explicat, eſt roſa, illius utique ſymbolum. Teſtes habeo ſtultorum voces apud Sapientem: *Coronemus,* inquiunt, *nos roſis, antequam marceſcant, non pertranſeat nos flos temporis.* Biblia Complutenſis Græcè pro Sap. c. 2. v. 8.

roſis ſubſtituunt vocem κάλυξ, quam Hieronymus ſic explicat, ut idem ſit ac *Tumens roſa, necdum foliis dilatatis*: ſicque exponendum erit: *Coronemus nos calycibus roſarum, ſive clauſâ tumentéque roſâ.*

Sed cur, inquies, clauſa roſa? Cur non potiùs aperta atque explicata? Hîc ſubeſt arcana ratio, quæ docet eum eſſe fluxum ſæcularium bonorum, humanæque fœlicitatis, ut eâ coronari qui volet, neceſſe ſit ut non expectet dum ea ſeſe explicet in flores, effundat in fructus; ſed dum adhuc in calyculis latet, præproperâ manu decerpat: ut ſcilicet, decerpi ſolent roſæ. Et jure ſanè meritiſſimo, quia ut rectè Seneca: *Citò nos omnis voluptas relinquit,* In Conſolat. Polybium. c. 29.

quæ fluit, & tranſit, & pœnè antequam veniat, aufertur.

Quarta ſimilitudo petitur à flumine, quod perenni, citatóque curſu labitur: uti & omnis hujus vitæ gloria, quam proinde dum ſedens & pacatus Similis flumini.

ſpectat animus, exclamare poteſt cum Hebræis exulibus: *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus*: in quæ verba D. Hilarius, *Flent omnes*, inquit, Pſal. 137. v. 1.

qui ſe captos in Babylone ſentiunt, & ſedent ſuper flumina. Omnia enim ſæculi & corporum bona inſtar fluvii ſine ad quid curſus ſui ſtatione præterfluunt, & tranſeunt.

Quod ſi fluantilla, ac pœnè momento tranſeant, næ infœlix eſt ille, qui in iis ſpes ſuas, affectúſque poſuerit, ac non potiùs in eo, quod expers eſt fluxus, quod ſtabile ac perenne, quale ſolus Deus, qui unus poſſidet illud, quod nec habet *fuit*, nec *erit* Ideóque non quærenda.

ſed immobile, & æternum *eſt*, quale ſtudioſiùs ambiebat David, dum hæc ad Deum ſuum.

Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum Pſal. 38.

dierum meorum qui eſt.

Numerum, inquit Auguſtinus, *qui eſt: quid ergo, iſte numerus in quo tu es non eſt? Planè ſi attendam benè, non eſt, ſi hæream, quaſi eſt; ſi tranſiliam, non eſt. quæro numerum dierum qui eſt, non iſtum qui non eſt. Eſt illud ſimplex quæro, eſt verum quæro, eſt germanum quæro, eſt quod eſt in illa Ieruſalem ſponsâ Domini mei, ubi non erit mors, non erit defectus, non erit dies tranſiens, ſed manens. Hunc inquam numerum dierum meorum, qui eſt, notum mihi fac, ut ſciam quid deſit mihi: hoc enim mihi deeſt hîc laboranti, & quamdiu mihi deeſt, non me dico perfectum.*

Hactenus Auguſtinus, ex quo conficies, mi Lector, primùm impensè, & unicè quærendum numerum dierum, *qui eſt*; hoc eſt æternitatis. Sed ſtabilis, & æterna.

Deinde contemnendum omninò numerum dierum, qui *non eſt*, id eſt hujus ævi mortalis, & caduci. Denique non eſſe cur tibi mundus, ejúſque pompæ in pretio ſint atque amoribus; ideóque audiendus tibi D. Anſelmus: *Nolite*, inquiebat magnus ille Præſul, *conſtanter mundum diligere, quando ipſe qui diligitur non poteſt conſtare: incaſſum cor, quaſi manenter, figitis, dum fugit ipſe quem amatis.*

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA RESURRECTIONIS.

DIXIT olim Plinius & rectè: *Cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hic uno modo creſcere poteſt, ſi ſe ſubmittat.* Ita creſcere potuit; & certè etiam crevit JESUS. ſubmiſit ille ſeſe: Primùm è cœlo in ſinum Virginis: deinde è Cruce in ſepulchrum, cui inſtratum jacuit, atque abjectum exanime corpus. At aſſurrexit, & eò quidem altiùs, quò latuerat profundiùs inſepultum. Quod vel maximè patebit ex ipſa hiſtoriæ ſerie, quàm hic paucis explicabimus: ubi tamen priùs *Ad Traian. Aug.*

EX D. THOMA.

Matth. 24. AD illa Angeli verba: *IESUM quæritis Nazarenum, non eſt hic*, quinque hîc notantur:

Serm. 2. I. *Infinita IESV Chriſti bonitas*: hæc inſinuatur unicâ voculâ, *IESVM*; eſt enim JESUS Salvator, quod infinitæ fuit bonitatis. Salvavit enim nos. *Coloſ. 2.* 1. A dæmonibus, *expolians principatus & poteſtates*, *1. Cor 15.* ſcilicet infernales. 2. Salvavit à morte, quam debellavit. *Abſorta eſt mors in victoria.* 3. Salvavit *Pſal. 106.* nos de inferno, cujus *contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit.*

II. *Specioſitas reſurgentis*; & ea notatur, iſta voce, *Nazarenus*, id eſt *floridus*. fuit autem JESUS totus floridus, quia *circumdatus roſis, id eſt guttis ſanguinis; ornatus violis, id eſt, livoribus vulneris; vallatus liliis, id eſt, ſplendoribus glorificati corporis.*

III. *Charitas reſurgentis*: hæc explicatur unicâ voculâ, *Crucifixum*: qui hanc probè novit, novit etiam *Epheſ. 3.* *ſcire ſupereminentem ſcientia charitatem Chriſti*, quæ crucis mortem elegit. 1. Ut ex alto pateret ejus mors. 2. Ut à fructu arboris mors; ſic & vita. 3. Ut qui à ligno vicerat dæmon; ita & vinceretur.

IV. *Præſentis diei feſtivitas*; ea patet in verbulo *reſurrexit*: hunc enim diem ſolemnem fecêre tria. 1. *Matth. 28.* *Cœlum. Angelum demittendo. Angelus* quippe *Domini deſcendit de Cœlo.* 2. *Terra, præ gaudio exultanda. Ecce* enim *terræ motus factus eſt magnus.* 3. *Infernus, mor-* *Matth. 27.* *tuos reſtituendo*: nam *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.*

V. *Mulierum charitas*: hæc indicatur in verbo *Quæritis.* quæritur autem JESUS tripliciter, 1. *Fide*, ut primum verum. 2. *Spe*, ut bonum noſtrum. 3. *Charitate*, ut in ſe bonum, & ſummum quidem.

Tranſco ad aliam ejuſdem Angelici Doctoris concionem: In ea inhæret illis Eccleſiæ verbis: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*: & ait hæc dies

I. Eſt *admirabilis*, & verò *admirabilem Cœli prædicant, terra demonſtrat, inferi clamant: Cœli, Angelos tranſ-* *Serm. in feſto Paſch.* *mittendo: Terra, contremiſcendo: inferi, mortuos reſtituendo.*

Verè *admirabilis hæc dies, quia in ea mors ſuperatur, vita reparatur, aditus æternitatis reſeratur.*

II. *Deſiderabilis*, & quidem 1. *A Cœlis, ut reparentur.* 2. *A Terris, ut illuminentur.* 3. *A mortuis, ut ſuſcitentur. Cœli reparantur, quia ſurrexit qui cœli ruinas reparat. Terra illuminatur a Chriſto luce gloriæ; ab Angelo claritatis illius luce, ac ſplendore; à Maria radiis lætitiæ.*

Mortui ſuſcitantur, quia *Chriſtus ſurrexit à mortuis,* *1. Cor. 15.* *primitiæ dormientium*; & cum eo ſpe omnes, aliqui re etiam ipſa.

Hinc meritò illa ipſa die *lætemur intus in anima, exultemus extra in corpore.*

Lætemur intus tripliciter. 1. Chriſto reſurgenti congaudendo. 2. A morte cum eo reſurgendo. 3. In ſpe noſtra reſurrectionis hodie inchoata jubilando.

Exultemus etiam extrà tripliciter. 1. In novitate vitæ ad morum honeſtatem ambulando. 2. Diem feſtum celebrando. 3. Chriſto reſurgenti laudes decantando. Neque enim fas eſt in hoc die ſileat à divinis laudibus lingua, in qua caro reſurrexit Authoris, inquit D. Gregorius.

EX D. BONAVENTURA.

Ioan. c. 11. INSISTIT ille his Chriſti verbis: *Ego ſum reſurrectio, & vita*; atque: *Chriſtus* JESUS *vir-* *In Reſurr. Dom. ſer. 6.* *tute Divinitatis, & merito Humanitatis eſt reſurrectio ſua, & aliorum; ſua quidem corporalis, fidelium ſpiritualis, omnium generalis*; ſicque triplicem habes à Chriſto reſurrectionem.

I. *Corporalis* ipſiuſmet Chriſti; de hac ſic olim ipſe *Ioan. c. 2.* ad Judæos: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*

II. *Fidelium ſpiritualis*, de hac ita quondam pius ſenex ore præſago: *Ecce hic poſitus eſt in reſurrectionem* *Luc. c. 2.* *multorum in Iſraël, in reſurrectionem à morte culpæ.* Ut hæc perfecta ſit, ſuiſque numeris abſoluta, exemplo Salvatoris.

Marc. 6. I. Sit *matutinalis*; ſurrexit enim JESUS *manè: ſic tu non ſerò; ſed manè reſurge à peccatis, nec tardes cōverti ad Dnm.* *Eccl. c. 5.*

II. Sit *integralis*: *Chriſtus neque manum, neque pedem reliquit in ſepulchro: ſic tu à peccatis totus reſurgas.* Qui enim *adhuc manus operum, vel pedes affectuum mortuos habet, vel qui converſus, injuſta bona, vel odium, vel aliud vitium non reliquit, nondum reſurrexit.* Si quem aliquando Salvator Optimus evocavit è morborum, id eſt vitiorum ſepulchro, totum evocavit: ita *totum hominem ſanum fecit in ſabbatho*, & *nunquam Dominus aliquem ſanavit quem omninò non liberavit*, in- *Ioan. 7.* quit D. Auguſtinus.

III. Sit *ſocialis*, hoc eſt, ſocium habeat, & conſortem ejuſdem boni, id eſt ſpiritualis reſurrectionis. Certè cùm à mortuis ſurrexit Chriſtus, ſimul etiam *multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerũt.* *Matth. 27.*

Indormiſti aliquando, ô peccatrix anima, imò & peccatis, praviſque conſuetudinibus profundùm inſepulta fuiſti: age, reſurge, non tamen ſola; ſed *ſocios culpæ tecum trahe ad vitam. Rape ad Deum quot potes, & dic eis tunc, amemus*, inquiebat olim Auguſtinus.

Rom. c. 6. IV. Sit *Immortalis*, exemplo ſcilicet ipſius Servatoris, qui *reſurgens ex mortuis jam non moritur: ſic & tu perſeveranter reſurgas in converſione, ut de cætero non moriaris in tranſgreſſione*; ut poſſis ex vero uſurpare illud Davidis: *Non moriar, ſed vivam.* Et hæc paucis dicta ſint de quatuor conditionibus reſurrectionis ſpiritualis.

III. *Reſurrectio* eſt *omnium*, adeóque *generalis*: & illa quoque habetur beneficio gratiáque Salvatoris: *Sicuti* enim *per hominem mors; ita & per hominem mortuorum reſurrectio*: ſed ea in aliis, atque aliis alia quoque erit & alia: nimirum reſurgent homines. 1 Cor. 15.

I. *Univerſaliter; omnes enim reſurgemus.* Apoc. 20.

II. *Diſſimiliter*, quia *non omnes immutabimur*, ſcilicet *per gloriam reſurrectionis. Procedent* enim *qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in reſurrectionem judicii.* Ioan. 5.

III. *Celeriter*, quia *in momento, in ictu oculi.*

IV. *Integraliter*, quia *ſine diminutione membrorum integri.*

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Surrexit, non eſt hic.* Marc. c. 16. v. 6.

QUÆ SINT ILLUSTRIORES DOMINICÆ Reſurrectionis circumſtantiæ?

Circumſtantia: I. Tempus.

CIRCUMSTANTIÆ ad hiſtoriæ fidem attinent: cauſæ verò ad mores ritè efformandos ſpectant. Inter illas, prima eſt *tempus*. Fuit hoc una, id eſt, prima Sabbathorum: ita *poſt triſtia Sabbatha, fœlix irradiat dies*, quæ ut in aperto ſit & clara luce, advertendum erit Judæos ad Sabbathi æſtimationem omnes hebdomadæ dies ab illo nominándos cenſuiſſe: ſic enim eam in ſuos dies deſcripsêre. Prima Sabbathi, ſecunda Sabbathi, tertia Sabbathi, quarta Sabbathi, quinta Sabbathi, ſexta Sabbathi, denique & Sabbathum. Ut ſcilicet in reliquos ſeptimanæ dies aliqua Sabbathi reverentia derivaretur. Igitur ut ad rem propiùs: dies, quæ JESUM reſurgentem aſpexit, fuit prima poſt Sabbathum (hoc eſt ea, quæ nobis à Domino Dominica dicitur.)

Sed. apud D. Hier.

Quæ naſcenti mundo prima fuit, Dominica fuit: in ea fluxit è nihilo terræ moles, circumfuſa illi maria, expanſus æther, & immenſæ cœlorum orbitæ circumjectæ. In ea auditæ illæ Conditoris voces: *Fiat lux, & facta eſt.* Magna quidem ſunt iſta: at longè inferiora iis, quæ vidit, quævè tulit dies Chriſti reſurgentis; in hac enim reparatus Orbis, qui ſcelerum eluvie perierat, in hac terra nova, & cœli novi; in hac amœnior, & divina quædam gratiæ lux, in hac denique coronis impoſita aureo illi ſæculo, de quo diſertè Venerabilis Beda.

Aurea ſunt hæc verè ſæcula, quibus Pater mundi miſertus eſt, Filius mundo oblatus eſt, Spiritus Sanctus mundo infuſus eſt. Mors extincta, vita reddita, juſtitia reparata, reſurrectio præparata.

II Sub Auroram.

Altera circumſtantia, fuit ipſa diei portio; primum ſcilicet *mane*, & ſurgens aurora; ſic enim futurum adpromiſerat olim magni Proavi voce, calamóque: *Exurgam diluculo*, è tumuli latebris, & obſcura ſepulchri nocte exurgam, & luci reddar nunquam interituræ.

Cauſas ſi voles tam maturæ, & tempeſtivæ reſurrectionis.

3 Part. q. 53. art. 2.

Unam audies à D. Thoma Doctore Angelico: Ut jam inde nos invitaret ad lucem gratiæ, & gloriæ lumen. Alteram à D. Leone: *Ne turbatos diſcipulorum animos longa mœſtitudo cruciaret.*

Serm. 2. de Reſur.

Tertiam ad mores dabit, & uſuram vitæ melioris, quam non patitur differri in ſeros annos, nec ad brevis ævi meridiem, nedum in ejus veſperam, occaſúmque rejici. Nimirum auroram amant ſuperi, primámque lucem pœnitenos animæ.

Alia circumſtantia, quæ Chriſti reſurgentis amores explicat, eſt *dies tertia*: tantùm enim in alta terræ nocte jacere voluit; tum ut veritas figuræ reſponderet; tum ut ſua dato priùs vaticinio fides eſſet: Iudæis enim ſignum petentibus adjecerat: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; tum etiam ut eo temporis intervallo mors probata foret; tum ut initium daret ætati tertiæ. Prima quippe fluxit ante legem, ſecunda ſub lege, tertia ſub gratia Mediatoris. Prima ſub figuris legis, altera ſub veritate fidei, poſtrema in æternitate gloriæ, quam Chriſtus reſurgens aperuit; tum denique ut miſerationi, amoríque ſuo locum daret, idque quàm citiſſimè: ſua enim huic, & ſancta quidem eſt impatientia, à qua geſtit, quàm primùm poteſt, facere quàm optimè. Ita dies tres in ſepulchro latuit, non tamen integros; ſed primæ ac tertiæ lucis, tantum eſt portio data, eáque amanti plus ſatis.

III. Dies tertia.

Ioan. c. 2. v. 19.

D. Thom. ſuprà.

Et hæc ad tempus reſurrectionis attinent: ad locum iſtud, quod terra, quæ corpus excepit, ac reddidit, virgo fuerit.

Fuit illud majoribus noſtris in primis curis, ut tumuli *locus virgo foret*: hoc eſt nullo alio cadavere pollutus atque contaminatus. Ita (ut cæteros taceam) *Marcus Aurelius Domitianus emit, & comparavit locum virginem à ſolo.* Et is quoque Chriſto datus, & jure quàm optimo, ut qui nova, munda; virginea amaret omnia: ita naſcenti Virginis uterus quaſi pro tumulo fuit, & morienti terra virgo ſepulchrum aperuit, cui non potuit adjici funeſta illa, & ſolemnis mortalibus Epigraphe: *Hic jacet.* IV. Locus.

Sed viva ac ſpirans iſta: *Non eſt hic.*

Aliorum ſepulchris, fuerint illi Reges, Cæſares, & fulmina belli, aſcribitur vulgatum iſtud: *Aſta viator. Hic jacet* exiguus cinis, hic triſtes exuviæ, hic exanime cadaver humili inſtratum eſt ſolo. At Chriſti tumulo appendi potuit, ac debuit hæc Epigraphe: *Non eſt hic.* Qui enim hic eſſet? Eſt vita; quid vitæ cum morte commune eſt? Eſt lux aurea, imò & cœleſtis ac divina; quid illi cum tenebris, & ferali ac funeſta ſepulchri nocte? Eſt vigil, & gregis ſui cuſtos benè oculatus; quid illi cum ſomno mortis? Excutere illum debuit, & ne vivum inter mortuos ultra quæreres, Viator, adjici hæc inſcriptio: *Non eſt hic.* Illum alibi quære: *Non eſt hic.*

Accedit

V. Sepulchrum illæſum.

Accedit & aliud prodigium, quod ſenſit quodammodo ſtupuitque vel ipſe ſepulchro impoſitus lapis, quod eo ſcilicet illæſo, infractóque exceſſerit Chriſti corpus, & luci redditum ſit. Cùm in cruce penderet ſacrum illud pondus, cùm in ea animam ageret, exhalarétque Deus homo, rupes ipſa neſcia tantum ferre nefas diſſiliit: diceres ipſa marmora duritiei ſuæ quaſi oblita, inter ſe conſpiraſſe, & in partes abiiſſe, ne lapis eſſet vel unus, qui emortuum JESU corpus obtegeret. Et ita factum olim exiſtimavit Hilarius, cujus hoc effatum:

L. 9 de Trinit.

Nunquid portionem ſuam rupes & ſaxa ſenſerunt? Rupta diſſiliunt, naturam ſuam perdunt, cæſámque ex ſe arcam incontinentem condendi corporis confitentur. Crederes vereri, horreréque ultimum illud, quod defuncto JESU, debebatur officium. Quod tamen dedit è ſaxis unum aliquod vel eo ipſo cæteris fortunatum magis, quòd & Chriſti corpus exceperit, & reddiderit non ſine inſigni miraculo, quo corpori ſacro pervia ſaxa, pervius prægrandis ſepulchri lapis, eo ferè modo, quo ſolis radiis pervia cryſtalli glacies, nitórque. Et hoc beneficium fuit illius dotis, quam Theologi appellant ſubtilitatem, & quæ ſacro Chriſti corpori tum temporis affuſa.

De hac, ejúsque vi diviniore dum tacitus apud ſe cogitat Rupertus, hoc illi miraculum.

Rupertus in Exod. l. 2. c. 10.

Leodii tum degebat in D. Laurentii monachus; religioſæ diſciplinæ in paucis retinens, & D. Virginis amantior; cùm illi in ipſo Paſchatis feſto, derepentè exiliit è corpore lorum cinguli, ligatura integra, intactáque. Fortè eò loci, ac temporis meditabatur ecquonam pacto, Chriſtus reſurgens ex clauſo tumuli marmore, prodire potuiſſet, eo manente innoxio, & tum vox illi de cœlo allapſa, quæ myſterium revelavit hoc verſiculo:

Sic potuit clauſo Chriſtus prodire ſepulchro.

Uti nimirum lorum cinguli integra ligatura. Et ſic illo prodigio, & Ruperto, & aliis tanti myſterii firmata fides.

VI. Terræ motus.

Sed & aliud fuit quod Chriſto reſurgenti additum eſt miraculum; ſcilicet ingens terræ motus.

Ubi ſubtilis aliqua ignéaque exhalatio cavis terræ viſceribus clauſa eſt, impatiens ea teneri, illius latera valido niſu quatit, & ſubinde etiam vi erumpit, telluris molem diſrumpens non ſine inſigni fragore, metúque mortalium.

Et hoc eſt naturæ molimen, ignisque latentis eruptio. At in Chriſto ſupra naturam fuit quiſquis tum fuit telluris motus. Nimirum ad paucos dies in limbo latuerat, ceu obſcura ſpecu, ceu ſibi indebita ſtatione: ex illa erumpit, proditque in auras inferni victor, & inde hìc concutitur, ac tremit, quaſi de elata præda ingemiſcens. Et hæc prima ratio.

Cap. 3.

Alteram affert Euthymius, *ut cuſtodes timore dejecti fugerent, & hæc Iudæis nuntiarent, ac teſtes fierent veritatis.*

In hos cadere potuit illud Prophetæ Nahum vaticinium: *Cuſtodes tui quaſi Locuſtæ in die frigoris: Sol ortus eſt, & avolarunt.*

Dies frigoris dies fuit ſepulturæ, qua gelidum corpus in frigida jacuit abjectum humo, uſque dum anima ei rurſum immiſſa (ceu Sol Oriens) & frigus excuſſit, & gelidam noctem: diémque fecit amœniorem, ad primos cujus radios illicò cuſtodes (ceu Locuſtæ) avolaverunt.

Fuit deinde is terræ motus veluti prænuntius illius, quæ tum è tumulo ſurgebat majeſtatis, cui reverentes faceret mortalium animos. Fuit denique index Angeli è Cœlo deſcendentis, ut rectè notavit Evangeliſta:

Terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de Cœlo. Habent nimirum illud præcelſæ iſtæ mentes: ſi quando ut tempori, & ſcenæ ſerviant, corpus aſſumant, in eo amabilem quendam ſui horrorem incutiunt ac venerationem: & hunc conciliare potuit, ac debuit excitatus eò loci terræ motus, à quo ubi conquievit illa, Angelus ſubeuntibus monumentum ſeſe videndum exhibuit. Fuit ille Juvenis, & quidem in dextris ſedens, & opertus ſtola candida.

VII Angelus juvenis ſpecie.

Cur, inquies, Juvenis habitum, & ætatem aſſumit cœleſtis ille genius? Cur non potiùs annoſi ſenis? Reſpondet Severus: *Vident juvenem, ut cernerent noſtræ reſurrectionis ætatem.* In eo quippe velut emblemate quodam expreſſa eſt ætas, qua de terra aſſurget pulvis, qua cœlo dabitur. Erit illa juvenilis, & quaſi primus vitæ floſculus, & ſi voles etiam ævi robur, quale in juvene eſſe ſolet.

Severus.

Sed cur in dextris ſedet? Neque hoc vacat myſterio: *Quia* ſcilicet *reſurrectio recipit nil ſiniſtrum*, nil malè ominatum, nil inglorium, quale plerumque portendit ſiniſtra: uti è contrario, dextra, ſplendida, fortunata, amantia omnia pollicetur.

Idem.

Cur denique in ſtola candida? In aperto eſt ratio, quia candor lætitiæ ſymbolum, & puræ ac defæcatæ voluptatis: ille porrò candor, illa ſtola, *non ex mortali vellere; ſed ex virtute vitali: ſplendens cœleſti lumine, non colore terreno:* hic enim mortalibus, ac luteis hominibus relinquitur; illud ſervatur immortalibus, vel ipſo teſte Propheta Regio, qui hæc olim de uno illorum: *Amictus lumine ſicut veſtimento.* Sed quid ad mulieres bonus ille genius? *Nolite*, inquit, *expaveſcere*, nolite timere vos.

Idem.

Pſal. 103.

Timeant cuſtodes impii, timeat nefanda turba, cui vel ipſe ſolus aſpectus innocentiæ, ac ſanctitatis terribilis eſt. Ita quondam Moyſis aſpectus Pharaoni terribilis fuit: *Et hæc fuit potentia ſanctitatis*, inquit Ambroſius. Quo judice, *malis ſemper terror tanquam malus exactor occurrit.* Et ita in præſens occurrit cuſtodibus, non autem mulieribus: quia ut rectè D. Anſelmus: *Timor non eſt in caritate*, qua plenæ erant bonæ illæ mentes, & inde etiam metu vacuæ.

Serm. 2 in Pſal. 118.

VIII Reſurrectio mortuorum.

Venio ad poſtremum, quod Chriſto reſurgenti mirum quantum decus attulit, & miſeris mortalibus lætitiæ plurimum, ac ſinceræ voluptatis.

Fuit illud illuſtris ac numeroſus magnorum Heroum comitatus: nec enim ipſe ſolus vitæ redditus ac luci; ſed & ſanctorum quamplurimi, qui è ſepulchris redivivi prodiere: *Nam & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Hæc ſacer Hiſtoricus.

Matth. c. 27. v. 52. 53.

Ex quo diſces ſtatim à morte Chriſti, vi quadam altiore, ac divina patuiſſe ſepulchra plurimorum; non tamen inde emerſiſſe, nec vita donatos, niſi cùm è ſepulchro emerſit ipſe Chriſtus, & immortalitate donatus eſt. Ut enim primogenitus erat mortuorum; ita & primitiæ reſurgentium. Et priùs immortalis vitæ uſura danda erat capiti; deinde & membris.

Qui autem ſint illi, qui favente cœlo venerunt in ſortem beatæ iſtius reſurrectionis? Alta nox, in qua ſi quid affulgere poteſt lucis ex Authorum fide, ac ſententia, hæc accipe.

Hos reſurrexiſſe, qui Chriſto magis juncti vel ſanguine, vel fide, vel alia quavis ratione: ex qua ſpeciatim illud conficiunt authores non ignobiles.

Quinam illi?

Primùm, excitatos à mortuis Adamum, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Melchiſedec, Davidem, Meſſiæ magni progenitores, quos terra promiſſionis cepit, ut promiſſo Meſſiæ redivivos aliquando redderet. Eò quippe illam adamarunt impenſiùs, & tot votis in ea ſibi ſepulchrum delegerunt, in quo molliter cubarent oſſa, & magnarum mentium exuviæ, dum adeſſet ille, quem fide præconceperant, & quem deinde è ſuo ſemine erant progenituri.

Deinde vitæ beatioris ac reſurrectionis comes fuit Job & Jonas. Ille Chriſti patientis typus; hic reſurgentis.

Tum etiam Moyſes, Joſuë, Samuel, Iſaias, Jeremias, Ezechiel, aliique Prophetæ, qui Deo homini ſuis vaticiniis longè ante præluſerant.

Hi, inquam, omnes è longa ſepulchri nocte in lucem ac vitam evocati. Et hæc data viris illis ſors optima. An etiam & fœminis? In occulto eſt. Scriptura ſilentio dum premit, tacitè negat. Negant, & ſcripturæ interpretes plerique omnes: quia decuit ut ſicut viros inter, Chriſtus reſurgentium primogenitus fuit: ſic & Virgo Mater inter fœminas eſſet primogenita: hoc ejus honori ac gloriæ ſervatum privilegium. Sunt tamen, qui velint ſaltem Evam eò loci ac temporis ejuſdem beneficii conſortem fuiſſe, & unà cum conjuge tumulo ereptam, vitæque immortali aſſertam. Quod & ipſe facilè concesſerim, ne communi viventium matri id negatum fuiſſe videatur non ſine aliqua illius ſexus injuria.

Et hæc paucis dicta ſint de iis, quæ Domini reſurrectionem circumſtant & ornant. Ad alia gradum faciamus.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Veſpere autem Sabbathi.* Matth. c. 28. v. 1.
QUÆ SINT CIRCUMSTANTIÆ IN APPARITIONE facta Magdalenæ?

Circumſtantia

EX D. Chryſologo hìc adjiciam circumſtantias alias, quas D. Magdalena ad ſepulchrum properans, vel auribus hauſit, vel oculis: eæ quippe Dominicæ Reſurrectionis modum rationemque magis ac magis aperient. Ex illis autem

I. Prima eſt hæc: *Veſpere Sabbathi.* *Serò mulier currit ad veniam, quæ maturè cucurrit ad culpam: veſpere quærit Chriſtum, quæ in matutinis Adam ſe noverat perdidiſſe.* Serm. 74.

II. Secunda quæ *Luceſcit.* *Tenebreſcit veſper, non luceſcit:* qui ergo lucere dicitur? Nimirum *veſpera mater noctis parturit diem, mutat ordinem dum agnoſcit Authorem; radiat de novitate myſterium; anhelat Creatori ſervire, non tempori.*

III. Tertia, *Venit Maria,* quæ *de paradiſo perfidiam ſumpſerat, feſtinat fidem ſumere de ſepulchro: contendit rapere de morte vitam, quæ de vita rapuerat mortem.*

IV. Quarta, *Venit Maria, & altera Maria: venit ipſa: ſed altera; altera, ſed ipſa: ut mulier mutaretur vitâ, non nomine; virtute non ſexu: & fieret reſurrectionis nuntia, quæ internuncia & lapſus extiterat & ruinæ.*

V. Quinta *Videre ſepulchrum, ut quam deceperat arboris viſus, viſus repararet Sepulchri; & quam proſtraverat illecebroſus affectus, affectus ſalutaris attolleret.*

VI. Sexta, *Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Movetur Chaos, diſſiliunt ima terrarum, timet terra, montium tremunt pondera, Orbis fundamenta quatiuntur, & illo concuſſu multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Ita nimirum *corripitur Tartarus, ſiſtuntur inferna, addicitur mors, quæ in reos tendens incurrit in Judicem, dominata ſervis exarſit in Dominum, ſæviens in homines, proſilivit in Deum. Meritò ergo perit Lex Tartari, remota ſunt inferni jura, poteſtas mortis ablata eſt, & in pœnam temeritatis ſuæ cuſtavit mortuos Conditoris injuria; denique redduntur corpora, redintegratur homo, vita reparatur, & conſtat de venia jam totum, quia in authorem vitæ mortis eſt tranſgreſſa ſententia.*

Hæc ubi aureo eloquentiæ torrente fudit Divus Chryſologus, tum elabitur in vota, optàtque in ipſis mundi cunis, cùm ſcilicet peccavit Eva, peccavit Adam, exortum eo loco ac tempore ſimilem hunc terræ motum.

O ſi tunc, inquit, *vel levis turbo mortiferam arborem dejeciſſet; ô ſi nebula ſummis illius mulieris tenebraſſet aſpectum. O ſi tetra nubes lethalis pomi ſpeciem caligaſſet, ô ſi manus tangentis inconceſſa tremuiſſet, ô ſi peccati diem tenebraſſet nox injuſta, & lamenta mundi, & incrementa mortis, & Creatoris injuriam tunc tuliſſet: ſed vitiis ſemper ſerviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus verò auſtera & fortia ſunt amica.*

Ita terræ motus & pium horrorem injecit & reſurgentis timorem, quem utinam ex D. Chryſologi voto, etiam peccatoribus injiceret: ſentirent illi terram concuti, & ſub ſceleſtis pedibus tremere ac propè fatiſcere; ſicque ſacro horrore percuſſi, peccare deſiſterent. Sed ne longiùs.

VII. Septima circumſtantia hæc eſt: *Quod Angelus Domini deſcendit de Cœlo.* Ita nimirum *reſurgente Chriſto, morte pereunte, terrenis redditur cœleſte commercium, & mulieri cui fuerat cum diabolo lethale conſilium, cum Angelo colloquium fit vitale.* Nec colloquium modò, ſed & ſolatium. Hinc

VIII. Octava Circumſtantia. Ille ipſe Angelus *revolvit lapidem,* qui ſcilicet *advolutus probavit mortem, & revolutus extitit reſurrectionis aſſertor.*

Beatus lapis qui Chriſtum & revelare meruit, & velare: beatus, qui non minùs corda aperit, quam ſepulchrum: beatus, qui dat reſurrectionis fidem, & fidei reſurrectionem. Ita nimirum *mutatur hic ordo rerum: mortem non mortuum devorat hìc ſepulchrum; Domus mortis manſio fit vitalis, uteri nova forma, mortuum concipit, parit vivum.* Sequitur

IX. Nona Circumſtantia; quòd ſcilicet Angelus *ſederet ſuper eum. Quæ cauſa ſedendi erat cui nulla inerat laſſitudo?* Reſpondet S. Præſul: *Sedebat ut fidei Doctor, ut reſurrectionis magiſter; ſedebat ſuper Petram, ut ſoliditas ſedis daret credentibus firmitatem.*

X. Decima, *Erat aſpectus ejus ſicut fulgur,* quia *ſplendore tali referebat ſpeciem noſtræ reſurrectionis. Reſurgentes enim per Chriſtum, Chriſti mutantur in gloriam.*

XI. Undecima, *Præ timore autem exterriti ſunt cuſtodes.* Miſeri ſanè, *quos tunc percutit pavor mortis, quando ſecuritas redditur vitæ: ſed crudelitatis miniſtri, perfidiæ executores alienæ, fiduciam ſumere quomodo poterunt de ſupernis? Obſidebant ſepulchrum, reſurrectionis januas obſtruebant, & ne quà poſſet intrare vita, mors perire, ſervabant: ideóque meritò eos Angeli perculit, & proſtravit adventus.* Serm. 78.

Hæc ubi extulit S. Præſul, tum exclamat: *Miſera, & ſibi ſemper inimica mortalitas, dolet ſe mori, ne reſurgere poſſit, oppugnat: ſepulchrum aperire convenerat, & ad reſurgendum quidquid erat facilitatis afferre ut eſſet miraculum de facto, de exemplo ſpes, de reverſo res, credulitas de videndo.*

XII. Duodecima, ubi ſic territi cuſtodes, quia ſcilicet *cuſtodiebant crudelitatis ſtudio, non pietatis obſequio:* tum ad pias mulieres converſus Angelus, dixit: *Nolite*

timere

timere vos: hoc eſt, illi timeant: quærentes non timeant, timeant perſequentes: vos nolite timere: ſcio enim quod JESUM, *qui crucifixus eſt, quæritis.*

Serm. 76. *Angelus prædicat nomen, crucem dicit, loquitur paſſionem, fatetur mortem, ſed reſurrectionem mox mox Domini confitetur;* addit enim novum illud: *Non eſt hic. Hoc eſt, ego veni ut inſtruerem vos, non ut illum eximerem;*
Serm. 75. *qui enim & rerum factor eſt, & ſui eſt ſuſcitator. Surrexit ſicut dixit, ſicq; reſurgentis gloria ſepelivit morientis injuriam,* quod ut oculis quoque uſurpetis, venite, videte locum ubi poſitus erat Dominus.

Primùm venire jubet, & ingredi: & verò *ingrediuntur ſepulchrum, ut conſepulta Domino totam fidei reſurgerent in ſalutem.*

Deinde videre, *ut ſacri corporis locus mundaret oculos, quos diabolo claudente vetitæ arboris macularat aſpectus.*

Denique ad diſcipulos ire; ait enim: *Euntes dicite diſcipulis ejus,* quaſi diceret: *Revertere ad virum mulier jam ſanata, & ſuade fidem, quæ perfidiam ſuaſiſti, refer homini dominicæ reſurrectionis indicium cui ante tentationis & ruinæ conſilium detuliſti.*

Et hæc eſt Evangelicæ hiſtoriæ ſeries, quam ex ipſis D. Chryſologi verbis explicatam volui, tum quia Lectori forte non erit ad manum, tum quia neſcio quid altum ac cæleſte ſpirat etiam in ſcriptis, tum denique quia præclara ſuggerit morum documenta, quæ eò gratiùs oculis, & auribus accidunt, quò ſententiis & dictis acutioribus deferuntur.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: JESUM *quæritis Nazarenum crucifixum: ſurrexit, non eſt hic.* Marc. c. 16. v. 6.

QVÆ POTISSSIMÆ CAVSÆ DOMINICÆ Reſurrectionis?

DIvus Thomas profert quinque cauſas, quarum aliquæ ſpectant ad ſuaves divinæ juſtitiæ, ac providentiæ leges; aliæ ad humani generis ſpiritale bonum, ad quod fere Dei miſeratio videtur collimaſſe.

1. Part. q. 53. art. 1. *Neceſſarium fuit Chriſtum reſurgere propter quinque. Primò quidem ad commendationem divinæ juſtitiæ; ad quam pertinet exaltare illos qui ſe propter Deum humiliant.*

I. Cauſa exaltatio Chriſti. Hæc S. Doctor, quo divinæ mentis interprete docuit omninò, ut qui ſe abjectiſſimo mortis genere demiſiſſet in terris, exaltaretur in cœlis, quos redivivus adiret. Quod futurum aliquando in ejus perſona agnovit, & cecinit Vates regius: *Tu,* inquit,
Pſal. 138. *ô Pater æterne, cognoviſti* (hoc eſt approbaſti) *ſeſſionem meam* (id eſt humilitatem) *& reſurrectionem meam.* Sedit enimverò Meſſias in humili quam exegit vita: ſedit & in morte: at ſeſe extulit in reſurrectione. Nimirum ille ſuperûm, Deûque eſt ludus, ut eos attollat qui ſe depreſſerunt. Et ita in Chriſto factum amamus, ac demiramur; qui ut ait Tertullianus:
L. de Coron. milit. c. 14. *Favos poſt fella guſtavit. Nec ante Rex gloriæ a cæleſtibus eſt ſalutatus, quàm Rex Iudæorum proſcriptus in Crucem.*

Habes hic amice Lector Chriſti ſeſſionem, dum proſcribitur in trabe infami; habes & reſurrectionem, dum vitæ redonatur, & Rex gloriæ ab Angelis ſalutatur.

Quod nobis puſillis mortalibus documento eſſe debet atque exemplo, ut primùm ſedeamus in humili loco; deinde ad ſublimiorem exſurgamus. Secus ſi fecerimus, oleum & operam perdimus; ut enim
Pſal. 126. Propheta: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis.* Hoc eſt, interprete D. Auguſtino, exaltamini, ſed poſtquam probè abjecti fueritis. Contrarium tentarunt olim filii Zebedæi, in quos ita Sanctus Doctor:

Ante lucem ſurgere volebant filii Zebedæi; & ſedere ad
In Pſal. 26. *dextram, & ſiniſtram: exaltari antequam humiliarentur. Vanum eſt vobis ſic ante lucem ſurgere. Dominus veſter, qui eſt lux veſtra, humiliatus ut exaltaretur: humiliavit ſemetipſum Dominus noſter. Hæc eſt ſeſſio. Propter quod & Deus exaltavit illum: ecce reſurrectiò. Et vos ut habeatis nomen, & exaltemini, feſtinate, & ſurgite; ſed poſtquam ſederitis.*

Hæc ſeſſio in omni vita Chriſto via fuit ad culmen gloriæ, ac beatitatis. Quod ut aſſolet disertè, & maſculo ſtylo notavit Tertullianus, dum præcipuam vitæ illius ſeriem texit.

Naſci, inquit, *ſe Deus in utero patitur matris, & ex-* Lib. de Patient. c. 3.
pectat; natus adoleſcere ſuſtinet, & adultus non geſtit agnoſci: ſed contumelioſus inſuper ſibi eſt, & à ſervo tingitur. Rectè *contumelioſus ſibi eſt.* Verè enim ſibi injuriam irrogare videtur, qui ut altiſſimus ſit, ad infima ſeſe abjicit.

Lux eſt, & ſplendor gloriæ, ac figura ſubſtantiæ Patris; & tamen ſub modio. Verbum eſt, & divinum quidem; & tamen infans. Cœlum illi ſedes; & in ſtabulo jacet.

Dominus eſt; & *ipſe lavandis diſcipulorum pedibus miniſtrat.*

Rex eſt, & gloriæ quidem ac majeſtatis, & tamen Barabbæ poſtponitur.

Judex eſt, & quidem mortalium atque immortalium; & tamen *traditur, atque adducitur ut pecus, ad victimam. Imò & deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.*

Deus eſt, & unà etiam homo; & audit vermis, & non homo.

Et hæc omnia mira æquanimitate ſuſtinet. Diceres *ſaginari voluptate patientiæ,* ac demiſſionis, & ſibi in his omnibus contumelioſum eſſe. Et certè (ſi rem totam humano pede metiri velimus) *contumelioſus ſibi eſt.* At ſi ex Dei calculo, & ſcriptis apud ſuperos legibus, beneficus quàm maximè: illi quippe *humilitas claritatis meritum fuit, & claritas humilita-* Tract. 10.
tis præmium, ut eleganter D. Auguſtinus qui ſic piè in Ioan.
cum Chriſto colloquitur:

Vt reſurgeres mortuus es; ut aſcenderes, reſurrexiſti; In Pſal. 109.
ut ſederes ad dextram Patris, aſcendiſti. Ergo ut ad dexteram Patris ſederes mortuus es: de morte enim reſurrectio, de reſurrectione aſcenſio, de aſcenſione ad dexteram ſeſſio. Hoc ergò cœpit à morte: excellentia claritatis hujus, principium habet humilitatis.

Et hæc breviter dicta ſunt de prima cauſa Domi- II. Cauſa
nicæ reſurrectionis, cui adde & alteram, quam ex- Fides reſur-
tulit D. Thomas; videlicet *ad fidem noſtræ reſurre-* rectionis.
ctionis: firmatur enim hæc atque roboratur, ut Supra.
Deum agnoſcat ac prædicet in reſurrectione, qui homo agnitus erat in paſſione. Ut enim ille ipſe
Chriſtus Davidis voce: *Quæ utilitas in ſanguine meo,* Pſal. 29.
dum deſcendo (quaſi per quoſdam gradus malorum) *in corruptionem?* Quæ inquam utilitas? Niſi ſtatim

aſcendam, veluti per alios bonorum, ac vitæ redivivæ gradus? Certè aut nulla, aut perexigua; ægrè enim adduci poterunt puſilli mortales, ut quem mortuum luxerint, Deum eſſe credant, niſi vitæ redonatum eſſe, aut oculis, aut auribus, & certa fide acceperint.

Serm. 75. *Chriſtus homo paſſus, mortuus, & ſepultus fuit. Eſt, vivit, manet, permanet, regnat Deus*, inquit Chryſologus. *Regnat*, inquam, dum à reſurrectione colitur ut Deus, quod & notarunt, & altè prædicarunt in cœlo immortales genii, quorum hæ apud Evangeliſtam voces:

Apoc. c. 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem.* Hoc eſt (ut paſſim Interpretes) Divinitatis notitiam, ac venerationem Orbe toto ſparſam. Et hanc & illam adeptus à reſurrectione, dum illius fides, ac cultus primùm ad Judæos, dein ad Gentiles evaſit, Univerſum omne eſt complexa. Ad hanc Meſſiæ reſurgentis gloriam ſpectare videtur etiam illud quod ſcitè animadvertit D. Anſelmus: Chriſtum ante Paſſionem dictum filium hominis; poſt reſurrectionem autem Dei Filium appellatum. (In c. 1. Ep. ad Hebræos.) Vero ad tertiam cauſam, quam iis quibus aſſolet rationum momentis expendit S. Doctor.

III. Cauſa ſublevatio ſpei. Serm. 119. Ea eſt ad *ſublevationem ſpei noſtræ*. Quod eleganter oſtendit D. Auguſtinus; quærens enim: *In paſſione quid egit Chriſtus? Docuit quid toleremus. In reſurrectione quid egit? Docuit quid ſperemus. Hic opus, ibi merces. Opus in paſſione, merces in reſurrectione.*

Hanc patiens Jobus concepit etiam in ſterquilinio, etiam in media malorum illuvie, & ipſa, quæ in oculis erat, mortis ac mœſti funeris, imagine.

Scio, inquit (certa videlicet fide, quæ mihi pro oculo eſt) ſcio *quod redemptor meus vivit*, & ideò *in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum; repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Hac ſpe incumbentem humeris malorum molem ſuſtinebat, hac temperabat morborum æſtus, hac fortunæ jacturam, hac prolium longè chariſſimarum funera leniebat: quòd ſcilicet vivens illud ac ſpirans cadaver, etiam poſt fata, atramque ſepulchri noctem, luci ac vitæ reſtituendum eſſet: & hoc quia illi reddendus erat Salvator, quem intelligentia altiori ac fide jam uſurpabat.

Quæ Jobo inde enata ſpes, eadem & poſteris; & eò quidem maximè, quòd hi etiam Chriſti reſurrectionem oculis quaſi ac manibus tenuiſſent, indéque ſibi certò poſſent polliceri, dandum aliquando ſibi quod datum eſſet & capiti: quia ut rectè S. Leo: (Serm. 1. de Aſcenſ.) *Quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis.*

Ab hac erigi ſe ſentit quiſquis & nomine & re etiam ipſa eſt Chriſtianus. Ut enim doctè Tertullianus. (Lib. de Reſurrect.) *Spes Chriſtianorum eſt reſurrectio mortuorum.* Ad hanc certa fide ac ſpe prenſandam nos excitat ac quodammodo impellit ipſa Chriſti reſurrectio, quæ nos humiles animas ac terris propè adrepentes, ad ſublimiora ſuſtollit: adeò verum illud D. Auguſtini. (Serm. 5. de Aſcenſ.) *Nos mors Chriſti vivificavit; nos reſurrectio erexit.*

Ita quondam erexit S. Mechtildem; quæ ſub ſacras Chriſti reſurgentis ferias hæc ſæpiùs ingenti animi ſenſu uſurpare ſolebat. *Credo quod redemptor meus vivit.*

IV. Cauſa vitæ renovatio. His accedit & quarta Dominicæ reſurrectionis cauſa; eaque facit *ad informationem vitæ fidelium.* Hoc eſt, ut vita noſtra novam quaſi formam induat, conſentientem illi, quam in reſurrectione ſua vel induit, vel etiam oſtendit Chriſtus. Ad hanc Romanos olim invitavit magnus gentium Apoſtolus; ſic enim ad illos.

Ad Rom. c. 6. v. 4. *Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem; ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Quod Chriſto mors ac ſepultura; hoc nobis, hoc Chriſtianis omnibus eſt baptiſmus: in hoc enim peccato morimur, ut Deo vivamus altiore vita; quæ eſt ſpiritus ac gratiæ. Et hinc quaſi Chriſto *conſepulti ſumus*: quod tacitè innuit trina merſio in baptiſmi ritibus uſurpari ſolita: indicat enim tres dies ſepulturæ Chriſti, cum qua convenit baptiſmus, quo ita ſepelimur, ut mortui mundo, cœlo vivamus, & *ambulemus* deinceps in novitate vitæ, quam etiam adpromiſimus per illa Sacramenti verba, quæ inter pias cæremonias nuncupamus. *Abrenuntio Satanæ.*

Et hæc fuit ſolemnis illa profeſſio, quam SS. Patres nobis volunt eſſe perpetuò ſub oculos, ut quod ſanctè ſpopondimus, fideliter reddamus.

Ingreſſus es (inquit ore melleo D. Ambroſius) *regenerationis ſacrarium, repete quid interrogatus ſis, recognoſce quid reſponderis. Renuntiaſti Diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus: tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, ſed in libro viventium. Præſentibus Angelis locutus es, non eſt fallere, non eſt negare.*

Hæc Mediolanenſis Antiſtes, qui dum memoriam noſtræ regenerationis refricat, verbaque ſacratiora ingerit: ſimul etiam facit, ut in ea juſtitia (hoc eſt vitâ ſpiritali) quam adepti ſumus, in ævum omne duremus. Exemplo ſcilicet Salvatoris optimi, qui *reſurgens ex mortuis, jam non moritur: mors illi ultrà non dominabitur.* (Ad Rom. c. 6. v. 9.) Nobis olim (proh dolor!) à peccato mortuis, mors quaſi Domina grave jugum impoſuit: ſed illud per pœnitentiæ vim, gratiámque excuſſimus reſurgentes cum Chriſto. Ne moriamur ampliùs, ne gravior animo mors incubet, ſed vita perennis. Ut ſicuti *Chriſtus mortuus peccato, mortuus eſt ſemel; quod autem vivit, vivit Deo:* ſic & nos Deo vivamus, vita puriore, vita beatiore; ad quam nos veluti manu ducit ipſa JESU reſurrectio, à qua & aliud humano generi bonum, nempe exundantia quædam gratiarum, cujus ſymbolum fuere illi ipſi, qui deinde die Paſchatis exundarunt fontes etiam miraculo.

In Lycia oppidum erat, cui nomen *Celebratus*, (Baron. An. Chriſto 417.) hîc viſebatur fons baptiſmi, qui cùm eſſet ex integro lapide, replebatur ſponte latice ſacro, & hoc ad ipſum diem Paſchatis, & cùm eſſet uſque ad Pentecoſten perennis, exacta ea celebritate, inareſcere penitùs videbatur.

Hoc verò adeò ſine errore contingebat, ut ſi fortè in canone Paſchali aberraretur aliquando, deprehenderetur Paſchatis dies, ex fontis illius reduce quot annis perennitate:

Quod teſtatur Paſchaſius Epiſcopus Lilibæi, qui, *error*, inquit, *graviſſimus eſt ortus in tantum, ut myſterio certo, quod dono Spiritus Sancti miniſtratur, hæc veritas probaretur. In parva enim, & in montibus arduis, ac ſylvis denſiſſimis conſtituta Eccleſia, quæ Meltinas appellatur, inq; ejus baptiſterio, nocte ſacroſancta Paſchali, baptiſandi hora, cùm nullus canalis, nulla ſit fiſtula, nec aqua vicina, fons ex ſe repletur, paucisq;, qui fuerant conſecratis, cùm deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex ſe deſcendit.*

Narrat porrò Epiſcopus Lilibæi, eo anno manaſſe aquam hujus fontis, planè hora conſueta, die (Apud S. Leonem Ep. 65.) Dominico Kalendas Mayas, in quem diem Paſcha differri oportuiſſet. At unde? & cùr manat ille fons die Paſchatis? non aliunde certè quàm à Deo bonorum omnium fonte, nec alia de cauſa, niſi ut indicet ea ipſa luce in hominum capita, cordáque è cœlo fluere, ac manare gratiarum fontes, ac fluenta cœleſtium benedictionum: & hæc una è potiſſimis Dominicæ Reſurrectionis cauſis, à quibus ad poſtremam deſcendo.

V. Cauſa complementum ſalutis. Ea (divinorum conſiliorum interprete D. Thoma) eſt *complementum ſalutis noſtræ.* Sicut enim eò mortuus eſt Chriſtus, ut nos eximeret à malis, quæ noxiis captibus impendebant: ſic ideò reſurrexit, ut nos ad bona promoveret: & his perficitur ac completur ſalus noſtra. Ea porrò bona ſunt. Primum gratia, & quæ ex ea dimanat juſtitia; tum etiam

virtutes

virtutes aliæ illarum veluti comites ac pediſſequæ: tum denique, quæ illam expectat excipitque beatitas, cujus arrha Cœlo judice generi noſtro data eſt, jam inde ab ipſa Servatoris reſurrectione.

In hiſtor. Ord. l. 7. Ab hac B. Gratia de Valencia ordinis S. Franciſci de Paula ingentes ſibi faciebat animos, ad vitam, ad regnum; ad cœleſtis patriæ imperium aliquando tandem adeundum. Sic enim illa ſub Chriſti reſurgentis feſtum ſibi dicere: *Chriſtus vivit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat.*

Utique eo conſilio, finéque, ut & ipſi vivamus, regnemus, imperemus; vita, regno, imperio, quod ipſa excipiat, firmétque beata æternitas.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Surrexit, non eſt hic.* Marc. c. 16. v. 6.
QUÆ SIT IN HOC PERFECTÆ Reſurrectionis norma?

CUM JESUM in monumento quæritarent piæ mulieres, ſic ad illas Angelus: JESUM *quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non eſt hic.* Utque non ſolùm dictis eſſet fides, ſed & oculis, adjungit: *Ecce locum, ubi poſuerunt eum.*

Cuipiam videri poterunt ſuperflua hæc verba: *Non eſt hic.* Ecquid enim? an non plus ſatis edidiſſe oraculum illud: *Surrexit?* Satis enimverò Salvatori quàm optimo: ſatis immortalibus geniis. At non ſatis infirmo homini, cui Chriſti reſurrectio pro regula, pro norma eſſe debuit.

His enim vocibus probè doctum voluit: Primùm ſurgendum eſſe quàm citiſſimè; deinde abeundum à tumulo, à ſepulchri nocte, à ferali mortis domo.

Quod corpori mors & reſurrectio; hoc animæ peccatum eſt ac pœnitentia: mors illud, & hæc vita. Ad hanc ſi aſpiramus ſurgendum primo diluculo è ſepulchro ſcelerum, cui immerſi jacuimus. Et hoc quidem exemplo Chriſti, vel etiam ſi voles præcepto.

Marc. c. 16. *Surgens IESVS manè apparuit Mariæ Magdalenæ*, inquit Evangeliſta.

I. Citò ſurgere. Hîc oculos, hîc & pedem ſiſte, mi Lector; oculos, inquam, intelligentiæ, & pedes affectus tui: manè ſurgit JESUS, cùm vix ſertexiſſet aurora, cùm necdum primis radiis Orbem luſtraſſet. Adultam diem non expectat, nedum occidentem. Et tu infœlix animula à peccatis tuis mortua ac ſepulta, non aſſurgis, niſi quàm tardiſſimè, & quandóque vix adulta jam ætate, vix etiam vergente ad occaſum malè pereuntis ævi. Non eſt illa conſentanea Salvatori tuo reſurrectio.

Diem ille tertiam reſurrectioni ſuæ addixerat. Noluit eam aut totam, aut majore ſui parte elabi: ſed prima & minima illius portio fuit ſatis; quantum ſcilicet, dato oraculo ac veritati ſatis erat. Et tu in peccati morte ac ſepulchro jaces, non dico dies totos, ſed & annos: & ſi te inde evocet unus aliquis, jactas ſemimortuas illa voces, *cras, cras.* Et hoc tibi fortè cœlo vindice non dabitur. Peribis enim, & æternùm quidem antequam illud *cras* illuceſcat.

Serm. 16 in Matth. *Ipſa res eſt quæ multos occidit, cùm dicunt, cras, cras, & ſubitò*, ei, qui de die in diem pœnitentiam differt, *oſtium clauditur*, inquit D. Auguſtinus. Oſtium dico, divinæ miſerationis, quod antè patuit: Utque ſemper pateat, author tibi ſum, imò author eſt ipſe Chriſtus, ut à ſepulchro ſcelerum tuorum ſurgas quàm citiſſimè.

Si quis olim coram Nazaræo ſubita morte correptus occidiſſet, jubebatur ille caput (quaſi conſecrationis ſedem) *illicò radere etiam in eadem die purgationis ſuæ.* Si ſic eluendus ille fuit, qui ſolùm venit in conſpectum mortui; quomodo eluendus ipſe es, qui mortuus es, & quidem lethi genere quàm turpiſſimo? Certè illicò, & in eadem die. Ita bellè ſuaſit olim Laurentius Novarienſis Præſul, qui etiam modum ac rationem propoſuit; ſic enim ille peccatori: *Noli tu jam quærere, neque Ioannem, neque Iordanem: ipſe tibi eſto baptiſta:* hoc eſt, Ipſe te elue ſacris undis pœnitentiæ velut altero baptiſmate, idque primò diluculo, eadem die, imò eodem momento commiſſi ſceleris. Hoc ſi feceris, in te cadet, quod olim in Chriſtum: *Surrexit.* *Hom. de Pœnit.*

II. Abire à loco peccati. Sed & alterum volo, ut etiam in te cadat, videlicet: *Non eſt hic*, hoc eſt, abivit à mortis ſede, à loco ſepulchri, à domo in qua per infandum nefas mortuus jacuerat. *Infœlix Adam cùm audiſſet vocem Domini ambulantis ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe.* In quo, ut doctè notavit Rupertus, & *infidelis, & impœnitens fuit. Infidelis* quidem, *quia malè de oculis Domini videntis ſentiens, abſcondit ſe: impœnitens* autem, *quia latère voluit*, & quidem ſub eadem arbore, à cujus fructu peccarat. Debuerat certè ab illa recedere quàm longiſſimè. Hoc enim poſtulabat veræ pœnitentiæ ratio, & ſpiritalis reſurrectio: cujus typum aliquem habes in Lazaro; quem cum à mortuis excitare vellet Dominus, altiùs ingeminavit illud: *Lazare veni foras:* quaſi diceret (ut interpres eſt Caietanus) *non ſolùm ſurge à morte: ſed veni*, & manibus, pedibuſque ſolutis egredere de ſepulchro, & abi ab illo longiùs: Et ita factum eſt. *Gen. c. 3.* *Ioan. c. 11.*

Quod Lazaro dictum olim; hoc tibi modò, ô peccatrix anima! Jacuiſti in ſepulchro ſceletum tuorum, veni, *veni foràs*, fuge, fuge procul ea tecta, quæ tibi pro infami ſepulchro fuère, pro domo mortis ſpiritalis: fuge inquam illa, ut de te quoque dici poſſit, *Surrexit, non eſt hic.*

Erat infeſta ſociorum turba, quæ tibi labendi occaſio fuit, & nimium quàm frequens: & hanc quoque devita, hanc omni cura, ſtudióque declina, ut in ea ſi quis te impoſterum quæriter, audiat illicò: *Non eſt hic.*

Erat tibi, incaute adoleſcens, neſcio quæ de trivio puellula, levis & impudorata, laterique continuò inhærens tuo: ab ejus laqueis abi quàm citiſſimè, ut ſi quis iis te adhuc implicitum credat, audiat, *Surrexit, non eſt hic.*

Erat hortus, in quo tibi pejor aliqua fuit Eva; quæ pomum porrexit, & ſurripuit Paradiſum: ab hoc quoque facti pœnitens diſcede; ut & hîc ſonet fortunata illa vox, *Surrexit, non eſt hic.*

Hæc nimirum eſt perfectæ reſurrectionis forma, non ſolùm à peccato ſurgere: ſed etiam à loco, & occaſionibus peccandi. Et ita futurum aliquando prædixit Joannes JESU amor ac deliciæ. Sic enim inquiebat olim:

Venit

Venit hora, & nunc eſt, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus, & procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ.

Tract. 15. in Ioan. Hæc cœleſti calamo Evangeliſta præſcius futurorum: quæ dum expendit D. Auguſtinus duas ſtatuit reſurrectiones: Prima *nunc eſt*.

Ea ſcilicet, qua peccator à ſcelere mortuus ac ſepultus ad vitam gratiæ ſurgit. Altera futura quondam in extremo Judicii die: in hac reſurget homo ad vitam gloriæ ac beatitatis. In utraque etiam *procedit*, hoc eſt abiit à tumulo; & niſi abiret, non eſſet cenſendus reſurrexiſſe; quod maximè verum eſt in prima reſurrectione, quæ ad gratiam eſt: ille enim verè à peccato reſurgit, qui locum deſerit, in quo à ſua libidine & crimine proſtratus jacuerat.

Quod ipſum expendit D. Auguſtinus, dum in ea verba, *Non eſt hic*, eleganter iſta adjicit:

Quid tu anima? Mortua eras, amiſeras vitam. Audi Patrem per Filium: ſurge recipe vitam, quam non habes in te? Reſuſcitat te Pater & Filius, & agitur prima reſurrectio, quaſi ideo reſurges ad participandum vitam.

III. Verè ſurgere. Sed & alia eſt conditio, quam in ſpiritali reſurrectione requirunt SS. Patres. Videlicet, ut ſit illa vera, & non apparens tantùm.

Stabant olim adverſæ acies, hinc Philiſtinorum, & inde Saulis, qui conſilii inops, & mirè anxius antequam pugnæ ſubiret aleam, *Dominum conſuluit*, qui *Lib. 1 Reg. c. 28 v. 6* *non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*. Scilicet impio Regi, & cœlum elingue, & muta erant oracula: à quibus ubi nihil accipit, Pythoniſſam adit, & ait: *Suſcita mihi Samuëlem*. *verſ. 14.* Mirum dictu, viſuque! *Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus pallio: & intellexit Saul, quòd Samuel eſſet*. Hic laborant Interpretes, & inter ſe diſſident: dum hi verè ſuſcitatum Samuelem credunt; illi Samuelis duntaxat umbram, & inane ſimulachrum. Et hoc opinantur Procopius, Theodoretus, Rupertus, Tertullianus, Cyrillus, Beda aliique: quibuſcum ſentio, & ad inſtitutum meum adjicio, pleróſque etiam Chriſtianos inter, non tam ſurgere à peccato ad virtutem, à vita ſolutiore ad meliorem, quàm ita videri, & hominum oculis illudere.

Ita ſurrexerat olim Epiſcopus ille Sardicenſis, ad *Apoc. c. 3.* quem D. Joannes acri, atque aculeato ſtylo: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es*.

Ita hoc quo ſpiramus ævo ſurgunt illi, qui ſcelera quidem ſua deponunt in auribus confeſſarii: at ſine ullo doloris ſenſu, ſeu eum eſſe voles contritiorem, ſeu etiam attritionem. Hi profectò non tam pœnitentes, quàm illuſores reputandi.

Illuſor, & non pœnitens cenſendus eſt, qui id facit, aut facere cogitat, cujus dolorem præ ſe fert, inquit S. Iſidorus.

Ita ſurgunt illi, quibus non eſt fixum, ratúmque propoſitum peccata declinandi, & eas, quæ ad illa ducunt, occaſiones.

Ita denique reſurgunt & hi, quibus pudor os obſtruit, ne quod latet peccati virus evomant; qui metu inani, aut alia quavis futili paſſione lethale ſcelus reticent, quod explicari omnino oportuit. Hi, nequam, omnes duntaxat ſpecie tenus vivunt ac reſurgunt; re tamen ipſa & mortui ſunt, & altè criminibus ſuis inſepulti.

Non ſic aſſurrexit Chriſtus, non hominum oculos fefellit, non corpus objecit phantaſticum; ſed ſolidum ac verum, quod videri, quod palpari poſſet, quod carne conſtaret, & oſſibus. Verbo uno, *Luc. c. 24.* ut ait Evangeliſta: *Surrexit Dominus verè*. At tu, ô miſelle peccator, non verè ſurgis. Qui enim verè ſurgeres, cùm neque tibi confites? neque de peccatis doleas? neque ea ſedulò cavere proponas? Et hinc deſcendo ad aliud, quod in te requirit Dominus ſuo vel exemplo, vel etiam præcepto.

Ut ſcilicet reſurgas integrè, & nihil tui relinquas in Sepulchro, non pedem, non oculum, non IV. Surgere integrè.
manum, non aliud quidpiam, quo teneri poſſis, & rurſum in illud trahi.

Exemplar aliquod ac veluti typum integræ hujus reſurrectionis habes in Petro Apoſtolorum principe. Dormiebat ille in ergaſtulo carceris milites inter medius; cùm ecce ſic ei Angelus: *Surge velociter*, *Act. c. 12. v. 8.* *præcingere, & calcea te caligas tuas, circumda tibi veſtimentum, & ſequere me*. Paruit omninò Petrus, & nihil in carcere reliquum eſſe voluit, quo diſtineri poſſet, ne veſtimentum quidem, quo extrinſecus tantùm tegebatur.

Dormis infœlix anima, & altùm dormis, media non dico milites inter, ſed cacodæmones: tot enim te circumſtant atque obſident, quot intus foves peccata lethalia.

Ecce (quæ cœli miſeratio eſt) excitat te bonus Angelus, & ait: *Surge velociter; ſed & præcingere, & calcea te caligas tuas, & circumda tibi veſtimentum tuum*; hoc eſt, nihil relinque, quod aliquo modo tuum ſit, non pedem, hoc eſt, affectum, quo in ergaſtulo tuo, in ſepulchro tuo teneri poſſis; non oculum, quo illud etiam abiens, reſpectare; non manum, ſeu opus aliquod, quod affine præterito ſceleri eſſe poſſit: non denique aliud quidvis, unde dici queas ſeu tui dimidio, ſeu etiam parte in ſepulchro eſſe. Id enim ſi feceris, ſurges quidem; at non integrè.

Ita quondam ſurrexiſſe viſus eſt Pharao, adverſum cœlo caput. Ab hoc quà minis, quà portentis, quà etiam gravibus pœnis urgebatur, ut Iſraëlem liberum abire ſineret. Tantis excitatus, & quaſi evictus malis manus Deo dabat, & ſurgebat à ſcelere; ſed non totus: nam & fœminas retinebat, & pueros, imbelléque genus omne; imò & pecora, in quibus Iſraelis divitiæ.

Atque ita ſurgunt è Chriſtianis plerique. Scelus illi ſuum horrent, ac deteſtantur, & facta Exomologeſi eluunt infames damnatæ veneris ſordes: at pellicem, quæ domi eſt, quæ in penetralibus, non ejiciunt, ſicque ignem in ſinu fovent, quo ardeant: has & illas ædes malè ominatas adire rurſum amant: his & illis ſociis malè commiſceri non ſine animæ, ſalutiſque periculo. Et ſic à morte, à ſepulchro quaſi redivivi ſurgent; ſed non integrè. Nam & pes, & oculus, id eſt affectus adhuc in tumulo eſt.

Sed & aliud eſt, quod amat in Chriſtiano conſentanea Chriſto Servatori reſurrectio: ut firma ſcilicet, ut conſtans ſit illa.

Erit autem conſtans primò, ſi in benè propoſitis, benè conceptis, benè Deo promiſſis ſibi conſtet animus, nec mutet in pejus ſimilis cuidam Mandrabulo, cujus meminit Ephorus hiſtoricus, & Hadrianus Junius in adagiis.

Is repertis in agro Samio auriſodinis, primò aureum arietem Junoni vovit, & inter donaria ad illius aras appendit: deinde argenteum, tum etiam æreum, tum fictilem è viliori luto, denique etiam nihil.

Et ſic faciunt plerique mortalium, in pœnitentiæ foro, ceu cœleſtibus auriſodinis, aurum inveniunt ab amore divino, à caritate, & hinc aurea, id eſt optima, pollicentur omnia.

Sed ô malum! inconſtantia humana: in pejus V. Surgere cō-
ſemper abeunt, ſemper degenerant à benè cœptis, ſtantes.
primum enim aurum Deo, & ſacris aris offerunt: hoc eſt auream caritatem: dein argentum, hoc eſt puritatis aliquid, & nitoris à conſcientia necdum planè vitiata: dein æs ſonans, & cymbalum tinniens, hoc eſt opera extrinſecus, & apparenter bona: denique opera lutea, terra, & terrenis affectibus vitiata: denique nihil, in cœptis malè conſtantes. Non eſt ea conſona Salvatori reſurrectio: hæc enim primò conſtans ſit oportet: deinde talis ut vitæ reddat, ut nunquam deinde morti.

Chriſtus

Digitized by Google

Ad Rom. cap 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultrà non dominabitur* Et Chriſtianus ita ſurgat à gratiæ ſpiritu, vitáque, ut à peccato moriatur nunquam. Et ita ſanè factum oportuit. At proh dolor! ſecus plerumque accidit: multos enim dies Paſchæ videt, ac ſuſcipit reſurgentes cum Chriſto, quos deinde feſta Paſchalia mortuos rurſum lugent, ac damnant. Unà cum Chriſto emersêre de tumulis quamplurimi, & in civitate Sancta, venêre in conſpectum multorum: at hi (ex aliquorum Interpretum ſententia) iterum morti ceſſêre; & hoc quidem ſine culpa: naturæ quippe, & divinæ voluntati id fuit concedendum. At tu, ô Chriſtiane, qui ſurgis annuente Chriſto, & rurſum illo rénuente occidis, non es ſine nævo, immanique culpa, qui ideò ferè videris ſurgere, ut deinde graviùs cadas, ac periculoſiùs: in quo ſimilis es aquis Jordanis: Illæ, *Ioſue c. 3.* dum per hujus alveum portaretur arca, ſteterunt, labilemque fluminis curſum continuerunt: at ubi tranſiit illa, ad ſuum rediere locum, curſum ſolitum tenuêre, & in mare mortuum ſeſe exoneravêre. Sic omninò facis, ô improbe! dum in ſinum tuum, ceu alveum, demittitur arca (hoc eſt, Sancta Eucharistia) ſiſtis inſolentes animos, conſuetúmque ad ſcelera curſum interrumpis: at ubi ex oculis, ex imo pectore abiit arca, iterum in præceps abis, totus effluis in voluptates, & prono curſu ad inferna rapens. In quo rurſum ſimilis es cani, qui ad vomitum redit; ſimilis lutulentæ ſui, quæ ad luti volutabrum. Verùm, ad hoc redeas cùm voles, non exibis certè cùm voles. Juſto quippe Dei judicio fiet, ut è ſcelerum tuorum ſepulchro emergas nunquam. At poſſum, inquies, emergere: (& quæ cœli connivenita eſt) fortè etiam rurſum in auras evadam ſolemque gratiæ: fortè quidem (at dubiæ fidei vocula fortè.) Vide an illi ſalutem committere velis? An æternitatem, quæ te manet? Vide, inquam, & Nazianzenum audi. Sic enim ad te Sanctus Præſul:

Orat. in S. Baptiſma. *Cave ne rurſus emoriaris, iiſque, qui in ſepulchris habitant, aggregeris, ac peccatorum tuorum funibus conſtringaris. Incertum enim eſt, an rurſum ex ſepulchro excitaberis.*

Certè etſi è mille excitetur unus; at alii in eo jacent, & verò etiam jacebunt emortui. Exemplis res ent illuſtrior.

P. Barri in Solit. Adoleſcens in Gallia, quem olim Dei miſeratio è ſcelerum ſuorum ſepulchro eduxerat: revocarat deinde ea, qua erat inconſtantia. Cùm fortè ocreas induit, unà etiam vitam infœlicem exuit, & quidem inter has voces: *O animula mea, ô miſella animula quò ibis?*

Sic infœlicem juvenem rapuit mors immatura, & inferis condidit: audi quomodo etiam unà cum juvencula impudicum ſenem.

In Provincia Peraquariæ barbarus ſenio gravis *Littera annua Anni 1617.* juvenculam pellicem alebat domi: de ea pellenda ſæpè ſæpiùs ſermonem injecerat Sacerdos è Societate noſtra: & jam videri poterat à peccati morte, à ſepulchro libidinis exiiſſe: nam & de baptiſmo ſuſcipiendo, & de vita meliore conſilium ſuſceperat: At rediit juvencula ad adulterum, & cum eo in villam abiit, ad quam luce poſtera miſſi qui fugientes reducerent, & ſaniori vitæ redderent. Verùm & hunc & illam ſubitâ morte extinctos rapuerunt.

Tanti eſt Deo vocanti reluctari, & ad ſepulchrum peccatorum, è quo diſceſſeras, reverti. Ne porrò revertaris aliquando, age mi Lector, imitare ſolemnem illam, nec ſatis unquam laudandam conſuetudinem Florentinorum. Hi primo ac ſecundo Paſchatis feſto publicam ſupplicationem inſtituêre duas *Ex vita S. Zenobii Archiep. Flor.* potiſſimùm ob cauſas.

Una, ut ſupremo Numini ſuæ redderentur gratiæ, quòd ſcilicet eo tempore, quo à mortuis ſurrexit Chriſtus, peccatores è ſcelerum ſuorum morte ac ſepulchro ſurrexiſſent, redditi vitæ meliori, hoc eſt gratiæ.

Altera ut impoſterum, cœlum ſibi propitium facerent, quo & benè propoſita implere poſſent, & annum reliquum exigere conſtanti atque obfirmato ad virtutem animo: quem ut omnibus fidelibus faciat D. Bernardus, aliis atque aliis utitur argumentis, non minùs ingenioſè, quàm piè.

Primùm petitur ex ipſo Paſchæ nomine: *Ipſum enim quod celebramus Paſcha, tranſitum non reditum interpretatur:* *Serm. 1 de Reſurrect.* Tranſitus, inquam, à vitiis ad virtutes, à morte ad vitam, à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ; non autem ad illa reditus: ſi enim reditus ſit, *Sacram reſurrectionem Paſchæ privamus nomine; quia eſt nobis in reditum magis, quàm in tranſitum:* uti & illis eſt, de quibus ſic altùm ingemiſcens S. Præſul. *Proh dolor! peccandi tempus, terminus recidendi, facta eſt reſurrectio Salvatoris.*

Secundum argumentum ducitur ab exemplo Sponſæ, hoc eſt animæ, Chriſto ſeu ſponſo, fidelis, quæ ſic olim vel carni titillanti, vel mundo blandienti, vel perverſis ſuis amatoribus.

Lavi pedes meos, affectus inquam meos, *& quomodo iterum inquinabo eos? Exui me tunicam meam, quomodo induam illam?* Quomodo malos habitus quos depoſui, & quibus veluti tunica quadam malè tectus fui, reſumam? Enimverò non reſumam.

Tertium argumentum eſt ab exemplo Salvatoris, qui *non recidit, ſed reſurrexit; non redit, ſed tranſiit; tranſmigravit, non remeavit: ſi enim poſt conſummationem crucis, in noſtram hanc mortalitatem & vitæ præſentis ærumnas revixiſſet; non tranſiſſe dicerem, ſed rediiſſe; non tranſmigraſſe in ſublimius aliquid, ſed ad ſtatum remeaſſe priorem. Nunc autem quia tranſiit in novitatem vitæ, nos quoque invitat ad tranſitum.*

Quartum argumentum, quo nos petit Sanctus Præſul, & velut armis noſtris jugulat, eſt ab iis, quæ ipſi geſſimus; & quidem quàm optimè, à quibus reſilire, & magnæ eſt inconſtantiæ, & infidelitatis.

Ecquid enim, inquit S. Abbas; *Luximus his diebus: compunctioni, orationi, gravitati, & abſtinentiæ dediti.* Scilicet id ſpectantes unum, ut quæ aliis temporibus perperàm acta ſacro quadragenario redimere & diluere poſſemus: quo *ſi negligentias planximus, quid cauſæ eſt ut recidamus nunc in eaſdem?*

Communicavimus Chriſti paſſionibus, quia eas, quà in illum amore, quà dolore, quà etiam compaſſione, nobis quodammodo communes fecimus; cur iiſdem nos privemus modò?

Lavimus ſcelera noſtra, & peccatricis animæ ſordes eluimus *per baptiſmum lacrymarum, pœnitentiæ, confeſſionis*; cur iiſdem nos polluamus modò?

Denique *mortui ſumus peccato; quomodo vivemus adhuc in illo?* Hæc Sanctus Doctor non ſine ſtupore, dolore, gemitu: nec enim capit, qui Chriſtianus animus poſt ſolemne Paſcha, poſt ſacram Domini reſurrectionem, imò & ſuam, eſſe poſſit is qui ante.

Ecquid enim, inquit, *inveniemur nunc iterum curioſi ut ante: verboſi ut ante: pigri & negligentes, ut ante: vani ſuſpicioſi, detractores, iracundi, cæteriſq; implicati vitiis, quæ tam anxiè deploravimus his diebus?*

Enimverò, ſi ii ſimus re, qui nomine, Chriſtiani; non inveniemur: ſin autem alii inveniemur quidem, ſed noſtro malo.

Siquidem reprobabit nos dies iſte, vel tanquam manifeſtè alienos à Chriſto, vel tanquam ſocios Iudæ, in quem intravit Satanas poſt buccellam: buccellam ſcilicet panis Euchariſtici, ſacrati panis; ſub cujus ſpecie ipſum Chriſti corpus, quod excepit ipſe, excipiunt & in Paſchate Chriſtiani: non pauci, quibus *ex hoc commeſſationes, & ebrietates redeunt, cubilia, & impudicitiæ*

repetuntur, & laxantur concupiſcentiis frana, quaſi ad hoc ſurrexiſſet Chriſtus, & non magis propter juſtificationem noſtram. Quod malum dum videt, ac deplorat S. Doctor, ſic in illos aculeata oratione invehitur; ſic compellat:

Sic honoratis, miſeri, Chriſtum quem ſuſcepiſtis? Venturo paraſtis hoſpitium confitentes peccata cum gemitu, caſtigantes corpora, eleemoſynas impendentes: & ecce ſuſceptum proditis inimicis; imò exire compellitis, priores nequitias admittendo. Quod infidelis eſt in Salvatorem animi, in Deum impii, & in ſeipſum crudelis. Ne is quoque ſis, amice Lector, age, cum Chriſto reſurge, Paſcha celebra, feſtina in Galilæam quæ tranſmigrationem ſonat non remeationem: ibi diſcipulis, imò & tibi, promittitur videndus Dominus qui reſurrexit; & ut promittitur, ita & videbitur etiam per æternitatem.

DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

CUm ab infanda morte & ſepulchri tenebris, & vitæ & luci redditus eſſet Salvator; ut ea reſurgentis gloria, nataque inde lætitia in plures iret, diſcipulis, qui fortè unum in locum convenerant, ſeſe viſendum dedit. Sed, ô malum, ô nefas! eò loci ac temporis ab aliis longè diſſitus erat Thomas. Ubi primùm ad eos acceſſit, tum verò ad illum gaudio exultantes condiſcipuli: *Vidimus Dominum.* Ille autem dixit eis: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.*

Mirùm profectò; ſed verùm tamen: nec aliorum oculis, imò nec ſuis credit Thomas; ſed & oculis uſurpare vult relicta in corpore clavorum veſtigia, & hiantes adhuc ab illis cicatrices, & in illas digitos immittere, imò & manum velut exploratricem in apertum latus. Ita fidei nihil omninò relinquit, ſed totum ſenſibus aſcribit, atque immergit malè credulus Apoſtolus. Cujus etiam miſertus IESUS, poſt dies octo, cùm & ipſe unà cum aliis eſſet, rurſum venit in conſpectum, & primùm de more inſinuavit blandum illud atque amabile: *Pax vobis.* Deinde ad Thomam converſus: non triſti, non alto ſupercilio, non vultu ad ſeveritatem compoſito, non minaci voce, ſed blanda, & quæ conniventiam ſpiraret ac miſericordiam, ait: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Ea indulgentis Domini oratio, & quæ ab oculis totóque vultu micabat amica lux, primùm increduli mentem quà dolore, quà timore, quà etiam horrore facto perculit, dein excivit in eas voces, fidei, amoris, ac reverentiæ plenas. *Dominus meus & Deus meus.* Quas ita excepit IESUS: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Et hæc ſumma rei geſtæ, de qua

EX D. THOMA.

Serm. 2. PACEM Dominus diſcipulis dedit tripliciter, ut oſtenderet tripliciter nobis neceſſariam eſſe.

Ioan. I. *Pax ſit cum Deo.* de hac CHRISTUS: *In mundo preſſuram habebitis: in me autem pacem.* Qui hanc ambit:
Eccleſ. 1. 1. *Deum timeat: Corona* enim *ſapientia timor Do-*
Cap. 26. *mini replens pacem.* 2. *In eodem ſpem habeat: Facies pacem nobis, quia in te ſperavimus,* inquiebat Iſaias.
Cap. 48. 3. *Mandatis ejus obediat* ex hoc Iſaiæ voto: *Utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua.*

II. *Pax in nobis.* de illa ſic Jobus: *Et ſcies quod pa-* Cap. 5.
cem habeat tabernaculum tuum. Ut illam obtineat homo, tria quoque ei neceſſaria: 1. *Deo ſe totum ſubji-* Cap. 26.
ciat. Acquieſcito & habeto pacem, inquiebat Jobus:
2. *Bonam voluntatem ſemper habeat. Pax* enim *homi-* Luc. 3.
nibus bonæ voluntatis. 3. *Omnes animi corporiſque motus* Rom. 8.
ſecundùm prudentiam ſpiritus regat: Prudentia enim Rom. 12.
ſpiritus, vita, & pax.

III. *Pax cum proximis. Cum omnibus pacem habete,* Proverb. 16.
monebat

monebat Apoſtolus. Ut hanc aſſequatur homo: 1. *Quæ placita ſunt Deo faciat.* Cùm enim *placuerint Deo viæ hominis, inimicos quoque ejus converter ad pacem*; 2. *Nulli injuriam faciat, nemini dantes ullam offenſionem,* inquit Apoſtolus. 3. *Omnibus benefaciat*: *Pax* quippe *omni homini operanti bonum.* Vidiſti tria, quæ pacem faciunt; accipe tria quæ illam deſtruunt: 1. *Superbia. Quis enim reſtitit ei, & pacem habuit?* 2. *Iracundia. Homo iracundus incendit litem.* 3. *Quælibet* iniquitas: Non enim *eſt pax impiis.*

Prov. 16. *2. Cor. 6.* *Rom. 2.* *Iob 9.* *Eccl. 26.* *Iſai. 28.*

EX D. BONAVENTURA.

Domin. in Oct. Paſcha Serm. 10. PIA hîc & ingenioſa S. Doctoris diſceptatio, & quidem

1. Cur à Domino ter dicitur *Pax vobis?* Reſpondet, Ut firmetur *anthoritate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ſic ut nemo auſu temerario eam audeat violare.
1 Timot. 1. Sed proh dolor! eam olim, eam etiam modò violant peccatores, & quidem aliter, atque aliter. *Pacem Patris violat peccans ex timore mortis*, ut aliquando Petrus: *Pacem Filii peccans ex ignorantia, ſicut Paulus perſequens fideles*, qui ſic de ſeipſo: *Ignorans feci. Pacem Spiritus Sancti peccans ex malignitate, ut Iudas.* Ea porrò pax à Chriſto diſcipulis data firmata eſt, & confirmata variis modis.

1. *Manu.* Dum enim ea extenditur in cruce, percutitur nobiſcum fœdus, & pactum pacis ſempiternum.

Ioan. 19. 2. *Oris oſculo*, quod ut daret indulgens Salvator, *inclinato capite*, quaſi *ad oſculum pacis, tradidit ſpiritum.*

Coloſ. c. 1. 3. *Sanguinis Sacramento. Pacificans* ſcilicet *per ſanguinem crucis ſuæ, quæ in terris, ſive quæ in cælis.* Hæc pax omninò ſervari debet.

I. *Propter Principis authoritatem*: *Gratia* quippe, & *Apoc. c. 1.* *pax à Deo qui eſt, & qui erat, & à* JESU-CHRISTO,
Iſai. c. 9. qui inde audit, *Princeps pacis.*

II. *Propter fœderis firmitatem*, de qua antè paucis.

III. *Propter judicii ſeveritatem*, quam qui *non timet in mundo, inveniet in judicio, & in inferno. Ibi dabitur violatoribus pacis quod meruerunt.*

IV. *Propter pacis utilitatem*, quæ colligitur ex illius fructibus: è quibus primus eſt, *ſecuritas interius*: *bona ſecuritas, ubi bona cuſtodia.* Secundus, *exterius unitas cum proximo*; quam obtinent, qui *ſolliciti* ſunt *ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Tertius, *ſu-*
Epheſ. 4. *pernus hæreditas*; *qui enim ſunt pacifici in hoc mundo, tanquam filii hæreditabunt pacem Dei in cælo.* Et hæc de pace, quam ubi in diſcipulorum aures, animóſque intulit Salvator, tum ſic ad Thomam:

Ioan. 20. *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* O *Thoma, felicem habes licentiam à Salvatore tuo, ut mittas manum tuam in latus ejus*, exclamat D. Bonaventura: *Serm. 4.* fœlicem dico. 1. Quia *hujus lateris beneficio ab ira Dei ſalvamur.* Qui pereuntis mundi reliquias in arca ſalvavit Noëmus, is oſtium in ejus latere aperuit, *Geneſ. c. 6.* per quod in illam intrarent homines, & jumenta. Arca, Chriſtus; oſtium, latus à vulnere patens: per hoc intrant non ſolùm juſti, ſed etiam peccatores. *Oſtium enim nobis Dominus in arca fecit, quando* *Suprà.* *latus ſuum perforari voluit*, inquiebat Seraphicus Doctor. *Quid anguſtius illo foramine quod unus militum in latere Domini aperuit: & tamen per illas anguſtas portas ferè totus mundus intravit*, aiebat olim Auguſtinus.

2. *In gratia regeneramur. Filiæ tuæ de latere ſurgent*, *Cap. 6.* canebat Iſayas. *Filiæ iſtæ ſunt animæ credentium, quæ de latere Chriſti generatæ ſurgunt, dum per vulnus lateris* *Suprà.* *ejus ad vitam veniunt.* Ex hoc quoque latere *formatur ſponſa*, ut olim Eva de Adæ coſta. *Dormit Adam ut fiat Eva; moritur Chriſtus ut dormiente Chriſto in cruce, fiat Eccleſia*, inquiebat Auguſtinus.

3. *A culpa ſanamur*: ab hac nimirum ſordeſcit homo, & multo peccati luto fœdatur; eluitur autem aquâ, quæ de Chriſti latere ubertim fluit. Vidit olim Ezechiel in mentis exceſſu redundantes aquas *Cap. 47.* ex dextro templi latere. Corpus Chriſti templum, de quo ipſe: *Solvite templum hoc; ſolutum* porrò *in* *Ioan. 22.* *morte, excitatum in reſurrectione*: de illius latere dextro profluxit aqua longè ſalubrior illâ, quæ olim de templi latere; hæc enim corporibus curandis profuit, illa animabus: ut de hac potiori jure dici poſſet, *Vivent omnia ad quæ venerit torrens.* Sacer om- *Ezech. c. 47.* ninò torrens è latere Chriſti: per quem etiam

4. *In gloria ſublimamur.* Vitæ redditus & gloriæ ſui corporis Chriſtus oſtendit Diſcipulis apertum latus, *quaſi diceret*: *Ad hanc reſurrectionis gloriam, hujus lateris beneficio pervenitur*, & inde etiam ad beatitatem; ad quam pervenit *qui ad hoc latus pendebat la-* *Suprà.* *tro*; audit enim, *Hodie mecum eris in paradiſo.* *Luc 23.*

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Pax vobis.* Ioan. c. 20. v. 26.

CUR, ET QUAM PACEM APPRECETUR Dominus?

I. Ratio Quia ſalutationis formula. SALVATOR Optimus avitæ conſuetudinis amans, ac retinens ſic olim diſcipulis ſuis benè apprecari ſolitus: *Pax vobis.* Familiari nimirum apud Hebræos more, quo ſe interpoſito nomine pacis conſalutabant: quod enim apud Græcos eſt χαῖρε, apud Latinos *ſalve*; hoc apud Hebræos *ſcialom lecha*, hoc eſt, *pax tibi*, formula communis ſalutandi.

Id videre eſt variis in locis. Ne omnia conſectere. A prælio redux Achimaas ſic olim ad Davidem: *Salve Rex.* in Hebræo habetur: *Dixit ad Regem, Pax.*

Et ipſe Regius Vates dum Solymæ ſuæ benè vult precari, ſic ait: *Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem.* hoc eſt; *Salutate Ieruſalem.*

Denique dum nuntios mittit ad Nabal, hæc dat in mandatis: *Salutabitis eum ex nomine meo pacificè.* ſubditque hanc formulam ſalutationis: *Sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcumque habes, pax.*

Et hæc prima ratio, cur JESUS eâ quondam uſus formulâ: *Pax vobis.*

Secunda, quia *Pax* ſummum propè in terris bo- *II. Quia pax ſummum propè bonum,*
num; quod dum attendit, amátque D. Auguſtinus, hæc illius elogia prodit:

O pax Eremitarum mater, Cænobitarum pater, Monachorum ſoror, tu Patriarcharum vinculum, tu Prophe-

Serm. 2. ad Fratres ſuos in eremo. *tarum vehiculum, tu Apoſtolorum refugium, tu Martyrum ſolatium, tu Confeſſorum baltheus, tu Virginum tripudium, tu Viduarum ſpeculum, tu Conjugatorum ſpectaculum, tu malorum præſidium, tu tyrannorum odium, tu latronum ſuſpendium.* Hæc ubi pacis elogia congeſſit, tum ciatiore ſtylo, vocéque exclamat:

O pax Dei ædificium, te non poſſunt deſtruere Principum fulmina, inſultus dæmonum te in nullo lædere poſſunt. Tu pauperem divitem facis, tu divitem mendicantem perducis, tu contentam cunctis, tu ditior univerſis, tu homines Dei filios facis.

At quænam, inquies, eſt illa pax? D. Auguſtino triplex: *Cordis, oris, & operis.* Sic enim ad fratres ſuos in eremo:

Habete in corde, in ore, & in opere pacem. Nam ſi Cain pacem habuiſſet in corde, non irruiſſet in fratrem ſuum. Si Abſalon pacem habuiſſet in ore, non impugnaſſet patrem. Si Iudas habuiſſet pacem in opere, non fugiſſet ad laqueum.

Hæc nempe ſcelerum monſtra extulere, qui pace illa caruere: ne & tu careas, Amice Lector, excipe adhuc pauca illius encomia, denique & Auguſtini votum. Encomia ſunt hæc:

O Pax tu mentis ſerenitas, animi tranquillitas, cordis ſimplicitas, amoris vinculum, charitatis conſortium. Qui te habet, teneat; qui te non habet, te perquirat; qui te perdit, te requirat, ſi filius Dei eſſe peroptat. Et hoc Sancti Præſulis eſt votum, à quo tranſeo ad alias datæ illius ſalutationis rationes.

D. Chryſologus elatè, & aureè ut ſolet, alias rationes reddit, è quibus hæc prima; quòd mortuo Christo ſublata eſſet è mundo pax, quæ proinde à redivivo reſtitui debuit; ſic enim ait:

II. Ad pacem univerſo reddendam. *Dum rebellis Iudæa in authoris ſui necem levat impias manus, terris abſtulit pacem, concordiam rerum ſolvit, elementorum ſic fœdus rupit, ut mundum totum ad chaos revocaret antiquum.* Hoc autem ut probet, argumentum

Serm 81. petit ab iis, quæ Christo moriente vidit, ſtupuitque quanta quanta fuit Univerſi machina; in qua, ut ait, mors Auctoris.

Diem fugat, noctem invadit, lucem tenebris, cælum rebus aufert, facit tremere terram, miſcet mortuos vivis, inferos, ſuperoſq; confundit, & diſſipato ordine in Creatoris injuriam, pacificum nil penitus, amicum penitus nil relinquit.

Et *hinc eſt quod reverſus ab inferis Chriſtus ut rebus pacem reddat, exclamat: Pax vobis.*

III. Ad pacem Diſcipulis reddendam. Nempe ſummi Paſtoris officium id fuit relictu gregi, hoc eſt hominum generi, pacem apprecari, pacem dare.

Cùm D. Chryſoſtomi corpus jam exanime Conſtantinopolim reveheretur, & publica civium gratulatione exciperetur, gregi amantiſſimo bonus Pa-

Niceph. in Hiſt. Eccleſ. ſtor dixit: *Pax vobis.* Quam ejus verè auream, verè paternam vocem audivit Proclus Patriarcha, audivit & populus univerſus non ſine ſtupore.

Dixit nimirum ſuis Chryſoſtomus etiam mortuus, quod antè Diſcipulis Christus dum eſſet in vivis, ad quem redeo; & à quo rurſus audire videor: *Pax vobis.* At quæ pacis illius ratio? Prima, ut jam oſtendi, ſpectat ad pacem univerſi, ea quam ſubjungo ad diſcipulorum; ſtante enim à reſurrectione Christo, *jam terra ſteterat, dies redierat, ſol recurrerat, & ordinem ſuum compago mundi redditum jam tenebat.* Supererat ut eundem tenerent Diſcipuli, in quorum animis turbata erant omnia, proindeque pax nulla; ſed bellum undique, & undique bellum; quod eleganter ita explicat ille ipſe S. Præſul:

Diſcipulos manebat adhuc bellum. At quod, inquies? Non illud quod deforis obſtrepit; ſed quod intus & in animis omnia miſcet, & ſuſque deque vertit.

Primò enim *concuſſerat eos turbo paſſionis.*

Deinde *Collidebat eos acriter fidei, perfidiæq; conflictus; Credulitatis & incredulitatis acies pertinaci dimicatione reſtabat.*

Et hinc etiam *inſiſtebant mentibus eorum cogitationum caterva; & excurſibus deſperationis, ac ſpei robuſta licet pectora rumpebantur.*

Si porrò quæras unde ille in Diſcipulis turbo, unde conflictus, unde dimicatio, unde pugnantes inter ſe cogitationum catervæ, audies ex eodem D. Præſule:

Quod *inter miracula ſignorum Chriſti, & paſſionis ejus genera, inter Deitatis inſignia & imbecilla carnis, inter mortis damna, & dona vitæ, Diſcipulorum ſenſus menteſq; ferebantur: & nunc ſpiritus eorum tollebatur ad cælum, nunc eorum animæ collidebantur in terram: & in intimis eorum tali procella ſæviente, portum quietis nullum, nullam ſtationem pacis poterant invenire.*

Hoc videns ſcrutator pectorum Chriſtus, qui jubet ventis, procellis imperat, & ſolo nutu tempeſtates tranquillitate commutat, mox eos ſua pace confirmat, dicens: Pax vobis.

Addit deinde, quod eos in Reſurrectionis fide confirmet, & in optata jam animi tranquillitate. Addit, inquam, amantis illud:

Ego ſum. Ego ſum crucifixus ille, mortuus, ſepultus.

Ego ſum per me Deus, per vos homo.

Ego ſum. Ego ex mortuis ſum vivus; ex inferis ſum ſupernus.

Ego ſum, quem mors fugit, inferna tremuerunt, tartarus Deum confeſſus eſt cùm paveſcit.

Ubi vocem illam, *Ego ſum*, vocem amoris, pacis, ac fiduciæ plenam, ſic in eorum auribus, animiſque explicuit: tum adjicit & expreſſius iſtud:

Nolite timere. Petre, quòd negaveris; quòd fugeris tu Ioannes; quòd deſeruiſtis omnes, quòd infidelibus de me totis cogitationibus indicaſtis, quòd adhuc non creditis, me videntes. Nolite etiam ex his *timere.*

Ego enim *ſum, qui vos per gratiam vocavi: elegi per veniam, pietate ſuſtinui, charitate portavi: & modò vos ſola bonitate ſuſcipio: quia culpas videre neſcit cùm filium recipit; ſuos affectio cùm reſumit.*

Et hæc Christus ad Diſcipulos ore, calamóque D. Chryſologi. Hæc inquam omnia in duobus dumtaxat voculis: *Pax vobis.*

Accedit & alia ratio uſurpatæ ejuſdem ſalutationis, ad denotandam ſcilicet eam pacem, quæ deinde in Eccleſia erat futura. IV. Ad denotandam Eccleſ. pacem.

Ab hac S. Maximus dixit olim Eccleſiam *Aſilum eſſe, & templum pacis*, quod violare nefas.

Ab hac Chriſtiani à Tertulliano appellati *Sacerdotes pacis*, quam ſcilicet procurare omnes, quam colere, cui ſervire debuerant.

Ab hac germana Chriſtianitatis nota pax fuit, & vera concordia: teſte vel ipſo Conſtantino Magno Cæſare Auguſto, qui dum orationem habet in venerando Epiſcoporum cœtu, inter notas Chriſtianorum, concordiam reponit & pacem: ab hac etiam agnitus S. Julianus Dalmata; ætate quidem juvenis, at moribus, & Chriſtiana prudentia ſenex. Hic cùm propter Anagniam Campaniæ urbem iter haberet, in impii Flaviani ſatellites incidit, quos hac à Chriſto præſcripta formula ſalutavit: *Pax vobis fratres.* Quo ex ritu ſalutationis conjecturam duxêre haud falſam chriſtianum eſſe: & verò eum eſſe ſe faſſus eſt. Itaque primùm captus, dein cæſus, tum equuleo tortus, denique capite minutus cœleſti priùs voce ad pacem æternam invitatus terris vivere deſiit, & cœlo cœpit. Tantum illi profuit nota illa Chriſtianitatis. Bollandus in ejus vita tom. 2. Ian. 27.

V. Quia Chriſtianis pax. Ab hac quoque Chriſtiani poſt ſacram lotionem, aliquot dies albati incedebant; quòd albus color, pacis & concordiæ ſymbolum eſſet, ut diſertè notat Clemens Alexandrinus. Nimirum vel ipſa veſtis tacita quædam erat, & muta cohortatio, quæ pacem animis altè immitteret.

Ab hac etiam Apoſtoli religionis noſtræ ſatores ac magiſtri, in quemcumque locum pedem intuliſſent, in eundem etiam pacem inferebant: ita ſcilicet

Digitized by Google

cet à Servatore inſtituti, & docti fuerant, ut dicerent: *Pax huic domui; Pax vobis.*

Erat illa religioſa, & amica ſalutatio; neque nuda & inanis, ſed benedictione pleniſſima: ut quæ felices, ac fortunatos eos redderet, quos afficiebat. Quod apertè liquet ex eo, quod ubi Meſſias hanc formulam adhibendam cenſuit, addidit etiam & illud: Si ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin autem, ad vos revertetur. Quibus verbis clarè innuit pacem, quam voce jactabant Apoſtoli, pretioſum ac cœleſte fuiſſe donum, quod & lingua, & manu inferreut illi, ſi modò alii digni forent; ſin minùs, ad dantes revertebatur.

VI. Quia Sacerdotibus. Ab hac denique invaluit pulchra illa; & honeſta Chriſtianorum conſuetudo, qua in omni congreſſu pacem omnes ſibi mutuo vovebant: quam Cyrillus *Eccleſiæ legem* appellabat. Chryſologus altiore voce

L. 12. in Joan. c. 25. uſus, *Altaris Dominici cœleſtem ornatum.* Athanaſius, *præmium rei ſacræ.* Epiſcopus enim Eccleſiam ingreſſurus in primis adytis continuò dicebat *εἰρήνη πᾶσι*, *Pax omnibus*, quod ipſum iterum ac ſæpiùs inter ſacra repetebat. Imò & Diaconus Epiſcopi juſſu clarâ voce jactabat illud: *Nemo contra aliquem.* ut intelligerent omnes in aræ conſpectu, & pacificæ hoſtiæ ſacrificio, omne animorum diſſidium eſſe deponendum. Atque utinam deponerent ii omnes, qui ſacra ſubeunt loca; non ea foret etiam inter Chriſtianos, ſeu animorum, ſeu conſiliorum diſſenſio, à qua in partes adverſas abit propè diſſectus Orbis. Ne porrò in poſterum ſic abiret, ita benè precatus eſt Jesus: *Pax vobis.* Ecquid enim aliud?

Meſſias erat, & Univerſi reſtaurator, cui Iſaias ab ipſis retrò ſæculis hunc titulum fecerat: *Princeps pacis*, quam deinde ipſi caduceatores Angeli mundo denuntiarunt, cùm primùm lucem hanc aſpexit: ita ſubitò dulce nomen pacis auditum, quod velut in mundo peregrinum videbatur; antea enim & bellis, & turbulentis armorum motibus, & furioſis populorum odiis diſſecabantur omnia: ut in unum coirent, ut in mutuum fœdus coaleſcerent, & pacem haberent, effecit Jesus. Et hinc à D. Gregorio Nyſſeno audit *Rex juſtitiæ, & pacis*: à D. Cypriano *Doctor pacis, & unitatis magiſter.* Nimirum hanc Orbi prælegere venerat. *Evangeliſans pacem iis qui longè, & iis qui propè*, ut inquit Gentiū Apoſtolus.

Quis Meſſiæ. De perſ. for. Chri. p. 727. De orat. Domin. Ad Epheſ.

Græcus Poëta non ignobilis Chriſtum recèns natum effinxit quaſi *Dominum pacis in ſcuto natum*, in quo enim potiùs?

Eſt ſcutum non belli modò, ſed & victoriæ ſymbolum; & quidem in Chriſto, etiam pacis.

Bellum movere venerat vitiis, morti, dæmonibus, erebo, & de illis inſignem relaturus victoriam. Et hinc meritò in ſcuto depingitur.

Pacem homini afferre debuerat, & quidem ſtabilem, atque æternam: & inde dicitur *Dominus pacis*, quam & in primo vitæ limine, & in illius decurſu, & in exitu teſtatam voluit. Quia (ut eleganter inquit D. Chryſoſtomus) *unigeniti hoc præcipuum opus* Hom. 11. in

fuit, diſtantia copulare, conciliare pugnantia. Quò etiam Matth. ſpectat (ut ibi finiam unde cœpi) frequens illa beatiſſimi oris ſalutatio: *Pax vobis*, de qua etiam ſequens diſceptatio inſtituetur.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Dixit eis: Pax vobis. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Stetit in medio & dixit: Pax vobis.* verſ. 20.

CUR ITERUM ITERUMQUE A SALVATORE reperitur ſolemnis illa ſalutatio: Pax vobis.

IN univerſa illa aquarum eluvie, quæ Orbem univerſum obruit ac perdidit, Noëmus arcæ beneficio ab illis liber, columbam emiſit, quæ virentem olivæ ramum detulit, indicem pacis ac quietis, quæ mundo reddenda erat aquis jam detumeſcentibus. Noemo potior Chriſtus ab effuſo illo atque immani ſanguinis diluvio ex arca, hoc eſt, è Sepulchro, redivivum corpus eduxit, & inſtar innocentis columbæ ramum extulit, ſed olivæ, ſed pacis orbi jam redditæ teſtem, & primùm quidem illius, qua nobis cum Deo eſt quàm optimè: deinde etiam qua nobiſcum: denique qua cum proximo.

Pax triplex. Hanc pacem eamque triplicem innuiſſe viſus eſt JESUS, imò & attuliſſe, cùm diſcipulis, iterum ac tertiò ſic benè precatus eſt: *Pax vobis.* Ut cum Deo ter Opt. ter Max. haberi pax poteſt; ita & bellum: illa ſummum eſt bonum, quod annuente cœlo datum eſt; hoc autem ſummum malum, quod à creaturæ perfidia manare potuit.

Eſt porrò bellum illud triplex:

Ut & bellum triplex. Primum à principio mundi viſum in ipſa empyrei regia, ſubeunte in cœleſtes mentes malitia: tum enim & litui, & claſſica ſonuerunt, & volitarunt infeſtæ legiones, & infauſta illa Luciferi & Angelo-

Apoc. c. 12. v. 7. rum à ſummo Numine defectio, de qua Joannes Chriſti ſcriba: *Factum eſt prælium magnum in cælo: Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & draco pugnabat.*

Alterum bellum cum ipſo Numine, fuit in ipſa paradiſi ſede, in qua Adamus generis noſtri caput, rupta pace, cum Deo, authoreque ſuo inimicitias geſſit, easque infœlici propagine duxit etiam in poſteros; quos cœlo quodammodo rebelles, atque inimicos maternus effundit uterus, non ſine aliqua creatoris ſui injuria, labeque generis noſtri.

Poſtremum bellum eſt à ſcelerato: quiſquis enim auſu impotenti letale ſcelus incurrit, is cœlum petit, armis quodammodo invadit, & Gygantum more cum Deo pugnat.

Teſtem habeo Prophetam Regium; ſic ille ſtylum olim acuit: *Qui cogitaverunt iniquitates in corde*, Pſ. 139. v. 3.

tota die conſtituebant prælia. Pervicaces illi, in Deum impii, in ſeipſos injurii, in proximum malitioſi, qui divinis juſſis infandas ſuas voluptates, opes, honores, ſcelusque anteferunt, ex corde ſuo faciunt quandam velut armorum officinam, quibus vulneretur pietas, ſtillet animi cruor, ſalus intercat, cœlum impetatur; imò & ipſe Deus, qui tamen extra teli jactum eſt, impetitur tamen, & niſu planè temerario violatur. Ecquid enim aliud agit? Ecquid molitur impius, niſi in Deum prælia? Iniquitates ille ſuas in ordinem digerit, immittit in aciem, ſemperque eſt in procinctu, ſemper in horrore prælii, in fœda pugna; à qua in ſe trahit ac provitat cœleſtes iras, I.

fulmina, flammarumque globos, quibus in adverſa Pax cum

capita ſævire, fulminare, tonare Superi ſolent, & Deo.

ipſe Pater Æternus, quocum veluti bellum fuit

 jam

jam inde ab ipſis mundi cunis: Ut porrò miteſcerent illius iræ, ut ponerentur odia, ut bello pax optata ſuccederet, hujus arbiter, imò & author datus eſt Jesus, *pacificans per ſanguinem, ſive quæ in terris ſive quæ in cœlis ſunt*, ut diſertè Apoſtolus.

Ad Coloſ. c. 1. v. 20

Et hæc eſt pax prima, quam uti intulit, ſic & precatur, vovétque Chriſtus.

Altera eſt quæ unumquemque in ſeipſo componit & tranquillat.

II. Pax ſecum.

Hanc Stoici appellabant *modeſtam quietem, ſolitudinem tranquillam.*

Pythagorei, *ſerenam quandam & inimitabilem tranquillitatem*, quæ inter maxima indulgentis cœli beneficia reponi debet. *Grande eſt* (inquiebat olim D. Ambroſius) *intra ſe aliquem tranquillum eſſe, & ſibi convenire.*

De Iacob. l. 2 c. 6.

Quiſquis is eſt, nunquam non ſerenus, nunquam non lætus. Et talis eſt ſapiens, de quo ſic olim Seneca: *Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſupra Lunam; ſemper illic ſerenum eſt.*

Epiſt. 59.

Et talis ea Ambroſii voto debet eſſe Chriſtianus, ubique ſuus, ubique liber, ubique conſtans ſibi: ſimilis picturæ, quæ eadem ſemper lineamenta, eoſdem colores, eoſdem vultus exhibet. Et hæc eſt pax tranquilla ac ſerena, ad quam ille ipſe S. Doctor quemque noſtrûm invitat; ſic enim olim ad Vercellenſem Eccleſiam, & modò etiam ad noſtram.

Aſſueſce unus eſſe, ut vita tua quandam picturam exprimat, eandem ſemper ſervans imaginem quam acceperat.

Porrò unus eris & concolor, ſi nec iracundia rubeſcas, nec timore palleſcas, nec nigreſcas triſtitia, nec albeſcas inſolenti lætitia.

Unus eris, ſi ſpiritus carni, ſi ratio ſenſui, ſi denique Deus rationi præſit ac dominetur.

Tunc (inquiebat olim è Petri ſede S. Leo) *eſt vera pax hominis & vera libertas, quando & caro animo judice regitur, & animus Deo præſide gubernatur.*

Serm. 2. de Quadrag.

Unus eris, ſi tecum aliquando, imò ſemper fueris, nec alienus ac peregrinus à teipſo: uti ſunt plerique mortalium, qui nunquam domi ſunt, ſed foris ſemper, nunquam ſecum habitant, nunquam ſecum loquuntur.

Socratem ferunt querenti cuidam, quod nihil ſibi peregrinationes profuiſſent, reſpondiſſe. Nec mirum ſi illæ non profuerunt: *Tecum enim peregrinabaris.*

Seneca epiſt 104.

Et ita peregrinantur è Chriſtianis plerique, qui aliis ſemper vacant, ſibi nunquam; qui aliena curant, non ſua; qui tempori ſtudent; non æternitati.

Denique unus eris & tibi ſemper ſimilis, ſi bona, ſi pacata fuerit conſcientia.

Nil eſt (inquit D. Bernardus) *jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conſcientia; premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura.*

De interiori domo c. 23.

Ecce quæ pax à mente nullius mali ſibi conſcia. Ea certè quam nihil interturbet, nihil terreat, nihil commoveat, ne ſi fractus quidem illabatur orbis.

III Pax cum proximo.

Sed & alia eſt, quam etiam, & quidem præcipuè apprecari videtur; eſt illa pax cum proximo, ac plena, & ſuis numeris abſoluta cum illo conſenſio. Hæc à ſacris paginis, & Divis Patribus alia atque aliâ appellatione ſignatur. Ab Eccleſiaſtico dicta *oleum ſanctum*; quòd ſcilicet homines apud Deum commendet, & in odorem ſuavitatis uſque ad cœleſte ſolium evehatur.

De illo ſic olim Regius Vates: *Ecce quam bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum: ſicut unguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.*

Pſal. 132.

Hæc pax ſimilis unguento.

Utitur ea ſimilitudine Propheta, ut inſigne caritatis, ac mutuæ pacis bonum aperiat. Ut enim unguentum, quod è raris & pretioſis aromatibus compoſitum eſt, ſi effundatur, odorem ſpargit, & inexplicabili ſuavitate domum univerſam perfundit: ſic & concordia, quæ è plurium commercio, ut dulcium aromatum varietate conflata eſt, odorem gratiæ ad omnes effundit, mira & dulciſſima oblectatione. Et hæc prima ſimilitudo, qua pax cum unguento comparatur.

Alia eſt, qua etiam ros dicitur. *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.*

Erat Hermon, & Sion naturâ ſterilis, & arens; roris tamen beneficio atque ubertate, viridiſſimo induebatur veſtitu, & florum, ac fructuum copia nitebat: Sic & concordia, ubi roris inſtar in hominum ſocietatem influxerit, arentes atque exſuccos imbuit, & pulcherrimis virtutum, ceu fructuum, operibus fœcundat. Ab his viri pacifici dicuntur, & verè etiam ſunt conſummati, atque perfecti. Et pax ipſa dicitur *perfectio ſanctitatis*. Sic enim eam appellat ore aureo Chryſologus. Quod & in geneſi longè antè expreſſum videtur. Ubi enim Hemor, & Sichem de Hebræis ad ſuos loquuntur, ſic aiunt: *Viri iſti pacifici.* Hieronymus vertit, *conſummati, atque perfecti*. quaſi unum idémque ſit, pacificum eſſe, & perfectum: ut proinde mirum videri non debeat, ſi Jesus perfectionis in primis amans, pacem, quæ perfectio eſt, diſcipulis toties apprecetur.

Similis roti.

Serm. 53.

Ut porrò eam ſectemur impenſiùs, ſubjiciam aliqua ad mutuam concordiam invitamenta.

Ad eam invitamenta.

Primùm ducitur ab ipſo Orbe ſpectabili, quem Tertullianus dicit Deum eſſe *modulatum*; quòd ſcilicet eum è quadam veluti harmonia, & concentu elementorum aptè & ſapientiſſimè coagmentârit. Ut meritò pronuntiarint Philoſophi apud Caſſiodorum: *Elementa ſibi mutuis complexibus illigari, & mirabili conjungi fœderatione.* ex qua, ut ait Ariſtoteles, oritur *concinna quadam, & quaſi modulata partium mundi conſenſio, quæ harmoniam unam efficit longè omnium pulcherrimam.* Quàm verè & eleganter dicit eſſe *nutricem & conſervatricem Univerſi.* Quòd ſi hujus & nutrix, & conſervatrix ſit concordia; eadem & hominis, qui parvus mundus eſt. Inde apud Philoſophum audit ille ζῶον πολιτικόν, hoc eſt, *animans civile*, quaſi à natura factus ſit ad colendam civitatem, ad communem politiam, ad vitam ſocialem, quæ ſine mutua pace ac concordia ſtare non poteſt.

I. A mundo.

Lib. 2. Var. epiſt. 39.

Lib de Mundo c. 5.

II. Ab homine.

Lib. 1. Polit. c. 2.

Audiamus Senecæ vocem, & quaſi editum è puriore lycæo oraculum: *Natura*, inquit, *nos cognatos edidit. cùm ex iiſdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit.* Hactenus ille, qui de conjunctione, atque unitate hoc ſubdit: *Omne quod vides, quo divina, atque humana concluſa ſunt, unum eſt; membra ſumus magni corporis.* Quòd ſi membra; igitur & arctiore inter ſe nexu juncta atque copulata.

Epiſt. 95.

Et hoc quidem ipſa naturæ lege, à qua venio ad divinam. Deus Opt. Max. cujus eſſentia, bonitas, ac pulchritudo ἑνιαρχικά, id eſt velut *regina unitatis*, hanc in nobis amat, ac jure ſuo requirit. Ut enim unus ipſe; ita & nos unum eſſe quodammodo vult. Atque ut eſſemus, ſic ad Patrem venit cœleſtis orator:

III. A Deo.

Rogo, ut omnes unum ſint ſicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipſi in nobis unum ſint.

Ioan. c. 17. v. 20

At qua, inquies, unitate? Ea certè, quæ ad divinam propiùs accedat. Eſt Pater Æternus, eſt Filius unus individua naturæ unitate, quæ ſola in divinas perſonas cadit. At fideles ex Chriſti voto unum ſunt, non identitate naturæ, ſed religionis, ſed fidei, ſed caritatis: unum ſunt, ut exponit D. Cyrillus unitate Spiritus Sancti; non quòd ejus divinitatem induant (hoc enim & à natura, & à ratione nimis alienum) ſed quòd eandem ab illa gratiam, quæ eſt velut quædam delibata illius portio. Et illa unitas ad animas ſpectat; hæc etiam ad corpora, quibus etiam unum ſunt, quia uno veſcuntur pane, una Chriſti carne veluti ſaginantur. *Unus panis & unum corpus multi ſumus, qui de uno pane & uno calice*

Lib. 11. c. 26.

1. Cor. c. 10. v. 17.

participa-

participamus, inquiebat Gentium Apoſtolus.

IV. A menſa Eucharistica. Ita nimirum illa menſa, quam Arnobius vocat *menſam myſterii*, à Servatore quàm optimo inſtructa, ut eſſet arcanum ſocietatis, conteſſeratio fidelitatis, & illicium amoris, non tantùm, quo Deo jungeremur, ſed etiam quo inter nos ipſi æterno pacis, ac concordiæ fœdere necterentur, eſſemúſque Eccleſiæ, ceu bonæ matris, filii, *ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ ejus.* Meritò ſicut *novellæ olivarum*, hoc eſt germina, ſive plantulæ, quæ perpetuam pacem, ceu viridantem oleam, ferant.

V. A SS. Patribus. Ad illam nos invitant, imò impellunt SS. Virorum vel oracula, vel præcepta.

David altiore ſpiritu ſic olim ad ſuos, ſic modò ad Chriſtianos: *Inquire pacem, & perſequere eam.* Non (*Pſ. 33. v. 15.*) dicit: Si te pax ſequatur, eam ſuſcipe; ſed, etſi te fugiat, eam ſequere, nec deſine ſequi, donec aſſequaris.

Davidi conſonat Apoſtolus, qui ſic ad Chriſtianos: *Pacem ſequimini cum omnibus*, vel ut vertit Syro-chaldæus: *Currite poſt pacem*, (*Hebr. c. 12. v. 14.*) non corporis, ſed animi paſſibus, hoc eſt affectibus, ingeniique ardore, ac ſtudio; ad quod nos omnes incitare debet ingens pacis bonum: ab illa quippe dicimur, & verè etiam ſumus Dei filii. *Pax eſt, quæ parit filios Dei, nutrix de-* (*Serm. 6. de Nat.*) *votionis, & genitrix caritatis*, inquit S. Leo; à quo paululum diſcedit S. Chryſologus, cui *Pax, charitatis fœcundis nutrit uberibus.* (*Serm 138. de pace.*) *Pax*, inquam, *alumna fidei, columna juſtitiæ. Pax futuræ ſpei pignus idoneum. Pax quæ præſentes ſociat, abſentes invitat. Pax quæ terrena cœleſtibus, & divinis humana conciliat.* (*Epiſt. 139.*)

Pax eſt religionis nota, & veluti teſſera militiæ Chriſtianæ. *Spartiatas Lancea indicabat, humerus Pelopidas* (ut bellè notat D. Gregorius Nazianzenus.) At Chriſtianos pax ſignat veluti clarum ſtemma filiorum Dei.

Pax eſt forte telum, & bellum acre, quo juratus nominis noſtri hoſtis & imperatur & ſternatur. Hinc illud Tertulliani ad Martyres: *Diabolus vos inveniat munitos & concordia armatos; quia pax veſtra bellum eſt illi.* (*Ad Mart. cap. 1.*)

Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, amoris vinculum, conſortium caritatis, inquit D. Auguſtinus. (*Serm 57. de verb. Dom.*) Ecce quis ab una pace bonorum cumulus, quis virtutum proventus; quem dum in Auxilio Epiſcopo quærit & amat ille ipſe S. Præſul, ſic olim ad illum, & ſic etiam è cœli regia ad nos omnes: *Aufer litem, & revoca pacem, ne tibi pereat homo amicus, & de vobis gaudeat diabolus inimicus.* (*Epiſt. 75.*)

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad eadem verba tertiò repetita: *Pax vobis.*

QUÆ AD TRIPLICEM ILLAM PACEM ſint viæ?

Viæ ad pacem ſecum. HACTENUS vidimus quæ, quantaque ſit pax illa triplex: tum etiam quæ ad eam ſtimulo eſſe poſſint, attendamus modò quæ ad eandem ducant viæ; & quidem primò, quæ ad illam quæ nobiſcum eſt.

Hæc pax dicta à Stoicis *Solitudo tranquilla.* Igitur ut in eam venias, neceſſum eſt ut à turba, tumultúque ſecedas in ſolitudinem.

Hæc porrò D. Bernardo duplex eſt: *Exterior* una, altera *interior.*

I. Solitudo exterior. *Exterior* eſt *Cella*, in quam ſe recipit, quam amat, quam colit mens tranquilla, ut in ea pacem inveniat. Sic amavit ille ipſe lacteus Doctor, cui *cella cælum*: tum quia ut *cælum à celando* dicitur (quia ſcilicet omnia celat, ac tegit.) Sic *cella* & à celando nomen invenit, quia & ipſa hominem celat, & aliorum oculis eripit; ſibique quodammodo reddit: tum quia (ut ille ipſe S. Præſul) *Quod in celis; hoc & in cellis.*

In cœlis explicato mentis oculo videtur Deus ut eſt in ſe: tum etiam in eum itur omni voluntatis, & amoris impetu: tum denique eo fruitur, ac delectatur animus, & hinc æterna illi pax, & beata tranquillitas.

Quod in cælis: hoc & in cellis; in his enim quantum mortali fas eſt objicitur Deus oculo mentis orationis, ac contemplationis beneficio; deinde ex hoc etiam diligitur æſtu quodam, ignéque caſti amoris; à quo denique in eodem delinatur animus, & in alta pace conquieſcit.

Et ita conquievit Vir in paucis pius, ac religioſus Thomas à Kempis, qui ingenuè fatetur ſe non inveniſſe pacem *niſi in angello cum libello*, & hanc ibi quoque reperies ipſe, alibi nuſquam. Imò quod in hoc quietis, & pacis hauſeris, extra illud effundes, nec redibis in cellam is qui ex illa exiſti. Verum enim & iſtud Senecæ: *Quoties inter homines fui, minor homo redii.*

Minor, inquam, *homo*, hoc eſt minùs liber, minùs ſuus, minùs tranquillus. Et hæc prima ad quietem, ac pacem eſt ſemita; videlicet *Exterior* illa *ſolitudo.*

Altera eſt *Interior*, eáque mentis. *Solitudo*, inquiebat D. Bonaventura, *eſt ſecretum mentis*, in quo (*Dom. 6. poſt Paſch. ſer. 1.*) ſcilicet mens ab omnibus aliis ſecernitur, & ſibi uni vacat, ſibi loquitur, ſecúmque agit. Hanc quiſquis aſſequitur, ea vero ſolitarius eſt; qui non aſſequitur, etſi ſolus ſit, non eſt ſolus. Verum enim (II. Solitudo interior.) illud D. Chryſoſtomi: *Solitudo non facit eſſe ſolum: ſed mens.* (*In Pſal. 140.*) Quamvis enim corpore ſolus, ſi non ſola ſit mens, id eſt ſi aliis intenta, aliis occupata, verè non eſt ſola. Ut porrò ſola ſibi uni intendat, oportet. Quiſquis id facit, gaudet illa mentis ſolitudine, adeóque etiam pace.

Ea gaviſus olim Rex David etiam in aulæ ſtrepitu, etiam in armorum tumultu, bellique turbine, in quo & jactabat illud: *Singulariter ſum ego, donec tranſeam*; (*Pſal. 140.*) hoc eſt ſingularis, ac ſolitarius ſum quamdiu per hoc vitæ curriculum tranſeo; ſingularis, inquam, ac ſolitarius, amica, ac tranquilla mentis ſolitudine.

Qua etiam gaviſus deinde S. Ignatius Societatis JESU Fundator, ac parens, qui etiam in mediis curis ſui regiminis, in æſtu negotiorum, in hominum frequentia, ſolus tamen erat ea mentis, animíque ſolitudine: ſe enim ipſe ad ſeipſum quot horis revocabat, ſecum loquebatur, ſecúmque agebat; adeóque etiam tunc fruebatur ea ſolitudine, & inde pace, optatáque ſecum tranquillitate.

Venio ad ſecundam pacem, quæ eſt homini cum proximo, ad quam conſequendam hoc medium ſuggerit Apoſtolus:

Alter

Digitized by Google

Ad Galat. c. 6. v. 2.

Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti, hoc eſt caritatis, quæ ex vero Chriſti lex eſt.

I. Defectus naturales aliorum tolera.

At quæ, inquies, ſunt iſthæc onera? Theophylacto ſunt vitia deerrantis naturæ, ſeu ea corporis eſſe velis, ſeu ab hoc etiam animi; qualis eſt acrior cholera, tardior melancholia: has ut in alio toleres jubet lex caritatis. *Qui celer eſt, & iracundus, ferat ſegnem, tardumq́; ſegnis autem ferat vehementem illius impetum*, inquit hic Chryſoſtomus.

Epiſt. 95.

At dicet utrus aliquis, ea vitia me premunt, ea me quodammodo cingunt, & urgent, quî ea tolerem? quî patiar? Patiens enimverò ſi Apoſtolum audis, ſi gratiæ legem, imò ſi naturæ dictamen; hoc tibi, Seneca teſte, dicet, quod *Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima ſit.* In hac lapides, & marmora contra naturæ vim, & pondus in aëre quaſi pendulo ſuſtinentur; vel eò tantùm, quod ſibi invicem jungantur quàm arctiſſimè, imò quod ſe invicem premant. Et verò niſi ſic jungerentur, ac premerent; non eſſet fornicatio: ſed lapidum decidentium tumultuariè abjecta congeries. Sic & *Societas noſtra*, ſupra naturæ perverſæ inclinationem, ac pondus ſuſtinetur in altum gratiæ, ac virtutis, vel ideò tantùm quod alter alterum, ceu lapis lapidem, premat; ſi ſic ſuſtineri voles, ut aliorum vitia, moréſque à tuis alienos ſuſtineas eſt neceſſe. Et hæc primùm onera ſunt, quæ portari vult Apoſtolus.

II. Aliorum malis compatere.

Sed & alia, quæ etiam cum aliquo ſeu corporis, ſeu animæ vitio conjuncta ſunt: ut morbi acutiores, edaces curæ; imò etiam decreta pro criminibus ſupplicia: ea onera ut etiam portes oportet; portabis autem ſi compatiaris.

Epiſt. 95.

1. Cor. 12.

Et certè quidni compatiaris? *Membra ſumus magni corporis*, inquiebat Seneca, ideoque *ſi patitur unum membrum, compatiantur omnia membra.* Si pedi manus, ſi manui compatitur oculus, & hoc eo ſolùm quòd membra ſint unius ejuſdémque corporis, quidni & nos aliis compatiamur cùm *membra ſimus magni corporis*, id eſt mundi, id eſt humani generis.

Wadingus tom. 1. Annal. Min.

Ita, non ſine mutui amoris, ac caritatis miraculo, compaſſus olim B. Juniperus, S. Franciſci ſocius, qui reo ad id ſupplicii damnato, ut ei eruerentur oculi, à Judice enixè petiit, ſibi unum erui, alterum reo. Ecce ut alterius etiam rei onera portare ambivit Vir ſanctus.

III. Etiam aliorum peccata porta.

Sed & alia ſunt, quæ portes eſt neceſſe: vitia ſcilicet, ac crimina quantumvis enormia.

Ita Judæos, rebellia coelo capita, & infamem eorum idololatriam portavit Moſes; imò cum ob illam in vindices pœnas ire pararet Deus, ſic ad illum exceſſu quodam amoris:

Exod. c. 32. v. 31.

Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro, quem ſcripſiſti.

Ita portavit Gentium Apoſtolus, qui Judæos à fide, à ſalute alienos, ac reprobos ut vidit: primùm ingenti mœrore concuti, imóque corde compati cœpit: tum in faventes auras, cœlóſque hoc votum emiſit: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.*

Ad Rom. c. 9. v. 2.

Henriquez in Lilio Ciſterc. D. 10. c. 12.

Ita portavit S. Lutgardis, quæ cùm ſæpiùs ad Deum pro homine ſcelerato ſupplex veniſſet, nec tamen eam, quam à cœlo ſperabat, veniam impetraſſet; hæc ad Deum in ſummo amoris æſtu: *Aut dele me de libro vitæ, aut dimitte illi hanc noxam.* Cui hæc indulgens Numen: *Ecce remiſi illi, quia confidit tibi: uti & aliis, qui deinde in te confident.*

Et hæc quidem illuſtres animæ, doctæ à Superis aliorum peccata quantumvis immania portare, doctæ & inde pacem cum proximo habere; doctæ, inquam, à Chriſto Servatore quàm Optimo; qui & illa portavit ipſe, imò & pro peccatoribus factus eſt maledictum. Ut proinde *mirum non ſit ſi cùm Dominus pro ſervis maledictum ſit factus, ſervus pro fratribus anathema fiat*, ut diſertè obſervavit Origenes.

IV. Etiam condona; etiam malefacta benefactis compenſa.

Et hæc media ſunt ad pacem cum proximo: quæ ſubjicio ad pacem cum Deo, pro qua hoc potiſſimum, ſi alterius ſcelere, atque injuria læſus, & illud tamen toleres, & hanc etiam remittas: imò in te malefacta, benefactis compenſes, quo in genere illuſtre eſt illud, quod memorat Author hujus temporis, vir multæ lectionis, & variæ eruditionis.

Petrus Ponnequin Inst. ad amor. div. cap. 5.

In India Occidentali, Provincia Mexicana Hiſpanus unus aliquis ejuſmodi in alium odium conceperat, ut etiam juratus addixiſſet, nec capillos tondere, nec ungues rodere, nec confeſſionis Sacramentum adire uſque dum de illo cœpiſſet ultionem. Voto perperam concepto, cùm ſteiſſet ad duos annos, eóque ampliùs, ſubintellexit hoſtem illum ſuum adveniſſe in urbem ab ea, in qua tum erat, diſtantem leucas omninò duas ſupra viginti, ratus inde non procul eſſe ultionem; & alio ſe voto in ea firmavit, hoc ſcilicet, nihil omninò, ne buccellam quidem panis, guſtaturum uſque dum cum eo ad manus deveniſſet, quod ut faceret equum conſcendit, & diem noctémque ſolidam jejunus exigit; tum in forum armatus venit, ratus in eo, uti audierat, eſſe ſuum illum hoſtem; quem dum oculis undique, & undique quærit, audit fortè è ſocietate unum aliquem, qui loco illo publico, ac patenti verba habet ad obvios, & confertam plebeculam: audit enimverò, & quæ dicit non in aures tantùm, ſed & in animum altè admittit, ea porrò fuêre de admirabili Numinis etiam læſi in nocentes indulgentia, qua etiam ſcelera quantumvis immania non ſolùm remittit, ſed etiam infinitæ bonitatis conniventia benè factis compenſare videtur.

Pupugit hominem ea vox, & primùm in ſuſpiria, profundóſque gemitus excivit, tum etiam in lacrymas, tum denique in ſaniora conſilia, quibus ut morem gereret, mox à concione ad Patris pedes accidit, peccata omnia in aures deponit, & cum illis omnem inimicitiam; imò & vovet nihil guſtaturum ſe donec & inimico illi ſuo occurreret, & in gratiam, pacémque cum eo rediret.

Hæc dum animo verſat, ſerióque exequi molitur, intelligit ſuum illum antea hoſtem, carcère, vinculiſque ob debita teneri, nec mora ad illum advolat, ad ipſius genua provolvitur, veniam donat, petitque viciſſim & ipſe; imò & (quod ſummæ in eum caritatis fuit) equum, & arma vendit, ut ex eorum pretio & debita, & debitorem vinculis ſolvat. Et verò etiam ſolvit, neque pro dato pretio aliud exigit quàm priſtinam amicitiam, & pacem. Ecce quæ ad hanc, & illam via. Ut eam ingrediaris amice Lector, imò ut alios (ſi fortè ab illa longiùs aberrent) in eandem revoces, tibi ſubjicio ſonoros plauſus, quos olim dederunt æra ſacratiora, imò & per illa cœlum, ac Deus ipſe.

V. Diſſidentes reconcilia.

In civitate Urgelitana nobiles inter, ac cives grave erat diſſidium, quod etiam ad arma, mutuáſque cædes proritaret. Id ſubintellexit S. Bernardus Clavonius, & pro ea, qua valebat apud hos, & illos gratia compoſuit. Cúmque re benè geſta ad civitatem Vicenſem rediret, medióque ab illa milliari diſtaret, ecce campanæ omnes quaſi gratulabundæ ſponte inſonuere, plauſumque dedere magno illi, ac fortunato pacificatori. Ut & tibi dent aliquando, age quà licet diſſidentes reconcilia; & in priſtinam amicitiam, pacémque revoca. Id ſi feceris etiam cœlo judice plauſum referes, & ab hoc etiam palmam æternæ quietis, ac pacis.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittentur eis.* V. 23.

CUR INSUFFLARIT? ET QUID IN APOSTOLOS cœleſtis ille divini oris halitus intulerit?

Rationes. DUM Sancti Patres hanc evolvunt difficultatem, rationes quaſdam deducunt è divinis proceſſionibus petitas: quaſdam è primâ hominis creatione, ipſaque vitæ lege ac conditione, quæ ferè in ſpiritu ac reſpiratione poſita.

I. A proceſſionibus divinis. Jam inde ab omni retrò æternitate Pater Æternus ſeipſe modo perfectiſſimo intelligens, ſui Verbum expreſſit, Filium genuit ejuſdem etiam individuæ conſortem naturæ: Tum Pater, & Filius ſeipſi dum amant, amorem exprimunt, & Spiritum ſanctum ſpirant unius etiam ejuſdemque ſecum ſubſtantiæ. Ita in divinis Filius viâ intellectus per generationem (D. Auguſt. Tract. 121.) proceſſit; Spiritûs ſanctus amoris viâ per ſpirationem. Quam etiam hîc indicat diſcipulis ſuis inſufflans Dominus: ut enim Spiritus ſanctus procedit ex ſpiratione Patris & Filii; ſic qui in nobis eſt Spiritus gratiæ promanant ex Chriſti Domini afflatu, qui illius velut ſignum eſt, vel, ſi voles, cauſa quædam inſtrumentalis.

Et iſta in divinis militat ratio; hæc in humanis. Inſufflavit in diſcipulos Magiſter optimus, ut innueret ſe illum ipſum eſſe, qui olim Adæ primo parenti (Gen. c. 2. v. 7.) *inſpiravit ſpiraculum vitæ*, ut fieret *homo in animam viventem*, vel ut alii legunt, *in animam loquentem*; miro ſanè naturæ prodigio.

II. A creatione Adami. Erat è terra rufa, è terra virgine fictum Adæ corpus, lutea moles, terræque compages; ſed vacua ſenſu, vacuáque ſpiritu. Ut porrò & hoc & illo impleretur, ut mortales reſpiraret auras, ut vocem cum aliquo aëris afflatu ac reſpiratione ederet: *Inſpiravit Deus in faciem ejus ſpiraculum vitæ. Et factus eſt homo in animam viventem, imò & loquentem.* Vitâ ſcilicet plenus; plenúſque ſpiritu ac voce; ſed naturali, ſed animali. Quo proinde potior ac ſuperior fuit ille Chriſti afflatus; ab hoc enim diſcipulis indita vita ſpiritalis, & quidam cœleſtis gratiæ ſpiritus. Ut in hoc lapſi hominis reparatio cum ipſius creatione aliquo modo conſentiret.

In Evang. Joan. l. 12. c. 56. Hanc rationem extulit D. Cyrillus Alexandrinus, quem juvat audire: *Deus Pater per proprium verbum hominem formavit: inſufflavit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & ſui ſpiritus participatione munivit; Verùm quoniam ex inobedientia decidit, & priſtinum decus amiſit; formavit eum rurſus Deus Pater, & in novam reduxit vitam per Filium. Ut ergo ipſum eſſe diſcamus, qui initio naturam noſtram creavit, & Spiritu ſancto ſignavit; rurſus in ipſo initio renovandæ naturæ, ſufflatione ſpiritum diſcipulis largitur, ut ſicut creati ab initio ſumus, ſic etiam renovemur.*

Ecce ut poſtrema cum primis bellè conveniunt. Primus homini ſpiritus, qui vitæ mortali ſerviret, divina ſufflatione quaſi inditus: & alter, qui gratiæ

III. A regeneratione ſpirituali. eſt, qui caritatis, qui gloriæ ſemen, & beatæ æternitatis arrha quædam, eadem divini oris afflatione velut ingenitus: qua enim ratione potiùs ingenerari potuit ac debuit?

Erat homo immane terræ pondus; elevari debuit, atque ab imis tolli illo ſpiritu.

Erat homo ſuperinfuſa veluti peccati nube tectus atque obrutus; ea divino flatu disjici debuit atque diſſipari, ut jam inde verum eſſet illud Iſayæ: *Delevi ut nubem iniquitatem tuam, & quaſi nebulam peccata tua.* Cap. 44.

Erat homo quaſi navis inſtitoris, quæ panem, id eſt, cœleſtem annonam in portum efferret beatitatis: ut porrò efferret & celeriùs, & certiùs, afflatu illo, ceu aura diviniore, ferri debuit, atque promoveri.

Erat homo velut animatum organum quoddam, quod totum in authoris ſui laudes canoro iret ſono: ut autem iret, ſpiritu altiore opus erat, quò altiùs perſonaret.

Erat denique homo velut aliqua cœli lingua; & hæc audiri nec potuit, nec in articularas voces ſeſe expedire ſine ſpiritu, & afflatu quodam meliore. Hunc verò hauſit ab illa Chriſti Deique ſui inſufflatione, à quo etiam illud hauſêre Apoſtoli, ut & mortalium omnium judices eſſent, & alii à Chriſto Servatores, qui ſcilicet & peccatorum vincula ſolverent, & donarent libertate, quæ eſt filiorum Dei. IV.
Hanc porrò poteſtatem accepêre unà cum inſufflatione: Quo enim potiùs? Ut flatu extinguitur ignis; A poteſtate clavium.
ſic per paucula Sacerdotum verba, per duas voculas, *abſolvo te*, ſuffocatur, & perit ea ſcelerum flamma, quæ animam miſerè depaſcebatur. Tantùm apud mortales valet, imò & immortales ea abſolutio, quæ à Confeſſario, bono ſpiritu impenditur.

Quod paucos ante annos & ſuſpexit, & amavit, & Auſtriaca fide, vocéque profeſſus eſt Auguſtus ac piiſſimus Cæſar Ferdinandus ſecundus, qui cùm bona, cùm mala fortuna compoſitus, & utriuſque ſemper victor, præclara poſteris reliquit & morum documenta, & virtutum exempla; inter quæ non infimum illud quod ſubjicio, & accepi à Sacerdote Societatis, viro fide omni digniſſimo.

Erat ille tum temporis Sereniſſimo Duci Neoburgico à confeſſionibus, & ab eodem Viennam ad Cæſarem miſſus: fortè tum æger, & cubiculo, & lectulo affixus jacebat R. P. Lamormannius, qui Imperatori erat à confeſſionibus; quibus ne qua die deeſſet occaſio, ſuffectus Sacerdos ille noſter, qui & ſacrum in aula de more faceret, & Cæſari aures daret cùm eas exegiſſet. Igitur die quadam è ſacello evocatus ad conclave Cæſaris, ab eodem, & benevolè exceptus, & juſſus excipiendæ confeſſioni ad oratorium conſidere. Sed ô malum! vel potiùs ô commoda magni boni, & rarioris exempli occaſio! illicò enim ut iſtic deeſſe ſedile advertit Cæſar, alterum quod ex adverſo erat, manu prenſat, & attollit; prenſat, & attollit Sacerdos. Hîc orta lis pia & contentio, quis ex duobus ſedile tolleret, & in opportunum deferret locum. Dum id officii ſuo quaſi jure, & devota ſubmiſſione depoſcit Sacerdos ille noſter; & è contrario, illud humili, & verè Chriſtiana, hoc eſt Auſtriaca pietate, ſibi uni ſervatum vult Cæſar, qui tandem evicit, adjecitque illud dignum De quâ piè
cedro, Sede mi Pater, & caput obtege. Ita enim fa- Ferdinandus.
ctum oportuit; quia *in hoc tribunali tu Iudex, ego reus.*

O plenas fidei voces! ô religionis avitæ teſtes! ô dignas tanto Cæſare! ô tranſmittendas in poſteros omnes, & longè futuras ætates, quæ ab illo ſic de ſacro Tribunali & ſentire & loqui diſcant: atque vtinam diſcerent. Non is foret, quem in plerisque videmus ac lugemus ſacrorum deſpectus, non eo loco apud pleroſque nobiles vel Paſtor, vel Sacerdos, quo ſubinde, ut in menſa, & domi quaſi famulo utuntur; quo tamen utuntur etiam & judice, & in eo quidem tribunali, in quo agitur de remittendo immani ſcelere (læſæ ſcilicet divinæ Majeſtatis) de pace cum Deo ſupremo Numine, de eluenda quæ adhæſit animæ macula, de vitandis inferni incendiis, de recuperanda gratia, & jure cæleſtis hæreditatis quo per letale peccatum excideramus. Et hoc omne beneficio Sacerdotis, qui & manus damnando vertici imponit, & paucula inſufflans verba, abſolutionem impertit, & unà cum illa avertit immenſam malorum eluviem, & bonis cumulat (ſi modò pateris) etiam ſempiternis.

Quod ipſum Salvator optimus etiam cœlis additus miſello cuipiam oſtenſum voluit.

Admiſerat ille pudendum ſcelus, quod in aures Confeſſarii deponere horrebat.

Cantip. l. 2. c. 20.

Miſertus illius Jesus, ei ſeſe viſendum dedit, & quidem peregrini veſte; tum ſic illum affatus paucis. Age ſi te aliqua tui tenet miſeratio, ſi ſalutis amor, ſi deſiderium veniæ conſequendæ; & manum, & oculos capiti meo admove.

Fecit ille; & ecce tum in oculos, tum in manum incurrit oculus, qui illi peregrino erat in vertice capitis.

Hic hærere, mirari, ſtupere, exclamare infœlix peccator. Deus bone, quid iſtud? Quod hominis monſtrum, cui oculus in vertice? Tum Jesus: Ille, inquit, ille eſt oculus, qui te peccantem vidit, vidétque etiam in malo pertinacem: ſed age vocem expedi, ad genua Sacerdotis ſupplex accede, & quod hactenus malè latuit ſcelus aperi. Eſt miniſtris meis data poteſtas ligandi atque ſolvendi. Eâ dum licet, utere. Paruit ille, & ad veniam ſalutémque eſt uſus.

Imò & Chriſtus.

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Ioan. c. 20. v. 27.

AN VULNERUM CICATRICES IDEO SERVARIT DOMINUS, ut unum Thomam ab incredulitate liberaret?

Rationes.

Divus Auguſtinus, ubi meminit magni illius Patris-familias, cui natura duos dederat filios; prodigum unum, & alterum frugi: expendit illa verba, *Fili omnia mea tua ſunt*; adjicit Auguſtinus: *Quaſi non ſint & fratris*; reſpondet autem: *Sic à filiis habentur omnia, ut ſint & omnium ſingula, & omnia ſingulorum.*

In illud Luc. 15.

Ita nimirum bona pii parentis, & unius omnia, & utriuſque erant omnia, nullo hujus aut illius diſcrimine.

Quod de Patre-familias cenſuit D. Auguſtinus: hoc potiori jure de Chriſto Jesu, qui ſic omnes amat & curat, ac ſingulos; & ita ſingulos atque omnes. Et ſic in præſentia factum credit ac ſuſpicit Euſebius Emiſſenus: *Sciebat*, inquit, *quod Apoſtolus Thomas aliquando dicturus eſſet, Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Propter hoc cicatrices delere noluit.*

I. Thomæ converſio.

Hæc ille, quo interprete divinæ mentis, vulnerum cicatrices ſervavit Dominus, ut vel uni Thomæ medelam faceret, quamquam etiam & aliis ſimiliter incredulis inde remedium attulit.

Objecit enim impreſſa corpori ſtigmata. *Ut in ſeipſo oſtendendo vulnera carnis, ſanaret in eis vulnera mentis*, ait idem Euſebius. Sanaret, inquam, & ſanitati priſtinæ reſtitutos, in ea confirmaret, ſolidaretque. Ita teſte D. Auguſtino, Apoſtoli ceu *Columna, quæ in Paſſione nutaverunt, in Reſurrectione firmata ſunt. Terruerunt eos vulnera, firmaverunt cicatrices.*

In Pſal. 74.

Ita lapſis deinde ſæculis eæ ipſæ cicatrices terruerunt primum, dein in ſua vocatione firmaverunt Apoſtatam unum aliquem ex ſacro D. Franciſci Ordine.

Victus ille gravi tentatione à Religione dimitti petiit tum à ſuperiore, tum à Cardinali Hugolino illius Inſtituti Protectore, tum denique ab ipſo Honorio Pont. Max. à quibus omnibus cùm repulſam paſſus eſſet, religioſam mentem unà cum veſte exuit, abjecitque. Crederes inde & à ſalute, & à Deo abjectum: at (quæ Chriſti miſeratio fuit) non ſic. Dum enim præcipiti gradu è clauſtris elabitur, fugitque; ecce illi occurrit vir aliquis, forma quidem ſpectabilis, ſed vultu ad iram compoſito formidabilis, qui etiam ſic ad illum:

II. Etiam aliorum.

Quò pergis infelix, quò miſerande properas? cui ille pervicaci mente, oréque impudenti: *Quid mihi, & tibi? quid ad te attinet hoc meum iter? Tuum ſi voles emetire, de meo quærere deſine. Quid enim tua intereſt?*

Wadingus tom. 1. Annal. An. 13.

Vix hæc dixerat, cùm illicò pedes (quos fortè oblonga velabat toga) detexit; tum etiam apertas à vulnere manus, tum denique & ipſum ab immani plaga hians latus, & quidem & hoc, & illa quaſi recenti ſanguine manantia.

Terruit miſellum hominem ea ſpecies; ſed ipſa vox magis commovit: audit enim ex illo: *Vides quid ad me attinet. Quid mea interſit enimvero ſpectas. Vides quanti mihi ſteteris. Quóve emptus pretio, quo charactere ſcriptus in manibus, quo ſculptus in pedibus, quo lateri impreſſus, & quibus cicatricibus in corpore meo notatus ſis, attendis: attende porro, atque æſtima; & ne me ſic amore tui notatum pro mundo deſere.*

Vix hæc effuderat Salvator Optimus, cùm is quaſi fulmine percuſſus, territúſque infœlix Apoſtata, ad illius pedes accidit, culpam agnovit, damnavitque, ac deinde veniam petiit, atque accepit, & ad B. Franciſci, ceu Parentis optimi, gremium rediit.

Ecce ut ſervatæ ſacro in corpore vulnerum notæ, atque cicatrices non tantùm D. Thomæ, ſed & aliis quoque ſaluti fuere: crederes certè ideò ſervatas. Et hæc prima ratio, cui accedet altera, averſio ſcilicet à creaturis, & noxiis earum amoribus.

Cùm

III. Averſio à creaturis.

Cùm adhuc ſæculo implicita eſſet Lutgardis, & cum adoleſcente nobili, qui eam procabatur, familiariùs loqueretur; adfuit illi Chriſtus, deductáque modicum veſte, primùm ei lateris vulnus aperuit, tum extulit oraculum illud.

Henriquez in Lilio Ciſterc. D. 10. c. 4.

Lutgardis futura mihi melior ſponſa, humani amoris blanditias ne quærito; eſt in hoc latere quod unum ames. Hîc officina caſti in Deum amoris, hîc puriores amantium illecebræ, hîc cœleſtes deliciæ; hîc omnis animæ quies, ac ſatietas. Dixit, & videri ſimul, ac loqui deſiit, non deſiit tamen amari, imo tum cœpit quam maximè: ex eo quippe temporis puncto, non alio oculos, animum, amorémque flexit Lutgardis, quàm ad Chriſti vulnera, potiſſimum verò lateris: diceres eò relicta, ut eſſent objectum amoris, & nidus amantium.

IV. Fidei firmitas in Apoſtolis.

Et hæc cauſa eſt altera: cui addetur etiam tertia ut ſcilicet in fide nutantia firmaret corda; ut ſeipſe probaret, ut verum idemque corpus, quod paucos ante dies in ligno pependerat; non autem phantaſticum, quod oculis malè illuderet.

Chryſol. Serm. 80.

Hinc diſcipulis conturbatis & conterritis, quod exiſtimarent ſe ſpiritum videre. *Ego ſum*, inquit, *nolite timere. Ego ſum crucifixus ille, mortuus, ſepultus. Per me Deus, per vos homo. Ego ſum non ſpiritus in figura carnis: ſed ipſa Veritas in carne. Ego ex mortuis ſum vivus, ex inferis ſum ſupernus. Ego ſum quem mors fugit, inferna tremuerunt: tartarus Deum confeſſus eſt, cum paveſcit. Nolite timere; Ego ſum, qui vos per gratiam vocavi, elegi per veniam, pietate ſuſtinui, portavi caritate.* De quo ne cui dubium relinqui poſſet, ecce illius etiam in corpore impreſſa porto veſtigia; vulnerum dico cicatrices, quæ ipſam ſerant æternitatem; unáque etiam amores meos, quos non lingua, non inani voce prodo; ſed & operibus exhibeo. Hinc illæ ad Thomam voces: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas:* ab iis enim agnoſci volo. Habet nimirum illud Servator Optimus: non de facie noſci vult, ſed à manibus; imò & à pedibus. *Manus ac pedes potiùs, quàm vultum diſcipulos videre, ac recognoſcere jubet Salvator*, inquit Beda.

Luc. c. 24.

Habes illius argumentum etiam in diſcipulis euntibus in Emaus, quorum *oculi tenebantur, ne eum agnoſcerent. Percuſſi ſcilicet acraſia*, ut notat Gloſſa, faciem non videbant; manus autem videbant, & ex iis Chriſtum *cognoverunt in fractione panis*: adeò verum illud, Salvatorem non de facie, ſed de manibus, id eſt operibus, agnoſci.

Ita in prima Orbis infantia ab Adamo & Eva Deus agnitus: *Audierunt enim vocem Domini, ſed deambulantis in Paradiſo*, ut advertit Moſes Barcepha. Quò ſcilicet nos doctos voluit, ut per manus & pedes, hoc eſt, per opera, qui eſſemus, manifeſtemur: Sed hoc attigiſſe ſit ſatis. Ad alias rationes gradum faciamus.

3. P. q. 54. art. 4.

Angelicus Doctor aliquot recenſet, ad quas priuſquam deſcendamus, videndum nobis erit quàm turpiter in hac materia hallucinentur Gentiles.

Epiſt. 49.

Porphirius apud Auguſtinum illud objicit: *Si poſt reſurrectionem ſtatus beatus futurus eſt, quid ſibi vult cibatum Chriſtum fuiſſe, & vulnera monſtraviſſe? Sed ſi propter incredulum fecit, finxit: ſi autem verum oſtendit, ergo in reſurrectione futura ſunt vulnera.* Hæc illius fuit ratiocinatio, cui non abſimilis alia Gentilium aliorum apud Bedam.

In cap. ult. Luc.

Si Deus veſter nec ſibi inflicta à Iudæis vulnera curare prævaluit, qua temeritate putatis eum veſtra de pulvere membra ad integrum reſtauraturum?

Hæc iſti, quorum argumentatio aliquid concluderet, ſi à reſurrectione ſua & cibum admiſiſſet Jesus, & vulnera reſervaſſet neceſſitate quadam inductus, ac non potiùs voluntate. Verùm & illum ſumpſit, & hæc in corpore etiam redivivo, etiam beato, ſervata voluit, ſolius nutu ſuæ voluntatis, non naturæ, aut neceſſitatis imperio. Qui enim corpus exanime vitæ reddere potuit; potuit & vulnera curare, & relicta ex his in carne veſtigia penitùs delere: at noluit juſtiſſimas ob cauſas, quas hìc explicare noſtri laboris erit.

V. Victoriæ inſignia.

Prima hæc eſſe potuit: ut aliqua inde corpori accederet gloria, dum ei impreſſæ manent vulnerum notæ, veluti inſignia quædam virtutis, & partæ victoriæ trophæa: qualia oſtentare geſtiunt victores, à quibus, ut advertit Bernardus, ſolent in ſignum virtutis clypeorum foramina monſtrari. Nimirum illi ſibi laudi ducunt ac gloriæ, ſi quæ tela adverſo clypeo exceperint per relicta in eo foramina numerare poſſint, atque hominum oculis objicere. Imò ſi quæ vulnera è Martio pulvere glorioſè ſordidi retulerint, gaudent illotum offerre cicatrices, veluti teſtes rei benè geſtæ, & luculenta fortitudinis inſignia. Amant ſcilicet, ut rectè Venerabilis Beda, ſecum tanti circumferre ſigna triumphi; quod in Horatio Coclite probat Petrarcha: hic objicienti ſibi claudi pedis vitium, quod in tuendo ponte ſublicio, uſque dum à tergo per ſuos deſtrueretur, ac deinde in Tiberim deſiliendo contraxerat; objicienti, inquam, ſcitè reſpondit: *Minimè claudico; ſed Dii immortales voluère, ut per ſingulos paſſus meminerim triumphi mei.*

Serm. 3. de Reſurr.

In cap. 24. Luc.

Petrarcha de vulner. c. 77.

Hæc ille cum aliquo ſenſu vanitatis: at Chriſtus in ſpiritu veritatis cicatrices oſtentare poteſt, velut in corpore relicta ſui ſigna triumphi: cujus etiam memoriam refricent in cœlis beatæ mentes, ubi eæ in oculos incurrerint; refricent & in terris Chriſtiani, eaſque quà licet venerentur.

Conſtantinus magnus Imperator Auguſtus in Niceno Concilio effoſſos Epiſcoporum oculos piè exoſculatur vel religionis ergo vel etiam obſervantiæ: ſi in martyribus vacuas oculorum Orbibus ſedes adeò ſuſpexit, amavit, coluit Auguſtus Cæſar; quanta in vulnera Chriſti, & reſiduis ex his cicatrices fuiſſet pietate, religione quanta? Quanta eſſe debet, qui & nomine, & re etiam ipſa eſt Chriſtianus? Tanta certè quantam exigunt, & ſuo quaſi jure extorquent victoriæ trophæa, tot erecta laboribus, tot ſudoribus madida, tot cruciatibus empta, tot & tam copioſis ſacri Sanguinis fluentis etiam in æternitatem evecta.

VI. Pretium redemptionis.

Altera ratio, eaque primæ affinis eſt, ut ea vulnera Æterno Patri exhibeat, vel ut pretium ſalutis humanæ, vel ut impreſſum altè corpori obedientiæ ac devotæ ſubmiſſionis monumentum, vel ut ara divinæ miſerationis, ad quam confugiant rei mortales, vel ut nota ac character, quo ſcriptus legeretur amor, qui humanitatem illam occuparat; vel denique ut eſſent veluti muta quædam oratio, quæ Patris Æterni feriret aures, & veniam poſceret, atque impetraret. Has rationes quas in unum veluti faſciculum conjeci, extulerunt Apoſtoli, SS. Patres. Et quidem primù diſcipulus qui Chriſto ab amoribus fuit ac ſecretis. *Etſi quis peccaverit*, inquit, *advocatum habemus apud Patrem* Jesum Christum *juſtum.*

Ioan. c. 1. v. 2.

VII. Oratio muta.

Quomodo inquies advocatum? Et quâ vi facundæ mentis, quáve oratione? vix aliâ magis quàm vulnerum oſtentatione. Loquuntur nimirum illa, & altùm clamant, teſte etiam Apoſtolo, qui hæc olim ad Hebræorum ſolatium: *Habemus teſtamenti novi mediatorem* Jesum, *& ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel.*

Ad Hebr. c. 12.

Verè meliùs loquentem: nam ſanguis Abel vindictam inclamat atque expoſcit; at Chriſti vulnera etiamnum in corpore beato hiantia; vulnera, inquam, manuum, pedum ac lateris, è quibus veluti totidem canalibus effluxit copioſus ſanguis, etiamnum in cœlo clamant, & ab Æterno Patre miſericordiæ fluenta deducunt, & veniam impetrant.

Joannes ſecundus Luſitaniæ Rex cognomento Magnus, pro eo quo erat affectu in ſacra Chriſti Vulnera, etiam edito ſolemni voto promiſerat, nihil ſe negaturum unquam, quod à ſe in eorum honorem eſſet expetitum. *Vaſconſel. in Ann.* Quod reo cuipiam opportunum fuit ac ſalubre. Ducebatur ille ad ſupplicii locum, carnificis ferro capite minuendus. Ejus uxor Regi tum temporis ad ſacras ædes eunti fortè occurrit, ad genua accidit, ſupplexque rogavit per Salvatoris Vulnera, ut marito vitam daret, regiáque authoritate ſupplicio imminenti eriperet. Annuit illicò Rex pius, & lubens quidem, adjecitque regias illas voces. Etiam plura & majora donaſſem, ſi ea poſtulaſſes; nec enim quicquam negare mihi fas eſt, ubi vel objiciuntur, vel intercedunt Domini mei Deíque mei vulnera. Imò exoratio.

Certè vel ſolo horum objectu, viro nobili, qui fortè ad paupertatis anguſtias redactus erat, opem aliquam expoſcenti, donavit ingentem pecuniæ ſummam; imò & totam ſupellectilem ſuam argenteam eſt elargitus.

Si hæc in terris homo; quid in cœlis Divinus Pater, qui ipſa quanta quanta erit æternitate objecta ſibi habebit dilectiſſimi filii vulnera? Quid, inquam, eorum intuitu dabit? Imò quid non dabit? Si de vita agatur, eam dabit; ſi de bonis cœleſtibus, & illa etiam dabit.

Et hæc potiſſima ratio, cur Salvator Optimus, etiam vitæ cœliſque redditus vulnerum ſuorum cicatrices retinere voluerit. Quod ſcitè notavit D. Cyprianus:

Reſervata in corpore plaga, ut ſalutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donativum requirant. Ita Servator noſter, ut rectè etiam advertit D. Ambroſius: *Vulnera ſuſcepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri noſtræ pretia libertatis oſtenderet*; nobis autem arrham ſui in genus omne noſtrum amoris, ne cui de eo dubium poſſet ſupereſſe.

Ad Julium Cæſarem delatus olim miles, qui in eum proditionem moliretur; quod ubi reſcivit ille, accurrit illicò, & aperto pectore objecit adverſas cicatrices vulnerum, quæ illius ergò quondam exceperat: *Oſor. tom. 3. in feſt. S. Thom.* nec alio teſte Cæſari opus fuit; illis quippe fidem fecit, illis perſuaſit, illis evicit, & fidum pectus probavit. Si fortè ſcelerum tuorum abyſſo merſa (ô infœlix animula!) vereri incipias, imò dubitare quàm fidum, quàm plenum amore tui Chriſti pectus: age, illud explica, & vide quàm vaſta in latere cicatrix, quàm hiantes in manibus pedibúsque vulnerum notæ, illis inſcriptus tui amor, teſte vel ipſo Salvatore Iſaiæ voce, qua ſic olim ad te: *Ecce in manibus meis deſcripſi te*, craſſiore charactere, *Cap. 49.* cui pro atramento ſanguis; pro calamo clavi, & lancea.

Poſtrema ratio, quam affert D. Thomas, *ut in judicio quàm juſtè damnentur, denuntiet.* *Suprà.* Ut enim diſcipulo quondam incredulo objecit vulnerum cicatrices ad fidem excitandam, quia tum adhuc erat in via: *VIII. Condemnatio.* ſic reprobis in decretorio illo die eaſdem obtrudet ad ruborem, ad pœnam, eámque ſempiternam, quia tum in termino ſunt, & depoſita jam ſimul cum vita, omni ſpe ſalutis.

****

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

IN Evangelicæ hiſtoriæ ſerie duo proponit Magiſter optimus. Primùm ſe Paſtorem dicit, & probat vel eo maximè quòd vitam pro ovium ſalute donet ac prodigat. Dein diſcrimen ponit Paſtorem inter & mercenarium: quòd ſcilicet Paſtor periculis ſeſe objiciat, lupis occurrat, eos arceat à grege, imò & pro hoc tuendo ſanguinem fundat: crederes hunc in venis ſervari & calere vel ideò tantùm, ut pro ovibus effundatur. Secus omnino evenit in mercenario: hic enim ut videt lupum venientem, fugit, & commiſſum ſibi pecus relinquit prædæ & crudeli lanienæ.

Rationem illius fugæ infandæque defectionis ſi quæras, audies hanc eſſe: quia *mercenarius eſt*, *Ioan. c. 10. verſ. 13.* quia oves paſcit turpis lucri cauſâ: & hinc facilè ab officii ſui ſede, & gregis cura dimovetur ac fugit; quia timida ſemper & fugax eſt avaritia.

E contrariò autem, quia fortis ut mors dilectio; eodem fixus veſtigio hæret Paſtor, & mortem pro concredito ſibi grege intrepidus expectat: ut videbimus

---

EX D. THOMA.

EX his Chriſti verbis: *Bonus Paſtor animam dat pro ovibus ſuis*; *Ioan 10.* tria notantur inquit Angelicus Doctor. *Serm. 2.*

I. *Magna Chriſti bonitas* expreſſa his vocibus: *Bonus Paſtor.* Hujus officia omninò tria: 1. *Eſt oves defendere*: & ita defendit ipſe Chriſtus; defendit *à Leonibus, id eſt, dæmonibus; à Lupis, id eſt tyrannis; ab Urſo, id eſt hæreticis.* ita ſpopondit olim hac diſcipuli ſui voce: *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* *Ibidem.* 2. *Eſt oves paſcere, & ita in prato Scripturæ, Gratiæ, & Gloriæ paſcit. In paſcuis uberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis*, inquiebat Ezechielis ore. *Cap. 34.* 3. *Eſt oves errantes requirere. Ecce ego ipſe requiram oves meas*, ait ejuſdem Prophetæ voce: *Cap. 34.* & verò requiſivit lapſus è cœlo, lapſus in mortales oras.

II. *Magna*

II. *Magna Chriſti caritas*; ea probatur his verbis: *Animam ſuam ponit.* Et verò reipſa etiam poſuit: Matth. 16. 1. Enim *dedit corpus in cibum. Accipite & manducate.* 2. *Sanguinem in potum. Bibite ex eo omnes.* 3. *Animam in pretium.* Et *in hoc*, inquibat D. Ioannes, *cognovimus charitatem Chriſti, quia animam ſuam pro nobis poſuit.*

III. *Electorum ſanctitas*: Ea notatur his verbis: *Pro ovibus ſuis.* Ioan. 16. In illis tres ſunt actus ſanctitatis qui reſpondent genio ovium: 1. Enim oves nulli nocent; ſic nec electi, 2. Manſuetè mala ſufferunt hæ, uti & illi. 3. Oves ſe & ſua omnia ad hominum uſum tribuunt: ſic & electi, qui ideo Chriſti oraculo dicuntur oves.

EX D. BONAVENTURA.

Domin. 2 poſt Paſcha. ſerm. 2. COMMENDATUR ſumma Chriſti bonitas & in oves inclinatio ex quatuor capitibus, è quibus: Primum eſt, *In paſcendo.* Quod uberrimè fecit Chriſtus: pavit enim oves ſuas.

Cap 34. I. *Per doctrinam*: de hac ſic Ezechielis voce: *In paſcuis uberrimis paſcam eos in montibus excelſis. Scripturarum altitudines quaſi montes paſcua ſunt.*

Exod. c. 3. II. *Per gratiam*, dum oves ſuas quaſi alter Moſes *minavit ad interiora deſerti ubi Dominus in rubo apparuit, hoc eſt, in corde ferventi*, & ignita *caritate.*

2. Reg. 12. III. *Per Euchariſtiam. Hoc ſignificatum eſt in ovicula pauperis, id eſt Chriſti, de qua dicitur, quod erat de pane illius comedens, & de calice bibens.*

Bonus Paſtor, qui dat carnem in cibum, ſanguinem in potum, animam in pretium, inquit D. Bernardus.

Secundum in quo elucet optimi Paſtoris eximia caritas, eſt *oves defendendo contra lupum.* David olim 1. Reg. 17. bonus paſtor, & Chriſti typus, *Leonem & urſum interfecit*; invaſerant enim oves ejus. *In Leone diabolus ſignificatur, qui circuit tanquam Leo rugiens: In urſo autem caro; ſequitur enim mel, ſicut caro voluptatem. In lupo* denique *mundus propter avaritiam & crudelitatem*; Matt. 10. hinc illud Chriſti ad diſcipulos: *Mitto vos ſicut oves inter lupos.*

Tertium in quo apparet ſagacitas boni Paſtoris, eſt *oves cognoſcendo. Cognoſco oves meas*, inquiebat Paſtorum optimus. Cognoſcit, inquam, oves: 1. *Cognoſcentes ſe oculo animæ, fide vera.* 2. *Sibi obedientes. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco* Ioan. 10. *eas.* 3 *Sequentes ſe*, ſcilicet *per bonam vitam. Dominus enim cognoſcit oves ſuas colore, ut olim ſuas Iacob. Hæ variæ* Gen. 30. erant; & Chriſti variæ ſunt, inſigni ſcilicet virtutum, ceu colorum, varietate. *Laban* autem, id eſt diaboli, aliæ, *nigræ* per opera peccatorum; aliæ *albæ* per ſimulationem & hypocriſim.

Quartum in quo eminet ſummi Paſtoris erga oves ſuas beneficentia, eſt eas *uniendo & congregando*: Matth. c. 25. 1. *In hoc mundo, per fidem & caritatem.* 2. *In judicio*, in quo *ſtatuet oves à dextris.* 3. *In cælo*, in quod inferet aliquando perditam ovem, & junget aliis nonaginta novem, id eſt novem ordinibus Angelorum, & fiet *unum ovile, & unus Paſtor.* His adde ex calculo Ioan. c. 10. oréque primæ Veritatis officium boni Paſtoris, & quidem ſummum: *Animam pro ovibus ponere*: ita ſuam poſuit Chriſtus.

I. *In pretium Redemptionis*, quod qui fraudat næ Serm 3. ille infandi criminis eſt reus: *Si enim fraudando ſervum tuum mercede unius anni, peccas; quantò magis ſubtrahendo Dei filio animam tuam, pro qua triginta tribus annis ſervivit, pro qua animam ſuam in tuo ſervitio dedit.* Quid dicam, ſi non animam dumtaxat tuam, ſed & aliorum Deo tuo ſubſtrahas atque ſuffureris, vel ſuggeſtione mala, vel exemplo pernicioſo, vel ſcandali occaſione?

II. *In ſignum dilectionis*, majorem enim hac dilectionem nemo habuit, quàm ut animam poneret pro amicis ſuis; maximam qui etiam pro inimicis. Et hoc fecit Chriſtus: quod quantum ſit, à ſimili diſce. *Si te incipiente ſubmergi; jam in mari amicus tuus ſcienter ſe ſubmergeret ut ſuo evaderes adjutorio, quanta eſſet illa dilectio?* Et hac major eſt Chriſti, qui inſtar alterius Jonæ ſe demiſit in mare, ut alii deſinerent jactari & mergi.

III. *In monumentum recordationis*, ut ſcilicet illius Cap. 29. caritatis nunquam apud mortales ſit oblivio. *Gratiam fidejuſſoris tui ne obliviſcaris; dedit enim pro te animam ſuam*, inquiebat Eccleſiaſticus. *Fidejuſſor noſter* apud Æternum Patrem, eſt Chriſtus; fidejuſſio tanta, ut pro ea & domum, id eſt cœlum, reliquerit, & hæreditatem, & animam. *Reliqui*, inquit, *domum meam: diviſi hæreditatem meam, id eſt ſynagogam: dedi dilectam animam in manibus inimicorum* Ierem. 12. *meorum.*

IV. *In exemplum imitationis*, ut & pro fratribus, & pro illo vitam ponamus, dicamúſque & ore, & opere cum Petro: *Animam meam pono pro te.* Ioan. 13.

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Ego ſum Paſtor bonus.* Ioan. c. 10. v. 11.

CUR PRÆ CÆTERIS PASTORIS NOMEN ASSUMAT? Et cur in Lege veteri in ducem populi electus Paſtor? In nova verò Piſcator?

Rationes. NON deerant alta, ſpecioſa, auguſta nomina, imò & divina, quibus ſeipſe notaret JESUS, & Orbi efferret univerſo. Audierat enim multis retrò ſæculis, vel ipſo Iſaiæ vaticinio: Cap. 9. v. 6. *Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæ-* Serm. 10. inter parvos. *culi, Princeps pacis. Admirabilis in nativitate, conſiliarius in prædicatione. Deus in operatione, fortis in paſſione, Pater futuri ſæculi in reſurrectione, Princeps pacis in perpetua beatitudine*, inquit D. Bernardus.

Conſultò tamen declinat, & fugit ea omnia, eos honoris & gloriæ titulos etiam ſibi adnatos; aſſciſcitque ſibi humilem, abjectámque vulgò Paſtoris appellationem. Quæ cauſa? Ea fortè remota à communi ſenſu, & divinis inſcripta tabulis, è quibus ſi quid ad nos derivari poſſit, ex authorum fide petemus.

Ex antiquitate hæc duci poteſt, quòd Hebræis I. Antiquitas. Paſtores in oculis eſſent, atque amoribus, uti contrà Ægyptiis in odio: cujus ratio ex horum vitio, illorum autem virtute trahi debet. Ægyptii enim cùm oves & pecora pro Diis colerent, nefas duce-

bant ea mactare, atque cædere: contrà Hebræi nec ea pro Diis colere, nec iis parcere; ſed uti prout uſus tuliſſet & communis neceſſitas; cum qua tamen ſtare potuit, & certè etiam ſtetit, ſingularis ovium cura, & Paſtoralis officii dignitas, atque commendatio.

Quæ ex eo aucta, quòd illorum principes, & prima capita Paſtorali curæ, ac labori toti incubuêrint.

Ita in prima naſcentis Orbis infantia, ipſiſque cunis Paſtor fuit Abel.

Ita deinde poſt longa ſæcula Paſtores fuêre Jacob, ejúſque filii, cujus eæ ad Pharaonem voces: *Paſtores omnes ſumus ſervi tui.*

Ita Paſtor fuit Saul, & David Paſtor, & à Paſtorali pedo tam hic, quàm ille ad ſceptrum evocatus. Ab his emanavit in poſteros omnes amor quidam Paſtoralis officii, & à majoribus petita dignitas: cujus amoris retinens & ipſe Chriſtus ſeipſum paſtorem dixit, ac fecit; Ego, inquiebat olim, ſum Paſtor

Ioan. c. 10 bonus. græcè, ὁ ποιμὴν, ὁ καλὸς, *ille Paſtor, ille bonus*, antonomaſticè, & ſingulari quadam excellentiæ prærogativa, qua ipſi cedere omnes, ipſe verò nemini concedere. Et hæc prima ratio cur ſe Paſtorem appellarit Salvator Optimus.

II. Exemplum bonum. Huic affinis eſt altera, quam protulit D. Baſilius: *Chriſtus*, inquit, *degeneres Paſtores compeſcens, in ſeipſum veræ paſturæ teſtimonium transfert.* Eóque arguit

Hom. 26. de S. Mamante. Paſtores illos, quibus inane dumtaxat eſt nomen, quibus ab officii ſui lege alienus animus: quem ut ad illud ritè obeundum revocet, ſeipſe profert in exemplum, ad quod ipſi ſe exigant, ac forment.

III. Humilitas. Accedit, quòd hoc ipſum (de quo agimus) Paſtoris nomen maximè conſonet illi demiſſioni, quam & præ ſe ferre, & Orbi à ſuperbia perdito inferre venerat. Et hæc fortè ratio cur hujus ævi Principes, ac populi duces ſe quoque Paſtores vocitârint.

In cap. 38. Ezech. *Ut ſuperbum nomen imperii Paſtoris vocabulo mitigaretur*, inquit Divus Hieronymus.

Quòd ſi illud ipſum, quod in fortunas ac corpora datur imperium, ne gravius accidat, ne oneri ſit non ferendo, levari quodammodo debet ac ſuſtentari mitiore quadam Paſtoris appellatione; quantò magis illud quod etiam evadit ad immortales animos? Certè quantùm intereſt corpus inter, & animam; tantùm intereſſe neceſſe eſt inter eum, qui aut hanc, aut illud regit, dominatum.

Hic ut levis ſit, mitigari debet, ac quodammodo deprimi inſigni quadam demiſſione, quæ Paſtorem erigit, dum opportunè deprimit.

L. ep. 54. *Illa* quippe *humilitas, eſt officii ſacerdotális erectio*, ut ſcitè D. Auguſtinus.

Addi poteſt ac debet & alia cauſa. Erat Salvator Optimus generis humani amantior, ideóque eò

IV. Amor. loci ac temporis gaviſus appellatione Paſtoris, utpote quæ amorem oſtentat atque caritatem, teſte vel ipſa Hebræi nominis etymologia: Paſtores quippe, apud Hebræos dicti *Roghim*; amatores autem *Reghim*. Eædem omninò litteræ, una tantùm differentia puncti: ſit liquidò intelligeres Paſtorem inter & amantem ovium, aut parum, aut nihil intereſſe. Imò *Paſtorem* ſimul *amatorem* eſſe oportere. Et is fuit Jesus, & ii quoque eſſe debent quotquot ſunt animorum Paſtores, in ea, qua eminent præ cæteris mortalibus, dignitate; à qua ne excidant, inſigni caritate ſuſtineri debent: ut enim ex Antiquis nonnemo: *Ruit poteſtas, quam caritas non ſuſtentat.*

Ne aliquando rueret in Petro Paſtorum principe; illam Jesus ſuſtentari voluit, eximia quadam in commiſſas ſibi oves caritate, quam indicatam voluit, tertiò repetita eadem omninò quæſtione: *Petre amas me?* Quæ verba dum æqua lance expendit D. Gregorius, ex iis tria conficit, & è Petri ſede velut oracula fundit.

Primùm in Paſtore quærit & amat altiores & heroicos animos, à quibus diſcant & agere, & pati fortia; quod eſt amantium.

Deinde evehi vult, & in altum attolli, vi quadam elatæ mentis & cœleſtia contemplantis, eáque ad gregis commoda deducentis; quod etiam eſt amantium.

Denique optat efferveſcere, atque in ardua quæque efferri impetu quodam incenſæ caritatis; quod ipſum eſt amantium. Sic enim ait S. Pontifex: *Primò ei dicitur, Petre amas me, ut per amorem agere fortia ſtudeat. Secundò, ut in contemplando alta cognoſcat. Tertiò, ut perfecta caritatis affectu, & erga proximos ferveat, & ad ſpeciem Conditoris inardeſcat.*

Rectè ad ſpeciem, & normam Conditoris ac Servatoris Jesu, quem ovium ſuarum, hoc eſt animarum impenſus amor eduxit primùm è ſinu Patris: deinde in vitam mortalem atque ærumnoſam induxit: denique in crucem extulit, in qua vitam dedit nobilis amoris victima, qualis indubiè eſſe debet quiſquis & nomine, & re etiam ipſa eſt Paſtor.

Iſis apud Triſmegiſtum filium inſtruens ſuum in rebus diviniſſimis, ait Deum cùm animas in corpora demitteret, ſic illas affatum: *Amor vobis imperabit, & neceſſitas; ſiquidem hi, poſt me, præſunt omnibus.* *Stob. in Eclog. Phyſ. c. 1.* Maximè tamen animatum Paſtoribus, quibus amor proximi, & impoſita ex officio neceſſitas quidlibet, quamvis arduum, imperare poteſt. Quidni enim id poſſit in puſillos homines, qui & ipſi Deo auſus imperitare, & crucis onus imponere, imò & mortis longè acerbiſſimæ, quæ ſcilicet arrha fuit & pignus divini amoris. Sed & alia ſuccurrit ratio cur ſe Paſtorem dixerit, & quidem bonum.

Quærit Oleaſter, cur Dominus in lege veteri *In cap. 32. Iſai.* Regem deſignaturus, Paſtorem elegerit; in nova autem piſcatorem? Certè ſi tam hic, quàm ille è vili opificio peti debuit, atque ad eum dignitatis gradum aſcendere, cur non latomus? Cur non faber unus aliquis? Cur non alius quiſpiam, operi alteri *V. Labor.* inſudans totus? Reſpondet: quia inter opifices, quos diurnus exercet, fatigat, & propè frangit labor, nemo omnium eſt, qui majore tædio, cura, labore ſeſe exerceat ac paſtor & piſcator: Et hæc cæteras inter, eſt ratio, cur ſe Jesus Paſtorem dixerit, quia laboris amans erat in paucis, & *in laboribus* *Iſai. c. 9.* *à juventute*, imò & infantia ſua uſque ad extrema vitæ confinia: *factus enim principatus ſuper humerum ejus.* Meritò ſuper humerum, quia non tam honos, quàm onus, & immenſum quidem: quod expendens Tertullianus: *Quis*, inquit, omninò *Regum inſigne poteſtatis ſuæ humero præfert? Et non aut in capite diadema, aut in manu ſceptrum? Sed ſolus Rex novus novorum ſæculorum Chriſtus* Jesus, *novam gloriam, poteſtatem, & ſublimitatem ſuam in humeros extulit, crucem ſcilicet, ut exinde regnaret.* Et verò regnavit, itáque Paſtores longè conſequentes regnare docuit; ſi ii modò eſſe velint, quos ex officii ſui ratione, natura Deúſque eſſe voluit.

Dixit olim, & rectè, patiens Iobus. *Sed & gigan-* *Cap. 26.* *tes gemunt ſub aquis*, hoc eſt, interprete Rodolpho Flavienſi, Prælati, qui ab infula, pedóque tantùm cæteris eminent, quantùm pygmæis gigantes: *gemunt ſub aquis*, id eſt, *populis* (*aquæ enim multæ, populi multi*) gemunt, inquam, ac fatigantur: at non ſine ſenſu voluptatis. Ut enim D. Baſilius Seleucienſis: Bonus Paſtor *montes & ſylvas obire non recuſat, obit præcipitia, gaudet ipſa fatigatione, ovium inventionem ratus laſſitudinis eſſe levamentum.* Quale fuit ſummo animarum Paſtori Chriſto, qui Samaritanam, ceu *Ioan. c. 4.* ovem perditam, requirens *fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* Quod dum expendit D. Auguſtinus, ſacro quodam ſtupore percitus exclamat: *Iam incipiunt myſteria: non enim fruſtra fatigatur* Jesus; *Tract. in* *non enim fruſtra fatigatur virtus Dei: non enim fruſtra fatigatur,*

fatigatur, per quem fatigati recreantur: non enim fruſtra fatigatur, quo deſerente fatigamur, quo præſente firmamur.

Vis autem noſſe, ô homo, cur non fruſtra fatigetur? Audi quid ille ipſe S. Præſul: *Tibi fatigatus eſt ab itinere* JESUS, *fortitudo Chriſti te creavit, fortitudo Chriſti fecit, ut quod non erat, eſſet; infirmitas Chriſti fecit, ut quod erat non periret.* Et quidem illud ſine labore: at hoc cum ingenti quadam fatigatione, quam paſſus eſt vel eò tantum quòd Paſtor eſſet, & quidem quàm optimus.

VI. Manſuetudo. His accedit & alia ratio, quam expendit Divus Chryſologus: *Quid eſt*, inquit, *quod poſteaquam terribilis Deus mitiſſimi Paſtoris elegit officium, perſonam Paſtoris induit?* Reſpondet: Ut ferocientes antea gentes, diſcordes, inimicas, morum crudelitate barbaras, *ad ovium duceret ac redderet lenitatem.* Et hic cæteros inter, eſt fructus illius appellationis, qua ſe JESUS Paſtorem & dici & eſſe voluit; rara ſcilicet & inſignis quædam manſuetudo, quæ tum in vultu, tum in oculis eluceat; tum etiam audiatur in voce; tum denique ſentiatur in opere. — Serm. 6.

Ita eluxit in Chriſto, ceu bono Paſtore, quà in omni vita, quà etiam in morte. Aberrârat ovicula, & mirum quantum aberrârat à virtutis rectique ſemita; imò & in Paſtorem ſuum manum armarat: Ovicula, inquam, perdita, infandus proditor Iudas: ad quem blanda voce Dominus: *Amice ad quid veniſti?* Noverat apprimè quo animo, quo pede veniſſet: infido ſcilicet ac crudeli, ut vincula, ut vulnera, ut mortem inferret. Neque tamen ideò aut acriori pupugit voce, aut ſevera animadverſione notavit, aut graviore pœna mulctavit, aut fulmina cœlo expedivit, aut in ſupplicia vocavit: ſed amicum appellavit, inaudita poſt homines natos manſuetudine.

Nimirum *mel, & lac ſub lingua ejus. Dulcis erat* JESUS *in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere,* inquiebat D. Bernardus: ut ii quoque eſſemus & nos illius vel exemplo, vel præcepto. *Mel ſemper ſit in ore*, aiebat D. Chryſoſtomus, *Deo per ora mittamus nihil, niſi mellitum, nihil aſperum, nihil amarum, nihil ſcurrile; ſed omnia cælo ipſo digna.* Qualia miſit hac qua vivimus ætate S. Franciſcus Sales. Eum fortè convenerat nobilis unus aliquis, & colloquia traxerat in noctem denſaſque tenebras. Educi debebat è cubiculo, è palatio; nec erat qui præiret famulus, nec qui facem præferret, ut honeſtatis ratio exigebat. Hoſpitem manu prenſat bonus Præſul, & palpando ducit ad palatii fores. Quid hic expectent famuli? Quæ verborum tonitrua? Quæ fulmina minarum? At nihil horum ab Epiſcopo longè mitiſſimo, cui dum occurrit famulus qui erat à cubiculis, nihil ab illo audiit, niſi hæc paucula: *Amice, modicum candelæ mihi in præſentia honoris multum, multum commodi attuliſſet.* Hæc S. Præſul digna Pedo Infuláque manſuetudine: cui addo exemplum etiam illuſtrius in fortiſſimo Chriſti pugile P. Joanne Ogilbeo Scoto, de Societate JESU. — Cant. c. 4. — Serm de nom. Dom. — Ejus exempla.

Cùm duceretur ille ad ſupplicium, occurrit matrona nobilis, ſed petulantior, quæ invicto Martyri dicere cœpit quàm peſſimè, multa in eum convitia jacere, imò exprobrare quod luſcus eſſet, & vago lumine. Cui Dei famulus blandè illam aſpectans, ait: *Domina Deum oro, ut tibi faciat quàm optimè, & vultus tui decorem ſervet.* Ea vox tam manſueta, tam pia, mulieris animum pupugit: ſeipſam enim damnavit, & religioſi viri virtutem amavit deinceps, atque ſuſpexit. Amemus & nos, ſuſpiciamus, atque imitemur.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Bonus Paſtor animam dat pro ovibus ſuis.* V. 11.

AN ILLVD SIT BONI PASTORIS, id eſt CHRISTI?

Serm. 40. HANC quæſtionem injicit S. Chryſologus, & primùm ſibi objicit, quod ovibus minimè commoda ſit mors iſta Paſtoris, quæ ſcilicet *deſtituit oves, quæ lupis tradit inerme pecus, quæ ſic charum gregem ferinis morſibus derelinquit, direptioni dat, & exponit morti.* — Ratio dubii

Et vero ſic tradere, ſic exponere probat mors ipſa ſummi Paſtoris, id eſt Chriſti: *Ex quo namque poſuit ipſe animam pro ovibus ſuis, oves ejus gentilium velut prædonum diripiuntur incurſu. Mactandæ in carceribus velut latronum clauduntur in antris; à perſecutoribus quaſi à ſævientibus lupis ſine ceſſatione laniantur. Ab hæreticis quaſi ab extraneis canibus rabido dente carpuntur.*

At ne videatur id temerè jactari, appellat ad experientiam ipſam rerum magiſtram ac teſtem veritatis. *Hoc*, inquit, *Apoſtolorum peremptus probat chorus; hoc Martyrum toto orbe fuſus clamat ſanguis. Hoc Chriſtianorum membra data beſtiis, conſumpta ignibus, demerſa fluminibus patenter demonſtrant: quod utique totum ſicut mors intulit; ita vita potuit prohibere Paſtoris.*

Reſolutio. Ubi hæc pro illa parte extulit S. Præſul, tum pro adverſa multa fundit argumenta, & quidem

Primum petit ab amore, cujus vim ex eo probat, quod *amor impenetrabilis eſt Lorica, reſpuit jacula, gladios excutit, periculis inſultat, mortem ridet, & ſi amor eſt omnia vincit.* — Ab amore.

Et is fuit amor ſummi Paſtoris, qui ex vero vicit omnia, vincula vicit, alapas, ſputa, flagella, ſpinas, clavos, crucem, mortémque ipſam. Ita nimirum *fortem fecerat vis amoris*, & ita quidem *ut nil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computaret verus illius amor.*

Alterum argumentum ducit ab utilitate, quæ inde in oves emanavit. Paſtor enim ſic emoriens, *morti, quæ ovibus imminebat, occurrit, ut authorem mortis diabolum novo ordine captus, caperet; vinctus, vinceret; puniret occiſus; & ovibus moriendo viam vincendæ mortis aperiret.* Oſtendit autem quomodo & diabolum ſic vicerit, & ipſam quoque mortem ſuperârit etiam ſua in morte. — Ab utilitate

Nam & diabolus dum in hominem tendit, proſilivit in Deum: dum in reum ſævit, incurrit in Iudicem: invenit ſupplicium, dum ingerit pœnam: ipſe accipit dum dat ſententiam: & vivens mortalium paſtu mors moritur dum devorat vitam: abſorbens reos mors, abſorbetur Innocentiæ dum deglutit authorem: & perit mors ipſa, quæ perdebat omnes, dum omnium perimere vult ſalutem.

Ubi hæc altiore ſtylo ſic præmiſit, tum chriſtianâ in logicâ probè doctus, ſic concludit:

Ergo tali forma dum præceſſit oves Paſtor, ab ovibus non receſſit, nec illas dedit lupis: ſed tradidit lupos illis, quibus donavit ſuos elidere ſic prædones, ut occiſæ viverent, laniatæ reſurgerent, ſanguine ſuo tinctæ fulgerent regali purpura:

niveo

Digitized by Google

niveo vellere perlucerent. *Sic bonus Paſtor pro ovibus cùm poſuit animam; non abijt, & oves tenuit, non reliquit; nec deſtituit oves, ſed invitavit, quas per mortales campos, per iter mortis vitalia vocavit, & perduxit ad paſcua.*

Objectio. At inquiet unus aliquis, & obtrudet frigidum illud: *Ecce interim oves, id eſt Apoſtoli, Prophetæ, Martyres, & Confeſſores jacent ſepulti, diſcerpti toto ſparguntur in orbe, involuti ſanguine tetris clauduntur ſepulchris.*

Reſponſio. Non abnuo: at *reſurgent* aliquando: *vivent & regnabunt occiſi, quando Chriſtus illis reſurrexit, vivit & regnat occiſus;* & quæ paſtorem *ad mortem ſecuta ſunt oves, ſequentur ad vitam*, & tota æternitate metent in gaudio quæ breviore hoc ævo in lacrymis ſeminarunt.

Et hoc labores inter ac ſudores, inter pericula, vulnera, mortes debet eſſe ſolatio. *Laborans meſſor, quod in ſemine non videt, videbit in meſſe; & quod in ſulco deflet, gaudebit in fructu.*

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis: mercenarius autem fugit.* verſ. 11.

QVID INTERSIT PASTOREM INTER & mercenarium?

Paſtoris officia. AGITATUR à nonnullis ea quæſtio, cur Deus (qui per ſomnia ſubinde ſopitæ menti illabi ſolet, & futuris eventibus præludere) Pharaoni, eique uni, in amœna ſomni imagine oſtenderit futuram deinde poſt multos annos famem. Cur, inquam, illi & quidem ſoli? Reſpondet Oleaſter: *Vt doceret principes prævidere neceſſitates antequam ſint, iiſq; providere.* Hoc enim præcipuum Regis officium eſt uti & Paſtoris; inter quæ nomina is olim fuit nexus, ut & Regem eſſe ac Paſtorem; regere, & paſcere, unum eſſet.

Teſtis erit propheta David, idémque Rex & Paſtor, qui ſic olim ad Dominum: *Rege eos.* Ex Hebræo vertit D. Hieronymus: *Paſce eos.* Ea Chaldæo: *Ciba eos.* quòd unum, idémque eſſet regere & paſcere. Pſ. 27. v. 9.

I. Paſcere oves. Quod ipſum inſinuaſſe viſus eſt JESUS Paſtorum princeps, dum ſic ad Simonem: *Simon Ioannis amas me? Paſce oves meas. Idemq; tertiò repetitum;* ut piè advertit D. Bernardus: *Tertiò dictum paſce, nec mulge, vel tunde ſemel additum eſt.* Hæc ubi notavit, addit illud ad mores.

In declam. ſuper illud: Ecce nos reliquimus omnia. *Speret ergo diſcipuli locum, gradum magiſtri, qui Dominicum paſcere gregem ſatagit, non tondere.* Quod poſtremum improbè fecerunt Paſtores Iſraël, in quos illud Prophetæ fulmen: *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini; gregem autem meum non paſcebatis.* Quod tamen ea æqui bonique lege factum oportuit. Quis enim non arguat, non damnet Paſtorem, qui ſeipſe farciat ac ſaginet, dum interim inediâ tabeſcunt oves & malè pereunt? Ezech. 34. v. 2.

Non tondere. Quis non incuſet paſtorem, qui non tam oves amet ac quærat, quàm earum vellus; qui non lac dumtaxat, ſed & ſanguinem exſugat?

Prov. c. 27. Prudens illud monitum Sapientis: *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ.* Scitè ait neceſſaria, non honeſtæ ſuſtentationi ſuperflua, non ad luxum & pompam explicata; qualia in pleriſque ſui ævi clericis ac Paſtoribus vidit ac deploravit D. Bernardus:

Serm. 77. in Cant. *Vnde*, inquit, *hanc illos exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriam, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſa*, hoc eſt Eccleſiæ, hoc eſt Dominici gregis? *Inde eſt quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miſerandâ, incultâ, hiſpidâ, exſangui. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare; non eſt cuſtodire, ſed perdere; non eſt inſtituere, ſed proſtituere; non eſt paſcere gregem, ſed mactare & devorare.* Quod & facit mercenarius.

Paſcere tripliciter. Secus omninò bonus Paſtor: oves ille paſcit, & quidem tripliciter, *exemplo converſationis, verbo prædicationis, fructu orationis*, ut piè Divus Bernardus. Deinde oves ipſas quærit, non autem earum vellus. Ita in naſcente Eccleſiâ quæſiſſe viſus eſt Paulus, qui hæc & liberè, & verè ad Corinthios: *Non ero gravis vobis; non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* 2. Cor. 12. v. 14. Sic etiam authore eodem Apoſtolo, quæſivit Martinus Cardinalis, quem mirè prædicat D. Bernardus. Daciam ille univerſam obierat pro Summo Pontifice legatione functus, è qua rediit adeò rerum etiam neceſſariarum egenus, ut ne equum quidem ad iter haberet. Et cùm ab Epiſcopo Florentino dono aliquem accepiſſet, ubi ſubintellexit datum ad accipiendam gratiam, & ex aliquo ambitionis ſtudio; illicò reddi voluit, ne quid de libertate atque integritate decederet, ſi equus fortè ad domeſtica acceſſiſſet.

Hanc porrò parſimoniam dum amat, ſuſpicitque D. Bernardus, ſic ad Eugenium Pontif. Maximum: L. 4. ad Eugenium.

Quid dicis mi Eugeni? Nonne alterius ſæculi res eſt, rediiſſe legatum de terra auri ſine auro? Tranſiiſſe per terram argenti, & argentum neſciiſſe? Donum inſuper, quod poterat eſſe ſuſpectum, illicò rejeciſſe? Omninò alterius ſæculi res eſt, Præſulem è terra divite pauperem revertiſſe, nihilque retuliſſe præter onera, atque exantlatos animarum causâ labores. Nimirum hoc Paſtoris officium eſt, hæc laus, atque commendatio; à qua longè abeunt mercenarii, qui dum provincias, gregéſque ſibi commiſſos aut inviſunt, aut regunt, gazas ſuas ære nummato replent, & animum menius vacuum reportant; & hoc quia vellus ovis quæſiêre, non ipſas oves. Verè mercenarii, qui, ut ait ille ipſe Abbas: *Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, & mortem in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquiſitionem turpis quæſtus.* Serm. 20. in Cant. *Hoc ſolo à Iuda differentes, quod ille horum omne emolumentum denariorum numero compenſavit: iſti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias.*

Hæc S. Præſul non ſine ſtomacho, ingentique doloris ſenſu quem ingenerat tanti ſceleris immanitas.

Ecquid enim, an non iſti Juda proditore ſceleratı magis? Huic exiguum lucellum fuit ſatis; illis nec ſufficiunt gazæ opulentiores.

Pretioſa unguenta à Chriſti pedibus ad pauperes detorſit Judas: Illi & Chriſti pedes, & pauperes denudant. Judam triginta denariorum pondus in tartarum demerſit; & illos in profundam ſtygis voraginem non deprimet tot ac tantæ ex Eccleſiis, boniſque pauperum rapinæ, & pondus ex his immenſum? Deprimet enimverò, & ipſis quoque Judæ pedibus ſupponent.

Sed

II. *Oves curare.*

Sed ne longiùs : à mercenario abeamus, & redeamus ad Paſtorem.

Novit hic ſuas oves, & morbum, ſi quo laborent, detegit ut medelam adhibeat.

Serm. 25. in Cant.

Sciunt, inquit D. Bernardus, *boni, fideleſq; præpoſiti languentium ſibi creditam curam animarum, non pompam : medicos ſe, & non dominos agnoſcentes, parant confeſtim adverſus phreneſim animæ non vindictam; ſed medicinam.* Imò, quod in iis mireris & ames, ne una de ovibus quidquam patitur, quod præ ſacro animarum zelo, & divina caritate, non ipſi quodammodo & corpore, & animo ſuſtineant.

Teſtem volo è Paſtoribus quàm optimis unum aliquem : is erit Ambroſius.

De obitu Theod.

In omnibus, inquit, *Sacerdos periclitatur, in omnibus reis angitur : quod enim alii patiuntur, ipſe ſuſtinet; & iterum liberatur, cùm alii, qui tenentur, periculo liberantur.*

Hæc de Sacerdote, hoc eſt animarum Paſtore, D. Ambroſius; qui hanc præcelſæ caritatis flammam è magno illo D. Pauli pyreo hauſit. Dixit hic aliquando, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* (*2. Cor. 11.*) Crederes Apoſtolum eſſe veluti quendam Proteum, qui ſe in omnia vertat, qui aliorum infirmitates in ſe induat, qui cum aliis ſcandalum patiatur, & uratur ipſe tanquam Paſtor, ſi exurantur oves. Adeò hic compati novit & condolere; quod non facit mercenarius : ferreum quippe huic eſt pectus, & cor adamantinum, quod aliorum miſeriis tangi quidem poteſt; at emolliri non poteſt.

III. *Pro ovibus vigilare.*

Deſcendo ad aliud boni Paſtoris officium, quod in labore poſitum eſt; huic enim incumbit maximè, & nocte dieque fatigatur.

Teſtis erit Patriarcha Jacob, & ipſe Paſtorum facilè princeps, qui hæc & verè, & ingenuè de ſeipſo : *Die, noctuq; æſtu urebar, & gelu, & ſomnus fugiebat ab oculis meis.*

Ita nimirum laboris amans & tenax erat Jacob, ut nec ipſa nox illi quietem redderet, quæ tamen animantibus cæteris quietem afferre conſuevit. Quod dum attendit D. Damaſus, hoc velut è ſede Petri fundit oraculum :

Epiſt. 4.

Si ſic laborat & vigilat qui paſcit oves Laban; quanto labori, quantiſq; vigiliis debet intendere, qui paſcit oves Dei?

Certè quantùm intereſt inter mutas pecudes, & animas rationis compotes Deique capaces; tantùm neceſſe eſt intereſſe labores inter, quos & harum & illarum bono neceſſe eſt exantlari. Ideóque, ut cum S. Iſidoro loquar : *Si quis Epiſcopatum deſiderat, labores intueatur, pericula conſpiciat, ac non honorem ſuum animo perpendat. Mortes contempletur, non delicias; inſidias & curas conſpiciat, non in voluptatem animique remiſſionem oculos conjiciat.* Ut faciunt mercenarii, qui inerti torpent otio, umbras amant ſoleſque deſidioſos, ac ne digitum quidem volunt movere, ut gregi benè ſit, ut ad læta paſcua ducantur oves, ut arceantur pericula, ut ſuis incolumes reddantur caulis, hoc eſt, ut clariùs eloquar, ut cœlo ſerventur animæ ac beatitati. Ut porrò huic ſerventur, vigilat bonus Paſtor, & noctes ducit inſomnes. Et hæc illius gratia, hæc ultima virtus, quam expreſſêre Poëtæ in docta commenta faciles ac fœcundi.

Finxerunt illi Argum Paſtorum principem, ejuſque non capiti modò, ſed & corpori univerſo oculos affixêre, ut qui totus erat Argus, totus etiam eſſet oculus. Sed profanum, inquies, eſt iſtud; hoc quod ſubjicio ſacrum.

Rabbini ubi Sacerdotis veſtem explicant, quam deſcripſerat ipſum Numen, aiunt induiſſe togam lineam & talarem, ſed quæ tota reſperſa foret oculis, ut vel ex ipſa veſte noſſes quàm benè oculatus, & vigil eſſe debeat animarum Paſtor.

Vigil, inquam, *ſuper gregem propter tria*, ut vult D. Bernardus : *videlicet ad diſciplinam, ad cuſtodiam, ad preces. Ad diſciplinam, propter morum correctionem : ad cuſtodiam, propter diabolicam ſuggeſtionem : ad preces, propter tentationum inſtantiam. In diſciplina, rigor eſt juſtitiæ; in cuſtodiâ, ſpiritus conſilii; in prece, affectus compaſſionis.* (*In ſententiis. Et hoc tripliciter.*)

Hæc S. Abbas, qui ut Paſtor ipſe, ita Paſtores amat; ſed vigiles, ſed probè oculatos. Quales ævo nullo fuêre mercenarii, in quos illæ Vatis querelæ : *Speculatores ejus cæci omnes, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia.* (*Cap. 56. v. 10.*)

Tria in Paſtoribus Iſraël (hoc eſt mercenariis) vitia notat, & carpit Propheta.

Primum eſt, quòd maligna quadam cæcitate damnati, non alio vitio, quàm ſuo. Alterum, quòd canes muti, cùm tamen vocales eſſe quàm maximè debuiſſent : ſunt enim Paſtores in Eccleſiâ, ceu Dei domo, quòd in villâ canes; hi lupos arcent ab ovili; illi malevolos à peculio Chriſti, niſi planè muti ſint atque elingues, & ut antiquo proverbio dici ſolet, *bovem habeant in lingua.*

Fuit apud Antiquos nummus, quem dixere *didrachmum* : præferebat imaginem bovis, ideóque vulgò bos appellatus, ex quo fluxit illa paræmia, *bovem habet in lingua*, hoc eſt pecunia impeditus ſilet : ut ſolent mercenarii omnes, quibus os claudit auri cupido, burſáque improbè nummata. Non ſic Paſtores, non ſic; altùm illi clamant, ſi lupus aliquis involet, ſi gregi immineat, ſi periculum creet; imò ſeipſi periculis objiciunt, ſiſtuntque obvium pectus, ut vel ipſo vitæ diſcrimine, animas ſibi commiſſas impendentibus malis eripiant, & in tuta ſtatione collocent. D. Baſilius Seleucienſis Deum cum Noëmo ſic loquentem induxit : *Ad te ducam animalia ut olim ad protoplaſtum. Tu verò pro Paradiſo illis arcam pande. Eſto honoratior animantium Dominus, quàm Adamus : dedit ille nomen, tu ſalutem confer.* (IV. *Oves ſalvare?* — *Orat. 6. de Noë.*)

Meritò animantium *Dominus* fuit Noë, & quidem Adamo *honoratior* : hic enim tantùm nomen indidit, & illud inane & vacuum; ille verò ſalutem attulit, alioqui ab aquarum eluvie perituris.

Quod & faciunt boni Paſtores, qui animalia rationalia (hoc eſt Dei peculium) in arcam (id eſt Eccleſiam) admittunt, ut dum interim ex hominibus plerique, quà gentilitiæ ſuperſtitionis, quà hæreſeos, ceu inſanis aquarum vorticibus abrepti malè pereunt, ſalutem illud aſſequatur ac beatitatem.

Hanc autem eo ſtudio & cura ſectantur, ut nec ſibi parcant, nec vitæ; quod illuſtre chriſtianæ caritatis, ac Paſtoralis officii eſt argumentum.

De amico hæc olim ex ſeipſo quæſivit Seneca : *In quid amicum paro? Et reſpondit : Ut habeam pro quo mori poſſim, quem in exilium ſequar, cujus me morti opponam, & impendam.* (*Epiſt. 9.*)

Quod ille de amico, hoc & jure quidem potiori de ovibus quæret, ac reſpondebit bonus Paſtor. In quid oves paro? Ut habeam quas in exilium ſequar, quarum morti me opponam, & impendam. (*Etiam vitæ pretio.*)

Ita ſeipſe impendit Paſtorum facilè princeps Paulus, qui hæc & liberè, & verè Corinthiis :

Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris, licet plus vos diligens, minus diligar : (*2. Cor. c. 12. v. 16.*) hoc eſt, interprete D. Anſelmo, meum ſanguinem, meos ſpiritus, ac vitam exhauriam ac profundam ipſe pro vobis, *licèt plus vos diligens, minus diligar* : & hoc inſigne fuit caritatis documentum : quod amorem ſuum in nos effunderet, à quibus nec amorem reciprocum aut reciperet, aut expectaret. Dixit olim Seneca : *Amicitia, quæ ad commodum accedit, negotiatio eſt*; quæ verò ab hoc recedit, ea profectò amicitia eſt. Et talis fuit Pauli, quæ ſpectavit non quid ſibi Corinthii, ſed quid ipſe

Corinthiis afferret boni. Et ea quoque eſt boni Paſtoris, qui & ſe, & ſua prodigit omnia, non ut ſibi benè ſit, ſed ut ovibus quàm optimè: & hoc, quia is quo in eas fertur amor, eſt *amicitia*, non *negotiatio*: qualis arguitur in mercenario, qui cùm omnia referat ad commodum ſuum, non tam ovibus, quàm ſibi ſtudet; ideóque quiſquis ejus eſt in illas amor, non amicitia eſt, ſed negotiatio. Ex qua & illud conſequi eſt neceſſe, ut ſe periculis ſubducat, ut ſanguini & vitæ parcat, cùm & hæc & illa gregis ſibi crediti cura exigeret. Contra quam faciunt boni Paſtores, qui ovium vitam ac ſalutem ſuæ quodammodo præferunt; imò hanc prodigunt, ut illam ſervent.

Exemplo Moyſis.

Exemplo erunt è multis duo: Moſes in antiqua, Paulus in nova lege, Paſtorum duces inclyti.

Exod. c. 32. v. 31.

Ille hæc olim pro Iſraëlitis ad iratum Numen. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro quem ſcripſiſti.*

Cap. 9. v. 3.

Hic verò iſta ad Romanos: *Optabam ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.*

Pauli.

Ea fuit tam hujus, quàm illius in animas pietas, is cœlo probante amor: major tamen, judice Chryſoſtomo, Pauli, quàm Moyſis: *Quia*, inquit, *Moyſes cum cæteris optavit perire; Paulus pro cæteris. Non enim cum pereuntibus perire voluit; ſed ut ſalvarentur alii, ipſe de gloria æternitate decidere.* Et hoc fuit portentum Chriſtianæ caritatis, cui ſupparem in D. Baſilio commendat D. Chryſoſtomus. Cùm enim ille ſibi amico eam ferret opem, quæ ipſummet in diſcrimen adduceret, illáque de cauſa ut vitæ prodigus argueretur, ſic importunis illis monitoribus occurrebat.

Hom. 1. de Laud. Pauli.

Lib. 2. de Sacerd.

Baſilii.

Aliter amare non didici, niſi ut vitam meam in diſcrimen adducam, dum periclitantem amicum liberare opus eſt.

Hæc ore Chryſoſtomi Baſilius, qui ea in amicum erat pietate, qua Paſtor in oves, qui ſcilicet etiam aliter amare non didicit, niſi ut vitam in diſcrimen adducat, dum eas aut periculis, aut morti eximere eſt neceſſe.

Et hæc paucis de bono Paſtore, de quo pluribus egi in ſpeculo Eccleſiaſticorum, quod conſulere poteris, amice Lector, atque ex eo petere quæ ad explicandam hujus Evangelii ſeriem ſpectant.

Cap. ultimo de officiis boni Paſtoris.

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Lupus rapit & diſpergit oves.* verſ. 13.

QUIS ILLE LUPUS, ET QUO RAPIT OVES?

Mercenarius fugit.

MERCENARIUS *fugit non mutando locum*, inquit D. Gregorius, *ſed ſubſtrahendo ſolatium; fugit, quia injuſtitiam vidit, & tacuit; fugit, quia ſe ſub ſilentio abſcondit.* Et hoc in illo vitium, à quo immane derivatur malum. Quod ſcilicet lupus eas rapiat, atque diſpergat. Quis ille ſi quæris? Ne crede brutum animal, ne ſylvis ac nemoribus innatum: ad hoc enim non ſpectant ea Servatoris verba; ſed ad aliud omninò luporum genus, quod ſcilicet animas invadit, & Chriſti peculium, quà poteſt, abripit, ac perdit.

Lupus, i. dæmon invadit.

Ex illo genere eſt malus dæmon, qui ab Interpretibus lupus appellari ſolet.

Ejus nomina.

Ut maligni hujus ſpiritus genium in lucem ſolémque proferrent SS. Patres, varia ei nomina indidere, eáque ferè à belluis petita.

I. Serpens.

Primùm Antiquis dictus eſt *ſerpens*: vel quia ſerpentis ſpecie ad Evam olim adrepſit, vel quia callidus, & fallax ut ſerpens, incautos mortales dolis ſuis ac fraudibus irretire conſuevit; vel denique quia malis ſuggeſtionibus, ceu ſibilis, ad aures hominis allabi ſolet; ut bellè notavit Divus Bernardus, qui hæc de quatuor ſpiritibus humani cordis:

L. de conſci.

Diabolus clamat, Ego decipiam. Mundus clamat, Ego deficiam. Caro clamat, Ego inficiam. Chriſtus clamat, Ego reficiam. Ecce quis homini illabatur ſpiritus, quis auræ malignioris ſibilus. Unus eſt dæmonis, qui decipit: alter mundi, qui velis nolis deficit: poſtremus denique carnis, quæ ſua lue inficit. Infelix ille, quem is afflat ſpiritus; felix autem, quem cœleſti zephyro & reficit, & recreat Chriſtus: quem utinam aperto, patentique ſinu mortales omnes exciperent.

II. Leo.

Deinde dictus dæmon, *Leo*, ex indita ab immani vitio feritate; quâ impulſus, ut ritè monuit Apoſtolorum princeps: *Tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Tria hic ſtylo notat. Primum *circuit*; deinde *quærit*: denique *devorat* infeſtus dæmon. Ut hoſtis civitatem obſidens, aditus omnes explorat, an aliqua pateat via, qua in interiora ſubito ac violento lapſu irrumpat: ſic malus dæmon, hominem, ceu probè munitam civitatem, ceu Dei ſedem, ceu religionis propugnaculum, circuit, ſi qua parte in ejus animum pervadat, & viam ſibi aperta vi faciat, cùm malis artibus ac dolis non poteſt. Hæc inferni hoſtis molimina pulchrè deſcribit Gloſſa in eum D. Petri locum, cujus jam memini.

1. Petri c. 5.

Offert, inquit, *oculis formas illicitas, & faciles voluptates, ut viſu deſtruat caſtitatem, aures per canora, ut emolliat chriſtianum vigorem, linguam convitio provocat, manum injuriis laceſſentibus ad cædem inſtigat, honores terrenos promittit, ut cœleſtes adimat. Et cùm latenter non poteſt fallere, addit apertos terrores. In pace ſubdolus in perſecutione violentus.* In hac quærit, & rugit: *Quòd quærit* (inquit Cæſarius) *electionis eſt; quòd rugit, deſperationis.*

Eſca enim ejus electa: neque ab illo inquiruntur niſi boni, quia ſe ultrò ingerunt mali. Poſt illos violenter currit; in iſtos etiam negligenter incurrit.

In Habacuc c. 1. v. 16.

Poſtremum, quod imminens homini à dæmone periculum exprimit, eſt iſtud, quòd *devoret*, quòd crudam & inhumanam ejus cupiditatem apprimè denotat. *Devorat*, inquam, hoc eſt vitam animæ ſimul & corporis eripere ſatagit, ſi quo modo id aſſequatur. Et ut verè Orbis terræ Pontifex Leo: *Quorum obtinere non poteſt mortes, impetit mores.*

Serm. 6. in Epiphania.

Ex quibus omnibus vides, ut in diabolo ſeſe primùm explicet ſerpentis genius: deinde, ſi minùs aſſequatur ille, leoninus ſpiritus, hoc eſt efferus ac truculentus, ut ſcilicet vi extorqueat, quod dolis impetrare non poteſt.

Ad hoc & illam alluſiſſe viſus B. Petrus Damianus, ubi dæmonem cum Herinaceo compoſuit. Cùm hic ſpinis obſitus ſit totus, vindemiæ tempore vineas ingreditur, uvas decutit, & in deciduis

Opuſc. 52. c. 6.

III. Herinaceus.

granis

granis ſeſe volutans, ea omnia aculeis infigit ſuis; itáque velut parta præda, dives clabitur, & in antrum ea comportat ſuum. Sic & improbus dæmon in hominis animam, ceu uberem vineam, per peccatum admiſſus, omnes illius fructus excutit, omnia bonorum merita diſſipat, & nudum omninò peccatorem relinquit. Et iſtud huic in vita ab illo malum eſt: aliud in morte, à quo dicitur diabolus *canis*; quem metuens David ad Sancti Numinis præſidium verſus ſic orabat:

IV. Canis.

Pſ. 21. v. 22. *Erue de manu canis unicam meam*, hoc eſt animam, ut Chaldæus vertit, de faucibus canis, ſeu dæmonis, eripe.

Cerberum tricipitem finxêre veteres; neque enim ſatis erat illi caput unicum tribuere, unicáſque fauces, qui tot ora ſemper hiantia, tot apertas haberet fauces, quibus animas abſorberet.

Abſorbet autem primùm in ortu, ſi Superi patiantur: tum quandóque in ipſo decurſu miſerabilis ævi: tum denique, ſi necdum ejus extincta fames, in extremo vitæ limine.

Hæc nimirum eſt inferni canis rabies, hic furor, à quo eripi ſummis precibus ac votis poſtulat Propheta.

V. Lupus.

Sed nihil adeò cacodæmonis genium exprimit ac lupi, qua notatur, appellatio.

D. Judæis hæc olim fatidico ſpiritu Jeremias: Cap. 5. v. 6. *Lupus ad veſperam vaſtavit eos.* Meritò ſanè *ad veſperam*; hoc enim lupis eſt ſingulare: interdiu latitant, & ſeſe ſuis antris continent; at erumpunt noctu, adultiſque tenebris (quas ſcilicet oculorum acie vincunt) & tum in prædas illabuntur, irrumpunt in ovium caulas, illáſque fœdè lacerant, atque dilaniant. Et hæc Judæis, ceu Dei peculio, fecit diabolus. *Ad veſperam*, hoc eſt inclinata jam fidei luce ac propè extincta, *vaſtavit eos.* *Ad veſperam*, id eſt ad venerem, ad libidinem, ad impudicos auſus, qui noctem amant, ſilentéſque tenebras, *vaſtavit eos.* Et ita in præſentia etiam pleroſque è Chriſtianis vaſtat lupus ille veſpertinus: quidni enim vaſtet, qui eò tantùm ex inferis antris erumpit, ut prædam, hoc eſt animas cœlo natas abripiat; non ſecus ac lupus vorax oves & latentes ſub matribus agnos?

Lupi hæretici. Eorum nomina:

Sed ne longiùs. Veniamus ad hæreticos; nam & hi quoque lupi ſunt, & ſi quod aliud eſt truculentum magis inter feras genus; cum quo ſcilicet eos etiam componunt SS. Patres. Et quidem primùm cum ſerpente, ut ritè monuit S. Leo. Ut enim

I. Serpens. Serm. 5 de Ieiunio.

diabolus in amœna paradiſi ſede *decipiendis primis hominibus miniſterium ſibi ſerpentis aſſumpſit: ita hæreticorum linguas ad ſeducendos rectorum animos veneno ſuæ falſitatis armavit.*

Armavit, inquam, non tam ferro, quàm dolis; ut enim ille ipſe S. Pontifex de malis hæreticorum artibus: *Humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt*,

Ecce quibus viis in hominum animas ſibi aditum parat hæreticus: primò ficta quadam, atque ementita humilitate; tum blanda ac fallaci voce; tum etiam vinculis ſericis, quæ ubi indueris, es cacodæmoni præda, & victima nil miſerantis orci.

II. Mus.

Sed & aliud hæreticis nomen eſt, unde perverſa eorum indoles, ac natura pateſcat. Ab hac enim *mures* dicuntur illi, & verò etiam ſunt. Sic eos appellandos cenſuit Tertullianus, qui Marcionem hæreticum hoc nomine, ceu infami ſtigmate, notavit: L. 1 contra Marcio. c. 1. *Quis*, inquit, *tam comeſor mus ponticus, quàm qui evangelia corroſit.* Murem vocat Marcionem, & ponticum quidem, quia inter omnes edaciſſimus ille ac pernicioſiſſimus. Libris ac chartis ferè innaſcuntur mures, eóſque poſtea malè corrodunt, ac lacerant. Similes illis, de quibus Zonaras.

Tom. 1. Annal. Refert ille Sennacheribum Peluſianam obſidionem ſolvere coactum, quòd mures inter arma, arcus inter & ſagittas una nocte geniti, ea omnia corroſiſſent.

Quod illi; hoc omni ævo hæretici: naſcuntur hi ac ferè ſurgunt ſacras inter Litteras, teſte etiam ac judice D. Auguſtino: *Neque enim*, inquit, *natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata perverſa illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur.* Tract. 18. in Ioan. Dùmque aſſeritur, velut maligno dente Scriptura teritur. Et ita triviſſe viſus Eraſmus, cujus nomen unus aliquis ſic diviſit. *Eras mus*, ne à muribus divideret eum, quem iis junxerat malignum ingenium in Scripturis ludere doctum, atque laſcivire.

Ita quoque ante illum eas malè triverunt Lutherus, Calvinus, aliique ejuſdem farinæ homunciones, à vera religione fidéque profugi: de quibus præſaga mente vocéque Propheta Regius: *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Pſ. 11. v. 2.

Eſt veritas inſtar pretioſæ veſtis, quæ religionem, ceu dominam tegit atque ornat: eam porrò imminuunt hæretici dum ſacras litteras mutilant, rodunt ac lacerant murium more modóque, dum adulterinas interpretationes pro veris ac germanis ſupponunt; itáque ſpecioſam illâm ac cœleſtem veſtem conſpurcant; ſimiles muſcis, quæ ea omnia, quibus inſederunt, fœdant.

III. Muſcæ.

Ne mireris amice Lector, quod hæreticos *muſcas* apellem, & tartareas quidem, ut qui muſcarum Deo, hoc eſt dæmoni ſerviant, & in Sacra volumina involantes, ea fœdiſſimis ac putidiſſimis explicationibus deturpent. Ut proinde Eccleſiæ Romanæ (hoc eſt Catholicæ atque Apoſtolicæ) optanda foret ea gratia, is favor, quem olim indulgens Deus templo Hieroſolymitano conceſſit: Nimirum ut ſicut ab hoc, oblatiſque in eo victimis exſulabant muſcæ; ſic & ab illâ abeſſent quàm longiſſimè. Sed prohdolor! ſecus omninò evênit: vivunt hæretici Catholicis plerumque mixti, & Evangeliis inſidentes, atque inhærentes tenaciùs, ea quodammodo exſugunt, mordicant, atque contaminant, dum ad ſuos ſenſus inſanaſque cupiditates detorquent; non tamen ſine aliquo voluptatis fuco, atque illecebra: à qua dicuntur à D. Hieronymo, IV. Filiæ Sirenarum. *filiæ Sirenarum*: ſic enim in illa verba Micheæ, Cap. 1. v. 8. *Quaſi ſtruthionum* (vel ut legunt ſeptuaginta) *quaſi filiæ Sirenarum. Dulcia*, inquit, *hæreticorum carmina, & ſuavi voce populos decipientia; nec poteſt eorum cantica præterire, niſi qui obturaverit aurem ſuam, & quaſi ſurdus evaſerit.*

Si poëtis habenda fides. Sirenes ſuavi cantus modulamine vel ipſa navium robora vectoreſque ſiſtunt atque demulcent, ut primùm ſopiant, deinde oceano mergant.

Quod Sirenes, hoc & hæretici: blandis hi verbis in aures dilabuntur & animos; ut in exitium trahant, ut in barathri profundum demergant.

Sed iſta hactenus de fraudulento hæreticorum ingenio, dolis ac blanditiis, quibus eò periculoſiùs pugnant, quò molliùs. Subdamus pauca, quæ & malas illas artes aperiant, & unà feritatem, quâ timendi ſunt, explicent. Hanc prodit *lupi*, quâ etiam Lupi. notantur, appellatio, de qua ſic olim ad Paſtores Paſtorum optimus.

Actor. c. 20. v. 28. 29. *Attendite vobis, & univerſo gregi; quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos.*

Qui ſint illi ſi quæris, audies ex D. Ambroſio hæreticos eſſe, quos inter & lupos magna conſenſio. Primùm in voce, deinde etiam in viſu, denique in edaci dente, morſúque.

Ovem à lupo, qui ſe ſubinde illam fingit, ſic diſtingues, judice D. Chryſoſtomo:

Hom. 19 in c. 9. Matth. *Ovis inclinata deorſum balat: lupus in aëra convertit caput ſuum, contra cœlum, & ſic ululat.*

Digitized by Google

Nimirum inſigni demiſſione cœlum ac ſuperos ad ſe inclinat ovis; & hoc & illud à ſe avertit lupus, dum caput erigit, Sanctis omnibus inſultat, iis cultum omnem detrahit, immaniſque ululatu ipſum quodammodo Numen fatigat. Et hoc primùm à voce lupi malum eſt: alterum etiam à viſu: ut enim advertit D. Ambroſius:

L. 7 in c. 19. Luc. *Si quem priores hominem viderint, vocem ei quadam naturæ feruntur vi eripere; & contrà exagitari memorantur, ſi homo prius eos viderit.*

Sic hæretici, *Si quem verſuta mentis ſua circumſpectione prævenerint faciunt obmuteſcere. Si autem commenta impietatis ejus agnoveris, jacturam piæ vocis timere non poteris.* Tantum ſcilicet intereſt qui lupum illum videas, aut qui ab illo videaris. Si prior adverteris, benè habet: malignam illius oculorum aciem fregiſti, evibratos ſpiritus diſſipaſti; verbo uno, luem omnem, quam oculis affundebat, expuiſti, ſi eius verſutias, captiones, cavillationes detexiſti. Sin autem ille te prior viderit; & oculis tuis illudit improbè, & vocem, quâ reclames, adimit, & tenaci quaſi obligatam faſcino detinet. Et hæc ovili Domini à lupo (hoc eſt Catholicis ab hæreticis) importatur clades, major ab hujus dente, morſuque; de quo ſic facili, mellcòque ore Divus Ambroſius:

Lupi inſidiantur ovibus: ſomnum canum, abſentiam, aut deſidiam Paſtoris explorant, ovium guttur invadunt, ut cito ſtrangulent.

Quod ovibus illi; hoc miſeris mortalibus hæretici. Animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus affligunt. Hæc ubi dixit S. Præſul, juſto doloris æſtu percitus exclamat: *Graves ſunt morſus hæreticorum, ipſis graviores, & rapaciores beſtiis:* graviores, inquam, tum quia non corpora petunt mortalia; ſed immortales animas: tum quia aliena veſte tecti in ovile Chriſti faciliùs admittuntur, ideòque periculoſiùs; ut enim ille ipſe S. Doctor:

Veſtitum ovis habent, facta prædonis; foris ovis, intus lupus, qui humanæ necis inſaturabili crudelitate, fidelium morte populorum, rabiem ſuam explere deſiderat.

Explet autem primùm, dum in hâc vita ad inſanas cupiditates abripit: deinde cùm inferni faucibus devorat. De illo ita S. Gregorius:

Rapit oves; cùm hunc ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam accendit, alium in ſuperbiam erigit, alium per iracundiam dividit, hunc invidiâ ſtimulat, illum in fallaciâ ſupplantat. Ecce quò lupus rapit oves, ſeu illum dæmonem eſſe voles ſtygiumque prædonem, ſeu etiam hæreticum præcipuum ab illo caput, à quo tot pullulant libidinum ſcelerumque monſtra, quot falſa prodeunt dogmata.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

CUM immineret Salvatori quàm optimo brevis occaſus & fœlicis ævi meta; ut diſcipulis ſuis ſolatium faceret, primùm docet futurum ut ab illis abſit ad modicum tempus, quod ſcilicet occupabit dolor & luctus: tum iterum adſit, non ſine ingenti lætitiæ ſenſu. Et hunc, & illum explicat opportuna ſimilitudine petita à muliere parturiente: hæc ubi conceptam utero ſarcinam deponit, grave ſentit triſtitiæ pondus; diceres non tam prolis, quàm doloris fœtum eſſe: At ubi hoc ſeſe exoneravit, tum & triſtitiam omnem abjicit, & novo gaudio ſuperindui videtur; & eò quidem ut ne anguſtiarum, in quas venit in ipſo partu, memoria ſuperſit: adeò illi volupe eſt quod in mundum natus ſit homo. Quod parturienti; hoc Apoſtolis, hoc juſtis omnibus: ubi fidem illi (ceu quendam cœli partum) concipiunt, & in auras emittunt, ſentiunt à tyrannis, ab infidelibus, à mundo graves immitti perſecutiones, ſub quibus gemunt ad modicum tempus; uſque dum ſcilicet alteri reddantur vitæ, & Magiſtro quàm optimo: tum enim in gaudia, in plauſus ibunt, quibus finem nullus imponet. Et hæc Evangelicæ hiſtoriæ ſeries, de qua fuſiùs more noſtro per quæſtiones, quas ſubjiciemus: priùs tamen

EX D. THOMA.

Ioan. c. 16. IN illo Chriſti ad diſcipulos oraculo: *Mundus gaudebit. vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*, tria notantur:

Serm. 2. I. *Mundanorum ſtultitia* his verbis: *Mundus gaudebit*; eam porrò ſtultam eſſe oſtendunt tria: 1. *Tempus: quia modò non eſt tempus gaudendi; ſed flendi. Tempus*

Eccleſ. 2. *flendi*, ſcilicet *præſens*: *& tempus ridendi*, videlicet *futurum*: & ita flet ridétque Sapiens, contrà verò ſtultus, & mundanus: ridet in præſenti; flebit autem in futuro. 2. *Locus: quia mundus iſte locus eſt triſtitiæ,* Pſal. 83.
& non lætitiæ. In valle ſcilicet *lacrymarum, & loco flen-* Iud. 2.
tium. 3. *Cauſa: quia gaudet de malis. Lætantur* enim
cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Proverb. 2.
Ita ſtultum gaudium in tempore triſtitiæ, in loco miſeriæ, in perpetratione malitiæ.

II. *Sanctorum Sapientia*, ſic expreſſa: *Vos autem contriſta-*

Eccl. 7. *contriſtabimini:* quod eximiæ eſt Sapientiæ propter tria: 1. *Quia per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* 2. *Quia per momentaneam triſtitiam evadunt æterna ſupplicia.* Verum illud Domini per Nahum: *Cap. 1.* *Afflixi te, & non affligam te ampliùs.* 3. *Quia per modicam triſtitiam acquirunt æterna gaudia. Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* *2. Cor. 4.*

III. *Futura ſanctorum lætitia.* Firmatur hac promiſſione: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Id porrò gaudium in tribus eſt repoſitum. 1. *In divinæ præſentiæ conſolatione* hìc expreſſa: *Iterum videbo vos & gaudebit cor veſtrum.* 2. *In ſumma cordis exultatione: gaudium enim, & lætitiam obtinebunt.* 3. *In æternitatis aſſecutione*, quam ſic exprimit: *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* *Iſai. 35.*

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 2. poſt Oct. Paſch. Serm. 1. NOTANDUM aliter, atque aliter Deum à nobis videri.

I. *Videtur in mundo à credentibus*, & quidem *modicum, non tam duratione, quàm cognitione.* Videmus enim non *in ſe, ſed in creaturis;* videmus *per ſpeculum; videmus non facie, ſed à tergo Incarnationis:* ut olim Moyſes, ad quem ſic Deus: *Videbis poſteriora mea; faciem autem meam non videbis.* *Exod. c. 33* *Poſteriora ſunt humiliora, quæ in carne geſſit:* videmus non in luce apertæ cognitionis, ſed quaſi *in viſione noctis*, per quam quæſivit & ſponſa, dum ait: *Per noctem quæſivi quem diligit anima mea.* *Cant. 4.*

II. *Videtur in extremo à decedentibus:* Ita viſus Stephano inſigni agonothetæ; qui ſic in ultimo certamine, & meliuris ævi limine: *Video cælos apertos, & JESUM ſtantem*, quaſi paratum *ad ſuſcipiendam animam*, inquit D. Bonaventura. *Act. 7.* Ita viſus & Sanctis quamplurimis, quibus evenit quod olim Jacob: ſupponens hic lapidem capiti ſuo, dormivit, & ſcalam vidit tangentem cœlos, & Dominum innixum ſcalæ. *Gen. 28.* Lapis eſt dura pœnitentia, in qua juſtus dormit; id eſt, decedit: ſcala ſunt gradus virtutum: duo ligna, quæ illam faciunt, ſunt amor Dei, & proximi. Qui hanc fabricaverit dum vivit, ubi dormierit à ſomno mortis, videbit in auxilium ſuum deſcendentes & aſcendentes Angelos, & Dominum innixum ſcalæ ad animam ſuſcipiendam.

III. *Videtur in cælo à fruentibus*, & quidem *facie ad faciem.*

IV. *Videtur in Iudicio à reſurgentibus;* ut enim Joannes Chriſti ſcriba: *Videbit eum omnis oculus:* *Apoc. 1.* oculus adulteri, ſuperbi, immundi, videbit ad probrum, ad dedecus, ad ſupplicium æternum; oculus autem innocens, ad laudem, ad gloriam, ad mercedem ſempiternam. Hæc ubi dixit Sanctus Doctor, tum ad illa Chriſti verba: *Iterum videbo vos*, ſubjicit quomodo Deus, ceu cœli, ceu orbis oculus, nos videat.

I. *Vides omnes communiter* notitia quadam generali: *Serm. 2.* *De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum*, inquit pſalmiſta: *Pſal. 32.* *O ſi ſol eſſet oculus, quanta videret in mundo? Et quanta vident oculi Domini ſole lucidiores*, à quibus dum ſe tectum opinatur impius; ait: *Non videbit Dominus.* At fallitur: videbit enimverò. *Videbit omnia Deus ſapientiſſimus, ſed non ſtatim vindicabit omnia patientiſſimus.* *Pſal. 93.*

II. *Videt bonos amicabiliter gratia ſpirituali*, qua eos prævenit. *Cap. 9.* Ita *vidit* JESUS *Mathæum ſedentem in telonio, ita vidit duos fratres.* *Cap. 4.* *Ita reſpexit Dominus Petrum.* Ita filium prodigum *cùm adhuc longè eſſet vidit bonus Pater.* *Luc. 22.* *Et ecce gratia hujus viſus, quo Pater miſericordiâ motus tria facit.* *Cap. 15.* *Accurrit per gratiam prævenientem, ſuper collum cadit per gratiam ſubſequentem, oſculatur per fiduciam conſolantem.*

III. *Videt malos terribiliter; ira* ſcilicet *judiciali: Ita vidit hominem non veſtitum veſte nuptiali.* *Matth. 22.* *Ita terribili viſu carentes pretioſa veſte videbit Dominus in judicio.* O *quam terribilibus oculis! Oculi* enim *ejus tanquam flamma ignis:* *Apoc. c. 1.* Nimirum *hunc viſum*, qui aliàs eſſet mitiſſimus, *crudelem faciunt ſcelera hominum.* Ita fecerunt olim jam inde à Noëmi ſæculo: *Videns* enim *Deus, quod multa malitia eſſet in terra, delebo*, inquit, *hominem.* *Gen. c. 6.*

IV. Videt Deus *beatos ineffabiliter; in gloria* ſcilicet *æternali*, de qua illud Chriſti ad diſcipulos: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* *Ioan. 16.* *Viſio hæc* erit *in patria;* & gaudium, quod ab illa manabit, tolli numquam poterit. *Oculi Dei viderunt diligentes ſe*, inquiebat Eccleſiaſticus: *viderunt*, inquam, *primò* in gratia, deinde *in gloria.* *Cap. 34.* O *quàm dilectores ſuos jucundè videbit, ubi nil in eis videbit, quod oculis diſplicebit.*

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* Ioan. c. 16. v. 16.

QVID INNVAT DVPLEX ILLVD MODICVM?

Modicum quid? DE hoc ſua eſt inter SS. Patres quæſtio, eáque adhuc ſub judice. Divus Chryſoſtomus cenſet primum illud modicum, eſſe tempus breve, quod ad paſſionem & mortem reſtabat; *Hom. 78.* alterum verò, quod à morte & ſepulchro ad uſque reſurrectionem: quaſi diceret Magiſter optimus, Parum ſupereſt temporis, quo exacto, per extrema ſupplicia vitæ cedam ac luci, oculíſque veſtris; quibus deinde poſt modicum, id eſt poſt tres dies, reddar ab inferis redivivus. *I. Sententia.*

D. Auguſtinus exiſtimat prius illud modicum eſſe tempus quod à reſurrectione ad aſcenſionem effluet, quo ſcilicet peracto, diſcipuli non eſſent viſuri Dominum: poſterius autem modicum, eſſe illud omne ſpatium, quod ab aſcenſione ad diem Judicii effluet: tum enim Domini conſpectu fruentur Apoſtoli, & quidem in longam æternitatem: cujus ſcilicet comparatione, & anni & ſæcula modicum ſunt temporis, propè momentum. *II. Sententia.* Hæc expoſitio vera licèt, fortè tamen minùs accommoda ſcopo Servatoris, qui diſcipulis volebat eſſe ſolatio

 exea,

ex ea, quæ à morte proximè imminebat Magiſtri præſentia, non autem ab illa, quæ futura erat poſt ſeros ſoles, & longa ſæcula: à quibus abeo ut veniam ad eam explicationem, quam dediſſe viſus eſt Doctor quàm optimus Chriſtus Jesus. *De hoc*, inquit, *quæritis inter vos, quia dixi modicum.* In hoc quippe vobis meræ tenebræ, & nox alta; eam excutiam, & dabo clarum lucis divinæ jubar.

III. Sententia. *Plorabitis, & flebitis vos.* Ecce primum modicum, quo me non videbitis. Sed *triſtitia veſtra vertetur in gaudium.*

Ecce *modicum* alterum, *& videbitis me*, & quidem cum ingenti lætitiæ ſenſu. Itaque ex Chriſti mente *modicum* unum eſt triſtitia, quam ex Chriſti morte hauſuri erant; alterum verò lætitia, quam ex ejuſdem reſurrectione percepturi. Vel etiam, ſi voles, *modicum* primum eſt triſtitia, quæ vitam hanc mortalem occupabit, & quo abeſſe videbitur Jesus, qui ſolatia ſua ſubtrahet, & gaudia. Secundum autem *modicum*, eſt effuſa lætitia, quæ perennabit ipſa, quanta quanta eſt, æternitate; qua & Chriſti aſpectu recreabuntur beatæ in cœlis animæ, & ſatiabuntur ubertate domus Dei.

Tam hujus, quàm illius temporis rationem bellè exprimit accommoda parturientis ſimilitudine; & quidem

Primùm, ob acrem doloris ſenſum, ſub quo dum fatiſcit prima generis noſtri parens Eva, dixiſſe perhibetur, *malle ſe decies mori, quàm vel ſemel parere.* Similis deinde Racheli ſenſus fuit, ut quæ ab immani partus dolore, filio ſuo nomen fecerit, *Benoni*, hoc eſt *filius doloris mei.*

Denique ex ipſa tot ſæculorum experientia, quæ vehementes illos ſtimulos doloris in poſteras quoque ætates emiſit.

Altera ratio cur à parturiente ducta ſit ſimilitudo, eſt doloris brevitas, provido ſanè naturæ Deique parentis conſilio, qui dolorem omnem aut brevem fecit, aut tolerabilem.

Poſtrema cauſa eſt periculum partus, quod ſæpè trahit ad ipſas mortis fauces.

Et hæc omnia apprimè conveniunt ei triſtitiæ ac dolori qui Apoſtolos invaſit, ſeu in triduo mortis Chriſti, ſeu eo omni quod reliquum fuit vitæ temporis: fuit enim is longè graviſſimus, fuit & periculi plenus; ſed etiam Superûm beneficio breviſſimus, quia modicum fuit: & tale eſt omne mortalium ævum, ut longiſſimum videri poſſit: talis, & triſtitia ac mœror omnis, qui juſtos Dei ac religionis cauſâ occupare ſolet.

Modicum eſt, ut paucis oſtendam, vel ad mali ſolatium, vel ad remedium. D. Hieronymus omnem vitæ humanæ terminum brevem eſſe probat ex duplici capite.

Primùm, ex eo, quòd finem habeat; deinde ex hoc, quòd nihil interſit inter vitam longam, &
L. 1 contra Jovin. c. 7. brevem, ubi tam hæc, quam illa præterit. De primo hoc eſt luculentum ejus teſtimonium.

Etiamſi, inquit, *nongentis viveremus annis, ut antiqui homines; tamen breve putandum eſſet, quod haberet aliquando finem, & eſſe ceſſaret.*

De ſecundo eſt iſtud ejuſdem S. Doctoris effatum ac documentum:

Epiſt. 3. de morte Nepotian. *Debemus & nos animo præmeditari quod aliquando futuri ſumus, quod & velimus nolimus, abeſſe longiùs non poteſt: nam ſi nongentos vita excederemus annos, ut ante diluvium vivebat humanum genus, & Mathuſalem nobis tempora darentur; tamen nihil eſſet præterita longitudo, quæ eſſe deſiſſet: etenim inter eum, qui decem vixit annos, & eum qui mille, poſtquam idem vitæ finis advenerit, & irrecuſabilis mortis neceſſitas; tranſactum omne tantumdem eſt, niſi quod ſenex magis onuſtus peccatorum faſce proficiſcitur.*

Hæc D. Hieronymus de vitæ brevitate, quam dum longè antè, è regia velut ſpecula, deſpiceret Propheta, ſic olim ad Deum omnis ævi authorem: *Quot ſunt dies ſervi tui?* *Dies*, inquit, non menſes, non Pſ. 118. v. 84.
annos, non ſæculum ſi voles; ſed dies: quia vita ut longiſſima ſit, dies eſt. *Mille anni ante oculos tuos, ſicut heſterna dies, quæ præteriit.* Pſal. 89. v. 4.

Si cui, hac qua vivimus ætate, mille annos ſpopondiſſet cœlum; fallaci hominum calculo multum ævi, multum omninò longiſſimi temporis ſpatium ſpopondiſſe videretur: at ex Davidis judicio, ex Superùm ſenſu, diem dumtaxat unam conceſſiſſet, & quidem eam, quæ vix orta occideret, & flaccidam ac emarcidam vitam faceret, qualis eſſe ſolet ab æſtu ſoléque deficiens herbarum viriditas, cum qua omne mortalium ævum componit Regius Vates:

Manè, inquit, *ſicut herba tranſeat, manè floreat, & tranſeat, veſpere decidat.* Pſal. 89. v. 6.

Appoſitè profectò vocula *floreat*, hinc & hinc cingitur altera tranſeat; imò *tranſeat* præit, & ſequitur *floreat*. Ut liquidò homini conſtet vitam priùs tranſire quàm florere, imò & à tranſitu incipere, & in tranſitum deſinere. Vix enim eſſe cœpit, & eſſe deſiit. Et tamen illa ludimus, & longiſſimæ illudimus æternitati, utque cum Poëta loquar:

Nimiùm brevi fortes jaculamur ævo multa.

Sed ne longiùs procedamus in argumento nimis obvio, & quod ipſa evolvit, explicátque experientia. III. Sententia.

Venio ad aliud *modicum*; & hoc eſt, ea, quæ juſtos in hoc mundo tenet triſtitia, ſi tamen triſtitia appellanda eſt, ac non potiùs imago quædam mœroris ac triſtitiæ, ut eam vocandam cenſuit Apoſtolus: dum enim ſcribit primævis Chriſtianis, qui gemebant ſub immani pondere perſecutionum, *Quaſi triſtes*, inquit, *ſemper autem gaudentes.* Quod dum 2. Cor. 6. 6.
altiùs expendit D. Auguſtinus, ſic ait:

Triſtitia noſtra habet quaſi, quia ſicut ſomnus tranſit. In Pſal. 40.
Qui ſomnum indicat, addit quaſi, quaſi loquebar, quaſi prandebam, quaſi equitabam, quaſi diſputabam. Totum quaſi, quia cùm evigilaverit, non invenit quod videbat.

Ita cùm à ſomno hujus vitæ evigilaverimus, primo veluti manè æternitatis ac beatitatis; tum inveniemus omnem hujus ævi mortalis triſtitiam, afflictiones, perſecutiones, pericula, mortes, quaſi ſomnia fuiſſe, à quibus æternæ fœlicitati ſurgemus.

Hujuſce veritatis teſtem volo Salvatorem noſtrum: is olim oceano triſtitiæ merſus, & tantùm non abſorptus: ab illa ubi emerſit, ſcilicet ab immani morte, vitæ redditus ac luci; Apoſtolis diſſerentibus de Jesu Nazareno, déque variis, quæ in longa tormentorum ſerie, quà in corpore, quà in animo paſſus erat, ſubjunxit illud unum, *Quæ?* Nimirum quæ diſcipulis vera, atrocia, ſtupendaque videbantur; illi tum temporis quaſi ſomnia reputabantur.

At non ſic juſtorum, non ſic beatorum, gaudium: *Gaudium* illud, inquit D. Auguſtinus, *non habet quaſi*; quia ſi eſt in hac vita in ſpe, certum eſt; ſi in altera, in æterna poſſeſſione. Ita nimirum triſtitiam, quæ ſomnus eſt, adeóque breviſſimus, æternitate lætitiæ Deus compenſat: quod apprimè oſtenditur ex eo quod triſtitiam dat parcè, atque in menſura: at gaudium ſine lege, ſine modo; ſine menſura concedit atque effundit. Vadem habeo ac ſponſorem Ezechielem Prophetam, qui hæc olim infœlici Solymæ prænuntia voce dixit: *Aquam in* Cap. 4. v. 16.
menſura bibes, hoc eſt (ut explicat Hugo Cardinalis) tribulationem & afflictiones, quas pro delicti tui gravitate ſine menſura bibiſſe debueras; tamen (quæ Dei miſeratio eſt) bibes in menſura, id eſt pro demeritis tuis parcè. Eæ nimirum ſunt cœli indulgentis leges, quas dum amat ſuſpicitque Vates Regius, quaſi evictus illâ Dei ſui miſericordiâ ex- Pſal. 79.
clamat: *Potum dabis nobis in lacrymis, in menſura*, hoc eſt quaſi avara manu, & verè ad *modicum*: quod

tamen

tamen minimè obſervat Deus: Ubi de gaudio & lætitia effundenda tempus inciderit, tum enim ſpargit ſine modo ac menſura: de quo dum ſibi plaudit

Pſal. 29. Vates: *Conciſti*, inquit, *ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia*; ne ſcilicet qua parte ea deficeret.

Et hoc intereſt inter gaudium, quod à mundo manat, & quod à Deo. Illud citò deficit, atque exareſcit; hoc perennat, & nunquam deficit: quod eleganti ſimilitudine duplicis olei expreſſit Scriptura, tum in virginibus fatuis, tum in Heliſæo. Illis enim oleum in vaſis defuit; huic non oleum, ſed vaſa defuère, ut ſcitè notavit Hugo Victorinus:

Lib. 1. Miſc. c. 13. *Habet*, inquit, *oleum Deus, habet oleum & mundus. Ad oleum Dei vaſa deficiunt; oleum mundi in vaſis deficit. Oleum Dei dulcedo æternorum; oleum mundi delectatio præſentium. Illa ſufficit; iſta deficit.*

Ut illi labores, Lector, author eſt Siracides vel

Eccl. c. 51. v. 34. ſcripto, vel etiam exemplo. *Collum veſtrum*, inquit, *ſubjicite* amabili Dei *jugo*. *& ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam.* In hoc & illo ſi quis labor, is tenebit ad modicum. Et ne dubia cuiquam relinqueretur fides, ad experientiam ſuam appellat & provocat. Sic

Verſ. 35. enim ait: *Videte oculis veſtris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.*

Ea nempe Dei ter Opt. ter Max. liberalitas eſt, pro modico multum, pro temporali æternum, pro terreno cœleſte, pro imo ſummum concedit; ingenti ſcilicet fœnore, quod modò colligunt beatæ in cœlis animæ: quas inter S. Galganus; Hic à vita liberiore & diſſoluta ad arctiorem & divinis illigatam legibus à S. Michale Archangelo evocatus, Philip. Ferrar. in Catalogo SS.
brevi æternæ beatitatis bravium eſt conſecutus: vix enim anno uno ſibi vacarat & Deo, cùm ad cœleſtem requiem hac voce accitus.

Satis eſt quod laboraſti; metes nunc quod ſeminaſti. Quaſi diceret bonus genius.

Anno uno ſerviviſti Deo, & hoc ſatis liberali Domino pro cœleſti mercede: modicum temporis inſumpſiſti, & hoc ſatis ad beatam æternitatem: modicum laboraſti, ſudaſti, vigilaſti; & illud ſatis ad perpetuam requiem. Mete nunc in æternitate quod in tempore ſeminaſti.

Hæc aliáque iſtis affinia, ei in aurem intulit Angelus, quæ tibi etiam, amice Lector, ſi modò is es, qui eſſe debes, ſi modicum cœli cauſa labores, ad quod te modò, & ſuos olim auditores adhortatus S. Franciſcus, hac brevi quidem, ſed admodum nervoſa concione: Modica voluptas, pœna immenſa: modicus labor, gloria æterna: multorum vocatio, paucorum electio: omnium retributio.

QUÆSTIO SECUNDA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quid eſt hoc quod dicit modicum? Neſcimus quid loquitur.* verſ. 19.

SINTNE IN SCRIPTVRA TENEBRÆ? An alta lux?

S. Scripturæ obſcuritas. MIRABITUR fortaſſe unus aliquis diſcipulos in Chriſti ſchola probè doctos, poſt tot Primæ Veritatis oracula, poſt tot affuſa de cœlo lumina, adhuc tamen in obſcura caligine eſſe, nec mentis oculos ad Scripturarum intelligentiam aperire. Nimirum in his alta ſubinde debet eſſe nox, denſæ tenebræ, quas nemo unus omnium excutere poſſit, niſi is qui dixit olim: *Fiat lux, & facta eſt.*

Scio hæreticos noſtri temporis aliter & ſentire, & loqui: volunt enim Scripturam facilem, claram, expeditam, & cuique propè obviam eſſe, ideòque eam lippis ac tonſoribus notiſſimam faciunt: quàm malè & perperàm, judicabit is qui ſacras paginas

I. Ex ſe. vel prima fronte viderit. Agnoſcet enim in iis eſſe multa, quæ communem ſenſum effugiant, quæ abſtruſa & recondita, quæ humanæ menti propè impenetrabilia. Erant Apoſtoli veluti terreſtres quædam Intelligentiæ, adeòque ſummè perſpicaces, additis ſcilicet è cœlo luminibus, quibus facilè ducerentur in rerum altiſſimarum atque divinarum cognitionem: & tamen ad ea Domini verba, *Modicum, & jam non videbitis me: iterum modicum, & videbitis me*, cæcutiunt, nutanteſque hærent, inſcii quo pedem flectant: hinc illæ voces: *Quid eſt hoc quod dicit modicum? Neſcimus quid loquitur.*

II. Ex Apoſtolis. Si Apoſtoli in alta illa fidei luce, in oculis Primæ Veritatis, in conſpectu ſolis æterni, in ſapientiæ infinitæ & Verbi incarnati lycæo, neſciunt tamen quid loquatur JESUS, quid innuant paucula illa Scripturæ verba; qui ea intelligent abjecti homunciones tenebris obſiti, tenebris inſepulti? Qui, inquam, ea capiant & videant talpæ, quæ nec capiunt nec vident ii, quibus lincei ſunt oculi?

Certè ut abeam ab hoc ipſo loco, in quo dubii, ancipiteſque hæſerunt diſcipuli, etiam alia ſunt, eaque quàm plurima, in quibus intelligendis, neceſſe eſt etiam quantumvis defœcata ac ſubtilia ingenia, multò magis craſſa ac tarda hærere atque ceſpitare.

Teſtem volo Apoſtolorum principem Petrum, qui hæc olim de Pauli Epiſtolis; *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* 2. Petri c. 3. v. 16.

In originali legitur, *torquent, & detorquent*, & Scripturam quaſi in equuleo ponunt, ut eorum ſenſui ac dictis conſonet illa. Non conſonabit tamen, nec pravis eorum dogmatibus unquam adſtipulabitur. Torquere, detorquere poterunt, non tamen eruere aut extorquere veritatem, quamdiu à fidei luce ſoleque longiùs erunt; quamdiu à Chriſto, ejuſque Eccleſia (Catholicâ ſcilicet ac Romanâ) alieni perſiſtent; quamdiu facilem atque obviam credent. Non eſt certè, non eſt facilis & cuique obvia Scriptura. III. Ex D. Petro. IV. Ex D. Joanne.

Liber eſt; *& quidem ſcriptus intus & foris*: foris à littera, quæ in oculos omnium incurrit: intus à ſenſu, qui reconditus eſt, & oculos, imò & intelligentiam fugit; & hinc dicitur *ſignatus ſigillis ſeptem*: & quidem Apoc. c. 5. v. 1.

Sigillum primum, eſt ipſa ſententiarum, quas includit, profunditas.

Secundum, ſenſuum uberrima multiplicitas.

Tertium, amœna figurarum varietas.

Quartum, rerum ipſarum incomprehenſibilitas.

Quintum, admiranda myſteriorum obſcuritas.

Sextum, jucunda quædam tropologiarum ſuavitas.

Septimum,

Digitized by Google

Septimum, infallibilis veritas, juncta cum quadam ipſius rei inevidentia, atque obſcuritate.

Ecce librum probè clauſum; atque obſignatum, quem nemo unus omnium aperire poteſt, niſi Agnus, teſte vel ipſo diſcipulo quem diligebat JESUS; ſic enim ad illum Angelus:

Verſ. 2. 3.

Quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus? Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum.

Si in cœlo, ubi præcelſæ mentes & cœleſtes Intelligentiæ; ſi in terra, in qua præclara eminent, micántque ſcientiarum propè omnium lumina; ſi, inquam, Scripturarum librum aperire non poteſt ex his omnibus unus aliquis, amabo te mi Lector, qui aperiet in cella miniſtellus rudis atque ignarus? Qui in taberna vinaria neſcio quis impurus ganeo? Qui in ruſtica caſa ac tuguriolo anus decrepita? Et tamen ex hæreticorum noſtri temporis judicio, & hæc aperire poteſt, & illi; & omnia illius ſignacula diſſolvere; privato ſcilicet adjuti ſpiritu, hoc eſt, hæretico, qui Eccleſiæ, ſummorúmque Pontificum interpretationem reſpuit, ut aniles nugas & ſomnia admittat. Et hinc Scripturam cuique legendam, imò & explicandam proponunt, quaſi illa pateret omnibus.

V.
Ex D. Hieronymo.

Certè D. Hieronymus, qui vitam omnem triverat perdiſcendis ſacratioribus linguis, hebræa, græca, latina, qui doctiſſimos quoſque conſuluerat, qui Alexandriam venerat, ut Dydimum de occurrentibus in Scriptura dubiis audiret, hanc minimè planam, & facilem experiebatur, ſed arduam & captu difficilem. Et hæc eſt ratio cur Eccleſia, ceu morum fideíque magiſtra, prohibeat ſacras paginas paſſim omnibus proponi; quia ſcilicet eas non capit vulgus, dumque non capit ex illis non mella legit; ſed venena, non aliquo Scripturæ vitio, ſed ſuo; ob adnatam ſcilicet ignorantiam, quæ erroris ac hæreſeos mater eſt.

Hinc vulgo prohibetur earum lectio.

Ex quo liquet Scripturæ ſtudium lectionemque minimè prohiberi, ſed ad eos tantùm qui capaciores ſunt, revocari.

Celebratur rectè Alfonſus Arragonum Rex, quòd Biblia quater & decies cum gloſſis legiſſet. Laudantur & alii, qui tota vita ſacris paginis aſſident: at culpantur homines de trivio, rudes, incultique, qui eas indignis manibus terunt, & indoctis oculis decurrunt: ut olim Valentis Imperatoris coquus, quem acriter reprehendit D. Baſilius, quòd & de myſteriis Fidei curioſiùs ſentire, & loqui vellet, & Scripturas etiam inter ollas & cacabos interpretari.

Theodor. l. 4. hiſt. Eccl. c. 17.

Neque verò novum eſt, à ſacris Codicibus incultum atque indocile vulgus arcere; ſed à majoribus noſtris omni ævo factitatum: provido ſanè conſilio, quo permoti etiam Hebræi ſub prima Legis ſuæ initia, ſeverè prohibuerunt, ne quis Geneſim, Cantica & Ezechielem legeret, niſi qui ſacerdotalem annum (hoc eſt, ſecundùm antiquos canones, trigeſimum) attigiſſet. Exigebant nimirum illi ſapientes ætatem maturam, & multo ſole, hoc eſt multa ingenii, judicii, ſtudiique luce probè coctam, atque ad maturitatem perductam. Et hanc quoque exigimus eodem impulſi ſpiritu, arcemúſque ſacris Litteris ignarum vulgus, & profanos oculos; quos quia etiam olim admitti videbat D. Hieronymus, hoc ætatis ſuæ vitium ſic deplorat:

Sola, inquit, *Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt & docent, antequam diſcant.*

Epiſt. 103. ad Paulinum.

Perperàm nimirum, atque præpoſterè: cùm enim aliæ artes (etiam quas mechanicas dicimus) nonniſi uſu diſcantur, nec doceantur niſi à probè doctis ac peritis; deplorandum ſanè eſt Scripturæ ſacræ intelligentiam, quæ ars artium eſt, promiſcuè à quibuſque proponi, atque ab iis doceri qui ne didicerint quidem.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Plorabitis & flebitis vos.* verſ. 20.

CUR VOS PRÆ CÆTERIS MORTALIUM?

Probandi cauſa.

IN Scriptura ne unus apex, ne unicum jota vacuum eſt myſterio. Amat nimirum divina ſapientia quandóque in una vocula ludere, & vim omninò magnam in ea reponere. Ita ne diſcedam à quæſtione mihi propoſita, in eo quod ait, *Vos*, ingens aliquid, & arduum latere voluit. Eam nempe præcelſis mentibus ſervari ſortem, ut plorent & fleant illæ, dum alii inſano atque inſolenti gaudio perfunduntur ac colliqueſcunt. Et ita cum Apoſtolis factum amamus, atque demiramur. Quibuſcum enim potiùs?

1.
Quia Apoſtoli.

Erant illi per omnia probandi, ideóque adverſis in hac mortali vita exerceri oportuit; ut liquidò conſtaret qui & quales eſſent. Ut enim in homine ex venæ tactu, & micatione arteriæ dignoſcitur illius compoſitio, bonáne ſit, & ſana; an mala atque infirma:

Sic ex tribulationum appulſu aperitur & patet internus homo, hoc eſt, quæ intus eſt virtus, aut vitium. *Accedit tentatio, tangitur vena, & proditur febris*, inquit D. Auguſtinus.

Serm. 15. ex 40.

Vidiſti ſubinde unum aliquem, qui extrinſecus ſanus apparet & firmus; explora pulſum, & intrinſecus infirmus ac debilis innoteſcet: quod non facit ipſe venæ pulſus, & micatio arteriæ; ſed tantùm prodit

Quod in corpore; hoc & in animo. Spectabis quandoque virum; & is tibi videbitur à Dei gratia (quæ animæ vita) à charitate, aliiſque virtutibus (quæ ſanitas ſunt) videbitur, inquam, ab illis benè habere: at oculis illudit improbè, quamdiu ſcilicet res ex voto fluunt: at tenta pulſum, tange, feri, grava, opprime aliquo afflictionum pondere, & agnoſcetur æger ac Deo ſuo inimicus qui ſanus putabatur & ſuperis amicus. Quod non fecit tribulatio; ſed aperuit.

Ita probantur juſti.

Citò, inquit Auguſtinus, *in una tentatione offendit Deum homo; & fit inimicus: Immò non tunc fit inimicus, ſed tunc proditur inimicus fuiſſe. Nam quando diligebat & laudabat, inimicus erat: ſed nec ipſe ſciebat, nec alii. Accedit tentatio, tangitur vena, & proditur febris.*

Supra.

Nimirum, ut rectè S. Thomas: *Uniuſcujuſque opus, quale ſit, tribulationis ignis, & perſecutionis ac tentationis probat procella.*

In Pſal. 7.

Ita, ut ad prima ſæcula aſcendam, Jobi opus, hoc

eſt exi-

eſt eximiam vitæ ſanctitatem, probavit immanis illa tempeſtas ab inferis excitata. Erat malo dæmoni ſuſpecta Jobi ſanitas ſanctitáſque: rebatur illum ſub extima hominis ſani ſpecie mentem ægram obtegere ac velare; hinc ad Deum tanquam ſupremum animarum medicum hæc direxit.

Ita Jobus.

C. 1. v. 11. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Opinatur malus genius, ubi pulſum tentarit Deus, ubi adverſis Jobum attigerit præpotens manus; tum ægritudinem quæ latebat apparituram: ſubdit enim importunus monitor: *Mitte manum tuam, & tange os ejus, & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.* *Cap. 2. v. 5.*

Erat Deo ter Opt. ter Max. probè nota Jobi ſanctitas; illam prævidebat ac penetrabat oculus ille divinæ mentis, qui omnia pervadit, & cui occultum eſt nihil: voluit tamen, uteam Orbi probaret atque exhiberet univerſo, & fortunas ejus omnes, & os, & carnem fœdâ plagâ tangere; & ſic illo quaſi pulſu, ac micatione ſpiritalis arteriæ oſtendere quàm vegetus & valens eſſet Jobus, quàm ſibi conſtans & ubique ſuus.

Ita electi omnes.

Ita etiam, ut ad poſteriores ætates deſcendam, cum diſcipulis longè cariſſimis fecit JESUS Magiſter optimus: illos adverſis probatos voluit; imò & volet in ævum omne ſic electos approbari: eæ nempe ſunt divinæ providentiæ leges, & quidem rationi quàm maximè conſonæ. Ut enim Seneca licèt profanus: *Gubernatorem in tempeſtate, in acie militem intelligis. Vnde enim poſſum ſcire, quantùm adverſus paupertatem tibi animi ſit ſi divitiis diffluis? Vnde poſſum ſcire quantum adverſus ignominiam, & infamiam, odiumq́ue populare, conſtantiæ habeas, ſi inter plauſus ſeneſcis? Si te inexpugnabilis, & inclinatione quadam mentium pronus favor ſequitur, unde ſcio quo animo laturus ſis orbitatem, ſi quoſcumque ſuſtuliſti, vides?* Enimverò cui omnia ex voto fluxerunt, quis futurus ſit, ubi reflarit fortuna, nemo novit, niſi unus ille qui omnia novit. Ut porrò noſcant etiam alii, duris exerceri patitur & gaudet. Et nos humiles animæ pati debemus, & lætitia geſtire ſi ſic probemur. Ecquid enim? Die age, quiſquis virtutis amans es ac ſtudioſus. Quis eris, ſi aliqua ingruat tempeſtas? Si gravia inferantur, & pulſent mala? An ſuo loco ac ſtatione firma ſtabit virtus? Stetit enimverò in otio; an ſtabit in tumultu? Stetit in pace; an ſtabit in bello? Audi quid ſenſerit Marcus Eremita: *Lib. de Provid. c. 4.*

De lege ſpir. c. 6. *Ne dicas*, inquit, *te virtutis poſſeſſorem eſſe citra afflictionem; nec enim probari poteſt propter requiem & tranquillitatis otium.*

Et hæc prima ratio cur Salvator optimus priuſquam vita & terris excederet hæc ad diſcipulos: *Plorabitis & flebitis vos.*

II. *Quia Chriſtiani.*

Accedit & alia cauſa, quòd diſcipuli primi à Chriſto dicendi eſſent Chriſtiani, adeóque & in hoc illi conformes eſſe debuerunt, debéntque poſteri omnes, quibus hoc nomen adhæſit, ceu religionis notæ, ceu teſſera divinæ caritatis.

In Pſal. 55. *Si putas*, inquit Auguſtinus, *te non habere tribulationes, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus.*

Sed dicet unus aliquis, id omnibus eſſe commune: demus aliud, Apoſtolis & viris Apoſtolicis ſingulare. Parat illos Deus ut in cœleſti illa Jeruſalem ſint veluti lapides angulares, ideóque hos tundit, ſecat, atque expolit: ſic olim contudit, cæcidit, expolivit Ezechielem, qui hæc de ſeipſo:

In me (Deus ſcilicet magnus ille architectus) *vertit & convertit manum ſuam, tota die* hujus vitæ mortalis. *Vertit & manum ſuam*, inquit Paſchaſius, *omnia limando, cædendo ac feriendo, ut poſſint in ſtructura convenire. Sanctorum quippe ſtructura una eſt, unuſq́ue ploratus.*

Et hæc ſimilitudo petita ab architectonica, rem,

III. *Quia futuri ſancti.*

de qua quæſtio, ſub oculos ponit: ut enim ædificiis, aptantur lapides dum tunduntur ac cæduntur; ita & viri magni cœlis: quod alia ſimilitudine declarandum cenſuit Seneca, cui vir bonus, arbor eſt, eáque ſublimis ac procera, quæ radices eò profundiùs jecit, quò agitata eſt vehementiùs.

Quid miraris, inquit, *bonos viros ut firmentur concuti? Non eſt arbor ſolida, nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat; ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices certiùs figit: fragiles ſunt, quæ in aprica valle creverunt.* *Lib. de Provid. c. 4.*

Sunt homines inter, quædam abjectæ in terras animæ, & propè cœleſtium inanes; eas divina providentia patitur in vallibus creſcere, hoc eſt, infra tumultuantes auras & Euros, extra teli jactum, & turbines perſecutionum: crederes illis inde eſſe benè, at eſt quàm peſſimè; nam & fragiles ſunt, & radices non agunt, ſeu eas humilitatis eſſe velis, ſeu debitæ ſuperis ſubmiſſionis, ſeu aliarum virtutum.

Sunt contrà præcelſæ mentes, & ad ardua quæque cœlo propitio natæ: has Deus jam inde à primo ſanctioris vitæ limine in montibus plantat, ceu altas cedros, quæ vertice cœlum tangant, quæ tumidos frangant aquilones, ipſóque incurſu ventorum, hoc eſt perſecutionum, & virtutum radices jaciant profundiùs, & ramos attollant altiùs, hoc eſt uberem meritorum propaginem. Et hæc ratio Apoſtolis convenit quàm optimè: ſed & aliæ quas ſubjicio.

IV. *Quia Chriſti milites.*

Erant illi novæ aſcribendi militiæ, imò illius duces atque anteſignani, quos proinde duris exerceri oportuit, & Imperatoris ſui ſtigmate notari, hoc eſt Cruce, & longa atque catenata quadam laborum ſerie. Qua enim potiùs?

Charactere Domini inſcribuntur & ſervuli, & nomine Imperatoris ſignantur milites, inquiebat D. Ambroſius. *Orat. de obitu Valentin.*

Signantur, inquam, illi quidem in fronte, quæ bonæ mentis eſt janua: hi autem in manu, in qua labor, & ardua pro virtute opera, in qua & animus audax omnia perpeti.

Diſcipulos ſuos olim pueros vocitarat Chriſtus: *Pueri*, inquiebat, *nunquid pulmentarium habetis?* Hujus appellationis rationem hanc reddit D. Chryſologus: *Quia ibi erat Petrus qui negaverat, Thomas qui dubitaverat, Ioannes qui fugerat: non ergo ut fortiſſimos milites, ſed pueros compellat ut timidos.* *Ioan. c. 21.*

At quia timorem, admiſſo ſcilicet divino ſpiritu, exuere debebant, & induere militares animos; hinc ad illos præſaga voce: *Plorabitis & flebitis vos.* Vos, inquam, ſacræ militiæ duces, *quos ſpiritualibus caſtris cœleſtis militia ſignavit*, ut benè notavit D. Cyprianus. Vos adverſis exercebit ſeu mundus ipſe, ſeu efferа vis tyrannorum, ſeu dæmonum inſultus. Et hoc quia Chriſti milites, quia duces ſpiritalis militiæ: quorum exemplo etiam gregarii milites, hoc eſt paſſim Chriſtiani, *Crucis ſignum in palmis aut brachiis mori ſibi curabunt*, docti ſcilicet & agere, & pati fortia exemplo Apoſtolorum. *Ad Donatum.* *Procop. in Iſai. c. 44.*

V. *Quia Cœli mercatores.*

Erant nimirum hi in hac vitæ ſcena velut Evangelici *mercatores*, qui Margaritam & ſtudio magno quærerent, & majore pretio coëmerent; exemplo ſcilicet Magiſtri quàm optimi, qui & ipſe cœlo delapſus, ut in terris Margaritam illam impensè quæritaret, & impenſiùs ſibi compararet. Quæ ſit illa ſi quæris, audies non aliam eſſe à tribulatione, dolore, cruce, mortéque acerbiſſima. Quæ omnia Chriſtus nova ac admirabili negotiatione ambivit. De qua ſic S. Leo: *Venerat*, inquit, *in hunc mundum dives atque miſericors negotiator cœli, & commutatione mirabili inierat commercium ſalutare, noſtra accipiens, & ſua tribuens: pro contumeliâ honorem, pro doloribus ſalutem, pro morte dans vitam.*

Ecce JESUS, ecce Deus homo, & ipſe *negotiator cœli*, qui de laboribus, ignominia, cruce, morte tam altè ſenſit, ut ſua pro iis tribuerit, felici ſanè atque fortunata generi noſtro commutatione.

Quod Chriſtus, hoc Apoſtoli: & ipſi quoque *negotiatores cœli*, probra, flagella, equuleos, cataſtas, cruces, rogos, aliáque patientiæ inſtrumenta, ceu pretioſas Margaritas, emerunt.

VI. Quia hominum piſcatores.

Erant deinde Apoſtoli *piſcatores*, quorum id præcipuum munus, Eccleſiæ navim in altum ducere, & fœdas tempeſtates tolerare ac vincere; & quà verbo, quà etiam exemplo homines, ceu mundi hujus (hoc eſt magni maris) piſces in retia trahere, docereque incumbentes verticibus undas ac fluctus & ferre fortiter, & eludere feliciter, ut ſolent natantes oceano piſces; ad quos mortales emittit D. Ambroſius:

Imò piſces.

Tibi, inquit, *ſeculum hoc, mare eſt, habet diverſos fluctus, undas graves, ſævas tempeſtates: & tu eſto piſcis, ut ſeculi te unda non mergat*; ſed potiùs foveat, animet, vegetet, ut ſolet piſces: hi enim & in aquis vivunt ac ſpirant, & extra illas languent ac penitùs deficiunt.

Piſcium more modóque vivunt juſti; in ipſis ſcilicet tribulationum aquis, è quibus ſi fortè extrahantur, contabeſcunt toti.

Sic B. Ida, de ſe & ingenuè, & verè dicere ſolita: *Sicut nec piſces ſine aqua, nec aves ſine aëre vivere poſſunt; ſic nec ego ſine tribulatione.* Sed ne longiùs: ad Apoſtolos redeamus.

VII. Quia Dei amatores.

Erant denique illi Paſtores, hoc eſt amatores & Dei ſui, & animarum, quas tanto pretio ſibi & cœlo emit: adeóque & laborum, & dolorum patientes eſſe oportuit. His enim probatur amor, aut certè in his eſt amor. Et ita deinde in Apoſtolis fuit, & in viris Apoſtolicis enituit.

Teſtem volo è multis unum: is erit Raymundus Lullus, cui cùm ſeſe ſpectandum dediſſet Chriſtus, rogaſſétque, an noſſet quid eſſet amor, cujus à tot annis ſtudioſus erat in paucis: ſubjunxit modeſtè vir pius.

Domine ſi minùs novi quid ſit amor; at probè novi quid patientia.

Digna Raymundo reſponſio: imò & digna Chriſto, cujus cauſa pati amare eſt, & ipſum amare pati.

Et quia tam hoc, quàm illud in Apoſtolis expectabat Salvator Optimus; hinc ad illos propheticum illud: *Plorabitis, & flebitis vos.*

Vos, inquam, electi à Deo ad gloriam, ac beatitatem. Et hoc ipſum eſt, quod deinde Chriſtus edoctam voluit B. Margaretam de Sabaudia. *De BB. Ord. S. Domini. l. 2. c. 6.*

Erat illa Vidua Sabaudi Ducis, & Montis-Ferrati Marchioniſſa, quæ orba marito ad D. Dominici Religionem animum adjecit. In ea dum ſibi, Deóque vacat impenſiùs, ſenſit ingens deſiderium cognoſcendi eſſetne de numero electorum.

Huic deſiderio dum vela laxat, ecce illi ſe ſpectandum dedit Chriſtus ſtipatus numeroſo Angelorum choro. Geſtabat autem manu tres lanceas; una vocabatur *Calumnia*: altera *Morbus*: poſtrema *Perſecutio*. Tum ſic ad illam: *Filia elige ex his unam, & ſcriberis in libro vitæ, erísque de numero Electorum.*

Hæc mentis oculo dum ſpectat Margareta, audit ab uno è cœleſtibus illis geniis: *Ne eligas; ſed Chriſto electionem committe.* Paruit ipſa benè monenti Angelo, & Chriſto, ceu ſponſo ſuo, ſe totam commiſit; daret ille, quam vellet.

Ubi peracta hæc amoris ſcena, videri deſiit Salvator Optimus; deſiere videri & comites Angeli: ſed mirum illud, atque amabile, quia à Deo electa erat Margareta ad præcelſum ſanctitatis, gloriæque culmen, non multo poſt percuſſa tribus illis lanceis: nam & *calumniam* paſſa, & *morbos*, & acerrimam *perſecutionem*. Et hoc, ut dixi, quia à Deo prædeſtinata ad altiorem gloriæ, ac beatitatis gradum. Ad hunc ſi aſpiras, Amice Lector, tribus illis lanceis obvium pectus præbe.

QUÆSTIO QUINTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum.* verſ. 22.

AN VIDERE DEI, ET CHRISTI, ad hominis gaudium ſit ſatis?

Aſpicere Dei.

MAGISTER optimus ut diſcipulis ſuis ſolatium afferret, hæc olim ad illos: *Iterum videbo vos*, cùm ſcilicet à morte & ſepulchri nocte vitæ redditus ero ac luci: Et tum *gaudebit cor veſtrum.* Nimirum ad vera & pura gaudia ſufficit vel unus Dei aut Chriſti aſpectus, imò & ad omne quod in terris optari aut expectari poteſt bonum.

Gen. 4.

I. Eſt probare.

Orbis infantia duos habuit, viditque fratres, Cainum, atque Abelem: & hic & ille hoſtias obtulit authori ſuo, & Univerſorum conditori. *Et reſpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus. Reſpexit*, inquam, hoc eſt approbavit, amavit, atque laudavit: ita nimirum aſpicere Dei, approbare fuit, amare, atque laudare; quod ingens bonum: quid enim eo majus haberi poteſt, quàm à Deo ter Opt. ter Max. approbari, amari, atque laudari? Et hoc ipſum facit vel unus ipſius aſpectus. Neque hoc tantùm: verùm etiam in miſera capita cœli fluenta deducit, & miſerationes impetrat. Cujus beneficii probè, conſcius David, hoſce Dei ſui oculos aſpectúmque impenſiùs quærit, & ambit: *Domine*, inquit, *quando reſpicies?* Hoc eſt, quando miſereberis, quando benignus opem feres? *Pſal. 25.*

II. Amare.

Reſpice in me, & miſerere mei; nempe idem apud te eſt, ô Deus, & reſpicere, & miſereri; imò & amare quàm ardentiſſimè. Inde factum autumo, ut græci ſapientes ἐρᾷν, hoc eſt *amare* ab ὁρᾷν à *videndo* dictum exiſtimarint; quòd à viſu dimanet amor, ceu rivulus à fonte, ceu radius à ſole. Nimirum affectio etiam in humanis per oculos gignitur atque effunditur: hinc qui amant, oculos præſertim intuentur, ut ex Ariſtotele prodit Athenæus. *L. 13. p. 264.*

Quòd ſi in humanis id verum; in divinis eſt quàm veriſſimum: ſi enim puſilli homines, & malè inter ſe à natura coagmentati, ad odia faciles, & proni, quæ

quæ tamen amant dicuntur *ante oculos habere*, hoc eſt amare; quantò magis Deus, qui totus amor eſt, & quæ habet ante oculos, amat, & habet ante oculos quæ amat?

Pſal. 100. Vates Regius virtutis cupiens & ſtudioſus in paucis, ſic olim de ſeipſo: *Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam.* Hoc eſt, interprete D. Aug. *Non diligebam: ſolet enim dici de homine, qui ab aliquo diligitur, ante oculos illum habet. Et ille qui contemnitur, ſic ſolet queri: Non me habet ante oculos.* Et hoc apud Supremum Numen receptiſſimum, dum in hominem ille obtutum figit, dum aſpicit, amat, & amando miſeretur. *Deus videt ad veniam, reſpicit ad gratiam*, inquit D. Chryſologus. *Serm. 54.*

Quod & Deo homini, dum in terris eſſet, fuit ſolemne: quos enim ille benigniore oculo eſt intuitus, hos & probavit, amavit, juvit.

III. Miſeri. Oculi ſunt velut januæ quædam miſerationis; per eos enim intrat, ſeſéque inſinuat in cor triſtium rerum & miſerandarum ſpecies, quæ animi duritiem emollit, inducitque ad miſerendum. Inde qui ad miſerationem proni ſunt, ſimul ut aſpexerunt, ſimul & animi dulcem quandam affectionem ſentiunt. Ideóque ſtylo hebræo *bono oculo* dicuntur.

C. 22 v. 9. In ſacris proverbiis ubi Salomon ait: *Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur.* In hebræo legitur, *qui bono eſt oculo.* In Chaldaica verſione: *Qui bonum habet oculum, à cœlo propitio benedicetur.*

1. Reg. c. 24. v. 11. Talis fuit Davidis oculus, qui hæc olim ad Saülem: *Cogitavi ut interficerem te; ſed pepercit tibi oculus meus.* Tua illa continua & crudelis in me perſequendo contentio, ingenitúſque ardor animi, me incendebat ut in ſpelunca tibi vitam eriperem: ſed conjeci miſerationis oculos in te unctum, & à Deo coronatum; nec ullo modo violare potui: ſcilicet hoc fuit parcere oculis, in quo dictio hebraica *Chus* ſignificat ipſo intuitu concipere humaniſſimum animi motum, affectúmque miſerationis, cujus etiam oculus hieroglyphicum eſt. Et ſanè oculi non tam videntur à natura dati ad corpus illuminandum, quàm ad beneficum in proximos intuitum, cujus nos teneat miſeratio: quod in Salvatore noſtro verum eſt quàm maximè.

Uti & aſpicere Chriſti. Appello D. Gregorii fidem atque authoritatem: hic in illa Jobi verba: *Nec aſpiciat me viſus hominis. Viſus hominis*, inquit, *eſt miſericordia Redemptoris, qua inſenſibilitatis noſtræ duritiam cùm reſpicit, emollit.* *Cap. 7. v. 8. Lib. 2. Mor. c. 8.*

Ita reſpexit Dominus Petrum, & paterno illo intuitu, ceu indice miſerationis, ceu amoris duce, ſui oblitum in viam revocavit. Ad unius ancillæ voculam averſus à magiſtro diſcipulus, longè abierat, non pede, ſed mente: verùm illicò reduxit divinus ille oculus, aditúmque aperuit veniæ ac ſaluti: tantum intereſt quî te aſpiciat Salvator, cujus *oculi pulchriores ſunt vino.* Huic enim eos componendos cenſuit emoriens Jacob: & jure quidem meritiſſimo. *Gen. c. 49. v. 12.*

Deſcenderat ille præſago ſpiritu, & mentis oculo, in futura ſæcula, annoſque Meſſiæ; quem dum à longè ſalutat, hoc de eo prædicat: *Pulchriores ſunt oculi ejus vino.* Cujus oculi pulchriores vino.

Habent vinum & miſeratio id commune, quod lacrymas in oculis provocent, ut experientia conſtat, & Phyſici docent: cujus hæc eſt ratio è natura petita; quòd ab utroque vis caloris in ſublime evecta humorem diſcutiat, unde manant guttæ in lumina, & nobilem illam animi ſedem occupant. Et hic eſt affectus unus miſerationis, quem quia in Meſſia præſenſerat Jacob; illius oculos amabiliſſimo rore diffluentes conſiderans, exclamat: *Pulchriores ſunt oculi ejus vino*; quia ſcilicet è ſeipſis, ceu gemino fonte, lacrymas effundunt, eáſque miſerationis ac beneficentiæ: à qua Tertullianus de Meſſia dixit: *Tam pater nemo, tam pius nemo.* *De pœnit. c. 9.*

Ab hac porrò pietate, animóque paterno, qui ex ipſis oculis emicat, factum eſt ut oculi Chriſti dicti ſint *oculi columbarum*; ſic enim in ſacro epithalamio eos appellandos cenſuit Sapiens, cujus ore hæc ad ſponſum ſponſa: *Oculi tui columbarum.* Nimirum Servator optimus tam pronus erat ad commiſerationem, ut omnium dolorem, inopiam, calamitatem in ſe reciperet, & ab oculis ad animum emitteret, atque in hoc vivis quaſi coloribus exprimeret. Hujus autem affectum columbarum oculi repræſentant, quorum hoc proprium, ut quemadmodum ſpecula pellucida, rerum ſpecies vivâ quadam & agente ratione concipiant, & ponant in conſpectu. Et hinc columbæ cùm mutuò ſeſe in oculis conſpiciunt, & incredibili amore afficiuntur; & ſeipſæ ardentius exoſculantur. *D. Greg. Niſ. in Cant. Hom. 4.*

Oculi Chriſti *oculi columbarum*, amantis oculi oculi miſerentis, non nuda tantùm ſpecie, quæ in illis, ceu quodam miſerationis ſpeculo, hæreat; ſed erumpat foras, & ſeſe miſerendo prodat. Quam enim oculis hauſit calamitatem, eam inſita benignitate ac poteſtate illicò diluit. Ut proinde meritò diſcipulis dicens illud ad ſolatium: *Iterum videbo vos*, adjecerit illicò, *& gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Oculi columbarum.

Quidni enim ad Chriſti aſpectum gauderet cor, quod vel unico oculorum divinorum conjectu, & amari ſe, & juvari, & de miſeriis eripi ſenſerit?

Dixit olim Heſiodus: *A palpebris intuentium amor diſtillat.* Veriùs ego & ſanctiùs: A Chriſti palpebris & amor, & miſeratio, & vita diſtillat.

Viduæ Sunamitidi filiolum eripuerat mors immatura: hinc dolor, lacrymæ, & ejulatus orbæ matris, quibus remedium & finem attulit Eliſæus; *Ingreſſus* enim *domum, clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum, poſuitq; oculos ſuos ſuper oculos ejus.* *4. Reg. c. 4.*

Quid deinde ab illo attactu? Quid oculis puelluli ab oculis Eliſæi? Mirum profectò & dictu, & viſu. Qui puero à morte clauſi erant oculorum orbes, illicò aperiuntur; qui in tenebris altáque nocte, illicò in luce ſoléque, imò ipſi quodammodo lux, ac veluti Sol illius corpuſculi. Si tanta in oculis Prophetæ vis fuit, miſeratio tanta, tanta cœli indulgentia; quanta in oculis Chriſti? Certè quantùm intereſt inter Chriſtum & Eliſæum; tantùm inter hujus ac illius oculos neceſſe eſt intereſſe.

Igitur ſi ab attactu oculorum Prophetæ & vita in corpus redit, & lux in oculos; à conjectu oculorum Chriſti quidni & vitam longè meliorem, & lucem diviniorem expectes?

Pauli oculum ab inſita cœlitùs vi, perſpicacia, miſeratione, divinum appellavit Gregorius Nazianzenus: *Nec otioſè*, inquit, *divinus ille oculus crucis figuram contemplatus eſt.* Ab illa nimirum hauſerat & animæ pretium, & æſtimationem, & quandam, ſi periclitaretur, commiſerationem, qua impulſus totus ibat in auxilium opémque pereuntis animulæ. Et non ibit Chriſtus? Ibit profectò vel maximè: nam & ejus *oculus divinus*, & in cruce clauſus, non alio fine, quàm ut nobis aperiret divinæ miſerationis oculos, & oſtia patriæ cœleſtis tot ſæculis ante clauſa. Quæ ubi patuerint, tum re etiam ipſa experiemur, quàm verum illud Chriſti oraculum: *Iterùm videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Hic ſtylum tenui membranæ ſubducere parabam, cùm ecce ſentio impelli me ut longiùs ducam, oſtendámque illum ipſum Dei hominis oculum, ut bonis blandum eſſe atque amicum: ſic improbis aſperum atque inimicum: & eò quidem ut illum ſuſtinere non poſſint. *Orat. 1.* Oculi divini. Et hinc ab illis, bonis gaudium.

Teſtem volo promiſcuam illam ac frequentem turbam, quam olim ejecit è templo, quòd nefas duceret domum Dei fieri negotiationis.

Pro miraculo habitum illud à Jesu, cæteroqnin mortalium mitiſſimo, quà verbis, quà flagellis depulſam turbam nemine ex ea renitente. Nec enim Chriſto aut militum præſidium, aut corona famulantium, aut timendum erat ſatellitium, à quo ſibi malè metuerent importuni illi negonatores, qui excedere juſſi, excedunt illicò, nemine auſo vel obloqui, vel mutire. Quæ cauſa?

D. Hieronymus eam aſcribit oculis Chriſti, è quibus emicabat neſcio quid humano majus, quod timorem ſacrúmque horrorem ſpectantibus ingeneraret: *Igneum enim quiddam ac ſidereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majeſtas lucebat in facie*, inquit D. Hieronymus. *Lib. 3. Comment. in c 21. Matth.*

Igneum dico, quòd impiis illis inſtitoribus terrori eſſet ac formidini: *ſidereum* autem quod piis omnibus ac diſcipulis jucundum eſſet ſpectaculum. *Igneum*, quòd ſuo fulgore feriret oculos ſpectantium: *ſidereum*, quòd aſpectu benigniore recrearet, incumbentéſque animo tenebras, & atram triſtitiæ noctem depelleret, ut ſolent infixa cœlo ſidera. Malis terror

De Auguſto hæc refert Juſtinus, eum præditum fuiſſe oculis non fulgentibus modò, ſed & fulgurantibus, & eò quidem ut intuentes ſuo fulgore percelleret. Hinc miles in eum oculos cùm injeciſſet illicóque demiſiſſet: rogatus ab eodem Auguſto cur id faceret, reſpondit: *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum.* *Lib. 15. c. 8*

Hujus meminit Cœlius Rhodiginus, & Suetonius, qui hæc in ejus vita:

Oculos habuit claros & nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam divini vigoris: gaudebatq́, ſi quis ſe contuenti, quaſi ad fulgorem ſolis vultum ſubmitteret.

Hæc ille de Auguſto, quibus affinia memorat Plinius de Tiberio Cæſare, cui tantus inerat fulgor oculorum, ut nocte media non egeret extranei luminis beneficio; ſed ſuorum ſplendore oculorum intueri omnia, diſtinguere poſſet omnia. *Lib. 11. c. 36.*

Si hæc Auguſto aut Tiberio natura attribuit: ſi ea acies, is nitor oculorum, quis inquies in Chriſto, in quo & natura maximè benefica, & Deus author naturæ?

Dicamus ergo, quod ex veritate dici poteſt ac debet; in Chriſto fuiſſe, quod & in Sole aſtrorum principe; lucem oculorum amœnam, quæ intuentes recrearet, & fulgorem igneum qui terreret: & quia juſtis lucem offert, injuſtis fulgorem objicit: ideò illos ad ſe rapit, & blandè allicit; hos autem avertit & fugat. Et quia de juſtorum numero futuri erant Apoſtoli, hinc ad illos meritò Chriſtus: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum.*

DOMINICA QVARTA POST PASCHA.

MAGISTER Optimus ut diſcipulis altiores faceret animos, primùm prædicit aliquando fore, ut graves incurſent tentationes, tum à fratribus, tum ab immani quadam tyrannorum vi, quæ iis incumbet: *Abſque ſynagogis*, inquit, *facient vos*: ecce quæ à Iudæis perſecutio; alienos illa faciet, atque extorres à communi cæterorum cœtu: Et hoc unum eſt malum, quod alterum mox premet velut pes pedem. *Veniet* enim *hora, in qua omnis, qui interficiet vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Ecce tyrannis effera juncta cum præcipiti cæcitate. Ut autem ad hæc, & illa adderet animos, ea omnia ſub oculos ponit, de hoc mundo abiturus & quidem inter extrema verba, quæ fideli memoriæ mandari ſoleant. Tum etiam adjicit alterum expedire omninò, ut ſe mortalibus oculis ad breve tempus ſubtrahat: niſi enim id fecerit Paraclitus è cœlo minimè delabetur, minimè in eorum animos ſe ſuáque dona inſinuabit. Ubi portò venerit ille, *arguet mundum de peccato*, ſcilicet infidelitatis, ut qui Deum hominem ex voce, ex oraculis, ex prodigiis non agnoverint, neque ſe totos ei devota firmáque fide ſubmiſerint. Deinde demonſtrabit illud inanem ac futilem eſſe juſtitiam, ſeu ea petatur ex Legis avitæ cæremoniis, ac frequenti luſtratione corporis (ut apud Iudæos erat in more uſuque) ſeu ex morali quadam honeſtate, utráque ad naturæ ac ſolius rationis leges compoſita (qualis apud Gentiles nominata.) Denique arguet & mundum *de judicio* quod ſcilicet omni modo mendax ac falſum fuiſſe convincetur. Primùm ex eo, quòd crediderit Meſſiam edidiſſe miracula ope ac præſtigiis mali dæmonis, ut docet D. Chryſoſtomus atque Euthymius, in quo ſanè aberravit à vero judicio. Deinde quod dæmonem in idolis ac ſimulacris pro Deo habuerit ac judicarit cœco quodam atque immani errore deviæ mentis, ut explicat D. Cyrillus. Tum etiam quòd in dæmone jam à Meſſia victo atque damnato non agnoverit ſuum quoque *judicium*, hoc eſt *damnatio-*

Ioan. c. 26. verſ. 2. *Verſ. 9.*

damnationem, in eo ſcilicet capite, ac principe, quem ſibi inſanâ mentis cæcitate atque amentia præfecerunt.

Denique de *judicio* mundum arguet cœleſtis ille Doctor, quia liquidò oſtendet, probabitque Chriſtum ab Æterno Patre datum judicem Orbi univerſo ſecus quàm rebantur ac judicabant cœci mortales, ut exponit Toletus.

De his ubi diſcipulos probè docuit; tum ſubdit ſupereſſe quàm plurima, quæ eò loci ac temporis capere non poterant. Nimirum illis id uſu venit, quod in lycæo ſtudioſis: ubi nacti ſunt magiſtrum profundæ altioriſque doctrinæ, non omnia illicò diſciplinæ illius placita, abſtruſa myſteria, ſenſuſque reconditos excipere ac penetrare ſolent; ſed ad illa ſenſim ſine ſenſu, velut manu, ducuntur: & hoc quidem natura duce, ratione magiſtra, quæ (ut ait Ariſtoteles) à notioribus ad ignotiora deducit.

Quod in lycæo, hoc in Chriſti ſchola. Erat nimirùm hic divinæ cujuſdam ſapientiæ, cujus prima (ut ita loquar) rudimenta excipiunt Apoſtoli; quæ deinde fuſiùs ac clariùs explicabit atque propalabit miſſus è cœlo Spiritus. Et ita factum eſt, & factum benè: illos quippe veritatem omnem edocuit Spiritus veritatis. Et hæc eſt Evangelij ſumma, de qua

EX D. THOMA.

Ioan. c. 17. AD illa Chriſti verba: *Arguet mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio*, tria notat, de quibus Spiritus ſanctus mundanos arguet.

Serm. 2. Primò, *De peccato*, quod debent fugere ob tria mala quæ affert homini: 1. *Quia hic peccatores ponit in multa miſeria.* Prov. 14. *Miſeros* enim *facit populos peccatum.* Iſai. 2. 2. *Quia privat æterna gloriâ. Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* 3. *Quia ducit ad æterna ſupplicia. Ibunt* Matth. 25. enim *hi in ſupplicium æternum.*

Secundò, *De juſtitia*, quam debent facere; propter tria: 1. *Quia ponit hic hominem in multa lætitia;* Pſal. 18. nam *Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.* 2. *Quia liberat à morte perpetua;* Prov. 11. *Iuſtitia* enim *liberabit à morte.* 3. *Quia ducit ad æterna gaudia; Iuſti* enim *ibunt in* Matth. 25. *vitam æternam.*

Tertiò, *De judicio*, quod maximè timendum propter tria: 1. *Propter Iudicis æquitatem: Deus* enim Pſal. 7. *Iudex juſtus.* 2. *Propter Iudicis ſeveritatem: In die* quippe *Iudicii viſitabit illos, & dabit ignes, & vermes.* 3. *Propter ſententiæ irrevocabilitatem*; ea proditur hoc Matth. 25. verborum fulmine: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Et hæc ex ſecunda Doctoris Angelici concione: in tertia advertit dupliciter à Spiritu ſancto argui peccatores.

I. *In præſenti*: & hoc quidem *tripliciter*: 1. *Per luminis infuſionem*, 2. *Per prædicationem*, 3. *Per conſcientiæ remorſionem. Arguam te & ſtatuam contra faciem* Pſal. 49. *tuam*, id eſt conſcientiam.

II. *In futuro*, & hoc etiam *tripliciter*: 1. Enim Ierem. 2. *arguet te* (ô peccator) *malitia tua*, ſeipſam manifeſtando. 2. *Omnis creatura, te increpando.* Quia Sap. 5. *pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos.* 3. *Chriſtus, juſtiſſimè condemnando. Ecce* enim *venit Deus arguere* Iudæ 1. *omnes impios.*

Venit inquam, *arguere*: & hoc *tripliciter*: 1. *In æquitate*, nullatenus à juſtitia declinando: *Arguet in* Iſai 9. *æquitate*, inquit Iſaias. 2. *In furore*, ſæviſſimè puniendo. Ab hoc dum ſibi timet David, exclamat: Pſal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me.* 3. *Vniverſaliter*, nulli indulgendo: *Arguet* enim *omnes impios*; ſit Irus, Iudith. 2. ſit Crœſus, apud Chriſtum Judicem nil intereſt.

EX D. BONAVENTURA.

Dom. 3 poſt Oct. Paſchæ. Serm. 1. EXPENDIT illa verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et ait argui *peccatum corde, ore, opere*; Et quidem *corde quadrupliciter*:

I. *Interius per conſcientiam*, de qua illud Supremi Pſal. 49. Judicis ad peccatorem: *Arguam te, & ſtatuam contra te faciem tuam*; id eſt, ut explicat Gloſſa, *Oſtendam te tibi, & diſplicebis tibi.*

II. *Exterius per Scripturam*, quæ ſcilicet *utilis eſt ad* 2. Timot. 3. *docendum & arguendum.*

III. *Inferius per infamiam*: hanc ut fugiat *qui malè* Ioan. 3. *agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus.*

IV. *Superius per inſpirationem*; hæc enim dum in peccatoris animam illabitur, potenter increpat & arguit: Sic olim arguit Magdalenam, ſic & Petrum: hinc uberes hujus illiuſque lacrymæ. Arguitur deinde peccatum *ore*: & hoc etiam *quadrupliciter*:

I. *Ore Iumentino*; ſic olim Balaam arguit aſina, & à viâ quàm peſſimâ avertit: *Verè magna verecundia, quod aſina arguit peccatorem*, inquit D. Bonaventura.

II. *Humano*: ſic arguebat Joannes Herodem de inceſtu. Hæc *argutio* ad Prælatos ſpectat ex officio: ad alios ex caritate.

III. *Angelico*: ſic Laban, qui in Jacob durior erat, Gen. 31. arguit Angelus.

IV. *Divino*, ſcilicet *Chriſti in judicio.*

Denique arguitur peccatum *opere quadruplici*:

I. *Correptionis in mundo*, quos enim cœlo parat Deus, arguit, & caſtigat: quod *ſignum eſt divinæ dilectionis.* Gaude ſi illud experiris; time ſi ſecus: quia *ſi exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum*, ut ſcitè D. Auguſtinus.

II. *Paſſionis Chriſti in patibulo*: hoc arguit *diabolum & hominem: Diabolum tanquam deceptorem; hominem tanquam tranſgreſſorem: diabolum feriendo; hominem eripiendo.*

III. *Damnationis in inferno.*

IV. *Correctionis in purgatorio*: De hoc & illo ſic olim ad Deum ſupplex David: *Domine ne in furore* Pſal. 6. *tuo arguas me*; ſcilicet in inferno: *Neque in ira tua*

corripias me; In purgatorio. Hæc ubi ſic explicuit S. Doctor, tum delabitur ad illa verba: *Princeps* Ioan. c. 16. *mundi hujus jam judicatus eſt.* Oſtenditque quàm malè, & perperàm à mundi amatoribus illi ſerviatur.

Serm. 2. I. Enim *fraudulentiſſimus eſt in promiſſione*: promittit *dignitates, divitias, voluptates, longam vitam, finalémque pœnitentiam*; & fallit, ſimilis Joabo, qui 2. Reg. 20. Amaſan oſculando interfecit, ut proinde de illo meritò dixerit D. Cyprianus: *Diabolus blanditur ut fallat, arridet ut noceat, allicit ut occidat.* Has blanditias, hos riſus, has illecebras fuge, mi Lector, & hæc oſcu- D. Bonav. la averſare: *Oſculum* quippe *diaboli falſa ſecuritas peccatoris. Meliora* illo *ſunt vulnera diligentis, quàm frau-* Prov. 27. *dulenta oſcula odientis.*

II. *Inquietiſſimus eſt in tentatione.* Hanc ita bellè deſcribit Ezechiel: *Omnes Principes principum, & no-* Cap. 23. *minati aſcenſores equorum venient ſuper te, & inſtructi curru, & tota multitudo populorum loricâ & clypeo & galea armabuntur contra te undique.* Ecce quis & quantus belli tartarei apparatus. In hoc *Principes principum* ſunt *dæmones. Equi, perverſi quos de vitio ad vitium nunc equitant, donec ſimul in infernum cadant. Currus mala ſocietas, quæ voluntate, operatione, conſuetudine, & obſtinatione quaſi quatuor rotis ſimul currit. Multitudo populorum, multitudo impiorum, qui armati loricâ malæ conſuetudinis, clypeo obdurationis, galeâ præſumptionis animas impugnant.*

III. *Crudeliſſimus in perditione.* nempè *ut Leo rugiens, & Vrſus eſuriens, & Princeps impius ſuper populum pauperem*, id eſt, *peccatorem*, qui *virtutibus & bonis operibus pauper eſt.* Iſai. c. 9.

IV. *Injuſtiſſimus in retributione*, ut qui *maximè ſervientes ſibi ad maxima tormenta rapiat in futuro: quod licèt juſtum ſit ex parte hominis patientis, injuſtum tamen eſt ex parte diaboli agentis: Agit enim hoc non ex juſtitia; ſed invidiæ zelo.* O quàm melius nobi fuiſſet ſerviviſſe Principi cœli, qui *fidelis* eſt in promiſſione, *Pacificus* in ſedanda tentatione, *Clemens* in avertenda perditione, *Iuſtus* in æterna retributione. *Erit ille nobis corona in æternitate, vita in caritate, ſimilitudo in cognitione, ſatietas in fruitione.*

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Expedit vobis ut ego vadam.*

Ioan. c. 16. v. 7.

AN LONGIVS AB OCVLIS RECEDERE debuerit CHRISTUS, *ut propiùs ad animos accederet?*

Rationes. MULTÆ proferri poſſunt rationes, quarum aliquæ etiam divina tranſcendunt; aliæ deſcendunt ad humana: illas priùs, deinde etiam has paucis calamo notabimus.

I. Hactenus & Apoſtolis & Orbi innotuerat Æterni Patris Divinitas, innotuerat & Filii, cujus humanitas, etſi uſurparetur oculis, ſub ea tamen latens Divinitas animo & alta fide tenebatur. At Spiritus ſanctus adhuc cœlorum aditis claudebatur, nec in hominum notitiam venerat, niſi ſuboſcurè.

II. Expediebat ergo è terris emitti Filium, ut ſic è cœlis demitteretur Spiritus, & ſeſe felici illapſu, ingentibusque prodigiis manifeſtaret.

Expediebat & Filio, à quo mittendus erat Spiritus ſanctus, ut inde noſſes ab illo procedere; in divinis enim miſſio proceſſionem arguit: ita Pâter Filium mittit, quia Filius à Patre procedit per generationem: ita Spiritum ſanctum Filius mittit, quia etiam ab illo procedit per ſpirationem: Spiritus autem Sanctus nec Patrem nec Filium mittit, quia nec Patris nec Filii principium eſt, nec eſſe poteſt. Uti nec ipſe Pater ab alia perſona mittitur: quia (ut loquuntur Theologi) *Pater eſt principium ſine principio.*

Hac igitur Spiritus Sancti miſſione ſubindicantur puſillis mortalibus, & quaſi ſub oculos ponuntur divinæ proceſſiones, quas pernoſſe & fide firma tenere expediebat.

Et iſtæ rationes nobis altiora ac divina petunt: ea quam ſubjiciam ad Deum hominem ſpectat.

III. Non decuit in mortalia capita illabi Spiritum Sanctum, ejuſque dona diffundi, niſi priùs in cœlos Serm. 2 de pœnit. evaſiſſet Chriſtus. Ut enim piè ac disertè S. Leo: *Domini aſcenſio dandi Spiritus fuit ratio.*

Ut enim Reges in ſolemni ſua inauguratione, aut triumpho, partâ jam de hoſte victoriâ, nummatum æs, aurum, argentúmve liberali manu in ſubjectum populum ſpargunt: ſic & JESUS, cœlos triumphator adiens, Spiritus Sancti dona, apertis velut cœli gazis, effusè in ſuorum diſcipulorum capita diviſit; utque ſic divideret, illis eripi debuit, & beatis ſedibus reſtitui.

IV. Et hinc mirum quantum apud abjectos mortales aucta Chriſti æſtimatio ac gloria: cùm enim per illa Paracliti dona atque chariſmata, tot tantáque Apoſtoli edidêre miracula, tot capita, tot urbes, tot Regiones ac Regna Chriſtianæ Fidei addidêre: tum verò liquidò apparuit, quis, quantúsve apud ſuperos JESUS, ut qui Deum ad homines mitteret Deus homo.

V. Erat & alia ratio, quæ diſcipulos propiùs attingebat: oculos illi fixerant in ſacram Chriſti humanitatem, & inde etiam amores ſuos; oculum enim ferè ſequitur amor, maximè ſi in objectum amabile ac ſpecioſum inciderit: at ſuper omnia JESUS amabilis, & præ omnibus ſpecioſus: & hinc illa caſti amoris illicia; hinc oculorum mentisque oblectamenta ac deliciæ: à quibus ut ſuos abſtraheret JESUS, & terris ſubduci voluit, & cœlis reddi, ut qui in diſcipulis reſiduus eſſet amor, is ad Divinitatem uſque aſſurgeret. Inde Spiritum Sanctum non demiſit, niſi cum ſuperis eſt additus; ut ſcilicet *charitas noſtra flagret, & ab amore ſæculi ſeparetur, ut tota currat in Deum*, inquit Auguſtinus. Tract. 32.

Ita deinde cucurrit in Apoſtolis; ita etiam lapſis longè ſæculis in D. Bernardo, cujus hoc ſolemne effatum: *Amo, quia amo*: purus nimirum erat & putus amor, qui in Deum curreret, & nunquam ad creaturas declinaret; imò nec inclinaret in ſeipſum.

Et is fuit in S. Chriſtina Mirabili, quæ inter familiare colloquium hæc aliquando S. Lutgardi & ingenuè, & piè: Henriquez. l. 2. Diſt. 10. cap. 4.

Ego, vel apud inferos eſſe mallem cum Deo, quàm in cœlo cum Angelis ſine Deo.

Ita

Ita nimirum, nec inferi ipſi, nec cacodæmones horrori, aut pœnæ ei eſſe poterant, ſi modo adeſſet Deus; nec cœlum ipſum, ſedéſque beatitatis, nec ipſi Angeli, cœleſtes illæ Intelligentiæ, aut gaudio, aut præmio futuræ videbantur, ſi ab illis abeſſet Deus. Quem ſcilicet unum ambiebat, quem amabat, & pro quo dimittebat omnia; imò & ſeipſam, quod amoris proprium eſt. Et hæc eſt ratio cur Plato inter Antiquiores ſapientiſſimus: *Amorem* dixerit eſſe *pauperem*: quia omnibus ſe nudat, & nihil ſibi reliquum facit, ne ſeipſum quidem.

Et hinc mihi in manus datur potens telum, quo impetantur ii, qui ima ſummis, terrena cœleſtibus, humana divinis quodammodo miſcent, dum unâ veluti manu terram ſtringunt, & mordicus retinent; alterâ verò cœlos petere videntur, atque amplecti: inſano profectò ſtultóque molimine.

Si enim in Apoſtolis, puris illis mentibus & cœli novi (hoc eſt Eccleſiæ) Intelligentiis non tulit amorem in ſua humanitate veluti pedem ſiſtere, nec tranſcendere ad Divinitatem: qui feret in nobis noxium creaturarum amorem? Qui venerem? Qui libidinem? Qui impuras faces ſacro igni commiſceri? Enimverò non feret.

1. Reg. 5. v. 2. Philiſtæi olim captam ab Iſraëlitis arcam Domini *intulerunt in templum Dagon, & ſtatuerunt juxta Dagon.*

Id ſcelus inultum minimè paſſus eſt Deus: ſimulacrum Dagon evertit, & ante arcam Domini jacere pronum voluit. Illuceſcente luce id notarunt Azotii, idolumque ſuum priſtino loco reſtituêre: Non tulit illud iratum Numen: ſed diſturbavit rurſus, atque abjecit, & capite minutum, & duabus manuum palmis truncum jacere voluit ſupra faciem ſuam, & ſupra limen.

Et hæc fuit infenſi cœli ultio adverſus mutum atque exanime ſimulacrum, futura longè gravior in eos, qui novo atque inſolenti ſcelere profana ſacris miſcere voluerint, ut olim Philiſtæi.

Ecquid enim, nunquid horum morem, modumque malè æmularis, ô Chriſtiane? Deo tuo vis ſimulacrum aliquod erigi in ara cordis tui; at ſimul etiam veneri, baccho, voluptati, vanæque gloriæ? Quid enim aliud cogitas aut moliris, quiſquis nomine Chriſtianus es, re autem ipſa Philiſtæis ſimilis? Ut qui Dagon jungas arcæ Domini, & eadem in æde (hoc eſt anima) & Deum eſſe vis, & peccatum: At non erit. Evertatur neceſſe eſt idolum omne ſceleris, & tum Deo tuo locus erit. Neque enim & hunc & illud unquam capiet aut conjunget anima.

QUÆSTIO SECUNDA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modò* verſ. 12.

QUÆ SINT ILLA MULTA, QUÆ EO loci ac temporis Diſcipuli portare non poterant?

Hoc loco abutuntur hæretici. IN hoc Scripturæ loco piè luſit SS. Patrum atque Interpretum labor: luſit & impiè maligna hæreticorum ſolertia, quorum aliqui perverſis ſuis dogmatibus inde patrocinium petiêre; alii verò cauſam jaciendæ impudentis calumniæ in Eccleſiam Romanam atque Orthodoxam: ex illis fuit Tertullianus; ex his Lutherus, Bucerus, aliique hujus temporis hæretici. Nimirùm ſacras paginas oculo decurrenti id uſu venit, quod in hortulo florentes areolas ſpectanti eſt: eſt enim qui ea his mella legat; ut apes: eſt qui venena; ut araneæ. Mella provida manu colligit Catholicus: venena carpit hæreticus incautâ dextrâ, perditáque mente.

Tertullianus. Ita ne longiùs abeam. Tertullianus (notum à calamo nomen) quem utinam nullus unquam error, nulla hæreſis imbuiſſet.

Sed, ô grande malum, inſana ambitio! Deperibat ille Epiſcopatum Carthaginenſem, eoque dignus videri poterat, niſi ambiviſſet. Ubi illo excidit, ubi eo donatum vidit Victorem, popularem ſuum; tum & à bona mente, à ſanis conſiliis viſus eſt excidiſſe, & in alias atque alias hæreſes incidiſſe: quas inter, ea fuit quam libro de Monogamia extulit, nixus hoc ipſo quo de agimus Chriſti loco: *Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modò.*

Cap. 4. Inter hæc multa reponit *Monogamiæ diſciplinam*, cujus *Paraclitum reſtitutorem potius ſentis, quam inſtitutorem.* Sed errat, & nimiùm quantùm errat Tertullianus ad ſua dogmata perperàm detorquens ea Scripturæ verba, quæ alium planè ſenſum admittunt, ut ex SS. Patribus patebit.

Et certè ſi ex hoc loco pro Monogamia quicquam confici poſſet, poſſet & pro quolibet novo atque inſolenti dogmate: utque utar ipſis Tertulliani verbis. Hac argumentatione *Quidvis novum & oneroſum* Cap. 2. *Paracleto adſcribi poſſet, etſi foret ab adverſario ſpiritu.* Verùm ne longiùs: Monogamiam oppugnandi ſuus alibi relinquetur locus. Tranſeo ad noſtri ævi hæreticos. Nam & hi ex illis Scripturæ verbis occaſio- Bullingerus. nem ſumunt maledico dente Catholicos impetendi: ſic enim contra illos Bullingerus:

Abutuntur præſenti Evangelii loco Pontificii Sophiſtæ, hinc fulcientes omnia ſua commenta, quæ vel extra vel contra Scripturæ canonem Eccleſiæ tradiderunt obſervanda. Non omnia tradita ſunt, inquiunt, ab Apoſtolis, quia nec omnia his quoque revelata ſunt. Multa enim reſervata ſunt Patrum in conciliis determinationem. Unde ſcriptum eſt, Habeo multa vobis dicere; ſed nunc non poteſtis portare. Atque hinc jam numerant Miſſarum celebrationem, idolorum cultum, cœlibatum Clericorum, vota Monachorum, & quæ hujus generis alia ſunt.

Hæc eſt Bullingeri impudens calumnia: Primùm enim eſt falſum, quòd hinc Pontificii ſua omnia dogmata fulciant: habent enim pro ſingulis ſua, eáque propria & clariora Scripturæ loca. Deinde cùm ea, quæ tum dicere habebat Dominus, ſilentio preſſit ipſe: quo ore ea evolvit Bullingerus, qua fronte in iis Miſſarum ſolemnia reponit, & cœlibatus Clericorum & vota Monachorum? Certè nemo Orthodoxorum ea ex illo loco disertè atque expreſsè colligit; ſed tantùm aliqua Fidei ac religionis ſervata eſſe myſteria, quæ deinde Spiritus ſanctus ediceret: quæ autem ſint illa? Alta nox: in qua ſi aliquid affulgere poteſt lucis; ea à SS. Patribus haurienda. Sunt enim veluti fontes divini luminis, & canales per quos in alios meliora cœleſtis ſapientiæ fluenta ſolent derivari.

D. Auguſtinus cenſuit temerarium eſſe in ea Chriſti

Digitized by Google

Tract. 69. Chriſti arcana pedem immittere ac proferre, quæ Dominus proferenda duxit, nec tamen tunc protulit.

Verùm (quod tanti Præſulis veniâ dictum ſit) etſi tunc temporis, temerarium id fuiſſet, non tamen poſtea, ubi miſſus eſt è cœlo Paraclitus: ex iis enim, quæ annorum lapſu aperuit ipſe, ducimur in notitiam eorum, quæ olim edicenda aſſeruit Chriſtus, nec tamen edixit;

Catholici utuntur benè.

tum quia Apoſtoli (utpote eò loci ac temporis adhuc rudes atque infirmi) altiora illa atque ardua Fidei myſteria capere non poterant; tum quia ea eſt divinæ Providentiæ ratio, ut à facilioribus ad difficiliora manu ducat, & primò modicum lumen quaſi per rimulas evibret: deinde apertis velut valvis totum immittat atque effundat. *Iuſtorum*, quippe *ſemita* (quam Deus aperit) *quaſi lux ſplendens creſcit uſque in perfectum diem.*

Et inter illa multa.

Igitur ut ad rem propiùs accedamus, ſi quis piæ conjecturæ ſit locus, eum demonſtrabunt SS. Patres: explicabunt illi, quæ ſint illa multa, quæ tum temporis ſilentio preſſit Chriſtus, & quæ deinde Spiritus ſanctus expreſſit.

Orat. 5.

I. Reponunt Divinitatē Spiritus S.

D. Gregorius Nazianzenus, cenſet è multis hoc unum fuiſſe; Spiritus ſancti divinitatem ac perſonam. In veteri quippe teſtamento Patris divinitas expreſſa ſatis: dein etiam & Filii, qui ubi carnem induit, latentem ſub ea Divinitatem prodidit: at Spiritus ſancti Divinitas ac perſona necdum apertè diſtinctéque cognita, niſi poſtquam è cœlo in Apoſtolorum capita illapſus. Fuit ergo illa è multis unum, quæ tum portare non poterant, & quæ poſtea adveniente majori lumine didicerunt.

In expl. Gen. reſp. 112.

Divus Juſtinus Martyr credit è multis, quæ tum erant occulta, fuiſſe Gentium vocationem, & regnum Chriſti ſpiritale: Diſcipuli enim, utpote novella naſcentis Eccleſiæ germina, & in Meſſiæ ſchola adhuc tyrones, illius regnum rebantur eſſe temporale, quod ſcilicet ab illo reſtituendum videbatur

II. Vocationem Gentium.

Iſraeli: at Chriſtus, non huic tempori ſervire venerat, ſed æternitati; non mundo inferiori, ſed ſuperiori ac cœleſti: & hoc adhuc erat in occultis, & Spiritui ſancto reſervatum, ut illicò ad primum divini illius luminis appulſum pateret.

Lib. 2 cont. Celſum.

III. Myſticas Scripturæ interpretationes.

Origenes aliò ſtylum mentemque flexit: exiſtimavit enim ea, quæ tum Apoſtoli, judice Domino, portare non poterant, fuiſſe novam atque hactenus inauditam legis antiquæ interpretationem; eam nimirum, quæ ſecundùm ſpiritum eſt, non quæ ſecundùm litteram; quæ evadit ad occulta myſteria, non quæ hæret in cortice.

Ita in ipſis Eccleſiæ primordiis hæſiſſe viſus B. Petrus, qui nec objecta per ſpeciem animalia necare auſus, nec edere immunda; ut qui adhuc Judaicè ſentiret ac viveret, & immunda ſecundùm litteram acciperet, non ſecundùm ſpiritum: ex illa quippe gentes immundæ, ex hoc divino afflatu mundandæ, & ad novæ Legis agnitionem evocandæ.

IV. Eccleſiæ regimen.

Denique inter ea, quæ Apoſtoli tunc portare non poterant, reponenda quæ ad ſtatum & regimen Eccleſiæ ſpectare videbantur, quæ ad varia dogmata, ſeu ea ad fidem attinerent, ſeu ad mores ritè efformandos; ea quippe ſenſim evolvit ſpiritus veritatis.

Sed hinc emanat altera quæſtio: An lapſu temporis ac ſæculorum, Eccleſia novos receuſuerit Fidei articulos, objectáque fidei nova, quæ nec vetus Eccleſia habuit, nec Apoſtoli, illius tamen primipili, credidêre?

Ut huic controverſiæ fiat ſatis, diſtingue, mi Lector, alia atque alia objecta. Ex iis enim quædam ſunt communia, quæ etiam Apoſtolorum ævo divinitus expreſſa: in his nihil novi credit Eccleſia quod olim non crediderit. Quædam autem particularia ac veluti contingentia: & in his fides aliquid paritur novitatis. Neque id ab ea alienum eſt: cùm enim nova proponantur objecta, eáque divinitùs revelata: certè ejuſmodi, quæ ſub fidem cadunt. Exemplis res erit illuſtrior:

V. Nova Fidei dogmata.

Primùm qui in Scripturis libri canonici, & certa fide tenendi? Cùm enim hi ſcripti non fuerint initio naſcentis Eccleſiæ, ſed aliis, atque aliis temporibus, Apoſtolis jam pleriſque vita functis, ut Apocalypſis & Evangelium Joannis; certè eò loci ac temporis inter Fidei objecta non extitêre. Igitur acceſsêre ipſo annorum decurſu; uti & deinde hæc, Concilium Nicenum, Epheſinum, aliaque ejuſmodi eſſe legitima, & accedente Pontificis ſuffragio authoritatis infallibilis.

Tum etiam hunc vel illum Pontificem legitimè electum, eſſe verum Pontificem & Eccleſiæ caput.

Denique (ne omnia conſecter) hos vel illos in Sanctorum numerum de more ritúque Pontificio relatos, eſſe veros Sanctos, dignóſque religioſo cultu. Hæc enim omnia, & nova ſunt, & tamen inter Fidei dogmata articulóſque cenſenda.

Sed erit fortaſſe unus aliquis, qui nolet illos ex vero eſſe novos, ſed antiquos, ſed jam inde ab Apoſtolis probatos. Cum hoc mihi erit quæſtio, non de re, ſed ferè de nomine, in qua ut ſcrupulum omnem evellam, duo concedam ingenuè.

Primum, retineri poſſe receptum illum inter Theologos loquendi modum, Eccleſiam non habere novos articulos Fidei, nec quicquam modò eodem Fidei aſſenſu complecti, quod olim non ſit cõplexa.

Deinde (quod hinc conſequens) nihil in præſentia credere explicitè, quod olim implicitè non crediderit.

Ratio in aperto eſt, quia illæ ipſæ propoſitiones (de quibus ſuprà) jam inde ab Apoſtolis receptæ ac creditæ, non quidem in ſe, ſed in univerſalibus, in quibus & ipſæ continebantur: in his nimirùm & Sanctos omnes ritè colendos, & libros canonicè approbatos, purum Dei verbum continere: & Eccleſiæ Romanæ Epiſcopos legitimè electos, univerſalis Eccleſiæ Paſtores eſſe: & idem de aliis ejuſmodi eſto judicium. Ex quo hæc confici velim.

Primò, Spiritum ſanctum docere poſſe, imò & re etiam ipſa docuiſſe quædam dogmata, alia ab iis, quæ Apoſtoli quondam docuêre: alia, inquam, ſaltem quod attinet ad ſpeciem atque individuum, licèt fortè eadem quo ad genus.

Secundò, nunquam proferre dogmata iis contraria, quæ Apoſtoli aliquando protulêre: quia unica eſt, & æterna Veritas, quæ ſibi ipſi contraria eſſe non poteſt. Quo in puncto erravêre Gnoſtici, qui & in ſeipſos injurii, & in Spiritum ſanctum impii atque blaſphemi: docuerunt enim hunc temporis ſucceſſu in lucem emittere dogmata pugnantia cum iis, quæ aliquando emiſit. In quo erravit etiam Tertullianus; quærit enim:

Lib. de Monogamia, c. 2.

An capias, hoc eſt, an poſſibile ſit, *Paracletum aliquid tale docuiſſe, quod aut novum deputari poſſit adverſus Catholicam traditionem, aut oneroſum adverſus levem ſarcinam Domini?* Hoc, inquam, quærit, & reſpondet: *De utroque ipſe Dominus pronuntiavit, dicens: Adhuc multa habeo, quæ loquar ad vos; ſed nondum poteſtis portare ea, cùm venerit Spiritus ſanctus ille vos ducet in omnem veritatem: ſatis utique prætendit ea acturum illum, quæ & nova exiſtimari poſſint, ut nunquam retrò edita, & aliquantò oneroſa, ut idcircò non edita.*

Hæc Tertullianus, qui turpiter impegit in eo quod aſſeruit *aliquid novum adverſus Catholicam traditionem* à Spiritu ſancto prodire potuiſſe: cùm enim una ſit Veritas, & unus eſt Spiritus Veritatis, qui ſecum ipſe pugnare non poteſt; nec in dogmatibus Fidei aliquid præſcribere contrarium ei, quod aliquando præſcripſit. Alia ratio formari poteſt in illis, quæ ad mores, ritus ſacros ac cæremonias ſpectant;

ſpectant: in his enim & Spiritus ſanctus & Eccleſia (quæ illius afflatu regitur) aliud atque aliud ſtatuere poteſt; imò adverſum illis, quæ aliquando ſtatuit, prout nimirum aut temporis ratio, aut neceſſitas ipſa poſtularit. Sed de his pro inſtituto meo ſatis: plura qui volet, Theologos conſulat.

QUÆSTIO TERTIA
THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Mittam eum ad vos. Non loquetur à ſemetipſo: ſed quæcumq; audiet loquetur. De meo accipiet & annunciabit vobis.* V. 13.

AN SPIRITUS SANCTUS FILIO INFERIOR, UT QUI AB illo mittitur? Qui loquitur quæ audit? Qui à Filio accipit?

HANC quæſtionem injeci, non quòd de ea Catholicos inter dubium moveri debeat, aut etiam poſſit: ſed ut liquidò appareat quis ſit hæreticorum genius, qui ſcilicet inde venena colligunt, unde mella delibare potuerunt.

Macedonii error. Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui vixit quarto ſæculo, ex verbis quæ in quæſtionem adduxi, conficere ſibi videtur Spirium S. Deum non eſſe, ſed meram, puram, putamque creaturam.

Ecquid enim ille malus Logicus: an non inferior à ſuperiore mittitur? Igitur ſi Spiritus S. à Filio mittitur, ut hoc inferior ſit, eſt neceſſe. Deinde ſi Spiritus S. Deus eſt, cur igitur à ſemetipſo non loquitur? Cur ab alio audiat eſt neceſſe, qui à ſemetipſo habet omnia, ſi modò Deus eſt, & primum ac ſummum ens?

Denique quomodo Deus ſit, qui de ſuo non ducit, non trahit, quæ in alios effundat; ſed à Filio accipit: & hic eſt hæreticorum Achilles, quo Sancti Pneumatis Divinitatem impetunt atque impugnant; & cum Deo congredi audent terræ filii: ſed fruſtrà cœlis inſultant improbè, & veritatem nequicquam labefactare conantur captioſis argumentationibus, quas facilè diſſolvet quiſquis vel à Theologia mediocriter tinctus fuerit. Probabit ille vel inde Spiritum S. ad Deum aſſurgere, Deum eſſe, unde iſti ad creaturas abjicere conantur.

Catholica veritas aſtruitur. Ecquid enim (ut ad hominem argumenter, ut ſuis capiam verbis ceu laqueis) ſi Spiritum S. ex eo Deum neges quòd à Filio mittatur in terras; eodem jure, eadem rationis lege Filium Deum eſſe negabis, quia & hic à Patre mittitur. At hoc non negat Macedonius; igitur nec illud negare debuit, niſi ſui parum memor eſſe voluerit.

Deinde, quis eſt Theologos inter, qui neſciat miſſiones in divinis arguere proceſſiones, & ita quidem ut ea perſona dicatur mitti, quæ ab alia procedit: ſic Filius ab Æterno Patre mittitur, quia ab illo procedit via intellectus per generationem: ſic Spiritus S. à Patre Filióque mittitur, quia ab hoc & illo (tanquam unico principio) procedit via amoris ac voluntatis per ſpirationem: Pater autem à nullo mittitur, aut mitti poteſt; quia à nullo procedit, aut procedere poteſt: eſt enim in divinis *principium ſine principio.*

Hom. 77. Denique ut cum D. Chryſoſtomo adverſarios ſuo ferro confodiam: ex hoc quod Dei Filius aſtruat expedire, ut è terris abeat, ut deinde è cœlis veniat Paracletus, apertè colligitur & hunc Deum eſſe, & Filio per omnia æqualem: ſi enim non eſſet Deus, certè non expediret. Quis enim prudens ac ſenſatus judicet expedire ut abeat à nobis Deus, & ejus vice ac loco deſcendat creatura? Nemo certè, nemo omnium. Et hæc pro inſtituto noſtro paucis: plura qui volet, Theologos adeat: nobis in præſentia ſatis eſt difficultatis nodos digito notaſſe, atque ſolviſſe. Et hinc ad argumenta hæreticorum initio propoſita generatim reſpondeo: primùm, ex iis optimè colligi Spiritum Sanctum à Filio diſtingui, cùm ab eo mittatur, ex eo audiat quæ loquatur, ex eo accipiat quæ in mortales ſpargat: nemo enim à ſemetipſo mittitur, audit, accipit; ſed ab alio. Alterum, quòd Spiritus S. non ſit à ſemetipſo; ſed à Filio, à quo ſcilicet unà cum eadem atque individua natura ac Divinitate & accipit quæ loquitur, & quæ donat: habet enim à Patre ac Filio, & ſcientiam qua divina explicet oracula, & bonitatem qua ſua dona diffundat, & quidem unâ atque indiviſâ actione: in divinis enim omnis actio ad extra eſt indiviſa atque inſeparabilis, & quod loquitur Spiritus S. loquitur & Pater, loquitur & Filius: quia ſicut in tribus perſonis una & eadem eſſentia ac potentia, ſic & una eadémque operatio.

Errores refutantur.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Quia hac locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum: ſed ego veritatem dico vobis.* verſ. 15.

AN ETIAM CHRISTI DISCIPULIS minùs grata veritas? An pleriſque mortalium odioſa?

SIC olim ad Diſcipulos Magiſter optimus: *Vado ad eum, qui me miſit; & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* Aliàs operosè ex me quærere ſoliti, modò altùm ſiletis omnes, nec quò pergam, aut quorſum inquiritis? Nimirum quia abiturire me dixi, quia à vobis disjungi, & his oculis ſubſtrahi: *triſtitia implevit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam.*

Et hæc eſt pura, puta veritas: expedit ut mea humanitas, quæ hactenus veſtros pavit oculos, imò & amores occupavit, educatur è terris, &

veſtris eripiatur aſpectibus: ut ſcilicet in vobis mentis ac purior Fidei oculus evadat ad Divinitatem, nec ſemper mea in carne licèt ſancta, licèt pura, atque illibata, hæreat oculus corporis. Hoc enim non expedit. Et hæc fuit veritas à Magiſtro diſcipulis propoſita, atque etiam minùs grata. Hinc ingens triſtitiæ nebula ſolutis veluti cataractis Apoſtolorum animis impluit, eóſque replevit, & tantùm non obruit. Optaſſent nimirum illi & oculos oblectare objectu ſuaviſſimæ illius humanitatis, & ſimul animos reficere illapſu Spiritus Sancti. Sed hæc auribus à Magiſtro ingeſta veritas: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero mittam eum ad vos.* Ideóque omninò expedit vobis ut & ego vadam.

Et hæc veritas minùs accepta: An cum aliquo levioris culpæ nævo, hîc non diſputo: ſi fuit, certè leviſſimus fuit, & omninò venia dignus. At in te, ô peccator, graviſſimus eſt, ut cui veritas plerumque ſit odioſa, & amor fixus in objecto minùs caſto, à quo tamen abire non vis, non vis abduci. Quod vitium, quia mortalibus ſatis frequens, ideò bonâ tuâ veniâ, mi Lector, me patiar elabi longiùs, & oſtendam primùm quomodo ſæpè ſæpiùs odioſa veritas.

Quid veritas.

De veritate magnificè & ſentire, & loqui viſi ſunt SS. Patres atque ſcriptores.

In c. 10. Luc.

D. Ambroſio *veritas* eſt *amuletum* contra tartarei ſerpentis venena, contra carnis lenocinia, contra fallaces mundi illecebras.

6. Stromat.

Veritas Clementi Alexandrino *Regina eſt*, quam aliæ virtutes comitantur ut pediſſequæ.

In exhort. ad Gentes.

Veritas eidem *Sol eſt animæ*, cujus ſcilicet luce perfundatur, cujus calore æſtive piè diſſolvatur ac colliqueſcat.

Et tamen ut ea ſit, plerumque cæcis mortalibus in odio, cùm in amoribus eſſe quàm maximè debuiſſet.

Achab Regi odioſa.

Erat olim Achabo Regi Michæas Propheta, qui unus veritatem ediceret: erant & quadringenti Pſeudo-prophetæ, qui impio Regi blandirentur improbè, qui mendaciis illuderent ac fallerent: & tamen ô malum, ô pudor! hi in oculis atque amoribus; ille in odio. Et hoc vel eò tantùm, quòd præſago ſpiritu vera proferret. Teſtes erunt vel ipſæ regiæ voces felle plenæ atque amaritudine. Sic enim ad ſuos malè querulus:

3. Reg. c. 22.

Remanſit vir unus, per quem poſſumus interrogare Dominum: ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum.

Ecce odii cauſa *veritas*: cujus quia tenax erat Michæas in feroces tyranni iras ac minas incurrit. Meditabatur ille bellum acre, & militarem expeditionem in Ramoth Galaad, de qua priùs viſum eſt Prophetas conſulere. Evocantur è miniſtellis Baal, omninò quadringenti; è quibus hoc quæri placuit. *Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſcere?* Hæc quæſtio, ad quam illicò Pſeudo-prophetæ.

Aſcende, & dabit eam Dominus in manus Regis. Ecce putidum mendacium, quod tamen mirè perplacet tyranno.

Adducitur Michæas Propheta Domini, ſi fortè cum iis ſentiat, ſi loquatur placentia: ſed hic nonniſi vera loqui doctus: *Vivit Dominus*, inquit, *quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.* Deum igitur conſulit, & audit diſpergendum Iſraëlem, ut ſolent oves cæſo Paſtore: quod verò audit, hoc & dicit: & hinc Regis odium, hinc impiæ illæ voces: *Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum.*

Mundanis.

Quod olim Achabo vitium, hoc modò pleriſque mortalium: Amant ſibi dici placentia, illóſque, qui ea protulerint, depereunt; imò & operosè ſectantur: alios autem, qui vera nuntiarint, averſantur ac fugiunt.

Cogitat unus aliquis de eligendo vitæ ſtatu, de ſalute in tuto reponenda: adeſt qui ei latam ac ſpatioſam viam aperiat, qui omni hominum ordini paratam aſtruat beatitatem: & hic arridet, hic amatur, hic quæritur, quia corruptæ naturæ bonum prophetat: At alius qui arctam faciat ad ſuperos viam, qui ſæculum hoc periculis obvium, qui infeſtum pyratis mare, qui naufragiis infame: hic, inquam, quiſquis is eſt, & durus accidit, & peracerbus; quia delicatulæ ac putidæ carni malum prophetat, quia veritatem nudam atque apertam ſub oculos ponit.

Quod ipſum videre licuit in Herode; qui & *metuebat Ioannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum, & cuſtodiebat eum, & audito eo, multa faciebat.* Hæc, inquam, omnia, aliáque debitæ venerationis officia Joanni præſtitit Herodes, quamdiu veritatem ſilentio preſſit, quamdiu ab eo increpando abſtinuit: at ubi hac eum veritate, ceu fulmine percuſſit, *Non licèt tibi habere uxorem fratris tui*; tum & amorem, & omnem quam viro Sancto debebat obſervantiam depoſuit, atque in iras ac cædem innocentis exarſit: quod facinus animo dum recolit D. Fulgentius, exclamat: Marc. c. 6. v. 20. Herodi.

O humana dementia! ut luxurietur Herodes, necatur Ioannes. Propheta ſuo te terruit merito; & non divino judicio. Res eſt extrema dementiæ odiſſe vera loquentem. Uti hoc etiam ævo oderunt plerique mortalium, quibus id uſu venit quod phreneſi laborantibus: hi in medicum, & ſana, & vera loquentem furere ſolent, averſarique ſalubria, & noxia cogitare. Non tamen iis aut blanditur, aut paret medicus.

Urit hic, ſecat, fodicat, in ſpeciem crudelis & ferus; ad ſanitatem & mitis & blandus. Et is debet eſſe divini verbi præco, ægræ menti medicus, non coquus. Amica Concionatoribus.

Quid inter medicos & coquos interſit, quis non videt, inquit Philo? *Illi quidquid ad ſanitatem conducit, etiamſi ægroto ingratum videatur, magno apparant ſtudio. Hi contrà ſuavia curant, utilia negligunt.* L. de Ioſeph.

His ſimiles ſunt illi, qui ſemper loquuntur placentia, qui veritatem aut ſilentio tegunt, aut neſcio quibus verborum involucris implicant: improbè ſcilicet docti ſimulare: à quibus quàm aliena eſſet Philo, teſtatur audax illud ac dignum poſteris pronuntiatum: *Non me terrebit ullum intentatum periculum, ne mors quidem: Mori malo, quàm ſimulare.*

Hæc ubi pro ſeipſo ſpopondit, tum redit ad eam quam ante extulit medici ſimilitudinem. *Ille*, inquit, *in ægroto nullam ſplendidioris fortunæ rationem habens, nec quod claro genere natus, aut opulentus, denique Rex aut tyrannus ſit: unum hoc ſpectat, quomodo ſervare queat hominem: & ſi fortè ſectione, uſtionéve opus videt, ſecat, uritq́; principem ſuum ac Dominum ſervus ipſe ac ſubditus.* Bonis Conſiliariis.

Ad hujus inſtar facere ſe liberè profitetur: ſic enim ait: *Ego qui non unum virum curandum ſuſcepi, ſed integram civitatem laborantem morbis gravioribus, contractis ex innata concupiſcentia quid agere debeo? Num prodita utilitate publica, illius aut illius aures mulcere adulatione illiberali, & ne ſervo quidem decora? Emori præſtat, quàm loqui ad gratiam, diſſimulata veritate, & utilitate neglecta.*

Si hæc è Judaica ſtirpe unus aliquis in alta illa ignorantiæ nocte & dixit, & fortè etiam fecit, quid in clara Fidei luce Chriſtianus? Quid præco divini verbi? Jactet ille aureas illas voces, & dignas cedro: *Mori malo, quàm ſimulare.* Ecquid enim ſimulet? Habet ille non unum aliquem curandum; ſed confertam concionem, ad quam dicit è pulpito: habet civitates, provincias, regna, & Orbem ſi voles, in quo detonare debet adverſus animorum morbos, & effrænes concupiſcentias.

Quid

Quid igitur agere debeat? Num prodet utilitatem publicam? Num blandietur auribus? Num loquetur ad gratiam? Num diſſimulabit veritatem? Num negliget utilitatem? Minimè gentium. Novit enim ſibi jam inde à primis ſæculis ſcriptam hanc legem:

Eccl. c. 4. v. 27. *Ne reverearis proximum tuum in caſu ſuo, ne retineas verbum in tempore ſalutis.*

Ne aut pudore victus, aut fractus timore deſinas opportunè carpere proximum, quem vides aut jam re etiam ipſa in ſcelus corruiſſe: aut certè proximum caſui & ruinæ propè imminentem. Ne improbo ſilentio involvas, ne ore preſſiſque labellis *retineas verbum*, quod ſi erumperet, periclitanti animulæ ſalutem afferret. Hoc enim ſi feceris, næ tu capitis reus eris & ſanguinis: hunc enim fudiſti, ſi cùm verbo ſiſtere potuiſti, non tamen ſtitiſti: quod certè debueras, vel ex ipſa instituti tui ratione.

Exod. c. 28. v. 30. Sacerdoti hanc olim legem ſtatuit Deus: *Pones in rationali judicii doctrinam & veritatem: quæ erunt in pectore Aaron.* Eſt pectus veluti princeps pars corporis, ac præcipua animæ amoriſque ſedes, cui proinde incumbit *doctrina & veritas:* ſumma magni Præſulis ornamenta, & ſi voles etiam arma, quibus Dei hoſtes impetat; ſternat, expugnet. *Sacerdotibus.*

Doctrina quidem, qua cœli leges & placita capiat: veritas, qua liberè ea profundat in auditorum aures.

Doctrina, quâ pervadat arcana Scripturarum & ſapientiæ divinioris; veritas, qua ex iis hauſta proferat oracula.

Doctrina, qua in Eccleſia, ceu cœlo novo, luceat ac ſplendeat; veritas, qua fulminet ac detonet in ſceleſta capita, ut olim fulminarunt atque detonuerunt invicti Præſules, quos inter Macedonius vir longè ſanctiſſimus.

Theodoſius Imperator præcipiti ſuorum conſilio magnam Theſſalonicæ cædem fecerat, in qua ſeptem hominum millia ferro malè perierant: parabat & aliam in cives Antiochenos, qui ſtatuam æream Placillæ Imperatricis, in Imperatoris opprobrium deturbarant, fœdéque per ampliſſima urbis compita raptarant. O facinus audax & inſolens! ob quod in iras, in ferrum, in cædes totus ibat Imperator: quem ſic cohibuit, ſtititque Macedonius objecta vel unius veritatis imagine. Sic enim ad illum: *Quid Imperator excandeſcis ob violatam Imperatoris imaginem æneam, nec vereris vivas Dei imagines violare?* *Theodor. l. 5. hiſtor. c. 19.*

Ad has voces liberè, verè tamen jactatas, feroces impetus repreſſit Cæſar: iras poſuit; veniam dedit; latámque in reos ſententiam revocavit, & ſe agnovit ipſe, ſuúmque ſcelus deploravit. Tantùm potuit objecta oculis animóque veritas: quàm ſi benignis oculis & æquis auribus exciperent Reges Cæſaréſque longè ſequentes, non ea foret quæ in aulis eſt peccandi licentia, neque in ſcelera liberior eſſet animus in purpurâ, quàm in ſacco & cinere.

Sed, ut dixi, hoc ingens malum, quod pleriſque inimica atque odioſa veritas, quæ tamen in amoribus, primiſque curis eſſe debuerat: illud nimirum miſeris mortalibus vitium eſt.

QUÆSTIO QUINTA THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* verſ. 13.

QVIS ILLE SPIRITVS VERITATIS? Et in quo conquieſcat?

Spiritum veritatis eſſe. CATHOLICOS inter & hæreticos ſatis convenit Spiritum illum Veritatis eſſe divinum Pneuma, & eum (de quo ibi Chriſtus) Paracletum, qui oraculo cœleſtis ſapientiæ audit *ſpiritus veritatis*, ut opponatur malo dæmoni, qui ſpiritus eſt mendacii, atque erroris.

Sed aliqua lis eſt, & controverſia, omni propè ævo ab hæreticis excitata, an illapſus illius Spiritus, an ſupremum lumen veritatis, & infallibilis quædam aſſiſtentia Spiritus Sancti reſideat in totius Eccleſiæ capite? An etiam in Generali Concilio à ſummo Pontifice approbato? An verò in unoquoque noſtrûm, cui ſcilicet illabatur atque incumbat ſpiritus veritatis? Et hoc eſt quæſtionis caput, in quo pugna quædam eſt opinionum, atque diſſenſio; de qua in præſentia paucis. Sufficit enim instituto noſtro ſtylo notare quædam, quæ ſacer Eccleſiaſtes jactare è pulpito poſſit. Plura qui volet, conſulat eos, qui res Fidei controverſas fuſius agitant, atque exponunt. Igitur ut ad diſceptationis capita propius accedamus. *In Pontifice.*

Hæretici, quibus corpus eſt acephalum, nolunt in Eccleſiæ capite, hoc eſt Pontifice, vim ullam controverſa definiendi ac veritatem propalandi repoſitam eſſe.

Nolunt etiam in generali Concilio, cujus ſancita impudenti auſu contemnunt atque irrident. E multis unum producam. Is erit Lutherus, homo veneri natus & abdomini. Hic de Canonibus Concilii Nicæni ita more ſuo, hoc eſt, ſcurriliter: *Hi omnes articuli fœnum, ſtramen, ligna, ſtipulæ fuerunt. Hic prorſus non intelligo Spiritum S. in hoc Concilio.* *Lib. de Concil.*

Ecce impudens os hominis, cui fœnum aridum, ſtramen exſuccum, ligna, & ſtipulæ, hoc eſt, ignis pabulum, videntur Canones illi, atque articuli, quos concepit & excluſit generale Concilium, in quo Patriarchæ, Epiſcopi, ac Præſules toto orbe convocati numero trecenti decem & octo: & hoc quidem Præſide Sylveſtro Papa, Cæſare Conſtantino, cujus alia mens, alia omninò vox, de quâ Ruffinus ad omnem poſterorum memoriam. *Lib. 1. hiſtor. c. 5.*

Defertur ad Conſtantinum Sacerdotalis Concilii ſententia: ille tanquam à Deo prolatam veneratur. Cui ſi quis tentaſſet obniti velut contra ſtatuta divina venientem, in exilium ſe proteſtatur acturum. *In Conc. Gen. approbatis à Pont.*

Hic ſenſus fuit auguſtiſſimi juxta ac ſapientiſſimi Cæſaris. Ille Sacerdotalis Concilii ſententiam velut à Deo prolatam veneratur: at deſpicit, abjicitque ad pedes ſuos Lutherus, ut ſtramen ſolet. Ille ut oracula divina recipit ac ſervat; hic ut paleas in reluctantes auras effundit ac perdit. Ille decretis Concilii ſummum vult ineſſe pondus ac jus inviolabile: hic nullum in iis vult eſſe momentum, pretium omninò nullum; ſed vile ac velut projectum belluis pabulum, fœnúmque. Ille ſacratioribus

Concilii decretis repugnantibus, exilium intentat, graveſque irati Cæſaris minas: hic contra iis obedientes carpit, ſugillat, mordetque inimico dente. Judicet benevolus Lector, quis rectiùs, quis ſapientiùs. Certè neminem credo adeò mentis ac conſilii expertem eſſe, qui non autumet longè plus deferendum eſſe prudentiſſimo juxta ac piiſſimo Cæſari, quàm vel Luthero vel ſimilis farinæ homuncioni; à quo diſcedo, ut probem afflatum illum divini Spiritus, hoc eſt veritatem, tum in Eccleſiæ capite (hoc eſt Pontifice) tum in Concilio generali, repoſitam eſſe: quod liquidò patebit, tam ex ipſa Scripturæ ſanctæ authoritate, quàm ex SS. Patrum fide ac ſententiis.

I Ex Scriptura. In prima Eccleſiæ naſcentis infantiâ, Antiochiæ lis orta Judæos inter & Gentiles, an retinenda in lege Chriſti circumciſio, aliæque generis ejuſdem cæremoniæ? An verò & hæ, & illa penitùs abroganda. Viſum eſt ſuper ea re cogendum Apoſtolorum ac Seniorum Concilium, in quo prolatis utrimque rationibus, communi tandem calculo ſtatutum nihil ejuſmodi oneris Chriſtianis eſſe imponendum.

Quod Sancitum ſacratioris Concilii Antiochiam deferri placuit à viris Apoſtolicis, Paulo & Barnaba, quibus adjuncti Judas cognomento Barſabas & Sila, qui fratres inter, quà doctrina, quà religionis Chriſtianæ zelo eminebant. Juvat ex Apoſtolorum actis tot oracula audire, quot verba.

Actor. c. 15. v. 28. *Apoſtoli & ſeniores fratres, His qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem. Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: Ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione,* v. 29 *à quibus cuſtodientes vos, benè agetis. Valete.*

Hæc fuit brevis Epiſtolæ ſenes, in qua paucis expreſſa mens primi Concilii, Præſide Petro Eccleſiæ capite, aſſiſtentibus Apoſtolis Jacobo, Paulo, Barnaba, aliiſque à Senioribus.

Ex hoc porrò Concilio duo ad rem noſtram conficiunt antiqui Patres.

Primum, Petrum Apoſtolorum fuiſſe Principem, cujus proinde fuit Concilium cogere ac regere.

Alterum id Concilium ſub tali capite à vero aberrare non potuiſſe. Uti nec potuerunt lapſis deinde ſæculis convocata Concilia ſub uno capite Summo Pontifice, Petri in Romana ſede ſucceſſore. Et hoc eſt quod in quæſtionem adduci placuit, & quod paucis firmabo Sanctorum Patrum fide atque authoritate: atque in primis D. Cyrilli Alexandrini, qui diſputans cum Hermia, Nicenam Synodum ſpecioſis ac magnificis nominibus illuſtrat; vocat enim *baſim animarum, fundamentum inconcuſſum ac munitum,* cui ſcilicet innitatur fidelis anima, ne in errorem aliquem prona corruat. Lubet illum audire etiamnum ita ſpirantem in ſcriptis:

Si quis fidem illam à ſancta & magnâ Synodo optimè & divino afflatu definitam ac expoſitam, dicere voluerit baſim animarum noſtrarum, fundamentumq; inconcuſſum & munitum, is utique probatiſſime loquitur, & ab ipſo Chriſto laudem habiturus eſt. Fidelis quoque & verus adorator releucebit.

Hæc S. Præſul, qui idipſum confirmat in expoſitione ſymboli Nicæni ad Anaſtaſium, Alexandrum, alioſque vitæ ſolitariæ amatores; quos Fidei traditæ in Nicæna Synodo vult eſſe retinentes; Quia, inquit, *baſis quædam eſt, & fundamentum munitum & inconcuſſum per univerſum Orbem jactum, ſincera, irreprehenſibilisq; Fidei confeſſio.* Quæ ſcilicet & concepta & expreſſa à Patribus Nicæni Concilii, *quibus* (ut ipſe ait) *& ipſe Chriſtus aſſedit.*

Hic oculos, hic animum fige, mi Lector, & æqua lance expende; primùm illa verba. Quòd à Nicæna Synodo *Fides divino afflatu definita.*

Deinde, quòd Patribus in eo Concilio vocatis, Præſide Silveſtro Papa, *& ipſe Chriſtus aſſederit.*

Denique, quod inde conſequens eſt, aberrare à vero nullo modo potuiſſe: quî enim errent Patres ad quorum aures animóſque appellit *divinus afflatus*? Qui vel tantillum à veritate deflectant, quibus *aſſidet & ipſe Chriſtus* veluti Concilii Præſes, & author decretorum, ac Fidei ſinceræ, quæ eò loci ac temporis exponitur?

Deſcendo ad alios Patres. Tertullianus, vir acrioris ingenii, & ſui ævi propè miraculum: de generalioribus Conciliis hæc elatiore ſtylo: *Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex univerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quoque in communi tractantur, & ipſa repræſentatio nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur.* Adv. Pſych. c. 13.

Hæc Tertullianus, quo judice Concilium Generale repræſentatio quædam eſt & imago expreſſa nominis Chriſtiani; cui proinde ſuus honor, ſua debetur, eáque longè maxima, veneratio.

Certè D. Hieronymus totus in eam venit, ut mihi teſtis eſt illa, quam ad Theophilum dedit Epiſtola, in qua ſic ad illum: Epiſt. 71.

Obſecro, ut ſi quas Synodos habes, ad me dirigas, quò poſſim tanti Pontificis authoritate firmatus, libentius & confidentius pro Chriſto ora reſerare.

Tanti facit S. Doctor Pontificias illas Synodos, ut earum decretis tanquam regulâ uti velit, ut firmiùs ſtylum figat, linguámque explicet ad depromenda veritatis oracula.

Nimirùm hic D. Hieronymo ſenſus fuit: Hieronymo, inquam, qui totâ vitâ litteris aſſederat, qui principes Academias frequentarat, qui doctiſſimos viros in conſilium partémque ſtudiorum ſuorum adhibuerat, qui ævum propè omne ſacris in Paginis linguiſque perdiſcendis triverat; verbo uno, qui vocante cœlo miſſus, ut Orbis Doctor eſſet, & doctrinæ ſacrationis prodigium: & hic ut is eſſet ac tantus, ad Synodi unius ſancita recurrit, eáque ſuſpicit ut miſſa de ſuperis oracula. Et Lutherus unus, aut miniſtellus neſcio quis è trivio petitus, impudenti auſu ea deſpiciet atque impugnabit?

Hos ego lubens compellabo ut olim Tertullianus ſui temporis hæreticos. *Qui eſtis vos*, ut univerſalis Concilii decreta impugnetis? *Unde & quomodo veniſtis? Ubi tamdiu latuiſtis* reformatæ (ut jactatis) religionis anteſignani? Emergite tandem, emergite è tenebris, è latibulis veſtris, & dicite è quo puteo eruenda Chriſtiana veritas? *E Spiritu*, inquies, *privato*, qui unicuique inſidet. De preſcript. Adv. hæreſ.

Non verò in ſpiritu privato.

At quæro, an ille ipſe Spiritus SS. Patribus non inſederit? An non Hieronymo, Auguſtino, aliiſque Antiquitatis luminibus? Minimè, inquies. Cui ergo? Luthero dices, Calvino, Melanthoni: de quibus rurſum petam, quod olim de Donato Auguſtinus: *De qua terra germinavit? De quo mari emerſit? De cœlo cecidit* Lutherus? De cœlo religionis ac caſtitatis in cœnum libidinis: Et huic fidem dabis, Sanctiſque Patribus negabis? Contra Donatiſt.

At urget, inquies, *ſpiritus privatus.* Sed an eo deſtituti antiqui Patres? An tot ſæculis Eccleſia? An ſpiritus ille omninò novus, & à pauculis annis miniſtellis tantùm illapſus? An ſolùm veſtræ ſectæ hominibus? Qui impugnatur.

Certè hoc aſtruere immanis eſt impudentiæ. Cur enim Spiritus Sanctus eo Eccleſiam tot retrò ſæculis deſtituerit contra cœli pacta, & Scripturæ oracula, quibus Eccleſiæ in ævum omne adpromiſſus?

Deinde ſi *ſpiritus* ille *privatus*, Spiritus eſt veritatis, unde ergo tot ſectæ, tot opinionum inter ſe pugnæ, à quibus vix una in domo ſit conſenſio, vel mariti cum uxore, vel cum liberis. Sed tot ſententiæ, quot capita, quæ cum ſpiritu veritatis ſtare non poſſunt. Hic enim cum ſeipſo pugnare non poteſt,

Digitized by Google

poteſt. At pugnat in vobis, ô hæretici, ô reformatores; *qui*, (ut ait Tertullianus) *tam dulce in amarum, quàm lucem in tenebras reformatis.* (*Suprà.*)

Sed à vobis diſcedo, redeóque ad SS. Patres, apud quos Oecumenica Concilia ſummam invenere fidem, atque authoritatem. Ne multis immorer in argumento ſatis obvio, unus iuſtar omnium mihi erit D. Gregorius, cujus hoc è Petri ſede oraculum, dignum quod eat in Poſteros:

Lib. 1. ep. 24. *Sicut S. Evangelii quatuor libros: ſic quatuor Concilia ſuſpicere & venerari me fateor.* Fuêre autem ea Concilia.

Primum, Nicænum ſub Sylveſtro Papa, Anno Domini ter centeſimo vigeſimo quinto.

Secundum, Conſtantinopolitanum ſub Damaſo, Anno ter centeſimo trigeſimo octavo.

Tertium, Epheſinum ſub Cœleſtino, Anno uno ſupra quadringenteſimum.

Quartum, Chalcedonenſe ſub Leone, Anno quadringenteſimo & uno ſupra quinquageſimum.

His deinde lapſis ſæculis acceſſêre alia Concilia Generalia, numero quatuordecim, quibus eadem omninò fides debetur, atque authoritas. Idem enim in iis caput, Romanus Pontifex; idem corpus, hoc eſt Epiſcopi, aliique Præſules; eadem quaſi anima, id eſt idem Spiritus ſanctus velut Præſes ac Rector, cui ſi fidem ſemel dederis, ut ſemper des eſt neceſſe: quo enim vultu, qua fronte deneges poſterioribus Conciliis quod prioribus ultrò conceſſiſti? Certè Calvinus ut in aliis ſciolus eſſe & videri poſſit, ut ingenii acrioris; in hoc certè ſtupidus apparet, & minimè ſibiipſi conſentiens, qui priſcas Synodos admittat, & novas rejiciat. Juvat audire quod de illis extulerit judicium.

Priſcas illas Synodos, ut Nicenam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, Chalcedonenſem, & ſimiles, quæ confutandis erroribus habitæ ſunt, libenter amplectimur ut Sacroſanctas, quantum attinet ad Fidei dogmata: nihil enim continent quam puram & nativam Scripturæ interpretationem, quam Sancti Patres ſpirituali prudentia, ad frangendos religionis hoſtes, qui tunc emerſerant, accommodarunt. *Lib. 4. Inſt. c. 7. §. 8.*

Hactenus Calvinus, è quo hæc habes. Primùm Synodos illas Sacroſanctas & videri & eſſe.

Deinde valere plurimùm ad confutandos errores: non valerent autem niſi eas regeret Spiritus Veritatis.

Tum amplectendas eſſe ad dogmata Fidei, quæ ſcilicet annuntiant, atque explicant.

Denique effundere puram ac nativam Scripturæ interpretationem per SS. Patres, veluti purioris ſapientiæ canales, per quos in vulgus omne ea defluit atque derivatur. Et quidem ex Calvini ipſius calculo, cui utinam hac in parte ſuum adjungerent noſtri temporis hæretici: non ea foret opinionum inter ſe pugna atque diſſenſio: hanc ſcilicet [illegible] tolleret omninò, aut felici concordiæ nexu copularet amica veritas, quam in Concilia demittit lapſus è cœlo Spiritus Veritatis.

DOMINICA QVINTA POST PASCHA.

VT abjectos Diſcipulorum animos erigeret CHRISTUS; Primùm illos blandè arguit, quòd hactenus nihil à Cœlo, nihil ab Æterno Patre poſtulaſſent: *Vſque modò*, inquit, *non petiſtis quicquam.* *Ioan. c. 16.*

Deinde docet quis modus, & quæ petendi ratio: ea his vocibus clauditur: *Si quid petieritis in nomine meo.*

Tum addit ea quæ movere debent, & certam ſpem facere illius aliquando conſequendi quod à Patre petiiſſent. Illa porrò ad duo capita revocantur: Unum eſt impenſus amor, & conniventia Æterni Patris. Alterum ipſa oratio Filii, qua pro genere noſtro etiam in Cœlis ac ſede beatitatis interpellat.

Tum denique oſtendit, quis ſit ſcopus, & finis orationis. Scilicet *ut gaudium ſit plenum.* Et hæc eſt ſumma Evangelii: in qua

EX D. THOMA.

Ioan. c. 16. EXAMINAT Angelicus Doctor ea Chriſti ad Diſcipulos verba: *Exivi à Patre, & veni in mundum: Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Et quatuor annotat:

Serm. 8. I. Illud: *Exivi à Patre. Exire ſuum à Patre fuit ſe viſibilem facere;* & hoc *propter tria: 1. Vt eum mundo manifeſtaret. 2. Vt ejus voluntatem nobis declararet. 3. Vt ejus charitatem nobis manifeſtaret.*

Ioan. 8. II. Eſt illud: *Veni in mundum;* venit autem *propter tria: 1. Vt ipſum illuminaret. Ego ſum lux mundi. 2. Vt ipſum Patri reconciliaret:* ita *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* *2. Cor. 5.* *3. Vt eum à poteſtate diaboli liberaret.* Inde illud: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* *Ioan. 12.*

III. Eſt hoc: *Iterum relinquo mundum.* Relinquit autem *propter tria: 1. Propter ipſius malignitatem. Totus* enim *mundus in maligno poſitus. 2. Propter ipſius ingratitudinis perverſitatem.* *1. Ioan. 5.* Hinc iſtud: *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Quæ autem major perverſitas, quàm eum odiſſe qui ſalvare

vare venit. 3. *Vt dares exemplum relinquendi mundum.* Inde illud ad Diſcipulos: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.* (Ioan. 12.)

IV. Eſt: *Vado ad Patrem.* Vadit enimvero propter tria: 1. *Vt eum pro nobis rogaret.* Hinc illud: *Ego rogabo Patrem.* 2. *Vt Spiritum ſanctum nobis deſtinaret.* Inde illud: *Si abiero mittam eum ad vos.* 3. *Vt nobis locum apud Patrem pararet.* *Vado*, inquiebat, *parare vobis locum.* Parat certè ſi modò ipſi paratum velimus; & verò quidni velimus? (Ioan. 14.) (Ioan. 16.) (Ioan. 19.)

EX D. BONAVENTURA.

(Ioan. c. 16.) (Dom. 4. poſt oct. Paſcha Serm. 1.) EXPLICAT illa Chriſti verba: *Petite, & accipietis ut gaudium veſtrum ſit plenum.* In verbulo, *petite*, oſtenditur, *debita præparatio ex parte noſtri, videlicet petitio devota orationis.* In voce, *accipietis*, patet *ſuperna diffuſio ex parte Dei.* Denique in vocula, *plenum*, notatur *efficacia completa perfectionis ex parte doni.* De hac & illa rurſum paucis S. Doctor. Primùm enim docet quomodo petendum; videlicet

1. *Sinceriter, cum rectitudine conſcientia in declinando mala;* non enim *cæleſte aroma gratia ponitur in fœtido vaſe cordis.* Neque Deus, juſtitiæ Sol, illabitur in cor immundum.

II. *Prudenter, cum diſcretione in eligendo bona.* Uti quondam petiit Salomon, qui nec ſibi dies multos, nec divitias, nec animas inimicorum ſuorum poſtulavit; ſed ſapientiam ad diſcernendum judicium. (3. Reg. 3.) Uti etiam Regina Eſther, quæ & pro anima ſua, & pro populo oravit, non pro dimidia Regni parte. (Cap. 7.)

III. *Fiducialiter, cum certitudine fiducia in expectando futura.* Docet deinde *quadruplicem eſſe plenitudinem.* (Serm. 2.)

I. Enim *plena eſt miſericordia in mundo. Miſericordia Domini plena eſt terra*, inquiebat Vates Regius: & benè. Elucet hæc dum peccata quantumvis enormia dimittit, dum *perverſos adhuc tolerat in mundo, qui potius jam deberent ardere in inferno.* Et hoc quia, ut rectè D. Auguſtinus, *Major eſt miſericordia quàm noſtra miſeria.* (Pſal. 32.) (De ſpiritu & anima. c. 4.)

II. *Plena eſt juſtitia in judiciis;* de hac ſic olim David: *Iuſtitia plena eſt dextera tua*, ut ſcilicet *impios damnet, & pios coronet.* (Pſal. 47.)

III. *Plena lætitia in cœlo; Replebimur bonis domus tuæ, bonis Angelorum, bonis Prophetarum & Apoſtolorum, bonis Martyrum & Confeſſorum, bonis Virginum.* Hæc omnia poſſidebimus *pleno corde, plena mente, plena anima, pleno gaudio*, inquit Anſelmus. (Pſal. 64.) (Bona.)

IV. *Plena miſeria in inferno;* ibi ſentiet infelix animula, quàm rectè in ſe cadat illud Ezechielis: *Tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam & ignominia plenam.* Tollent, inquam, omnes labores tuos, *id eſt bona tuo labore congregata. Res enim tollent hæredes, corpus vermes, animam dæmones:* nudus quoque dimitteris, quia meritis vacuus, & *peccatorum integumento tegeris, quod eſt ignominia & confuſio:* deinde *repleberis calice mœroris, & triſtitia calice ſororis tuæ Samaria.* Nimirum, *duæ ſorores ſunt anima & caro, quæ ſimul in utero unius matris fuerunt. Vnde una ſoror, ſcilicet anima damnata bibet de calice mœroris, uſque in diem judicii; alia ſoror, ſcilicet caro, poſt reſurrectionem incipiet bibere de horribili calice cum ſorore.* (Cap. 23.)

Diſcutit deinde S. Doctor illa Chriſti ad Diſcipulos verba: *Ipſe Pater amat vos. Amat, inquam:*

I. Ut *propitiator in mundo.* Nimirum optimus Æterni Patris Filius advocatum in Cœlo agit apud Patrem, & quod vult impetrat. *Nec mirum ſi Patrem exoret pro nobis in Cœlo, qui pro crucifixoribus oravit in patibulo.* (Serm. 3.)

II. Ut *ſuſceptor in extremo;* ad quem dicit fidelis anima: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Securiſſima ſunt anima, qua hac manu ſuſcipiuntur in morte.* Ut enim Servator optimus: *Nemo poteſt eas rapere de manu Patris mei.* Ita nimirum: *Iuſtorum anima in manu Dei ſunt.* (Ioan. c. 10.) (Sap. c. 3.)

III. Ut *glorificator in Cœlo;* qui ſcilicet electis ſuis dat *ſedere ad dexteram in contemplatione Divinitatis; & ad ſiniſtram in contemplatione humanitatis Chriſti.*

IV. Ut *amator ab æterno;* cujus immenſa vis amoris inde ſe prodidit: habebat Æternus Pater *duos filios: Innocentem unum*, nempe *Chriſtum; Nocentem* alterum, nempe *Hominem, qui pro furto ducebatur ad patibulum: imò & ſub patibulo, in quo frater ſuſpendebatur iterum furabatur.* Quid hîc ageret Æternus Pater? *Bonum Filium pro malo, Chriſtum pro homine tradidit in patibulo crucis, ne homo duceretur ad patibulum inferni:* ſic nimirum *Deus dilexit mundum.* (Ioan. c. 3.)

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Si quid petieritis.* Ioan. c. 16. verſ. 23.

AN ERGO SINT MORTALES INTER, qui à DEO *petant, & nihil petant?*

(Nihil petunt.) HOMINES inter ſunt quàm peſſimi oratores, qui cœlos votis onerant, fatigant precibus, petunt ſuo judicio longè plurima, Dei verò calculo merum putumque nihil.

Hi porrò ad tres omnino claſſes revocantur. In unâ ſunt illi, qui poſtulant res nihili. In alterâ, ea quæ cum aliquo ſcelere (hoc eſt cum nihilo connexa.) In poſtremâ, quæ ſibi minimè profutura.

(I. Qui bona caduca petunt.) Eſt unus aliquis divitiarum in paucis amans? Eas in ſe, ſuumque caput effundi rogat, etiam divite plenoque cornu: nec precibus iſtis cœlum annuit; quia ut petat, nihil tamen petit.

Nihil enim ſunt opes illæ: & *viri divitiarum* ſi fortè eas invenerint, ubi dormierint ſomnum ſuum, nihil invenient in manibus ſuis: Ideoque meritò Sapiens & ſibi & aliis ſcripſit illud: *Divitias nihil eſſe duxi.* (Sap. c. 7.)

Honores ambit alius, & dignitatum titulos appetit, eoſque ſibi decerni volet propitio Numine: at renuit illud, quia & hic nihil petit: ut enim D. Auguſtinus: In his *nihil boni, ſolidi, & perfecti.* Et ſi quod tibi fingis, ſimile eſt illud foliis arborum. *Honores folia ſunt*, inquit idem Præſul, quæ primo vere ſurgunt ac nitent, autumno decidunt atque exareſcunt. *Mane florent*, ait Vates, *veſpere decidunt & areſcunt.* Indeque Cœlo judice, pro nihilo habentur. (Pſal. 89.)

De

by Google

De Chriſti regno & paratis in eo honoribus multa audierat mater filiorum Zebedæi, eáque in terris adnaſci rebatur ac ſurgere: hinc illorum avida dominum rogat, ut uni filiorum detur à dextris ſedere, alteri verò à ſiniſtris: & hic eſt honor, quem ambit incauta mater, & filii; ad quos Magiſter optimus: *Neſcitis quid petatis.*

Honorem quæritis impenſiùs, at ille folium eſt aridum, & ille fumus eſt, quem levis aura diſpergit, & ille ſervitus eſt. Quod ipſum deinde cognovit Adrianus VI. Pont. Max. cujus hoc effatum: *Magnæ dignitates, magnæ ſervitutes.* Ampliùs aliquid dico. Nihil eſt ille honor, illa dignitatis prærogativa, quam ambitis.

Optat unus alius & ſtudioſè venatur aliquam corpori ſuo voluptatulam, & illam cœlo clementiore exigit. Et hæc quoque nihil eſt, imò ipſo nihilo longè deterior. Chryſoſtomo enim *voluptas carnifex* eſt. S. Teclæ virgini integerrimæ, *tormentum* eſt. So phocli *canis* eſt, & is quidem *rabidus*, qui te maligno dente mordeat, qui vulneret, qui cruentet, qui perdat. Platoni voluptas *clavus* eſt, qui animam immortalem mortalibus affigit; & cœlo natam terræ apprimit, & in terra retinet. Et hanc tamen à Deo petis, ô homo nihili.

De laud. S. Tecla.

II Qui mala. Venio ad ſecundam hominum claſſem, in qua reponuntur oratores malè ſani: ii ſcilicet, qui inſolenti impudentia ea poſtulant à ſuperis, quæ vel peccata ſunt, vel iis affinia: quale fuit illud Philoxeni, qui à Jove collum gruis optabat, ut eò gratiùs diſtillaret bacchicus liquor, quò tubo longiore.

Tale eſt illius, qui aut bona aliena inſatiabili mente concupiſcit, aut iras ſpirat & vindictam; adeóque in capita ſibi inimica, de cœlo fulmina devocat. Quiſquis ad Deum ſic venit malus orator, is aliquid ſibi petere videtur: ex vero autem nihil petit: quia peccatum & ſcelus à cœlo reluctante efflagitat; adeóque etiam infandum, atque infame nihil. Ut enim doctè Origenes: *Pravitas, quæ ſine Deo parta eſt, nihil eſt.*

In Ioan.

III. Qui non profutura. Tertia claſſis, in quam etiam veniunt mali oratores, eſt eorum, qui caduca, temporanea ac terrena expetunt, quæ vel corpori adjacent; ut eſſe poteſt firma valetudo roburque lacertorum: aut fortunæ adhærent, ut ſunt in Republica officia; in Eccleſia, beneficia, dignitates, aliáque ejuſmodi munia: quæ quia cum luto terráque connexa ſunt, cœleſti calculo nihili ducuntur ac fiunt.

Res enim illæ, ut puſillis mortalibus magnæ videantur, ſuperis tamen, ipſique ſupremo Numini nihil ſunt, collatione ſcilicet facta cum cœleſtibus, quæ ſolæ habentur in pretio, & aliquid eſſe putantur. Et hoc ipſum eſt, interprete D. Auguſtino, quod hîc inſinuare voluit Jesus, dum ſic ad Diſcipulos: *Si quid petieritis.*

In Ioan Tract. 102. *Hoc quod ait: Si quid, non quidlibet intelligitur; ſed aliquid quod in beatæ vitæ comparatione non ſit nihil,* inquit Auguſtinus. Quiſquis ergo ad Deum ſupplex venit, hanc ſibi legem ponat, ut aliquid ſit, & quidem boni, quod ſibi concedi efflagitat.

Quæ ergo petenda? Et quomodo? Lacedæmonii, vel ſola ratione duce, non petebant à diis ſuis, niſi pulchra & bona, καλὰ κἀγαθά. Quod ſi tibi fortè in bonis ducitur valetudo, ſi morbus in malis reponitur: ideóque hunc fugis, & illam ſequeris: ſequere enimverò; ſi tamen etiam animæ & ſaluti bona ſint. Dic age cum S. Fulgentio Epiſcopo Africano: *Domine da mihi patientiam, & ibi*

Caduca bona conditionatè.

indulgentiam. Da corporis robur, da luteæ moli vires; ſi tamen eæ ad obſequia tua, ô Deus, ad animæ bonum conducunt: ſin minùs, nega, pernega.

Si etiam placeant aliqua fortunæ bona, vel ſuſtentandæ vel etiam augendæ familiæ neceſſaria; age & mentem Deo, & vocem ſuperis explica: ſed ut olim in primæva Eccleſia Chriſtiani, de quibus ita Minutius Fœlix in Octavio:

Si facultates utiles putaremus, à Deo poſceremus: utique indulgere poſſet aliquantum, cujus eſt totum. Sed nos contemnere malumus opes, quàm continere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus, malumus nos eſſe bonos quàm prodigos. Æterna abſolutè.

Hic in naſcente Eccléſia ſenſus fuit, & is quoque in adoleſcente, imò & ſeneſcente eſſe debet.

Bona corporis, bona fortunæ ſint in poſtremis; at bona animi ſint in primis curis.

Ita quondam fuerunt Salomoni, Regi ſapientiſſimo, cui cùm indulgens cœlum optionem feciſſet petendi quidquid adluberet: non divitias elegit gazáſque regias, non ampliſſima Univerſi dominia, non ſceptra, non exteras coronas, non celebre Orbe toto nomen, non etiam illibatum longioris ævi curſum, nullis unquam morborum contagiis vitiatum; ſed miſſum è Cœlo purioris ſapientiæ ſpiritum:

Da mihi, inquiebat, *ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* Hæc orator Regius, cui ſapientia in votis fuit: atque utinam iis etiam eſſet, qui ad Deum precaturi accedunt. Sed proh dolor! multis id uſu venit, quod olim Iſraëli. 3 Reg. c. 3.

Hunc in vaſta ſolitudine per avia & invia deſerti loca, cœleſti cibo paverat indulgens Deus, mannâ refecerat, & cibo longè ſuaviſſimo, cujus tamen etiam faſtidium cepit. Hinc illæ nauſeantis ſtomachi voces: *Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi manna; quis dabit nobis carnes ad veſcendum?* Num. c. 11. v. 6.

Mirum profectò appetitui deſipere potuiſſe manna, in quo ea erat ſaporis varietas quam quiſquis ſibi fingere optaréque potuiſſet: percipiebatur enim in eo herbarum ſuccus, ſaccari dulcedo, mellis ſuavitas, carnis ac piſcium deliciæ; & quidquid ſaporis in aliis cibis omnibus ſparſerat natura, in uno manna collegerat Dei manus: & tamen ab hujus uſu Iſraëlis *anima* (hoc eſt ſtomachus, qui guloſis illis erat velut anima) arida eſt, languet, nauſeat, & quaſi exareſcit; hæcque ad Moyſem, imò & ad ipſum Numen: *Da nobis carnes ut comedamus.* Nimirum popellus ipſe nauſeabundus aſpirat ad carnes, & Ægypti cepas, & has à Deo petit importunus orator; cui etiam ex quadam connivenna annuit: Pœna malè petentium. Verſ. 13.

Ventus enim egrediens à Domino arreptans trans mare coturnices detulit, & demiſit in caſtra. Verſ. 31.

Videri potuit ea Cœli indulgentia ac miſeratio; at ea vero pœna fuit: nam *adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis,* à qua *vocatus eſt ille locus, ſepulchra concupiſcentiæ.* Verſ. 33.

Quod illis; hoc deinde pleriſque mortalium: anhelant illi ad putidas carnes, Ægyptique cepas, eáſque operoſè flagitant: & via eas extremis labris deguſtarunt, cùm ecce irruit ſuper eos Domini furor, & graves pœnas exigit; quia ſcilicet importunè cœlos fatigant, & mortalia petunt atque caduca, cùm è contrario immortalia æternáque poſtulare debuiſſent.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* V. 23.
QVID SIT PETERE IN NOMINE CHRISTI?

Probandáne ſit oratio? PRIUSQUAM devolvar ad hanc quæſtionem, aliqua mihi lis erit ac controverſia cum hæreticis. Sitne conſultum imò fas aliquid ab Æterno Patre orando petere? Fuerunt enim adeò perditæ frontis ac mentis homines qui id negarunt, omnémque orationis modum ac ordinem è medio ſuſtulerunt: hos inter Prodiclus, quem arguit vel ipſa natura, ratio, omniumque ſæculorum experientia. Alii vocalem orationem impugnarunt, quòd crederent Deum, utpote expertem aurium, voces non audire; ſed ſcrutari corda, & in his legere pios motus affectúsque animorum. Et hoc inquiebant, plùs ſatis.

Publica. Hi præſidium aliquod erroris ſui petierunt ex illo Eccleſiaſtici: *Ne iteres verbum in oratione tua.* Et hinc graviter incuſare perperámque damnare Romanam Eccleſiam, quæ ſacra inter officia, Antiphonas ac verſus repetit, iterátque vanâ (ut falsò opinantur) ſuperſtitione: Verètamen tum ex æſtu quodam, & devotionis redundantia, tum ut ſuos myſtas doceat iterum ac ſæpiùs opera pietatis eſſe repetenda. Neque huic ritui ſacro adverſatur Eccleſiaſticus, dum verba iterari vetat ex ſpiritu quodam ſenſúque infidelitatis, quaſi voces primò fuſas ſurdum Numen non audierit: audit enimverò, & ſi Privata. viſum eſt, etiam exaudit. Nonnulli privatam quidem, & quæ in ſecreto cubiculi habetur, orationem admittunt; at reſpuunt eam, quæ publicè, & in aperto fit: ita Donatus, qui in eam hæreſim, alióſque errores præceps venit, ex quodam ſpiritu vertiginis, & cæcæ ambitionis, qua incitatus, (dum non tulit in Epiſcopatu Carthaginenſi, ſibi præponi Cæcilianum) eum primò calumniis impetiit; deinde ab Eccleſia defecit per infame ſchiſma. Denique in varias hæreſes fœdè lapſus eſt, quas inter, illa cujus hìc paucis memini. Contra quam pugnavit 2. 2. q. 83. olim D. Auguſtinus, tum etiam D. Thomas, è quo nonnulla, eáque breviſſimè petemus.

Probanda omninò. Oratio alia eſt atque alia. Hæc communis & publica; ſingularis illa ac privata. Hac à Deo ſupplices petimus ea, quæ nobis opportuna; illâ verò, quæ Eccleſiæ Orbíque univerſo. Illa voce exprimitur, aut cantu ſolemni; hæc etiam corde tenetur.

Tam hujus quàm illius exemplum habes in 5. Reg. c. 11. Moyſe & Anna: de quibus quærit D. Ambroſius, cur Moyſes clamare dicatur, Anna vero tacitè ſecum & cum Deo in corde loqui, ſic ut nulla omnino vox audiretur. Reſpondet hìc Præſul: quia Serm. 19. in Pſ. 118. *Anna filios poſtulabat, hoc eſt bona quidem: ſed privata, non publica. Clamabat autem Moyſes, quia non pro ſe, ſed pro omni populo precabatur.*

Quod olim Moyſes pro commiſſo ſibi grege; hoc deinde Eccleſia, quæ ſicut eſt viſibilis & aliquo ſenſu perceptibilis; ſic & ejus oratio ejuſmodi eſſe debet, adeoque etiam vocalis: & hinc rectè inſtitutæ orationes publicæ, quales & Chorus & cantus.

Ad has certè Samariam adhortatus eſt Oſeas Propheta, cujus hæc ad illam oracula.

C. 14. v. 3. *Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad dominum, & dicite ei. Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.*

Orationem appellat *vitulos labiorum*, id eſt hoſtias, quæ Deum placent; vel ut vertunt Septuaginta, *fructus labiorum longè ſuaviſſimos.*

Hos à te cœlum exigit, quiſquis à Deo propitio in Clerum evocatus es. Juberis ire ad divina officia, ut pſallas ſpiritu, pſallas & mente; & ſic hoſtiam ſacris altaribus ſiſtas atque immoles; vocaris ad ſolemnia Miſſæ ſacrificia, ad hoſtiam pro populo offerendam, ad pacandum iratum Numen; vocaris ut orator populi fidelis, vide redeas etiam exorator. Redibis autem, ſi orationes tuæ ſint tanquam *vituli labiorum*, & velut innocentes hoſtiæ, quæ Deo vindici immolentur. Et hoc quidem in nomine Chriſti, ex illo ejuſdem vel oraculo vel præcepto.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.

Sed hinc emanat quæſtio, quid ſit petere in nomine Chriſti? In ea SS. Patres in varias opiniones diſcedunt. S. Gregorius, ex ipſo JESU nomine, quæſtionem ſolvit. Quid ſit petere in nomine Chriſti?

Nomen Filii, inquit, JESUS *eſt*: JESUS *autem Salvator, vel etiam ſalutaris dicitur: ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram ſalutem pertinet: nam ſi id quod non expedit petitur; non in nomine* JESU *petitur.* Rem exemplis declarat, atque oculis ſubjicit S. Pontifex. Hom. 27. I. Salutaria.

Penſate, inquit, *petitiones veſtras, videte ſi in nomine* JESU *petitis, id eſt ſi gaudia ſalutis æternæ poſtulatis. In domo enim* JESU JESUM *non quæritis, ſi in æternitatis templo importunè pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit uxorem, alius petit villam, alius poſtulat veſtem, alius dari ſibi deprecatur alimentum.* Ecce quò vertuntur mortalium ſtudia, quò flectuntur preces; ad ea ſcilicet, quæ hujus temporis, non quæ æternitatis. Ita quondam infelix Saul ad Samuelem importunus orator venit, imperium prorogari petit in ſeros annos: de hoc magis quàm de ſalute ſollicitus: hanc certè habere debuit in primis curis, & à cœlo Deóque ſupplex petere; ſceptrum autem purpurámque reponere in poſtremis: at ſecus accidit, & hinc regno & vita excidit.

Non ſic orare debet in Chriſti ſchola probè doctus.

Qui verè Chriſtianus eſt, non iſta temporalia petere debet; ſed totum pondus orationis & intentionis ſuæ ad expetendam æternam beatitudinem debet impendere, inquit D. Auguſtinus, Et ſic in nomine Chriſti petere. L. 2. de verb. Domini. Et æterna. Sed hinc incurrit altera quæſtio, Quid tandem illud in nomine Chriſti? D. Gregorius è pulpito ad populum ait, illud in nomine Chriſti peti, quod ad ſalutem petitur & beatam æternitatem. Suprà. S. Cyrillus, quod per Chriſtum velut mediatorem & collargitorem: ut enim homines inter Deúmque mediator eſt, preces Æterno Patri ſiſtit; ut autem Deus, una actione velut manu cum Patre dona diffundit. II. A Chriſto.

Euthymius, *In nomine meo*, hoc eſt, ut mei, ut à Chriſto Chriſtiani.

III. Per Chriſtum. S. Chryſoſtomus, *In nomine meo*, hoc eſt per me, meáq; merita, dignitatem, partam cœlo authoritatem.

Ribera.

IV. Ribera, *In nomine meo*, id eſt velut à me miſſi.

III. à Chriſto miſſi.

Et hæc eſt pia opinionum inter ſe pugna, & amœna quædam varietas moribus ritè formandis accommoda; in qua magis arridet ea, quæ eſt D. Chryſoſtomi aurei oratoris. Et verò quàm optima orandi, imò & exorandi ratio eſt, ea quæ poſcimus ab Æterno Patre per Filium, ejúſque merita depoſcere.

Moloſſitæ (gens cæteroquin inculta & barbara) ſi quid à Rege ſuo ſupplices poſtulaſſent, id enimverò per filium poſtulabant, eúmque prenſabant ulnis, ſtringebant brachiis, & paternis ſiſtebant oculis, quem ſcilicet vel aſpectu ſolo, ceu muta oratione, ad ſubditorum vota precéſque flecteret.

Ita feciſſe quondam auditus Themiſtocles à Regina probè doctus. Athenis ille exulare juſſus, ad Regem Admetum orator venit, & filium, quem manu prenſarat, oſtendit: oravit hic, & certè etiam peroravit.

Nimirùm apud Patrem oculis orat, peroráſque Filius, etiam in humanis: multò magis in divinis Æterni Patris æternus Filius: hunc enim ſi obtuliſti, quidquid ad exorandum facit obtuliſti.

Optimè qui per Chriſtum.

Duo ſunt quæ Deum Patrem inclinant ad ſupplicum vota: primum ſummus in filium amor; alterum ſumma filii merita: his negare nihil omninò poteſt.

Cùm filiolis ſuis benè precaretur Jacob, cùm multam in eos cœlo propitio benedictionem derivaret; ſic ad Joſephi filios Ephraim & Manaſſe:

Gen. c. 48 v. 16. *Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque in præſentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Iſaac.*

Hæc emeritus Senex plenus dierum ac meritorum: cujus morem geniúmque ſecuti Hebræi longè conſequentes, Deum precari ſoliti per Abraham, Iſaac & Jacob: alta piáque nomina, quæ quia ſuperis gratiſſima, rebantur iis placari poſſe iratum Numen, & impetrari illud omne quod in votis fuiſſet.

Ita deinde lapſis longè ſæculis, per Davidis parentis optimi nomen orare Salomon, & illud in faventes cœlos mittere: *Memento Domine David.*

Ad Dei Opt. Max. aures grata appulit ea oratio, imò prodigio illuſtri approbata. Si enim Rabbinis credimus, cùm in templi molem magnificè à ſe extructam venit Salomon, derepentè occluſæ fores, imò & oculis ita ſubductæ, ut nemo unus omnium videret, quà in ſacram ædem daretur aditus. Id prodigium primò Regem attonitum habuit: dein in has preces excivit: *Memento Domine David.*

I. Probatur a ſimili.

Mirum dictu viſúque! ad illas voculas apertæ illicò valvæ, obviúſque cuique pateſactus aditus.

Si tantum potuit Davidis nomen, ſi clauſa templi adyta reſeravit, ſi pro clavi fuit; quid erit Chriſti? Quid auguſtum, cœleſte, divinum Jesu nomen? An non cœlos ipſos explicabit recludétque, etſi à ſcelere quondam illi peccatoribus occluſi? Explicabit enimverò recludétque, atque etiam ex hoc ævo mortali cœleſtium gratiarum fluenta derivabit, multò uberiùs, atque certiùs, quàm vel Abrahæ, vel Iſaaci, vel Jacobi nomen. S. Porphyrius Gazæ Epiſcopus, pro eo quo erat in religionem zelo, ab Arcadio Imperatore petiit ut omnia Idolorum fana toto ejus imperio ſparſa, ſolo æquarentur.

Pia quidem & juſta; ſed libera, ſed audax petitio: cui ut annueret Imperator, hanc ſibi concedi poſtulavit vel ipſo nomine Theodoſii Iunioris recèns nati: negari illud non poſſe, quod ſub auſpiciis tanti támque grati nominis peteretur. Subjunxit Arcadius rem eſſe arduam, & periculoſæ plenum opus aleæ, magni laboris eſſe, imò & diſcriminis, tot ac tantas moles templáque Idolorum cœlo propè minantia diruere: tentaretur tamen illud, daretúrque Porphyrio, vel eò tantùm quòd amantiſſimum Theodoſii, ac filii nomen interjeciſſet.

Quid amabo te, mi Lector, quid Theodoſius? Infans erat, atque adhuc in cunis, rationis expers & pii ſenſus, qui nec patrem etiam de vultu noſſe nec amare poſſet, nec ejus gratiam ulla ratione ſibi ſuiſque demereri. At Chriſtus Dei Filius, qui & Patrem jam inde ab æternitate novit atque amavit, & in tempore factus homo ſeſe illi ad omnia ſubmiſit, etiam ad extrema mortis ſupplicia; cujus proinde nomen ſi interponatur, neceſſum eſt ut poſtulanti cedat illud omne, quod ab amantiſſimo Patre poſtularit. Ecquid enim ſi longè maxima Filio II.
dedit, non dabit ejus nomine etiam minima? Filio A ratione.
dedit eſſentiam, eandémque etiam individuam naturam, de qua ille: *Ego & Pater unum ſumus.*

Filio commiſit Univerſi arbitrium, vivorum unà mortuorúmque judicium, de quo ille: *Pater non judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio.*

Filio ceſſit omnem, quà in cœlis, quà in terra poteſtatem, de qua ille: *Data eſt mihi omnis poteſtas, in cœlo & in terra.*

Filio tradidit regnum, & cœleſte quidem, cujus nullus unquam erit finis.

Filio denique effuſa liberalitate tradidit, tradere quod unquam poteſt: imò voluit illi omnia ſecum eſſe communia. Sic enim ille: *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt.* Quòd ſi omnia tradidit etiam ſumma: negabit infima, quæ puſillo homini, ejus nomine, authoritate, meritiſque experientur? Certè III.
non negabit. Teſtem produco è multis unum, Hi- Ab exem-
larionem. Vidit ille quondam non ſine ſenſu ſtu- plo.
poris ac timoris, rhedam ferventibus equis præcipitem in ſe irruere; utque periculum imminens averteret, Jesu nomen ſupplex imploravit: & ecce ſubitò rheda, equique ac pompa omnis, quæ illâ vehebatur, repentino terræ hiatu abſorpta. D. Hieron. in Hilarionis vita.

Tantùm potuit ad immane facinus avertendum, Hilarionis.
vel unicum Jesu nomen precibus votiſque Hilarionis implexum.

Irruit in te mundus adornatâ ſibi pompâ, ut te perdat? Age, invoca Jesu nomen, & per illud Patrem Æternum interpella; & omnis ille mundi faſtus in fumos ibit & tenues auras.

Sollicitat te mollicula caro, & ſuis blanditiis parat allicere ad ſcelus infandum? Perge ſuperos invoca per Jesu nomen; & omnes effringes cupidinis arcus, teláque eludes omnia.

Ex erebo in reluctantes auras emergit dæmon, atque in te, ut olim in Antonium, facto agmine incurrit? Agedum cœlos ſuſpice, & votis tuis, ceu telis, quæ jacis in hoſtem, inſcribe tremendum Jesu nomen; & illum indubiè ſternes ac profligabis.

Ubi David cum Goliatho deſcendit in ſingulare 1. Reg. c. 17.
certamen, è lympido torrente ſibi delegit quinque lapides, quorum primo inſculpſit Moyſi nomen, ſecundo Abrahæ, tertio Iſaaci, quarto Jacobi, quinto ineffabile ac verendum nomen *Iehova*, à quo & ductum Jesu nomen: tum in hoſtem proceſſit audens, & quaſi bellicum accinens jactavit illud contra Philiſtæum: *Tu venis ad me cum gladio, & haſta,* Verſ. 45.
& clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini.

In hoc certè venit, vidit, vicit, & Philiſtæum, molem illam carneam, ſolo inſtravit: *tulit enim* Verſ. 49.
lapidem unum, funda jecit, & circumducens percuſſit Philiſtæum in fronte, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram. Tantum potuit vel unus lapis.

Si quæras quis ille? audies ex Philone eum fuiſſe, cui inſcripſerat divinum nomen *Iehova.* Hunc Davidis.
delegit ſibi ſalutarem, fatalem hoſti: & hoc quidem non caſu, ſed certo conſilio, & amabili Dei providentia, quæ jam inde à primis ſæculis præludebat auguſto Jesu nomini, gaudebátque

oſtentare

oſtentare, quæ in eo vis, & quàm potens telum in tartareum hoſtem, ceu Goliathum, cum quo nobis eſt certamen.

Utamur ergo amabili illo ac benè fortunato nomine; illud in fronte orationum noſtrarum, & primis litterarum apicibus inſcribamus.

Apud Saracenos adeò celebre Mahometes nomen, ut illud præmittant in capite litterarum omnium. Superſtitio eſt, & quidem damnanda. Equa tameo non ſine rubore diſcet Chriſtianus JESU nomen appingere orationibus ſuis, quas in cœlum mittat, ceu litteras, ceu ſupplices libellos Æternò Patri deſtinandos. Quos ubi legerit ille, votis illico annuet; velideò tantùm, quia in iis legitur IESU nomen. Ut verum ſit iſtud Chriſti oraculum: *Si quid petieritis in nomine meo, dabit vobis.*

QUÆSTIO TERTIA.

THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* verſ. 23.

AN OMNIS GRATIA, VEL NOBIS, VEL ETIAM antiquis data: vel petita in nomine CHRISTI? *Et an omne quod ſic petitur, impetretur?*

An omnis gratia à Chriſto?

IN hac quæſtione primùm id ſtatuo, quod extra controverſiam eſt, ſaltem apud ſanioris mentis Theologos, à lapſu Adæ, decretoque Incarnationis Divini Verbi, nihil ab Æterno Patre conceſſum cœleſtis gratiæ, nihil quod ad ſalutem faceret ac beatitatem, niſi ex merito futuri aliquando Mediatoris, id eſt Chriſti IESU. Proindeque, ſi quæ fides Abrahæ data, ſi quæ obedientia Iſaaco, ſi quæ Jacobo, hoc eſt luctatori vis & robur animi; ſi quæ aliis ſuperna dona: ea conceſſa vel uno intuitu Chriſti & meritorum ejus.

Divina ſapientia, jam inde ab æternitate, ceu ſpecula quadam, ſpectabat futurum aliquando Meſſiam, cujus vita, paſſio, mors, & qui ex his ſurgebat meritorum cumulus, erat in ideis divinis, quas dum intueretur Æternus Pater, decrevit non niſi ex eorum gratia ac favore concedere generi humano omne quod ad ſalutem conducere poſſe videbatur, ſeu illud gratia foret, & veluti delibata quædam cœleſtis eſſentiæ portio, ſeu caritas virtutum regina, ſeu aliud quodvis devotæ ſuperis animæ ornamentum faciens ad beatitatem. Et hoc Theologo verè Chriſtiano extra litem eſt: in lite iſtud: Utrum Antiqui illi Heroës, quos avita ſuſpexit ætas atque amavit, Patrem Æternum oraverint per filii nomen ac merita?

An etiam Antiquis?

D. Cyrillus cenſet neminem ex illis Deum oraſſe in nomine Filii: tum quia Judæi fidem ſanctiſſimæ Triadis diſtinctam non habebant, ideoque nec Patris & Filii: tum quia adhuc erant in ſtatu ac conditione ſervorum, & necdum aſcenderant ac venerant in ſortem Filiorum Dei. Videtur tamen etiam probabile ex antiquis nonnullos ita oraſſe: quos inter David, cujus hæc oratio ad ſuperos emiſſa: *Propter David ſervum tuum non avertas faciem Chriſti tui*: hoc eſt Meſſiæ, quem ſcilicet jam animo, fideque præconceperat. *Pſal. 131.*

Sic etiam oraſſe creditur à Toleto, cùm gravioris culpæ reus, has in cœlum extulit voces, pænitentiæ teſtes: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*: Hoc eſt Meſſiam, qui, interprete Toleto, Dei eſt miſericordia. Et hoc attigiſſe meo inſtituto ſit ſatis. Pendet enim ea quæſtio, an Patres antiqui habuerint notitiam aliquam Incarnationis Divini Verbi, quam ſcholis agitandam relinquo: Venioque ad poſtremum, quod mihi propoſui. An ſcilicet id omne impetretur quod in Chriſti Servatoris nomine petitur? Id enim evincere videtur ſolemnis illa Chriſti promiſſio: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* *Pſal. 50.*

An omne; quod petitum petitur, impetretur?

Hoc eſt oraculum Primæ Veritatis, quam tamen falſitatis arguit Lutherus, cujus hoc fuit impudens pronuntiatum: *Neceſſe eſt Chriſtum eſſe ſummè mendacem*: adpromiſit enim fore, ut quidquid diſcipuli ab Æterno Patre in Filii nomine peterent, id certò certiùs aſſequerentur: at petierunt permulta, nec ſunt conſecuti: igitur *neceſſum eſt Chriſtum eſſe ſummè mendacem*, cujus ſcilicet facta à dictis diſſentiant. Et hæc eſt inſolens Lutheri concluſio, hæc in Servatorem longè veraciſſimum immanis calumnia, quam non tantùm jactavit è pulpito, & è cathedra peſtilentiæ dixit; ſed etiam ſtylo notavit, publico dedit, ut iret in poſteras ætates enormis ea in Servatorem injuria, quam hìc eluere eſt animus: quod ut fiat majori luce, pauca ſuppono ex SS. Patrum ſententia. *In Pſal. 21.*

Et quomodo?

Primùm id promiſiſſe Chriſtum, dandum ab Æterno Patre quidquid ſuo nomine foret expetitum: id promiſiſſe, inquam, non abſolutè, ſed certis quibuſdam conditionibus, quas aliis in locis vel Dominus expreſſit, vel Sacræ paginæ edidêre.

Et hoc in Scripturis familiare eſt atque obvium. Sic uno in loco timenti Deum promittitur ſalus & æterna vita, in altero credenti, in alio etiam ſperanti: non tamen inde rectè intuleris, aut timorem, aut fidem, aut etiam ſpem ad ſalutem ac beatitatem ſatis eſſe: hoc quippe beneficium promittitur timori, Fidei, Spei; ſi eis adſunt cætera, ſi deſit nihil quod ad ſalutem conducat. Et hinc

Alterum confirmo. Deum quandoque & ſæpiùs exaudire preces noſtras, cùm petita negat: quod tunc evenit quàm maximè, cùm ea poſtulamus, quæ credimus ſaluti noſtræ fore conſeotanea, re tamen ipſa diſſentanea ſunt.

Hæc enim concedere, non foret Dei miſerentis; at potiùs ſeverè punientis: è contrario negare ſummæ eſt bonitatis, ſummæque indulgentiæ. Addo deinde illa non poſſe peti in nomine Chriſti: *Quod petitur contra rationem ſalutis, non petitur in nomine Salvatoris*, inquit D. Auguſtinus. *D. Auguſt. Tract. 73. in Ioan.*

Quomodo non?

Tertium, quod hic ſtatuo ex SS. placitis & Scripturæ fide, ſæpè non impetrare nos quæ petimus; quia malè petimus.

Petitis (inquiebat D. Jacobus) *& non accipitis; eò quòd male petatis.* *Epiſt. c. 4. v. 3.*

Itaque ſi quæ culpa, non eſt Dei à promiſſione ſua deficientis (quod abſit) ſed miſelli hominis, qui etſi quandoque petat bona, non benè petit. Non eâ quâ par eſt fide, reverentia, conſtantia, æquitate. Quomodo enim puſillam creaturam audiat, imò & exaudiat Deus, ſi Deum ipſa non audit? *D. Baſil. de Conſtit. Monaſt. c. 2.*

Quomodo

Quomodo ejus votis annuat, & quodammodo pareat, ſi præceptis divinis illa non paret? Æquum certè eſt, ut ſi homo velit Deum facere quod petit, faciat ille quod hic ab illo petit, ac jubet.

Et hanc orationi legem præfecit Meſſias ipſe calamo D. Joannis, qui ei fuit à ſecretis.

Ioan. c. 15. *Si feceritis*, inquit, *quæ præcipio vobis, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.*

Vult JESUS, ut cùm oramus, manus cum lingua conſentiat; ne nobis dicatur illud quod olim Iſaac Jacobo: *Vox quidem vox Iacob eſt; manus autem, manus ſunt Eſau.*

Vox erat blanda, lenis, modeſta, vox ſcilicet Jacobi: at manus piloſæ, hiſpidæ, aſperæ; quales nimirum Eſau; quales deinde Iſraelitarum, quorum vox amica & ſuavis, quia unum illud inſonabat: *Domine Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.*

Sed manus, ſed opera ſupèris inimica, atque inviſa. Ideóque ſic olim ad illos Deus: *Non exaudiam;* Iſai. c. 1. v. 15. *manus enim veſtra ſanguine plenæ ſunt,* Hoc eſt iniquitate, quam ſanguinis inſtar profuderant. Et ideò etſi contenta vòce totiſque lateribus inclament, non audiuntur tamen: *quia oculi Domini ſuper juſtos,* Pſal. 33. *& aures ejus in preces eorum.* In hos ſcilicet inclinat Dei miſeratio, hiſque annuit: injuſtos autem nec audit, nec benigniore intuetur oculo.

Poſtremum quod hîc ſtatuo, eſt ideò non dari quod à cœlo petimus; quia & illa parva ſunt, & magnus eſt Deus hanc rationem pulchrè attigit D. Ambroſius:

In Pſal. 118. *Tu*, inquit, *cùm oras, magna ora, id eſt, ora, quæ æterna ſunt, non quæ caduca.*

Noli orare pro pecunia, quia ærugo eſt.
Noli orare pro auro, quia metallum eſt.
Noli orare pro poſſeſſione, quia terra eſt.

Iſta oratio ad Deum non pervenit; non audit Deus, niſi quod dignum ducit ſuis beneficiis.

Hinc conſentaneam logico verè Chriſtiano deducit concluſionem Hugo Victorinus.

In Pſal. 36. *Cùm ergo oras*, inquit, *quem petas potiùs, quàm quid petas, cogitare dulce eſt.*

Meritò quem petas, quia is Deus eſt, & eum ſi invocas, aderit ille tibi. Ut enim Vates Regius:
Pſal. 144. v. 18. *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.* At proh dolor! *multi ſunt*, inquit Auguſtinus, *qui*
In Pſal. 144. *eum invocant non in veritate: quia* ſcilicet *aliud ab ipſo quærunt, non ipſum quærunt.* Cujus hæc eſt potiſſima ratio, quia non ipſum amant, ſed alia prorſus ab ipſo. Quod ſcitè notavit D. Auguſtinus; ſic enim ejuſmodi malos oratores compellat:

Invocas quidquid amas, invocas quidquid in te vocas, In Pſal. 85. *invocas quidquid vis, ut veniat ad te: ut veniat ad te ſæcularis hereditas, ut veniat ad te ſæcularis dignitas; illa invocas, quæ vis, ut veniant ad te.* Deum autem ut veniat ad te non invocas: & hinc nec illum obtines, nec etiam alia ſquæ perperàm expetis. Uti experierunt olim plurimi, iique præpoſteri oratores, qui vel nihil à ſuperis extorſerunt, vel certè ſuo damno.

Producamus exempla ex antiquitate petita. Cùm adverteret Saul iratum ſibi cœlum, ad Samuelem importuniùs venit, rogavitque ut ſibi Numen propitium faceret, ne ſcilicet eo vindice & regno privaretur & patrio ſolio. *Honora me*, inquit, *coram* 1. Reg. c. 15. *ſenioribus populi mei, & coram Iſrael.* v. 30.

Ita de gratia Iſraëlis ac honore ſeniorum cogitat, & pro iis retinendis laborat ſtudioſiùs, & Deum interpellari vult; pro eluenda verò admiſſi ſceleris macula, minùs eſt anxius. Ideóque cœlo judice ſic punitur, ut & hominum favoribus excidat, & Dei gratiam, quam amiſerat, non recuperet.

Quod Sauli quondam, hoc aliis modò uſu venit: pro dignitate obtinenda ſuperos fatigant; pro Dei gratia amoréque retinendo, ne verbum in precibus effundunt: perverſi ſanè oratores, quibus addam è fœmineo molliíque ſexu Rachelem ac Rebeccam, quæ etſi veniâ dignæ; non tamen ſine aliquo culpæ nævo. Rachel Jacobo data conjux, maligna videbatur ſterilitate damnata; hinc lacrymæ, & crebri ejulatus, hinc immodicæ querelæ, & has inter etiam illæ ad maritum voces: *Da mihi liberos, alioquin mo-* Gen. c. 30. *riar.* Quibus congruæ aliæ mittebantur ad ſuperos, qui tandem annuere viſi. Dedit enim Deus ei prolem, & quidem geminam, atque unà etiam mortem: à partu ſcilicet *Benjamini*, qui ideò audit Cap. 35. *Benoni*, hoc eſt filius doloris.

Neque multò melior Rebeccæ ſors fuit: erat illa prolis amantior, & eò quidem ampliùs, quò vota diſtulêre Superi. Qui tandem annuêre, & prolem conceſsêre geminam, non ſine ingenti dolore, anguſtiiſque bonæ matris, quæ ubi ſenſit etiam in utero luctari proles, quaſi evicta fractáque eo doloris ſenſu exclamavit: *Si ſic mihi futurum erat, quid* Gen. c. 25. *neceſſe fuit concipere?* v. 22.

Quod Rachel, quod Rebecca; hoc quâ vivimus ætate, ſtultæ matres, imò & ſtulo mortales, quorum pars, invito etiam cœlo ac repugnante natura, proles petit, divinas altera, honores alia, futileſque dignitatum titulos, quos inſanis ambiunt votis: de prole ſpiritali, hoc eſt de cœleſtis gratiæ fructu, de bonis æternis, parum ſolliciti.

****

DOMINICA SEXTA POST PASCHA.

TRIA Diſcipulis hîc proponit Magiſter optimus: Primum fore, ut Spiritus ſanctus à ſe in terras emiſſus, pro ſe teſtimonium reddat, Deumque probet ac Meſſiam reparatorem Univerſi.

Alterum, quòd & ipſi quoque vitæ ipſius geſtorumque teſtes pro ſe & magnificè & verè locuturi, tum in ſecreto cubiculi, tum in pulpitis & cathedris frequenti concione: Nimirùm ea libertas & Magiſtro digna, & Diſcipulis, qui minimè ſilentio premere debuerant, quæ fidelibus oculis, auribúſque uſurpaſſent.

Poſtremò denique ſubjicit animo, memoriquе mente reponit, quæ inde manaturæ ſunt perſecutiones, ut tela prævisa minùs feriant. Et hæc Evangelii ſumma: in qua unum occurrit dignum animadverſione.

Ut ex uno eodémque flore & mella legunt apes, & araneæ venenum: ſic ex eodem Scripturæ loco, Latini puram putámque Chriſtianæ Fidei hausêre veritatem; Græci verò contrà, & mendacium infame & hæreſim nefandam.

Ioan. c. 15. Is porrò locus his voculis clauditur: *Quem ego mittam à Patre.* Hîc Eccleſia Latina conficit Spiritum ſanctum à Filio procedere, quia ab illo mittitur: ea quippe miſſio proceſſionem arguit. E contrariò Eccleſia Græca inde conjicit, à ſolo Patre procedere & ſpirari. Et hinc natum infame ſchiſma, cui Anno quinquageſimo quarto ſupra milleſimum, Michaël Patriarcha Conſtantinopolitanus initium dedit; imò eò proceſſit audaciæ, ut & in Pontificem Romanum, & in Latinos omnes jecerit excommunicationem, auſu planè temerario & inſolenti. Quod inultum eſſe non eſt paſſus, qui malis invigilat, Deus. Anno quippe quinquageſimo ſecundo ſupra quadringenteſimum & milleſimum, in ipſis Pentecoſtes feriis à Turcis capta Conſtantinopolis, Imperator cæſus, extinctúmque Græcorum Imperium. Ita florentiſſimi Imperii ſedem amittit, qui à Romanâ ſede deficit.

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Et vos teſtimonium perhibebitis de me.* Ioan. c. 15. verſ. 27.

QUOMODO APOSTOLI TESTIMONIUM DEDERINT de CHRISTO? *Vocéne an opere? Lingua an ſanguine?*

Apoſtoli. MAGNA ſunt, eáque ſpecioſa nomina, quibus Apoſtolos ſuos ſignavit Deus. Et primum quidem illud, quod obvium eſt, *Apoſtoli*: quod tam officii quàm dignitatis eſt nomen: *Legatum*

Legati. enim ſignificat & quidem Altiſſimi: in quo & officii rationem modúmque legas, & dignitatem quoque verearis ac ſuſpicias.

De hoc & illo extat illud Pauli de ſeipſo deque aliis oraculum: *Pro Chriſto, Legatione fungimur.* Fuerunt ergo Apoſtoli Legati, & quidem à latere: ſic eos appellaſſe videtur Tertullianus, qui hoc de illis:

Lib. de Præſcript. c. 20. *Ex quibus duodecim præcipuos lateri ſuo adlegarat deſtinatos nationibus Magiſtros.* Ecce dignitas & officium: hoc in primis domini ſui mandata deferre, teſtarique quæ ſit illius voluntas.

Habent ſacri canones Legatum à latere *pro Papa venerandum eſſe*, qui (ut inquiunt) *pars corporis ejus eſt*: Chriſtum induerant Apoſtoli, exuerant mundum.

Serm. de Pentecoſt. *Erant nudi ſæculo; ſed induti Chriſto*, inquit ore aureo Chryſoſtomus: imò Chriſtus erat caput, & Apoſtoli illius oculi; & ſi voles etiam pupilla. Hinc illud *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.*

Cœli Dicti ſunt deinde *Cœli*. De quibus præſagâ voce Propheta Regius: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Cœli,

Serm. 22. in Pſal. hoc eſt Apoſtoli. Ut enim D. Ambroſius: *Sunt etiam in terris Cœli, qui enarrant gloriam;* enarrant, inquam, & toto circumferunt Univerſo.

Alæ Eccleſiæ Unde dicuntur & ſunt *Alæ Eccleſiæ*, imò & ipſius Chriſti, de quibus olim Iſaias:

C. 24. v. 16. *A finibus terræ laudes audivimus.* in Hebræo eſt: *ab alis terræ*, hoc eſt ab Apoſtolis, qui toto Orbe volitantes, Dei ſui laudes gloriámque circumferunt.

Cardines. Appellantur deinde *Cardines terræ*. De quibus ſacræ paginæ: *Domini ſunt Cardines terræ.* vel ut He-

1. Reg. c. 2. v. 8. Scuta. bræi habent, *Scuta terræ.* Cardines quidem, circa quos volvatur vertaturque Eccleſiæ cœlum, & quibus veluti ſuſtentetur: *Scuta* verò quibus tegatur terra, & omnes hoſtium ſagittas eludat, retundat, frangat. Et hæc ſunt ſpecioſa nomina ab inanimis petita eleganti ſimilitudine: magis pretioſa illa, quæ à Chriſto ducuntur. Ab hoc Apoſtoli nominantur

Gloria Chriſti. *Gloria Chriſti*, imò altiori nomine *Triumphus Dei.* Sic

2. Cor. c. 8. v. 23. enim eos notandos cenſuit magnum Eccleſiæ lumen D. Hieronymus: *Triumphus Dei*, inquit, eſt

Triumphus Dei. Ep. 150 ad Hedibiam. paſſio Martyrium, hoc eſt teſtium (id enim ſonat vox Martyris, qui teſtis eſt) quales & Apoſtoli Martyrum Principes ac coriphæi: qui ab illo teſtimonio, quod toto extulerunt Univerſo, audierunt *Labia Chriſti*; de quo illud Canticorum: *Diffuſa gratia in labiis tuis*; hoc eſt Apoſtolis, in quos incarnata Sapientia, gratiam, quàm è ſinu Patris hauſerat, effudit, ut etiam effunderent illi; ſic enim locum illum explicat Guilielmus:

Labia Chriſti. *Labia ejus*, inquit, *Apoſtoli, in quibus poſuit ſaluberrimum verbum prædicationis, & per quos ſuaviſſimum oſcu-*

Cap. 1. *lum reconciliationis mundo porrexit. Per illos facta eſt diffuſio gratiæ, id eſt effuſio olei quo ungerentur omnes præordinati ad vitam æternam, & dicerentur à Chriſto Chriſtiani.*

Hæc aliaque Apoſtolorum nomina, uno velut in faſce collegit Calixtus Pontifex; ſic enim de illis magnificè, elatè, piè:

Serm. de S. Iacob. *Iſti ſunt Sal terræ, iſti Lux mundi, Turres fortitudinis Dei, Teſtes veritatis, Radii veri Solis, Milites Cœli, Nuntii Regis ſummi, Feneſtra nitida veri luminis, Valvæ poli, Claves regni, Montes excelſi, Tubæ olympi, Præcones Chriſti, veri Cœli gloriam enarrantes, veri Patres, ſæculorum Iudices, labrum ablutionis animarum, & argentum divinum, Scripturæ divinæ Theſauri, Manna Domini, Pedes Chriſti, Oculi Dei, Manus Eccleſiæ; de quibus verè per Pſalmiſtam dicitur: Cœli enarrant gloriam Dei. Iſti ſunt Cœli, in*

quibus

Digitized by Google

quibus Chriſtus habitat, & reſidet, in quibus verbis mirè tonitruat, miraculis fulgurat, gratia rorat.

Hæc magnus Pontifex æſtu quodam devotæ Apoſtolis orationis. E qua pauca notabo ad propoſitam mihi quæſtionem.

Teſtes veritatis.

Ac quidem, primùm quòd dicantur Apoſtoli *Teſtes veritatis*, illius ſcilicet, quæ tota quanta quanta eſt æternitate latuit in ſinu Patris, ac deinde Orbi noſtro ſeſe explicavit in oculis conſpectúque Diſcipulorum, qui ea quæ fidelibus oculis auribúsque hauſerant, emiſerunt in futura longè ſæcula, quæ ab illis diem habent lucémque veritatis, pulſa procul ignorantiæ errorumque nocte, ac caligine. A quo beneficio hominibus collato, dicuntur deinde

Radii Solis.

Radii veri Solis. Ut enim Sol ille aſpectabilis ſeſe prodit undequaque radiis: ſic Chriſtus Sol noſter per Apoſtolos, velut radios, nobis illuxit, diémque fecit amœniorem. Diem, inquam, Fidei, quæ ſubobſcura, quam deinde excipiet clarior alia cœleſtis ac divinæ beatitatis, cujus imminentis quia teſtes Apoſtoli, meritò appellantur Tubæ olympi.

Tubæ olympi.

Martius Tubæ Clangor bellicum inſonat, & his animos ad audendum facit, illis terrorem incutit, atque in fugam vertit. Eſt vita hominis militia ſuper terram: in illa ſignum ad arma dedére Apoſtoli, Claſſicum inſonuêre, & bonis animos addidêre ad ardua virtutum ac cœli: malis autem metum incuſsêre, ſeu divini judicii, ſeu impendentis à Deo vindice ruinæ. Sic enim factum eſt, & factum benè, ut etiam

Chriſti præcones.

Chriſti præcones eſſent, non tantùm Salvatoris; ſed & judicis: indéque etiam audiunt

Cœli, è quibus horrendum immugiat tonitru divinorum judiciorum, coruſcent fulgura miraculorum, & depluat imber gratiæ ſalutaris, emiſſus à Chriſto, qui in Apoſtolis, ceu cœlis ac throno reſidet, qui ex eorum ore tonat, fulminátque in ſceleſta capita: in juſtos autem demittit rorem ſuæ gratiæ, ceu pluviam, in molle tacitúmque vellus.

Non tam ore, quàm opere.

In quo profectò Apoſtoli de Chriſto teſtimonium perhibent, non tam ore, quàm opere. Illo quippe proclamant Salvatorem; hoc autem dant ſalutem.

Salvator noſter ut ſe Dei Filium probaret, non tam uſus voce, diſertáque (qua maximè valebat) lingua, quàm factis ac prodigiis. Imò vix aliud de ſe teſtimonium amavit atque admiſit, quàm illud quod dediſſent opera: cùm enim ipſe dæmon, ſpiritus cæteroquin mendax, hoc Veritati, hoc Chriſto daret teſtimonium: *Scio te quis ſis. Sanctus Dei: increpavit illum dicens, Obmuteſce, & exi ab eo.* In quæ verba D. Ambroſius: *Confitentibus*, inquit, *Dei Filium, imperabat tacere, ut operibus magis, quàm ſermonibus Deus cognoſceretur.* Nimirum *efficacius eſt vitæ, quàm linguæ teſtimonium: habent opera linguam ſuam, habent facundiam ſuam, etiam tacente lingua*, ut doctè notavit D. Cyprianus.

Luc. c. 4. v. 34. in ſ.

Libel. de dup. Martyr.

Apoſtolis omnibus ipſo Spiritus ſancti illapſu, linguæ velut inditæ, eæque igneæ: ut ab illis reſonaret, imò & arderet Orbis univerſus, & verò etiam reſonavit arſitque: quippe in omnem terram exivit ſonus eorum. Verùm ut exierit, lingua delatus & voce; magis tamen ipſo opere.

Sed quod inquies illud opus? Non multis te morabor, amice Lector: illud quod olim Chriſti, ſalus animarum; in hanc toti incubuerunt Apoſtoli ſeduli animarum venatores, de quibus præſaga voce Jeremias: *Mittam eis venatores, & venabuntur eos de omni monte.* Per avia quippe & invia, per ardua montium, per abjecta vallium, ſudore multo, labore multò, excurrerunt Apoſtoli, *ut inveſtigarent eos, qui capiuntur ad vitam*, inquit Ambroſius. Scitè docet Plato amorem & ſagacem eſſe venatorem, & laboris patientem. Et is in Apoſtolis fuit amor: venator fuit; ſed ſagax & ſolers, qui omnes exploraret latebras; ſed laborioſus in paucis, qui nec ſibi parceret, nec ſanguini, nec vitæ. Nimirum, ut pulchrè D. Chryſologus: *Amor periculis inſultat, mortem ridet; ſi amor eſt, vincit omnia.* Sic in Apoſtolis vicit omnia, ut animas Deo vinceret, ſic periculis audacter inſultavit, ſic mortem animosè riſit, & in hoc de Chriſto illuſtre tulit teſtimonium, non alia prolatum voce, quàm ſanguinis.

Salute ſcilicet animarum.

C. 16. v. 16.

In Pſal. 118. ſerm. 6.

Serm. 4.

Ubi prima cœlo victima cecidit, ubi fraterna manu occidit Abel, ſic ad Cainum Deus: *Vox ſanguinis fratris tui, clamat ad me de terra.* O infelix Iſraël! ô improbe Judæe! Vox ſanguinis fratris tui, vox inquam, Apoſtolici ſanguinis per ſummum nefas effuſi, clamat de terra: non ut olim ſanguis Abel, non vindictam inclamat; ſed veniam, ut antè ſanguis Chriſti, cui etiam in hoc teſtimonium reddit inſignis etiam in hoſtes benevolentiæ ac miſerationis.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.* Ioan. cap. 16. verſ. 1.

QVOD SIT, ET VNDE SCANDALVM PVSILLORVM?

Lib. 3. de provid.

Quid ſcandalum?

QUIA ut ſcitè Salvianus, *ſcandalis trahimur in gehennam*, opportunum erit hoc loco paucis exponere, quid ſit ſcandalum, & quàm varium?

Σκάνδαλον vox eſt græca, quam Latini dicunt *offendiculum*.

Duas habet ſignificationes. Una eſt propria: & in hac idem eſt ac lingua muſcipulæ, cui ſcilicet appenditur eſca, quàm dum mus capit incautè, capitur.

Altera eſt metaphorica: & in ea ſignificat illud omne, quod in via ponitur, ut ad illud offendat, ceſpitet, cadat viator. Verbo uno *offendiculum*. De quo Vates Regius: *Iuxta iter, ſcandalum poſuerunt mihi.*

Pſal. 139.

De hoc D. Hieronymus: *Quia*, inquit, *crebrò teritur in Eccleſiaſticis ſcripturis ſcandalum, breviter dicamus quid ſignificet. Πρόσκομμα, &* *σκάνδαλον. Nos offendiculum, vel ruinam, pedis impactionem poſſumus dicere.*

In cap. 15. Matth.

Hinc latiori paulò ſignificatione *ſcandalum* ex ipſa Scripturæ phraſi dicitur illud omne, quo in hac vita tanquam in via, quâ ad beatitudinem tendimus, ſic ab aliquo fit, aut dicitur, ut ſit alteri occaſio ruinæ ſpiritualis.

Inde in ſcholas emanavit ea ſcandali deſcriptio:

Scandalum eſt dictum vel factum minùs rectum, præbens occaſionem ruinæ.

D. Thom. 2. 2. q. 43. a. 1.

Eſt autem illud duplex: *Activum*; cujus definitionem jam attulimus: & *Paſſivum*; quod eſt ipſa ſpi-

Quotuplex. rituahs ruina alterius, & ſequitur ex activo tanquam effectus ex cauſa.

Hoc porrò ſubdividitur in *datum*, & *acceptum*.

Datum dicitur ruina proximi, quæ re etiam ipſa, & verè oritur ex activo ſcandalo alterius. Et hoc cavendum quàm maximè: in quod ſcilicet vertitur funeſtum illud: *Væ mundo à ſcandalis: neceſſe eſt enim* Matth. c. 18. *ut veniant ſcandala, veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Hoc vulgò appellatur ſcandalum puſillorum.

Acceptum verò eſt etiam ruina alterius, ſed parta ex malitia propria, aut imbecillitate cerebelli; non autem ex ſcandalo activo alterius: & iſtud paſſim nominatur *Phariſaicum*.

Hoc non cadit niſi in animas debiles atque imbecillas, quas Eccleſiaſticus ab illo lapſu, ſua voce ac ſacris præceptionibus revocat. Cap. 32. *In viam, inquit, ruinæ ne eas, nec ponas animæ tuæ ſcandalum.*

Hoc ſibi poſuiſſet Jobus, niſi revocaſſet admirabilis Dei providentia, quæ ludit in humanis, & quam ſuſpicere voluit non ſcrutari. Sic enim ille Cap. 21. quondam ad Deum ſuum: *Quare impii vivunt*, & quidem ſeros in annos, viridémque ſenectam, quæ bonis hujus ævi abundet, & fruatur quàm diutiſſime? Et hinc prima origo ſcandali.

Et undè? Altera, quod ut ait: *Filii eorum exultant luſibus*: ſic non in parentes tantùm, ſed & in filios quaſi prodiga fortunæ manus, à qua etiam *viſcera eorum plena ſunt adipe*. Pingueſcunt nimirùm illi, atque diſtenduntur exundante Baccho & Cerere. Et hinc aliqua bonorum offenſio, ſtupórque: maximè cùm appellit ad aures feſtivus cantus, & ſonora inſtrumentorum ſymphonia: *Tenent* illi *tympanum, & cytharam*. ita ſcilicet improbè exultant impii, cùm è contrario juſti & pii, triſti nænia ſuos caſus ac miſerias deplorent. Ex tam diverſa ac quaſi pugnante horum atque illorum ſorte, ſuboritur etiam in bonis mentibus aliquod veluti ſcandalum; tamen ſine aliquo culpæ nævo: ſubmittunt enim illi ſeipſos ſecretioribus divinæ providentiæ conſiliis, & iis acquieſcunt: uti acquievit etiam Regius Vates, cujus eæ ſubinde voces: *Mei penè moti ſunt pedes, pacem peccatorum videns.*

Enimverò cùm in oculos venit alta pax impiorum, amœna proſperitas, & puri ſine nubilo dies; & contrà tumultus ac fœdæ tempeſtates, quæ juſtos occupant, involvunt ac propè mergunt; tum humana mens, quaſi à ſe aliena, & ignara cœleſtis conſilii ſentit ſe commoveri, & in iram trahi, niſi ſeipſa ſiſtat aut revocet amabili divinorum conſiliorum ſtupore, quo victus olim Arnobius, ſic ad Deum ſupplex, ac pœnitens.

In Pſal. 30. *Injuſtè te culpabamus Domine, cùm ligares, & ſecares bonos.*

Et hæc prima ſcàndali ſpecies, quæ plerumque culpa vacat: alia, quam ſubjicio, ab ea non eſt immunis: hæc à rebus etiam benè geſtis anſam ſumit maleſanæ offenſionis.

Ita Judæi, perverſa capita, vel ab ipſa Chriſti Salvatoris demiſſione, paſſione, cruce ſcandalum paſſi. Crux quippe *Judæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitia.*

Ita Meſſias ipſe, qui in omnium *reſurrectionem* venerat, Iſraëli, ſemini nequam, poſitus eſt in ruinam. Et qui ab Æterno Patre (ceu opifice ſummo) deſignatus erat *lapis angularis* Eccleſiæ, (ceu ædificii ſpiritalis) Judæis fuit *lapis offenſionis, & petra ſcandali*. Iſai. c. 8.

Perſecutionem paſſ. Ita multis perſecutiones, in quas incurrit juſtus omnis, abjectæ menti ſcandalo ſunt. Exiſtimat enim hunc illis liberum eſſe oportere. Et tamen jam inde ab Orbe condito, vix liber ullus fuit, qui Deo carus eſſet. Quod ut in aperto ſit, pauca ex ipſa retrò Antiquitate repetamus.

Patriarchæ. Patriarchis propè omnibus, ſuus additus hoſtis ac perſecutor.

Abeli Cain; Noëmo Cam; Iſaaco Iſmaël; Jacobo Eſau; Joſepho fratres, iique numeroſi.

Prophetæ. Prophetas ſua quoque, eáque fœda tempeſtas excepit.

Moyſes in fluenta Nili abjectus, futurus aquæ præda etiam in cunis, niſi eum altior aliqua cœli manus meliori fortunæ reſervaſſet.

Elias Jeſabelis iræ, furori, teliſque objectus.

Iſaias ſerrà ligneâ per medium diſſectus, lento, ſed gravi ſupplicio.

Jeremias per ignominiam in cœnum projectus.

Daniel in lacum leonum immiſſus.

Zacharias impiè cæſus templum inter & altare: adeò nihil tyrannis ſacrum & inviolabile.

Joannes Baptiſta capite minutus.

Apoſtoli. Apoſtoli extremis ſuppliciis tentati, & vita exuti omnes, ſi Joannem excipias, qui unus ſuis tormentis ac ſibi quodammodo ſuperſtes fuit, altiore vi Eccleſiæ ſervatus.

Pontifices. In eandem quoque ſortem venêre Pontifices ſummi: diceres hæredes eſſe & ſanctæ Sedis & tormentorum. Certè ex illorum ſerie (quæ à D. Petro longa fuit) triginta tres primi Martyriū ſubiêre.

Alii deinde eandem ſubiêre aleam. Alii denique in exilium acti, quos inter Gregorius Septimus Salernæ emoriens, hæc extulit digna cedro: *Dilexi juſtitiam, & odio habui iniquitatem, & ideò in exilio morior.* Ita magnus Pontifex exul terræ, ſed cœli civis.

Doctores. Quæ Pontifices exercuit perſecutio, eadem etiam Eccleſiæ Doctores. Sic Athanaſium impetierunt Ariani, Gregorium Nazianzenum Macedonii, Baſilium Valerius Imperator, Eudoxia Chryſoſtomum, Ambroſium Juſtina, Auguſtinum hæretici, Hieronymum perdita indole ac moribus Eccleſiaſtici. Ita in pulpita cathedráſque Doctorum ſæva quoque tyrannis evaſit.

Omitto cæteros in Eccleſia ordines, invictos Martyres, laureata capita, longævæ patientiæ Confeſſores, candida Virginum agmina, quæ ſtolas ſuas; hoc eſt animas, dealbarunt in ſanguine Agni, imò & ſuo.

Hæc divinæ providentiæ ratio, hæc bonorum ſors, abjectas in terram animas, & cœleſtium inanes, in ruinam & ſcandalum trahit, traherétque etiam juſtos, niſi revocaret tum Chriſti Salvatoris exemplum (qui per adverſa vitam exegit, & inter extrema ſupplicia etiam mortem) tum etiam amica illa vox, qua ſuis voluit benè eſſe cautum: *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Abſque Synagogis* Joan. c. 16. *facient vos: ſed venit hora, in qua omnis qui interficit vos,* v. 1. 2. *arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.*

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Abſque Synagogis facient vos: ſed venit hora, in qua omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* verſ. 2.

AN PERSECVTIO TYRANNIS PRO INIVRIA, Chriſtianis pro beneficio ſit?

Perſecutio præviſa.

ROGATUS olim Diogenes, quid Philoſophiâ Magiſtrâ didiciſſet? ſcitè reſpondit:

Prævidere adverſa, & cùm evenerint, illa patienter ferre.

Dignum Philoſopho, imò dignum Chriſtiano pronunciatum: quod quiſquis audit, & ſequitur; duo etiam aſſequitur. Primùm, levia reddit quæ alioqui gravia accidiſſent. *Quæ alii diu patiendo levia faciunt, vir ſapiens levia facit diu cogitando,* inquit Seneca, (Epiſt. 77.) quo judice etiam alterum obtinet illi quodammodo affine: ſi enim incurrant adverſa, vim eorum eludit ac frangit: quod non faceret, niſi longè antè prævidiſſet; ut enim rectè ille ipſe Seneca:

Lib. 2. de tranq. c. 11. *Niſi quidquid fieri poteſt pro futuro habeas, das in te vires rebus adverſis, quas infregit quiſquis prior vidit.*

In quo profectò adverſitas Baſiliſco ſimilis: hunc enim, ſi prior videt homo, aut fugat aut necat; è contrario, ſi videtur prior, affuſo ex oculis veneno perimitur.

Duo eius genera.

Hanc naturæ noſtræ ſortem, & has adverſitatis leges dum altiſſima mente tenet Salvator, Diſcipulis longè cariſſimis proponit duo perſecutionum genera, quæ illos manent.

Primum exprimitur his verbis: *Abſque Synagogis facient vos.*

Prima.

In Judæa, etſi longè lateque pateret, templum tamen unicum ſibi erigi voluerat Deus: quod quia nec omnes capere, nec ab omnibus qualibet hebdomada frequentari poterat, placuit erigi *Synagogas*, quæ propriè congregationem, fideliſque populi cœtum ſignificabant; quòd ſcilicet eò loci ſtatis diebus ac horis conveniret, uti modò Chriſtiani ad Eccleſias.

Erectæ porrò Synagogæ tempore Judicum, ſtatim ab ingreſſu Judæorum in terram Chanaan, & quidem in una Urbe Jeroſolyma octoginta ſupra quadringentas extrui placuit, ut illius incolæ, quolibet Sabbatho & ibi preces fundere, & Dei ſui legem ac pacta audire poſſent. Quod velim attenderent noſtri temporis Hæretici, ſacrarum ædium violatores importuni, & ſimul etiam Catholici, quibus expeditus pes ac levis ad choreas, ad jocos petulantes, ad excurſiones & ambulatiunculas immodicas; tardus autem & plumbeus ad pias conciones, ad Dei Verbum, ceu ſemen auribus animiſque excipiendum: ſed ne longiùs.

Secunda.

Venio ad alterum infandæ perſecutionis caput, ad ferrum, ad cædem, ad rogos, ad cruces, ad tormenta mille, milleque mortes, quæ Apoſtolis, imò & juſtis parantur. Eas paucis ita exponit Salvator: *Venit hora*; & jam nunc imminet, (neque enim inimico furori erit mora) *venit*, inquam, *hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*; (Quàm immanis.) vel ut habet vox Græca, λατρείαν, id eſt ſacrificium, & quidem uni Deo debitum: quod offerre ſe credet, quiſquis ex Apoſtolis, Chriſtive Diſcipulis, unum aliquem mactarit, velut expiatoriam pro peccato victimam: talem quippe Chriſtianos eſſe cenſebit vel incredula Judæa, vel Barbara gentilitas. Hæc certè, illa imbuta perſuaſione puſillum Chriſti gregem à Nerone ad Conſtantinum (hoc eſt per annos omnino trecentos) perſequi voluit, & diris afficere ſuppliciis, & eo quidem numero, ut in una urbe Roma ad ducenta Chriſtianorum millia ferro ceciderint, veluti nobiles religionis Deique victimæ.

Ex quibus conficio aliud fuiſſe tyrannis perſecutionem, aliud Apoſtolis, eorumque ſectatoribus. (Quid ſit viro bono?) Illis viſa eſt ſacrificium, at erat flagitium: Illis oblatio ac victima diris devota; at his ſuave ſuperis Deoque holocauſtum. Illis infamiæ, his gloriæ datum: illis culpa, his gratia; illis vel maximè noxia, his in primis proficua.

Novacula.

Perſecutio quippe primis illis Chriſtianis novacula fuit, tritura fuit, ignis fuit. D. Auguſtinus in illa Prophetæ verba, *ſicut novacula acuta feciſti dolum*: (Pſal. 51.) quærit cur mala bonis inferens, videatur eſſe inſtar novaculæ? Et reſpondet: Quia ſuperflua abradit, & aliud nihil.

Quare, inquit, *dolum potentis, novaculæ comparavit? Quia non admittitur niſi ad ſuperflua noſtra.* (Serm. 6 de verb. Dom.)

Ecce quid faciunt Sanctis mali; capillos radunt. (In Pſal. 51.) Sunt capilli velut quædam excrementa, & naturæ ſuperflua, qui proinde ſine aliqua illius injuria reſcinduntur atque abraduntur; imò reſcindere beneficium cenſeri poteſt ac debet, ne ſylveſcat caput. Ferrum acuis tyranne, & novaculam manu prenſas ut Chriſti membra diſſeces: & in hoc nocere te credis? At falleris: prodes enim quàm maximè; tollis enim ſuperflua: ſecas, diſſecas quod extrinſecus eſt; at non attingis quod eſt intrinſecus.

Forinſecus oppugnas interiorem hominem, non expugnas, (In Pſal. 34.) inquit Auguſtinus: à quo tranſeo ad D. Gregorium, quo judice ſæva tyrannorum perſecutio, eſt veluti quædam *tritura*, à qua juſtus omnis vitiorum paleas abjicit ut purior evadat, & ſit veluti frumentum electorum. (Tritura.)

Reproborum nequitia, inquit, *trituræ more, electorum vitam quaſi grana à paleis ſeparans premit, ut purget: mali enim bonos magis ab hujus mundi deſideriis expediunt dum affligunt.* (Lib. 26. Mor. c. 9.)

Deſideria, quæ naturæ corruptæ adnaſcuntur, ſunt veluti paleæ leviuſculæ, quæ perſecutione, ceu tritura, purgari debent. Ventilatur granum, excutitur, verſatur partes in omnes, ut admixtas paleas exuat, atque projiciat è ventilabro: ſic juſtus omnis adverſa tyrannorum vi manuque teritur, jactatur, volvitur ſúſque déque: injuriam crederes eſſe; & beneficium eſt: illa quippe paleas expuit ut nihil omnino reſtet, niſi purum putúmque granum, hoc eſt, nuda virtus: ab hac Juſtus, purus Deo apparet atque innoxius; perſecutor autem à ſua tyrannide impurus & noxius.

Tuum corpus premit adverſitas: at perſequentis animum putrefacit iniquitas. illius perſecutio te facit purgatum, illum reum; (Conc. 2 in Pſal. 96.) inquit D. Auguſtinus, qui perſpicuè oſtendit, quòd ita purgetur, ut evadat quaſi purus ſpiritus:

Pſal. 26. ſpiritus; ſic enim in illa Vatis Regii verba: *Dum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas.*

Quare (inquit) *perſequuntur? Vt edant carnes meas. Quæ ſunt carnes meæ? Carnales affectus mei: Sæviant perſequendo, nihil in me moritur, niſi mortale, manducent carnes meas; finitis carnibus, ſpiritus eſt.*

Ecce quàm utilis, quàm nova, quàm admiranda à perſecutione metamorphoſis: ab illa conſumitur quidquid in juſtis eſt carnale: ab illa atteritur & deteritur, quidquid eſt mortale, ut nihil ab illa ſuperſit niſi ſpiritus, & nuda propemodùm anima, eáque morti cedere neſcia.

Et hæc Chriſtiano beneficia conferre viſus perſecutor, etiamdum in corpus ſævit. In quo proſectò id etiam præſtat, quod ignis ferro: hoc enim ſi fortè rubiginem contraxerit ac vetuſtatem, & hanc & illam in fornace deponit, induitque nitorem quendam atque novitatem. (Ignis.)

(2. Mor. 6) *Dum ſtultus ſapientem laboribus fatigat, contumeliis onerat, profectò hunc ab omni vitiorum rubigine urendo purgat*, inquit S. Gregorius.

Vrendo inquam: perſecutor enim ardens eſt, imò ſi voles & ipſe quodammodo *ignis*. Sic enim eum appellandum eſſe cenſuit David, qui hæc de perſecutoribus ſuis:

Pſal. 117. v. 12. *Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Componit eò loci tyrannos fidelium hoſtes cum *apibus & igne*: ſimilitudine profectò opportuna.

Apes mella cudunt iis quos inſectantur, & quibus etiam aculeum infigunt. Sic illi & mella gratiæ, & gloriæ favos iis parant, quos immani tyrannide perſequuntur.

Ignis in ſpinas aridas incidens, illas illicò corripit atque exurit: ſic & Davidem perſecutores impii; ſic & juſtos omnes: invadunt illi horum corpora ceu ſpinas exſuccas; & ſi cœlum patiatur, etiam in cineres & favillas redigunt: at animus illis ſuperior eminet, liber evadit, incendiiſque gaudet.

Quidni enim gaudeat, cùm inſtar auri iis excoquatur atque depuretur?

De hoc ita magnificè Tertullianus:

Nomen terræ in igne reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de ſuppliciis in delicias, de ignominiis in honores metalli refuga mutatur. (Lib. de hab. mulier.)

Dum è viſceribus terræ effoditur aurum, non aurum eſt, ſed terra & ſordibus & ſcoriis permiſta, cui nec pretium ſuum, nec nitor; at cùm multo in igne decoquitur, & pretium accedit juſtum, & nitor aureus, quia ſcilicet purum & putum aurum eſt. Homini quantumvis juſto & ſancto, ſemper adnaſcitur atque adhæret neſcio quid terreum: *At nomen terræ, in igne* perſecutionis *relinquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de ſuppliciis in delicias, de ignominiis in honores, veluti refuſus mutatur.*

Et hoc cuique Chriſtiano à perſecutore beneficium eſt: nec minus Eccleſiæ univerſæ, cui Tertulliano judice perſecutio *pala eſt, quæ Dominicam aream purgat, ſcilicet confuſum acervum fidelium ventilans, & diſcernens frumentum martyrum & paleas negatorum.* (Pala.) (Lib. de fuga in perſecut.)

Ampliùs dico tribulatio, & quævis alia pœna annuente cœlo nobis inflicta *hamus eſt*, quo nos Deus capit. Sic illam vocavit Chaldaicum oraculum. Eramus in hoc orbe, ceu in mari ſalſo piſces; ſed obruendi, ſed mergendi, ſed extinguendi illius undis. Nos Deus pœna, ceu hamo capit, & tollit ex imo in ſummum, ex aquis, profundóque inferni gurgite in cœlum: ut proinde nobis fœlix, & fortunata ſit pœna, qua ſimus Dei præda. (Hamus.)

LECTORI.

CUM Dedicatio Templi ſæpiùs incidat in aliquam Anni Dominicam, quæ à me dici certæ affigi non poteſt, non judicavi de ea quicquam Tomo huic inſerendum: Quæ aliàs ſeorſim edidi *de Templo Domini, ſive de religioſo Templorum cultu*, Sacro Oratori ſuppeditabunt argumentum earum Concionum, quas ad populum, ſpectata ratione loci, temporis ac perſonarum, eſt habiturus. Conſulat ea quæ ſubjiciam infrà Tomo quinto; in opuſculo cui hic titulus: *Templum Domini, ſive de religioſo Templorum cultu adverſus petulantem hujus ſæculi licentiam.*

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
QUÆ HOC TOMO PRIMO CONTINENTUR.

Littera P. paginam deſignat; C. verò columnam.

A

ARONIS in pectore cur Doctrina, & Veritas. p. 275, c. 1
Abbatis cujuſdam riſus in morte. p. 9, c. 1
Abel muneta quomodo reſpexit Deus. p. 266, c. 1
Achabo Regi cur exoſus Micheas Propheta. p. 274 c. 1
Acus nautica cur ſemper mobilis. p. 262, c. 2
Adami creatio. p. 249, c. 1
Ejuſdem lapſus, & regeneratio. ibidem.
Adonidis ſtatua quomodo erecta in ſtabulo Bethlemitico. p. 66, c. 2
Adventus Domini triplex, ad homines, in homines, contra homines. p. 1
Adventus Domini D. Bonaventura quadruplex: In carne, corde, morte, aëre. p. 2
Adverſitas ad Deum revocat. p. 103, c. 1
Afflictio cur deprecatrix? p. 155, c. 1
Alexandro Magno naſcente Templi Delphici fores reſeratæ, oracula locuta. p. 61, c. 2
Alexandri Luſacii pietas. p. 78, c. 2
Alexandri Severi modeſtia. p. 36, c.
Alexander Oliva moriens it ad nuptias. p. 9, c. 1
Alfonſus Rex Aragonum Biblia cum gloſſis quater & decies legit. p. 264, c. 2
Algarus Regulus Virginem inſequens excæcatur. p. 153, c. 1
Agathonis Abbatis horror extremi Judicii. p. 5, c. 1
B. Aloyſii pietas à pueritia. p. 78, c. 2
Alymonus Paphi Rex ex hortulano. p. 128, c. 1
Ambitio ut periculoſa. p. 35, c. 1. 2
Ambitio cur cæca. p. 153, c. 2.
Ejus mala. ibidem.
Ambitio reprehenditur. p. 230, c. 1
Amor, & providentia in ſubditos regna parit, & dat imperia. p. 171, c. 2
Amoris vis quanta. p. 254, c. 2 & p. 285, c. 2
Amori omnia facilia. p. 55, c. 2
Amor Dei purus quis. p. 270, c. 2
Cur dicatur Pauper. p. 271, c. 1
S. Andreæ Carmelitæ mater viſa ſibi concipere lupum, qui deinde mutaretur in agnum. p. 62, c. 1
S. Angeli Carmelitæ pietas. p. 78, c. 2
Angliæ regnum Pontifici tributarium. p. 130, c. 2
Animam ut dæmoni vendit peccator, & quidem vili pretio. p. 171, c. 1
Animæ an verè appareant? p. 177, c. 1
Animæ immortalitas non credita ut nocet exemplo illuſtri declaratur. p. 170, c. 2
Apathia Stoicorum quæ? p. 179, c. 1
Apoſtoli cur duris probandi. p. 264, & ſeq.
Apoſtolis cur expedierit abire Chriſtum. p. 270
Apoſtoli pauperes. p. 25, c. 1
Apoſtoli ex humili in altum. p. 129, c. 2
Apoſtoli ſunt Legati, Cœli novi, Alæ Eccleſiæ, Cardines mundi, Scuta, Gloria Chriſti, Triumphus Dei, Labia Chriſti, Teſtes veritatis, Radii Solis, Tubæ Olympi, Dei præcones. p. 284 & ſeq.
Apoſtolorum obedientia. p. 51, c. 1, 2
Apoſtatæ converſio illuſtris à Chriſto, & ejus vulneribus. p. 250, c. 1, 2
Apollo Abbati divinitus ſubminiſtratur annona. p. 165, c. 2
Apparitio Chriſti facta D. Magdalenæ. p. 236, c. 1
Aragoniæ regnum Pontifici tributarium. p. 130, c. 2
Arca fœderis an apparebit in die Judicii? p. 10, c. 2
Argus Paſtorum princeps cur totus oculatus? p. 257. c. 1
S. Arnulphus Sueſſionenſis Epiſcopus panem, & vinum multiplicat. p. 208, c. 2
Athei ut miſeretur Deus. p. 127
Avaritia quantum malum. p. 152, c. 2
S. Audomarus à cæcitate ſanus, rurſus eam à Deo impetrat. p. 157, c. 2
D. Auguſtini timor extremi Judicii. p. 4, c. 2
Aures cordis quæ? p. 216, c. 1
Aures, & quæ ab illis bona, maláve. p. 195, c. 2
Aurum quid ſit, ejus vis in malum. p. 26, c. 1

B

BALTHASARIS Regis punitio. p. 97, c. 2
Baptiſmi fons miraculoſus à Paſchate ad Pentecoſten. p. 238, c. 2
D. Baſilii in proximum caritas. p. 258, c. 2
Beatitudo cur dicatur Æſtas? p. 13
Beelzebub unde dictum? p. 191, c. 1
Bellarminus Cardinalis in pauperes effuſus. p. 205, c. 2
Benedicti Palmii conciones, & fructus. p. 113, c. 2
Beneficia in ingratos. p. 45, c. 2
Beneficentia in omnes æqua. p. 201, c. 1
Beneficia non ſunt danda propinquis. p. 201, c. 2
ſed danda meritis. ibidem.
Benjamini Diaconi zelus. p. 55, c. 2
D. Bernardi mater gravida viſa ſibi geſtare catulum. p. 62, c. 1
S. Bernardo Clavonio ſponte ſua ſonant campanæ quaſi gratulabundæ pro facta inimicorum reconciliatione. p. 248, c. 2
B. Bernardus Clavonius paucos racemos multiplicat. p. 208, c. 1
D. Bernardi purus in Deum amor. p. 270, c. 2
Blaſphemia contra Venerabile punita. p. 146, c. 2
Bona hujus mundi cur non ſanent? Cur contra cœli bona ſanent? p. 202
B. Bonifacio Epiſcopo apparet Chriſtus naſcens. p. 65, c. 1
Bonis quomodo omnia bona? p. 11, c. 1

C

CAlvinus Concilia Generalia ut approbarit. p. 277, c. 2.
Calvini miraculum ex vivo mortuum facit dum ſuſcitare ſe ſimular. p. 290, c. 2
Calvinus oſor jejunii. p. 163, c. 1
Capitulo Generali Minorum divinitus proviſum etiam miniſtrantibus Angelis. p. 204, c. 2

Carneades, cur dictus vox? p. 37, c. 2
Caroli V. Imp. pietas in Deum. p. 171, c. 2
Caroli V. Auguſti Cæſaris eremus p. 161, c. 2
S. Carpi zelus indiſcretus. p. 229, c. 2
Caſtitatis obſervantia quanta eſſe debeat. p. 184, c. 2
Contra eam lapſus enormis. p. 185, c. 2
Caſtitatis pericula, & ſimul præſidia. p. 52
Caſtitas requiſita in Eccleſiaſticis. p. 174, c. 2
S. Chriſtinæ Mirabilis purus in Deum amor. p. 170 c. 2
Chriſtianus quis cenſendus. p. 126
Chriſtiani cur duriꝫ probandi. p. 265, c. 1
Chriſtianus quomodo creſcere debeat. p. 76, c. 1
Chriſtiani ut vinculis reverentur. p. 19
Chriſtiani olim pauperes. p. 25, c. 1
Chriſtianus eſt veluti pictor. p. 23
Chriſtianis duplex ſit veſtis. p. 22, c. 2
Chriſtianorum erga Chriſti cunas munificentia. p. 67, c. 1
Chriſtiani unde dicti Sacerdotes pacis. p. 244, c. 2
Chriſtianiſſimi Reges die Natalis Domini, ſeptimam lectionem olim cantabant induti dalmatica. p. 67, c. 2
Chriſtus quomodo crevit? p. 75, c. 1
Sapientia in eo triplex. c. 2
Chriſtus omnibus æqualis. p. 201 c. 2
Chriſtus tangit miſerendo. p. 98, c. 1, 2
Chriſti veſtis cur quadripartita? p. 130, c. 1
Chriſto proprium benefacere, etiam Chriſtiano. p. 22, c. 1, 2
Chriſti humilitas. p. 129, c. 2
Chriſtus cur tentari ſe paſſus. p. 159, c. 2
Chriſtus cur tentari voluit. p. 162, c. 1
Chriſtus cur dicatur eſſe in medio noſtri. p. 41, c. 1
Chriſtus unde dictus Samaritanus? p. 218, c. 1
Chriſtus cur in Transfiguratione aſſumpſerit Petrum, Jacobum, & Joannem? p. 173, c. 1
Chriſtus cur dictus ſagitta electa? p. 228, c. 2
Chriſtus cur ſemen, & unde? p. 143, c. 1
Chriſti innocentia adverſus Judæos. p. 211, c. 2
Chriſti mors cur dicatur exceſſus? p. 178, c. 1
Chriſtus an habuerit paſſiones? p. 112, c. 1
An ſomnum, & quomodo? c. 2
Chriſtus cur à Reſurrectione ſervarit vulnerum cicatrices. p. 250, c. 1, 2
Chriſtus Judæis, & Gentilibus in ruinam. p. 71, c. 1
Chriſtianis in reſurrectionem. c. 2
Chriſtus in ſignum contradictionis. p. 72
D. Chryſoſtomi corpus cum Conſtantinopolim reveheretur auditum dicere: *Pax vobis.* p. 244, c. 1
Cicadæ vox orantis ſymbolum. p. 154, c. 1
Clamor Sanctorum, p. 153, c. 1. Quid ſit? *ibid.*
S. Claræ de Monte Falco divinitus proviſum de annona. p. 204
Cœli via quàm arcta, & unde arcta? p. 26
Cœlorum regnum cur comparatur grano ſinapis? p. 125
Cœli intuitus quàm utilis. p. 180, c. 2
Cœlum & cœleſtia ut pauci quærunt. p. 31, c. 1
Cæcitas ſpiritalis quæ? p. 152, c. 1
Cognitio ſui ut neceſſaria. p. 32 *& ſeq.*
Quid ea ſit? p. 33, c. 1
Columna ſymbolum victoriæ. p. 160, c. 1
Compaſſio regnorum conciliatrix & animorum. p. 171, c. 2
Concilium primum in Eccleſia ſub D. Petro. p. 276
Concilia Generalia approbata à Pontifice an errare poſſint. p. 276. Eorum authoritas. *ibid.*
Concionatori tria neceſſaria: Verbum, Exemplum, & Oratio. p. 41, c. 1
Concionator doceat opere quod lingua. p. 49, c. 1
Concionator exemplo doceat, & vita. p. 41, c. 2
Concionator non tam verbo, quàm re doceat. p. 113, c. 1
Concionatoris officia duo: Pro ſe tacere, & pro Deo loqui. p. 213, c. 1. Hujus rei exempla. c. 2
Concionator ſit vox. p. 38, c. 1
Concionatoribus ſit amica veritas. p. 274, c. 2
Conciones ut audiendæ. p. 149, c. 1, 2
Confeſſionis Sacramentum quî obeundum. p. 249, c. 2
Confeſſio ut debeat eſſe integra. p. 187, c. 2
Confeſſionis non integræ horrenda punitio. p. 189
Confeſſionis ſigillum quantum. p. 189
Conjugum concordia, & leges. p. 94, c. 1
Conjugii tribulationes. *ibid.* c. 2
Cor bonum quod ſit? p. 149, c. 1
Cor ſapientis cur in dextra, ſtulti in ſiniſtra. p. 195, c. 1
S. Corentini piſces unde multiplicati. p. 104, c. 1
Coriarii Alexandrini humilitas. p. 42, c. 1
Corona non cedit niſi victori. p. 160, c. 1
Conſcientiæ teſtimonium. p. 211, c. 2
Ejus exemplum illuſtre. p. 212, c. 1
In S. Malcho, & ejus conjuge. In muliere Vercellenſi. In Ambroſio. In Auguſtino. c. 2
Conſcientiæ cenſura quæ? p. 33, c. 2
Conſcientiæ bonæ pax. p. 246, c. 1
Conſcientiæ malæ tormenta. p. 8, c. 2
Conſiliariis ſit amica veritas. p. 274, c. 2
Conſtantia ut ſervanda. p. 176, c. 1, 2
Conſtantia, & Conſtans ſimilis palmæ, picturæ, ſigillo. p. 27, c. 1. Soli ſimilis. c. 2
Conſtantinus Imp. Epiſcoporum effoſſos oculos exoſculatur. p. 251, c. 2
Conſtantini Magni erga Chriſti cunas munificentia. p. 67, c. 1
Conſtantinus Magnus ut Sacerdotes honorarit. p. 46, c. 2
Conſtantini Magni Imp. manſuetudo. p. 230, c. 2
Conſtantini Magni laus eximia. p. 36, c. 1
Crux Chriſti ara mundi. p. 130, c. 1
Crucis titulus quid portenderet. p. 130, c. 2
Crux Chriſti an apparebit in die Judicii? p. 3, c. 2 & p. 10
Crucis ſignum in die Judicii an in fronte Electorum? p. 10, c. 1
Crux, & ſapientia cur eadem voce ſignificata apud Hebræos. p. 179, c. 1
Crucis ſignum contra dæmonis præſtigias. p. 170, c. 1
Converſatio mulierum fugienda. p. 145, c. 1
Etiam & virorum nimia. c. 2
Curioſitas erga divina damnanda eſt. p. 70, c. 2
Cyrolas hæreticus ex vidente cæcum facit dum ſanare ſe ſimulat. p. 190 c. 2

D

DÆmon cur dicatur fortis armatus? p. 194, c. 1
Quæ illius arma? c. 2. Cur, & quomodo membra noſtra illius arma? p. 195, c. 1, 2
Dæmon ut hominibus illudit falſi ſpecie. p. 170, c. 2
Dæmon cur juſtos magis tentet, quàm injuſtos? p. 160, c. 2
Dæmones retinuerunt quæ ſunt naturalia. p. 193, c. 1
Cur dicti Rectores tenebrarum? c. 2
Dæmonis nomina: Lupus, Serpens, Leo, Herinaceus, Canis. p. 258 *& ſeq.*
Dæmonis eſt deſcendere, p. 168, c. 1.
Quomodo abutatur Scriptura? *ibidem.*
Damnati quomodo ligati in faſciculos, p. 124
& qui faſciculi? *ibidem.*
Davidis nomen apud Deum cujus authoritatis. p. 281 c. 1
Davidis Regis confeſſio humilis. p. 188, c. 1
David latro mutus ad omnia præterquam ad pſallendum. p. 185, c. 2
Davidis cum Goliatho certamen. p. 281, c. 2

Dd 2

Digitized by Google

Dei nomen *Saddai*, ideſt mamma, & mammeus. *p.* 165 *c.* 1
Dei eſt aſcendere, etiam & hominis. *p.* 167 *c.* 1
Dei beneficentia. *p.* 147 *c.* 1
Dei videre quid ſit? *p.* 266 *c.* 1, 2
Deo proprium benefacere. *p.* 22 *c.* 1
Deo ſervatæ claves quatuor: 1. Cordis, 2. Vitæ, & mortis, 3. Sepulchri, 4. Ventorum. *p.* 109 *cd.* & 226 *c.* 1
Deus à minimis procedit ad maxima. *p.* 128 *c.* 1
Deus cur dicatur eſſe in medio noſtri. *p.* 41 *c.* 1
Cur mundi cor, anima, lux? *ibidem.*
Deus omnibus æqualis. *p.* 201 *c.* 1
Deus quando manu tangat, *p.* 98 *c.* 1
Et quomodo electos tangat, quomodo reprobos. *ibidem.*
Deus tangit modò digito uno, modò digitis, & quid hoc, & illud? *p.* 97 *c.* 1, 2
Diabolus cur tentator. *p.* 162 *c.* 1
Diabolus quomodo oſtenderit Chriſto omnia regna mundi? *p.* 169 *c.* 1, 2
Quomodo & Sanctis illuſerit. *p.* 170 *c.* 1
Dies Domini quadruplex: Miſericordiæ, Gratiæ, Juſtitiæ, Gloriæ. *p.* 1 *c.* 1
Divitiæ lenocinia delictorum, Materia voluptatum, Peſſimum morbi genus, Inferni viaticum. *p.* 137 *c.* 1
Divitiæ à Deo avocant. *p.* 25 *c.* 1
Sunt cor divitum, Earum damna, *c.* 2
Sunt impedimenta, Inſtrumenta impietatis, Diaboli catena, Servitus, *ibid.* & Viſcus, Clavus. *p.* 26 *c.* 1
Divitiæ cur ſpinæ, *p.* 146 *c.* 1 Ut noxiæ. *ibid.*
Divitiæ quid juſtis, quid injuſtis. *p.* 47 *c.* 1, 2
Doctor non ſua quærat; ſed quæ diſcipulorum. *p.* 20 *c.* 1
Doctor ſit ſine oſtentatione. *p.* 84 *c.* 2

E

Ecclesiæ an ſucceſſu temporis revelata nova Fidei dogmata. *p.* 271 *c.* 1, 2
Eccleſia cur aſylum pacis. *p.* 244 *c.* 2
Eccleſia initio ſemen. *p.* 129 *c.* 2
Ejus incrementa. *ibidem.*
Eccleſia cur dicta ſit vinea. *p.* 134 *c.* 1
Eccleſia cur etiam audienda. *p.* 182 *c.* 1, 2
Eccleſiæ opulentia. *p.* 130 *c.* 2
Illius nutritii Reges. *ibidem.*
Eccleſiæ, & vineæ ſimilitudo. *p.* 135 *c.* 2
Eccleſiaſtica bona; cur dicta Bona Domini; Res Dei; Patrimonium Crucifixi? *p.* 205 *c.* 2
Eccleſiaſtici per omnia ſint exemplo. *p.* 40 *c.* 2
Eleëmoſyna maximè propria Eccleſiaſticorum. *p.* 205 *c.* 1. An Domini ſuorum bonorum. *c.* 2
Eleemoſynæ vis, & gratia. *p.* 138 *c.* 1, 2
Illius exemplum illuſtre. *c.* 2, & *p.* 139
Eleëmoſyna quomodo ſit fœnus. *p.* 207 *c.* 1
quàm varia, & ingenioſa pius. *ibidem c.* 1, 2
Quomodo, qui dat, plura recipit etiam in hac vita, *p.* 208 *c.* 1. quomodo plura in altera. *c.* 2
Electi cur duris probandi. *p.* 265 *c.* 1
Eliæ Abbatis timor extremi Judicii. *p.* 5 *c.* 1
Enos idem eſt ac ſpes. *p.* 154 *c.* 2
Epiſcopi ſint per omnia exemplo. *p.* 40 *c.* 2
Euchariſtiæ miraculum in multiplicatione Corporis Chriſti. *p.* 206 *c.* 1
Eugenio Pont. Max. ut cavet D. Bernardus. *p.* 35 *c.* 1
S. Eutychius annonam multiplicat. *p.* 208 *c.* 1
Examen conſcientiæ. *p.* 33 *c.* 2
Exempli vis quanta. *p.* 39 *c.* 2
Exempli boni, & mali quanta vis. *p.* 175 *c.* 1, 2
Exemplum bonum viva eruditio. *p.* 23 & *ſeq.*
R. P. Lobbetii Quæſt. in Evang. Tom. I.

F

Ferdinandi II. Imperatoris erga confeſſionis Sacramentum fides, & reverentia. *p.* 249 *c.* 2
Feſtis dies multis ut noxii. *p.* 80
Eorum prævaricatores puniti. *p.* 81
Eos quomodo celebrarent primi Chriſtiani. *c.* 1
Quæ in iis licita recreatio. *c.* 2
Fidei dogmata an lapſu temporis nova, *p.* 272 & quænam illa? *c.* 1, 2
Fides cur comparetur grano ſinapis. *p.* 126 *c.* 1, 2
An, & quomodo montes transferat? profertur illius exempla. *ibidem.*
Fides habet gratiam curationum, *p.* 126 *c.* 2
intellectum illuminat, & accendit voluntatem. *p.* 127 *c.* 1
Fidei myſteria non ſunt curioſiùs examinanda. *p.* 69 & *ſeq.*
Fidei vis quanta. *p.* 157 *c.* 2
Fiducia in Deum, & ejus exempla. *p.* 114 *c.* 1, 2
Fiducia in Deum, ejuſque providentiam. *p.* 165 *c.* 1
Fiduciæ in Deum motiva. *p.* 115 *c.* 2
Fiduciæ in Deum exempla. *p.* 165 *c.* 2
Filii prodigi miſeria. *p.* 164 *c.* 2
Filii prodigi converſio unde? *p.* 17
Fortitudo Chriſtiana. *p.* 114 *c.* 2
S. Fulgentius Epiſcopus à Deo patientiam petit. *p.* 279 *c.* 1
S. Franciſcæ Romanæ ut multiplicata divinitus annona. *p.* 208 *c.* 2
S. Franciſcus Aſſiſius naſcitur in ſtabulo. *p.* 66 *c.* 1
S. Franciſcus Aſſiſius concionem habens, apparet cum duobus enſibus tranſverſis. *p.* 74 *c.* 1
S. Franciſcus Aſſiſius aquam vertit in vinum. *p.* 91 *c.* 2
S. Franciſcus Aſſiſius videt nomen ſuum ſcriptum in libro vitæ. *p.* 180 *c.* 1
D. Franciſco Aſſiſio divinitus ſubminiſtratur annona. *p.* 165 *c.* 2
B. Franciſci Borgiæ humilitas, *p.* 42 *c.* 1
S. Franciſci Xaverii zelus. *p.* 55 *c.* 2
Fuga honorum, & dignitatum. Ejus exempla. *p.* 167 *c.* 1, 2
Fuga inanis gloriæ. *p.* 34 *c.* 2
S. Furſeus audit ab Angelo illud: *Ibunt de virtute in virtutem.* *p.* 76 *c.* 1

G

S. Galgani converſio, & beatitas. *p.* 263 *c.* 2
B. Gallus etiam calices, & ſacra vaſa ſtipem facit. *p.* 105 *c.* 2
Gloria cœleſti ut capiantur Sancti. *p.* 180 *c.* 1
Gloria cœleſtis quærenda etiam periculo noſtro. *p.* 31 *c.* 2. Labore, Patientia, Morte. *p.* 32 *c.* 1, 2
Gloria vana virtuti injuria, & Deo. *p.* 222 *c.* 1, 2
Gothorum Rex Victiges ex ſervo. *p.* 129 *c.* 1
B. Gratiæ de Valentia devotio erga Chriſti reſurrectionem. *p.* 239 *c.* 1
Gratia an data antiquis ex Chriſti meritis. *p.* 282 *c.* 1
D. Gregorius Nazianzenus honores ut fugit. *p.* 167 *c.* 2
Gulæ malum quantum. *p.* 164 *c.* 1

Hadriani

H

HADRIANI VI. Pont. Max. contemptus honorum. p. 279
Hadriani VI. Pont. horror in Pontificatu. p. 230 c. 2
Hæreſes adverſus Euchariſtiam. p. 207 c. 2
Et ejus in conſecratione formulam. *ibidem.*
Hæretici quando primum Euchariſtiæ Sacramentum oppugnarunt? p. 206 c. 2
Hæretici Chriſtianos arguunt idololatriæ. p. 211 c. 1
Hæretici Deum faciunt authorem peccati. *ibidem.*
Hæretici quomodo Scripturis abutantur. p. 217 c. 1
Hæretici cur zizania? p. 118 c. 1. Eorum genius. p. 120 c. 1. Cur eos Deus toleret. c. 2
Et an tolerandi? p. 121 c. 1
Hæreticorum nomina quàm infamia. p. 190 c. 1
Hæretici cur dicti Serpentes, Mures, Muſcæ, filiæ Sirenum, Lupi. p. 259 c. 1. 2
Hæreticis omni ſæculo oppoſiti Sancti alii atque alii. p. 122 c. 2
Hæretici quomodo Scriptura abutantur. p. 169 c. 1
quantum & illud ſcelus? c. 2
Hæretici cur oſores jejunii. p. 163 c. 1
S. Hedwigi aqua in vinum mutata. p. 91 c. 2
S. Helenæ pietas erga Chriſti cunas. p. 66 c. 2
Heliogabali ridiculum facinus. p. 225 c. 2
Heliſæi obedientia prompta. p. 51 c. 1
S. Henricus Imperator tria quotidie Sacra audit. p. 78 c. 2
Henricus VIII. Angliæ Rex Eccleſiæ rebellis. p. 130 c. 2
S. Herluca Bavara cœcitate damnata, unius oculi uſuram impetrat. p. 157
Hermiæ & Edeſiæ filius die à nativitate ſeptimo ſapientia præditus. p. 64 c. 2
D. Hieronymi timor extremi Judicii. p. 4 c. 1
S. Hilarii humilitas exaltata. p. 129 c. 2
Homo terra rationalis. p. 144 c. 1
Homo primò vivit anima plantæ, tum animalis, denique hominis. p. 129 c. 1
Homini cur nihil ſufficiat niſi Deus. p. 202 c. 1
Honorum fuga. p. 34 c. 2. & p. 231 c. 2. Ut eos fugerint Sancti. p. 35 c. 1
Horatii Coclitis magnanimitas. p. 251 c. 2
Humilitas exaltata. p. 58 c. 2
Humilitatis genius quis. p. 35 c. 1
Humilitas duplex. p. 34 c. 1
Humilitas juncta exaltationi. p. 84 c. 2
Humilitas cur exaltatrix? p. 42 c. 1
Humilitas planta, cujus fructus eſt cœlum. p. 129 c. 1
Humilitas via ad ſublime, ſcala in cœlum, velut Heliæ currus. p. 129 c. 2
Humilitas opera bona gaudet celari. p. 100
Humilitatis exemplum. p. 36 c. 2
Hypocritarum via quæ? p. 58 c. 2

I

IESU nomen quàm potens contra dæmones. p. 281 c. 2
JESUS cur vocatus ad nuptias? p. 91 c. 1, 2
JESUS cur remanet in Jeruſalem? p. 79 c. 1
Ubi fuit illo triduo? Unde victitavit. p. 80 c. 2
S. Idæ patientia in tribulationibus. p. 266 c. 1
S. Ignatius oppoſitus Luthero. p. 123 c. 1
S. Ignatius vidit divinam eſſentiam. p. 180 c. 1
S. Ignatii ſolitudo mentis. p. 247 c. 2
Jejunii ut amantes Sancti. p. 163 c. 2
Jejunii violatio punita. p. 146 c. 2
Jejunii vis, ejus oſor diabolus. p. 162 c. 2
Jejunii Quadrageſimalis antiquitas. p. 163 c. 1 & 2
Ejus obſervantia. *ibidem.* Ejus inſtitutio, & authoritas. *ibidem.*
Impœnitentiæ exempla. p. 184 c. 1, 2
Imperatoribus Orientis ut familiaris memoria mortis. p. 178 c. 2
Impii cur cadunt retrorſum. Juſti cur antrorſum. p. 183. Et quid tam hoc quàm illud. *ibidem.*
Inconſtantia, & inconſtans cui ſimilis. p. 26 c. 1, 2. Arundini, Parvulo, Pavoni, Proteo, Iactui alcæ. p. 29 c. 1
Inferni carcer ubi, & quantus. p. 125 c. 1
Inimicitiæ ut reconciliatæ. p. 113 c. 2
Injuriæ condonatio, & ejus exemplum illuſtre. p. 248 c. 2
Innocentius IX. Pont. Max. ſimulacrum mortis ſemper habuit in oculis. p. 178 c. 2
Inquiſitionis Tribunal cur & quando in Hiſpania erectum? p. 123 c. 2
Intentio bona, atque ad eam requiſita. p. 58 c. 2
Intentio cur dicatur oculus? p. 200 c. 1
Cur & genæ ſponſæ? *ibid.* Quæ requirantur ut bona ſit? *ibid.* Cur etiam dicatur ſagitta? c. 2
Intentio pura Deum quærit. p. 85 c. 1
Invidia, & illius genius. p. 140 & 141 c. 1, 2
Invidia cur cœca. p. 218 c. 1, 2
Cur ſimilis noctuæ, & igni græco? c. 2
Cur ſummum malum? p. 219 c. 1
Ejus effectus. Ejus & tyrannis. c. 2
Invidia, & ejus genius. 192 c. 1
Et quæ ejus remedia. c. 2
B. Joachimus Abbas aquam vertit in vinum. p. 91 c. 2
B. Joachimi ſervitiæ exemplum. p. 39
D. Joannis Baptiſtæ nomina: Angelus, Propheta, Lucerna, Vox Verbi. p. 36 c. 1
Quomodo Vox? p. 37 c. 2
D. Joannis Bapt. humilitas. p. 34 c. 1
D. Joannes Bapt. an dubitarit, forétne Chriſtus Meſſias? p. 15
Joannes II. Luſitaniæ Rex, vovet nihil negaturum ſe, quod in honorem vulnerum Chriſti peteretur. p. 252 c. 1
Jonæ Prophetæ humilitas. p. 37 c. 1
Iracundia cur cœca? p. 153 c. 1
Iſraelis obedientia olim prompta. p. 50 c. 2
Iudex cur dicatur ſcopulus reorum. p. 5 c. 2
Iudæi ut Chriſtum arguant de peccato. p. 211 c. 1
Iudicii extremi quæ ſigna? p. 3. quomodo Sol obſcurabitur? Virtutes cœlorum commovebuntur, & quomodo? Elementa turbabuntur. *ibid.* c. 2.
Iudicii extremi quis timor in Iuſtis? & unde? p. 4. 5
S. Iulianus Dalmata Chriſtianus eſſe dignoſcitur ex illa ſalutatione: Pax vobis. p. 244 c. 2
B. Jun peri compaſſio erga reos. p. 748 c. 1
Iuſti cur duris probandi? p. 264, & ſeq.
Iuſti Lipſii in morte ſecuritas. p. 179 c. 1
Iuſtitiæ quis genius? p. 35 c. 2
Iuſtorum lætitia in Judicio unde? p. 8

L

LABORE emuntur omnia. p. 180 c. 1
Lacedæmonii non petebant à Deo niſi pulchra, & bona. p. 279 c. 1
S. Lambertus Epiſcopus Vencenſis aquam mutavit in vinum. p. 91 c. 1
Laus ab improbis quàm ſuſpecta. p. 193 c. 2
Lazari mortui obedientia. p. 51 c. 2
Liberalitas virtus regia. p. 171 c. 1
Animos conciliat, & regna dat. c. 2
Linguæ cuſtodia. p. 185 c. 1
Lingua, quæ ab illa bona, maláve. p. 195 c. 1
S. Luciani humilitas. p. 37 c. 1
Luciferi Calaritani lapſus. p. 7 c. 1
S. Ludovici in Deum pietas. p. 171 c. 2

Ludovici XII. Galliæ Regis injuriarum in eo remiſſio. p. 220 c. 2
S. Lutgardis à vulneribus Chriſti ad meliora converſio. p. 251 c. 1
S. Lutgardis caritas erga peccatores. p. 248 c. 1
Lutheri enormis calumnia contra Concilium Nicænum. p. 275 c. 2
Lutherus miracula ut affectat, nec facit. p. 190 c. 2
Luxuriæ pœna exemplaris. p. 185 c. 1
Luxuria quantum malum. p. 152 c. 2
Illius pœna cœcitas. p. 153 c. 1

M

MACEDONIORUM error contra Spiritum ſanctum. p. 273 c. 1
Magiſtri boni officia quæ, & exempla p. 20
S. Malachias ut honores fugit. p. 167 c. 2
Manſuetudo principalis eſt virtus. p. 228 c. 1
Marco de Porras Abbati apparet Chriſtus naſcens, eique benedicit. p. 65 c. 2
B. Margaritæ Sabaudæ apparens Chriſtus tres lanceas offert, & quid illæ? p. 266 c. 2
S. MARIA Dei mater quomodo gladio transfixa. p. 74. 75. Cur dicta Cruciformis. p. 74
Ejus cor cur ſpeculum Crucifixi. p. 74 c. 2
Medium ut amat JESUS. p. 83 c. 1
S. Mechtildes corde Chriſto loquitur. p. 38 c. 2
Mercenarii vitia quæ? p. 257 c. 2
P. Michaelis Alfordi mors pia. p. 179 c. 2
Miles ulteoſis vulnerum cicatricibus veniam impetrat. p. 252 c. 2
Militiæ vis in unione. p. 194 c. 2
Miſericordiæ Dei rarum exemplum. p. 127 c. 1
Miracula non dantur niſi ad fidem, & ſalutem. p. 165 c. 1
Miracula vera à Deo ſolo. p. 191 c. 1
Ea ſunt in ſola Eccleſia Romana. ibidem.
Miracula dæmonis falſa, uti & hæreticorum. p. 190 c. 1 & 2
Miracula ut elevent hæretici. p. 190 c. 1
Modeſtia, ejúsque vis quanta. p. 40 c. 1
Moloſcitæ Regem ſuum orare ſoliti per ejus filium. p. 281 c. 1
Montes cur Deo amici, cur in eis prodigia. p. 173 c. 1 & 2
Mons Thabor cur, & unde nominatus? p. 174 c. 1
Quid nominis, quid rei? ibidem.
Mons Jericho vicinus ut memorabilis. p. 259 c. 1, 2
Morbus toleretur in patientia. p. 279 c. 1, 2
Mors Juvenum quid boni portendat. p. 115 c. 2
Mortem ſibi inferre an licitum? p. 168 c. 2
Mortis memoria quam utilis. p. 178 c. 2
Mortis horror in impiis: votum in piis. p. 9
Moyſis caritas erga populum. p. 248 c. 1
Moyſes, & Elias an verè apparuerint in Chriſti transfiguratione. p. 177 c. 2
Et cur illi præ cæteris. ibidem.
Moyſis clamor, & oratio. p. 154 c. 2
Mundi pericula quæ, & quanta. p. 52 c. 1, 2
Mundi gloria ut tranſit. p. 181 c. 2
Mundi lætitia cur dicta *modicum*? p. 262 c. 2
Vanitas mundi. p. 180 c. 1
Mundi gloria quam inconſtans. p. 231 c. 1
Puncto ſimilis; Momentanea, c. 2 Vapori, & fumo ſimilis; Similis rotæ; Similis flumini. p. 232 c. 1, 2
Mutatio aquæ in vinum. p. 91 c. 1
Mutus à natura, mutus à culpa, mutus à dæmonis maleficio. p. 185 c. 1, 2

N

NATIVITATIS Chriſti circumſtantiæ: I. Locus, p. 63 c. 1 II. Tempus. p. 64 c. 1
Nativitatis Chriſti quis finis. p. 65
Nativitas Chriſti ut venerationi eſt. p. 66
Nativitas Virorum illuſtrium prodigiis illuſtrata. p. 61 c. 2
Natura à minimis evadit ad maxima. p. 128 c. 2
Naves in Scripturis variæ. p. 121 c. 1, 2
Navis inſtitoris quæ. p. 11 c. 2
Nuptiæ in Cana Galilææ mundi typus. p. 95 c. 1
Nuptiæ in Cana Galilææ quibus nominibus celebres. p. 89 c. 1, 2
Nuptiæ felices quæ? p. 90 c. 1
Ad nuptias qui vocandi, qui repellendi? c. 1, 2
Quis finis nuptiarum? c. 2
Nuptiarum approbatio, & honor. p. 92 c. 1
Nuptiarum ceremoniæ quæ? p. 93 c. 2
Nuptias qui damnarint? p. 92 c. 1
Nuptiæ mundi in quibus deficit vinum, & quod illud? p. 93 c. 1. A nuptiis abſit fel, & ira, abſint & jurgia. c. 2.

O

OBDURATIO cordis quantum malum. p. 146 c. 1.
Obduratio peccatoris quomodo depulſa. p. 127 c. 2
Obedientia Divæ Virginis. p. 78 c. 1
Obedientiæ exempla varia. p. 50, 51 c. 1, 2
Obedientia creaturarum omnium. p. 86 c. 1
Obedientia Monachorum. p. 50 c. 1
Obedientiæ motiva. p. 87 c. 1
Obedientia Chriſti. p. 86 c. 2
Obedientia nota Chriſtianitatis; Opus Dei; Mater fœlicitatis; Ornamentum. p. 87 c. 2
Obedientiæ promptæ præmia. p. 51 c. 2
Obedientiæ ſymbolum Lux, p. 50 c. 1. Item & Terra, c. 2. Elementa, Fulgur. p. 51 c. 1
Occaſio peccandi fugienda. p. 52 c. 1, & 145 c. 1
Occaſiones peccandi quomodo vitandæ. p. 6 c. 1
Occaſiones peccati ut fugiendæ. p. 239 c. 2
Oculi Chriſti quàm benigni, p. 266 c. 1, 2
quàm & terribiles. p. 268 c. 1
Oculi Auguſti Cæſaris cur fulgurantes. p. 268 c. 1, 2
Oculi, & quæ ab illis bona, maláve. p. 195 c. 2
Oculi quales à natura, quales à virtute, quales à vitio. p. 156 c. 1, 2 Oculorum inſignis cuſtodia probata etiam miraculo. c. 2
Oculus Dei omnia intuentis. p. 250 c. 2
Olympias Alexandri Magni mater viſa ſibi parere fulmen. p. 62 c. 1
Opinione mollia: re autem ipſa gravia. p. 225 c. 1
Orandúmne ſit, in eo hæreſis Prodici, & aliorum. p. 280
Orantium malè quæ pœna cœlo vindice p. 279 c. 2
Oratio clamor eſt. p. 154 c. 1. Cordis & oris. ibid.
Oratio ſit humilis; Laborioſa; Plena ſpe, ac fiducia. c. 1, 2
Oratio, ceu petitio à Chriſto, quæ bona, quæ mala. Quæ petenda, quæ non? p. 278, & ſeq.
Oratio cur ſæpè non auditur. p. 283 c. 1, 2
Oratio alia publica, alia privata, probanda tam hæc, quàm illa. p. 280 c. 1
Hujus & illius exempla. ibidem.
Oratio cur omnipotens? p. 155 c. 2
Oratio facta in nomine Chriſti, quæ. p. 280 c. 1, 2
Oratio in nomine Filii Dei quàm potens. p. 281 c. 1
Oratio Chriſtianorum qualis olim fuerit. p. 279 c. 2
Oſii lapſus miſerabilis. p. 7 c. 1, 2
Othonis Imp. dictum illuſtre. p. 228 c. 1
Otium quid ſit? Jucundum malum; Rubigo ingenii; Virtutum venenum; Hamus diaboli; Vitiorum magiſter; Dæmonis negotiatio. p. 140 c. 1, 2
Otium quotuplex. p. 139 c. 1

P

S. PACHOMIO Abbati ut illudit dæmon. p. 170 c. 1.
Pammachii Patritii Romani in egenos liberalitas. p. 209 c. 2
Panes in manu Chriſti quaſi ſemen. p. 204 c. 1
Papæ martyres tres ſupra triginta. p. 286 c. 2
Papa an ſupra Concilium? p. 175 c. 1
Parentum officia quæ? p. 20 c. 2
Paralyſis animi quid ſit, & quæ illius cauſæ. p. 103 c. 2
Paralyſis corporis, quid ſit, & quæ illius cauſæ? p. 103 c. 1
Paralyſis corporis duplex, & animo duplex. p. 104 Hujus, & illius cauſæ. *ibidem*. Utriuſque remedia. c. 2
Paralyticus terrore ſubito ſanatus. p. 105 c. 1
Paſſionis Chriſti memoria, atque utilitas. p. 178 c. 1, 2
Paſſionis memoria etiam in cœli regia. p. 179 c. 1
Ejus privilegia quatuor. *ibidem*.
Paſſionibus quomodo imperandum? p. 112 c. 2
Paſſionibus quomodo reſiſtendum? p. 34 c. 2
Paſtoris boni officium. p. 182 c. 2
Paſtoris officia quæ. p. 256 c. 1, 2
Paſtoris nomen cur aſſumit Chriſtus? p. 253 c. 1, 2
Paſtoritia dignitas, & amor. p. 254 c. 1, 2
Patientia ut varia. p. 105 c. 1, 2
Pati pro virtute glorioſum. c. 2
Pro culpa utile. p. 106 c. 1
Patientia probantur electi. p. 106 c. 2
Patientia in adverſis. p. 179 c. 1
Ejus motivum. *ibidem*.
Patientiæ vis quanta? p. 149 c. 2
Patientia exemplo Chriſti. p. 193 c. 1
D. Pauli cor ut ardens. p. 39
Paupertatis laus, & encomia. p. 25 c. 1
Paupertas D. Franciſco mater, ſponſa, domina. p. 25 c. 1
Pax cur dicta Lex Eccleſiæ? p. 245 c. 1
Pax vobis, antiquus ſalutandi formula. p. 241 c. 1
Eam cur uſurpant Chriſtus. c. 2
Pax triplex, uti & triplex bellum: p. 245 c. 1
Una Deo, Altera cum ſeipſo, Poſtrema cum proximo. p. 246 & ſeq.
Pacis cum ſeipſo, quæ viæ? p. 246 c. 1
Prima ſolitudo exterior, Altera etiam interior.
Pacis cum proximo, quæ viæ? Una defectus aliorum portare, Secunda aliorum malis compati, Tertia ea condonare. p. 247 & ſeq.
Pacis ſymbola, & invitamenta. p. 246 c. 1, 2
Pacis encomia præclara. p. 243 c. 2
Peccata ſunt vincula. p. 225 c. 1
Peccati pondus quantum ſit? p. 109. c. 2. 120 c. 2
Peccatum ut horret S. Melchnidis. p. 38 c. 2
Peccatorem. quomodo non patiantur elementa. p. 109 c. 2.
Peccatorum ſomnus ut noxius. p. 113 c. 2
Peccator ut Dei nomen polluit, ut ejus gloriam offuſcat, ut eſt opprobrio, ut ſummæ injuriæ, ut in omnia ejus attributa arietat. p. 220 & 221
Peccatrix anima inſtar aſinæ. p. 225 c. 1
Peccatores recipi debent in ſpiritu manſuetudinis. p. 230 c. 1
Pecunia vel mala, vel mali cauſa. p. 137 c. 1
S. Pelagia quo ſpiritu in ignem inſiliit. p. 168 c. 2
Perſarum Reges filiis dabant quatuor præceptores. p. 21 c. 2
Perſecutio propria Juſtorum. p. 286 c. 1
B. Petrus Abbas Clarevallenſis amiſſo uno oculo, alterum amitti poſtulat. p. 157 c. 2
B. Petrus Damianus Cardinalatû refugit. p. 230 c. 2
Pharaonis obduratio. p. 17 c. 1 & 146. Ejus pœna. c. 2
Philexones collum gruis à Jove cur petierit? p. 279 c. 1
Philippus II. Hiſpaniarum Rex renuit dare Epiſcopatum ei, qui erat in aula. p. 235 c. 1.
Philomela cur vox? p. 37 c. 2
Philoſophi, & Chriſtiani differentia. p. 24
Philoſophiæ vis. p. 41 c. 2
Pii V. Pont. Max. parſimonia erga ſe, & in egenos liberalitas. p. 206 c. 1, 2
Pii V. Pont. timor in Pontificatu. p. 230 c. 2
Pii V. Pont. Max. in Chriſtum pietas probata etiam miraculo. p. 179 c. 2
Platone naſcente terra tremuit. p. 61 c. 2
Pœnitentia baptiſmus alter. p. 53 c. 1
Ejus exempla. c. 1, 2
Pœnitentia hîc modica, & fructus ejus æternus. p. 263 c. 2
Pœnitentiæ vis, & fructus. p. 126 c. 2
Pœnitentiæ dilatæ punitio. p. 241 c. 1
Pœnitentiæ dilatæ malum. p. 239 c. 1
Pœnitentiæ dilatæ pœna. p. 184 c. 2
Pœnitentia exemplaris. p. 185 c. 2
Politia, & Politici quid ſpectent. p. 45 c. 1
Politicorum via quæ? p. 58 c. 2
Pompeii amor, & providentia in ſubditos. p. 171 c. 2
Pontificis toga cur olim oculata? p. 257 c. 1
S. Porphyrius Gazæ Epiſcopus ab Arcadio omnia idola dirui imperrat, p. 281 c. 1
Poteſtas clavium quanta. p. 226 c. 2 & 249 c. 1
Prædeſtinatio ut plena gaudio. p. 180 c. 1
Prælati ſint manſueti. p. 229 c. 1
Primiſlaus ex bubulco Bohemiæ Rex. p. 129 c. 1
Principes mali, & eorum exempla. p. 228 c. 1
Principes vitioſi quantum noceant. p. 44 c. 1
Proceſſiones divinæ. p. 249 c. 1
Propoſitum de bono ſit conſtans. p. 240 c. 2
Proſperitas à Deo avocat. p. 103 c. 1
Providentiæ divinæ exempla. p. 204 c. 1, 2
Pudor in Confeſſione qui vincendus. p. 250 c. 1, 2
Pudor in Confeſſione damnandus, ejus pœna ſubinde æterna. p. 188 c. 1, 2
Ejus mala etiam in hac vita, Ejus & remedia. c. 2

R

RAYMUNDI Lulli Dei amor, & patientia. p. 266 c. 1
Recidiva, & ejus exemplum. p. 241 c. 1
Recidiva quàm noxia. p. 197. Quæ illius cauſæ. *ibidem*. Quæ etiam mala. c. 2 Quæ pœna. p. 198 c. 1, 2. Quæ exempla. *ibidem*.
Reconciliatio cum proximo. p. 248 c. 2
Recollectionis amor. p. 160 c. 1, 2
Ejus exempla etiam in profanis, p. 161 c. 1
Et ſacris, *ibidem*. Ejus utilitas, & encomia. c. 2
Reges ex humili fortuna. p. 129 c. 1
Regnum cœlorum cur ſimile grano ſinapis, p. 131
Regnum Dei cur ſimile fermento. p. 131 c. 1
Religione, & pietate ſervantur imperia. p. 191 c. 1
S. Remberti Bremenſis Archiepiſcopi oratio miraculis probata. p. 154 c. 2
S. Remigii lagena vini unde indeficiens. p. 204 c. 1
Reſurrectionis Dominicæ circumſtantiæ. p. 234 c. 1, 2
Reſurrectio Chriſti eſt norma noſtræ reſurrectionis, p. 239. Ejus conditiones quinque ut perfecta ſit. p. 239, & ſeq.
Reſurgentes cum Chriſto an rurſum mortui. p. 235 c. 2 Et quinam illi? *ibidem*.
Reſurrectionis Dominicæ cauſæ. p. 236 c. 2
Rex totus eſt pro ſubditis. p. 227 c. 1
Rex ſit in omnes æqualis. p. 201 c. 1

Rhea Dea terræ. p. 565 c. 1
S. Richardus Abbas Ciſtercienſis pane unico tria hominum millia ſatiat. p. 208 c. 2
P. Rochus occiſus à Barbaris corde loquitur. p. 38 c. 2
Rupertus de Chriſti reſurrectione. p. 235 c. 1

S

SAcerdotis exemplo præſit. p. 41 c. 2
Sacerdoti datæ claves regni cœlorum. p. 226. c. 1
Sacerdotii vocatio tria requirit. p. 174 c. 1
Electionem à Deo, Puritatem, & exemplum bonum. ibidem. c. 1, 2
Sacerdotibus ſit amica veritas. p. 275 c. 1
Sacerdotes Judices, medici, capita populi, cor populi, columnæ, primitiæ creaturarum, Angeli, Throni, Dii terreſtres. p. 101 c. 1, 2
Sacerdotes mali etiam honorandi, p. 46
illis duplex perſona. c. 2
Sacerdotis impii horrenda punitio. p. 575 c. 2
Salomonis ad Deum petitio. p. 279 c. 2
Samuel an verè reſuſcitatus à Pithoniſſa p. 240 c. 1
Sancti tribulationum amantes. p. 102 c. 1
Sanctis ut obediunt animalia. p. 86 c. 1, 2
Sapientia in pueris prodigioſa. p. 64 c. 2
Scandalum quid ſit, & quotuplex? p. 285 & ſeq.
Scriptura ſacra an obſcura, an ejus lectio promiſcuè concedenda? p. 263 & ſeq.
Servitus in dominatione. Dominatio in ſervitute. p. 227 c. 1
Scriptura quomodo abuſa fuerit Eva. p. 169 c. 1
S. Simeoni Stylitæ ut illudit dæmon. p. 170 c. 1
Ejus in columna mira conſtantia. ibidem.
Simeonis Stylitæ prodigioſum jejunium. p. 165 c. 2
Similii Aulici ſolitudo. p. 161 c. 2
Sinai mons unde dictus? p. 144 c. 1
Sinapis granum in Scripturis quid? p. 525 c. 1
Sinapis granum cur cœlorum regno ſimile. p. 131. c. 1
Singularitatis fuga. p. 78
Sion id eſt ſpecula. p. 544 c. 2
Solitudinis amor. p. 160 c. 1, 2
Solitudo cuſtos caſtitatis. p. 51 c. 2
Solitudo amica virtutis, inimica vitii. p. 445 c. 2
Solitudo, & ejus utilitas. p. 247 c. 1, 2
Solitudo mentis quæ? p. 161 c. 2
Solitudo duplex, mentis, & corporis. p. 53
Somnus quid ſit, & unde? p. 517 c. 1
Ejus damna ſi nimius ſit. ibidem, c. 2
Somnus moralis quid ſit? p. 118 c. 1
Ejus damna. c. 2
Spes præmii ut animat. p. 176 c. 1
Spes, & metus veluti duæ molæ, duo brachia. p. 576 c. 1
Spes cœleſtium. p. 11. c. 2. Rebus deſperatis. p. 12
Spiritus Sanctus an Filio inferior? p. 273 c. 1, 2
Spiritus privatus an audiendus? p. 276 c. 2
Statura hominis cur recta? p. 567 c. 2
Stellæ quomodo cadent de cœlo? p. 5
Superiores mali ut noceant. p. 44 c. 1
Sunt Typi, Exemplaria, Regulæ curvæ, Capita platearum, Laquei, Specula, c. 2. Fermentum. p. 45 c. 1
Superbia, & faſtus principum. p. 230 c. 1
Superbia depreſſa. p. 60 c. 1, 2
Supplicatio Florentiæ cur inſtituta in feſtis Paſchalibus. p. 245 c. 1
Synagoga cur dicta ſit vinea. p. 134 c. 1

T

TActus Dei quid indicet? p. 97 c. 1
Tamerlanus ex porcario Turcarum Imperator. p. 129 c. 1
Tangere Chriſti medicum. p. 97 c. 1
Telephanes Lydorum Rex ex fabro. p. 129 c. 1
Tempus, & illius uſura qualis? p. 139 c. 1
Tentatio carnis edomita compenſatur corona Imperatoria. p. 160 c. 1, 2
Tentationis remedia. p. 113 c. 1
Terra, & terrena ut à multis quæruntur. p. 31. c. 1, 2
Terræ, & terrenorum deſpicienna. p. 11 c. 2
Themiſtocles exulare juſſus Admeto Regi filium oſtentat, & veniam impetrat. p. 281 c. 1
Theodoſius Imp. ob cædem Theſſalonicæ factam à Macedonio Epiſcopo acriter reprehenſus. p. 275 c. 2
Tiberius Imperator ut hominum de ſe judicia extimuit? p. 5
Timor impiorum in Judicio unde? p. 8 c. 1
Titi Imperatoris beneficentia. p. 76 c. 2
S. Thomas Aquinas Sacro inſervit. p. 78 c. 2
D. Thomæ incredulitas, & converſio. p. 250 c. 1
Transfigurationis Chriſti quæ rationes? p. 175
Tribulationes ſunt vincula ſponſæ Chriſti, p. 19, c. 2
ſunt ſchola virtutum. ibidem.
Tribulatio ſcala in cœlum. p. 173 c. 1, 2
Tribulatio ad Deum ducit: Dicitur vinculum, mare, ventus, p. 101. ignis, lima, flagellum, medicina, magiſtra, donum, cuſtodia, fornax. p. 102 c. 1, 2
Tribulationum fructus, p. 155 c. 2
Tribulatio effectus miſericordiæ. p. 4 c. 1, 2
Tribulatio quid ſit juſto: Novacula, Tritura, Ignis, Pala, Hamus. p. 287 & ſeq.
Triſtitia juſtis modica, & fructus æternus. p. 262 & ſeq.
Turturis vox ſymbolum orantis. p. 554 c. 2

V

VElle Dei an facere? p. 99 c. 1
Venti in Scripturis qui, & quàm varii. p. 112 c. 2
Verbum Dei quale? p. 565 c. 2.
Eo vixere ſancti. p. 166 c. 2
Verbum Dei ſemen, & hujus, atque illius analogia. p. 543. & ſeq.
Verbum Dei Semen, Depoſitum, Talentum, Ignis, Gladius. p. 548 c. 1, 2
Verbum Dei incidens in terram bonam. p. 149 c. 1
Verbum Dei eſt gladius. p. 74 c. 1
Verbum Dei aliud ſcriptum, aliud dictum. p. 544. c. 1
Verbi Dei fructus eſt in opere. p. 549 c. 1, 2
Verbum Dei audire quid ſit? p. 256 c. 1, 2
Verecundia damnanda in Confeſſione. p. 188 c. 1
Ejus punitio exemplaris. ibidem.
Veritas non auditur in Regum aulis, p. 17
Nec in proſperis; ſed in adverſitate. ibid.
Veritati cur homines non credunt. p. 255 c. 1, 2
Veritatis ſpiritus in Summo Pontifice. p. 275 c. 1
Veritas eſt velut amuletum, Regina, Sol animæ. p. 274. c. 1. Cur odioſa maximè viris Principibus. ibidem.
Veritatis ſedes cœlum, mundus mendacii. p. 253. c. 1
Veritas unde odioſa? c. 2
Cur etiam Principibus? ibidem
Veſtis indicat quis ſit homo. p. 28 c. 1
Veſtium contemptus in Adamo, Prophetis, Apoſtolis, Monachis. ibidem. Luxus veſtium carpitur. c. 2. In veſte modus quis ſit. ibid.
Via Domini quæ, qualisve: 1. ſit vacua, 2. ſit lata, 3. ſit pulchra, 4. ſit plena, 5. ſit plana. p. 54 & ſeq. 6. ſit etiam dura. p. 56. c. 1
Viæ Domini tres: 1. Viridis, 2. Hiacynthina, 3. Purpurea. p. 56 c. 1, 2
Via peccatorum obliqua. p. 57 c. 1
Via tepidorum obliqua. p. 58 c. 1

Vilgii

Vilgii ſenis in Deum fiducia. p.115, c. 1
Vinea ſymbolum amoris, doctrinæ, imperii, libertatis. p. 134, & ſeq.
Vinculorum gloria Dei cauſa. p. 18
Virgo ut amat celari. p. 36, c. 1
Virtutis gradus in ſublime, & regnum. p. 171, c. 1
Virtus pro veſte, ex ea noſcitur Chriſtianus, Eccleſiaſticus. p. 29, c. 1
In hoc damnatur luxus. c. 2
Vita humana cur dicatur Hyems? p. 13
Vita nomini concordet. p. 33, c. 2
Vita coronatur, non doctrina. p. 41, c. 2
Vitia fluctuantis animæ. p. 196, c. 2
Unio regnorum fundamentum. p. 193, c. 1
Vocatio ad dignitates Eccleſiaſticas ſit à Deo. p. 166 c. 1. Non à Mundo. *ibidem.* Quàm hæc ſit periculoſa. *ibid.* Non etiam à carne, & ſanguine. c. 2. Quàm hæc noxia. *ibid.* Non etiam ab ambitione, & ſuperbia. p. 167, c. 1
Vocatio divina ſequenda etiam invitis parentibus. p. 82, c. 2
Vocatio divina mirabilis. p. 137. c. 2
Vocationi divinæ promptè obediendum. p. 51. c. 2
Voluntas Dei an cauſa rerum? p. 99, c. 1
Voluptas cur tormentum, Carnifex, Canis rabidus, Clavus? p. 279, c. 1
Voluptas ſolida à virtute. p. 176, c. 2
Vota Religionis exhibita D. Franciſco forma trium mulierum. p. 25, c. 1
Vox triplex, Cordis, Oris, & Operis. p. 38, c. 1
Uranoſcopus piſcis. p. 180. c. 2
Vrigman Dominicani humilitas. p. 42, c. 1
B. Wallenus Abbas triticum multiplicat. p. 208, c. 1

Z

ZElus Animarum. p. 55, c. 1, 2
Zizania in Eccleſia ſunt: 1. Mali omnes, 2. Hæretici. p. 119, c. 1

FINIS.